Louanienses in logic .

Commentaria in ISAGOGEN PORPHYRII, ET IN OMNES LIBROS ARISTOTELIS DE DIALECTICA,

NVPER MATVRO CONSILIO, ET GRAVISsimis sumptibus venerandæ Facultatis Artium in inclyta Academia Louaniensi per Dialecticæ ac totius Philosophiæ peritissimos viros composita, Et in commodum ac vtilitatem bonorum ingeniorum diligẽter recognita, emendata, & multis in locis prudẽter abbreuiata.

LOVANII,
Opera & impensis Seruatij Sasseni, Bibliopolæ ac Typographi iurati. Anno 1553. Mense Octobri.

Cautum est Cæsareo Priuilegio.

Ne quis præter Seruatium Sassenum intra duodecim proximos annos Commentaria Facultatis Artium Louaniensis Academiæ in Aristotelis dialectica: atque adeò ipsa Dialectica: & Physica eiusdem, imprimat aut diuendat. Præuaricatori confiscatio istiusmodi librorum, & mulcta quinquaginta Carolinorum in pœnam constituta. Cuius rei emolumēta ad eundem Seruatium Sassenum pertinebunt. Iuxta literas Bruxellis datas xvij. Augusti. Anno Domini *M. D. XLVI.*

Subsignatas Verreycken.

Decanus & Facultas Artiũ

CLARISSIMAE VNIVERSITATIS LOVANIENSIS VERAE PHILOSOPHIÆ STVDIOSIS LECTORIBVS SALVTEM.

AEDITVRI ad Philosophicorum studiorum incrementa nouos in Porphyrij Isagogen, & Aristotelis libros, quæ sunt de ratione probabiliter de quauis re disserendi, Commentarios: operæpreciũ fore existimamus, ab ipso exordio nostri consilij reddere rationem, ne quis ignoratione causarũ nos putet à maiorum nostrorũ institutis, hactenus obseruatis, temerè recessisse, Quæ ut non sunt deserenda, nisi melioribus, aut pro temporum ratione magis accõmodatis commutentur, Ita si id recto iudicio fiat, nulla religione in tradẽnda Philosophia prohibemur. Maiores itaq; nostri cum ab initio conditæ Academiæ, quamuis semper propter excellentiam tanti Philosophi voluerint Aristotelici & esse & haberi, tamẽ neq; Aristotelis verba, neque quod proximum erat in magna diuersitate dictatorum per omnia sententiam sequerentur. Quot enim erant Pædagogia, in quibus tenera ætas adulescentulorum ad Philosophiã exerceretur, tot etiã diuersæ fuerunt æditiones & cõmentaria, eáq; res in Philosophia maximas interdum gignebat contentiones, vnoquóq; (vt fit in certaminibus desputationum) sua pertinacius defendente. Huic autem incõmodo tollendo iam olim nulla via, sæpe ac multũ cogitantibus nobis visa est accõmodatior, quàm si diuersitate librorum omissa, & disciplinas dialecticas tradentium libertate quadám tenus cohercita, contextu Aristotelis ædito, omnes huiusmodi controuersias, quas genuit æditionũ varietas & docentium licentia, resecaremus, Philosophica tradentibus magistris dato negocio, vt omissis huiusmodi disceptationibus, vnũ omnes Aristotelem tanquam ducẽ sequẽtes, in illius scripta, sicut ab ipso fuerunt ædita, totius mentis oculos, tanquam ad veræ dialecticæ lumen, intenderent. Quæ res quoniã non modò ad mutuam concordiam, cùm in omnibus gymnasiis eadẽ & eodem modo prælegerentur, sed ad veri intelligentiam nõ mediocriter proficiebat, plurimis ingenia sua eò conuertentibus, vt ex ipso Aristot. tanquam è fonte purissimo veritatis haustum exquirerent, Quod cum animaduersum fuisset: superioribus annis etiam in libris eiusdem Philosophi, quos scripsit de rerũ natura, perfecimus, vt ne quid reciperetur in scholas nostras, nisi sicut ab ipso Aristotele fuit traditũ, & è Græco in Latinũ per optimos interpretes conuersum, Præceptoribus nihilominus relicta libertate, vt singuli pro captu suorum ingeniorum glossemata dictarent, quibus adiuta iuuentus facilius ad intelligẽtiam rerũ ab Aristotele traditarũ, veluti manu duceretur. Longa interim experientia docti sumus, magis ex re studiosorum adolescentium fore, si quod tempus scriptioni glossematum oportebat hactenus impendere, illud in augmentũ intelligentiæ & studiorũ accederet, tertia propemodum anni parte, quam dictando præceptores, & scribendo discipuli, transmiserunt, ad interpretandi & exercitandi tempus adiuncta. Mouit nos & illa ratio, qua etiã cõmemorauimus inductos esse nostros maiores, qui prædecessorũ instituta relinquẽtes, quo traditio Philosophiæ esset conformior, verum Aristotelis Textum in scholas receperunt. Nam quamuis Aristotelis Logica sicut ab ipso scripta est nostris tyronibus prælegeretur, ex multorum tamen, quibus docẽdi munus necessario est cõmittendum, varietate, cum quisq; id sequeretur,

Cur æditus sit primum textus ac deinde cõmentarij.

quod ingenij captu assequebatur, iterum non minores de ipsius Philosophi intellectu diuersitates, quàm olim nascebantur, idq; non modò in diuersis gymnasiis, verùm etiam sæpe numero, idem vsuuenit in eâdem domo, libertate illa sese, quo libuit, effundente, & plerisque illa dictantibus, non quæ ad Aristotelis intelligentiam propius pertinerent, sed quæ ipsi in disputationibus ac diatribis dialecticorum possent defendere. Interim quod fuit deterius, non solum Pædagogium aliquotiès a Pædagogij traditione discrepabat, sed & præceptores in eodem gymnasio à suis collegis dissentiebant, imò nec singuli sibiipsis perpetuo & constanter, vt in re graui decet, consentiebant, cum in ijsdem quæstionibus, non raro secundi anni dictata superioris sententiam in diuersa commutarent. Quæ inconstantia in dialecticis disciplinis non videbatur nobis diutius admittenda, quòd omnibus modis existimauimus conuenire, vt ea disciplina quamoprimè & summo consensu atque constantia traderetur, quæ esset tanquam Gnomon & regula ac fundamentum omnium reliquarum disciplinarum, quæ nisi prius ipsa sibi constet certis rationibus innixa, reliquas artes quarum velut organum & præcipua est directrix, & sine qua nulla potest suam dinitatem tueri, nequaquam posset stabilire. Porrò hæc nobis fuit vel potissima ratio, his corruptissimis temporibus, quæ non solùm ruinam Philosophicis disciplinis, verùm etiam pietati & religioni Christianæ grauissimam calamitatem attulère, quod videremus hæreticos in oppressionem studiorum, per quæ fulsitur religio, & fides Christiana confirmatur, omni conatu elaborare. Qui quòd animaduertunt, se non posse, quantum volunt, pestilentissimum virus in euersionem fidei Catholicæ effundere, conatum illorum impedientibus qui Dialecticam cum sacris literis coniunxerunt: hoc iam diu agunt, vt omnes Vniuersitates deleant, opprimant, & extinguant, quod quoniam illis non successit ex animi sententia, proximum illis studium fuit, à Dialecticis exercitijs animos hominum auocare, vt confutatoria arte sublata, liberè iam in Ecclesiæ catholicæ perniciem grassarentur, non dissimiles Iuliano imperatori, quo religio vix habuit pertinaciorem hostem. Is enim cum videret Christianam religionem a sese omni machina alioqui frustra oppugnatam, studiorum liberalium accessione in dies magis & magis augeri, & contra impiorum scripta apologeticis libris grauiter defendi, lege lata Christiano populo literis & studijs interdixit, salutis disciplinis manifestè videns impietatem suam successum non habituram. Quamobrem nullis parcentes sumptibus, vt illorum impios conatus reprimamus, qui Iulianum Apostatam nobis referunt, Dialecticam studemus emendatiorem ac magis purgatam, sibique quoad fieri potest consentientem his Commentarijs euulgare, vt ad hæc studia plures inuitentur, sine quibus reliquas disciplinas consistere ac inconcussas permanere non posse, omnibus est manifestum. Quis enim nisi Dialecticæ armis instructus, vel vllius artis principia & caussas norit? Quis in disserendo de quacunque re sine errore verba facturus est, nisi ante omnia definitione & certis terminis circumclusam rei notitiam directrice Dialectica perceperit? nisi quæ rerum genera, quæ species, quæ differentiæ, quæ accidentia vnamquamque rem consequantur, quid coniunctum, quid separatum, quid affine, quid repugnans sit, animo cōprehendat? Quæ Dialectica primùm per decem genera prædicamentorum latissimè explicat. Deinde enunciationum naturam adiungit, Argumentandi formas præscribit. Præterea siue quæstio incidat de rerum natura, siue de moribus, siue de ratione differendi, ad omnem quæstionem propositam idonea argumenta reperiendi methodum explicat, vt nihil sit neque in cælo, neque in mari, neque in terra, ad quod Dialecticæ munus non pertingat. Iam cum tanta sit rerum inter se varietas & similitudo, vt etiam sapientē. sæpe fallant, nisi quis è dialecticis perceperit diuidendi seu partiendi rationem, ad veritatem vix vnquam poterit pertingere.

Cur hæretici auocārūt à Dialectica.

Iulianus Apostata Christianis interdixit studijs.

Disputatio sine Dialectica, errore nō caret.

gere. Ac cum Syllogismus, Enthymema, Inductio, & Exemplum, ex propositionibus semper aliquid colligant, & sine argumentatione nullius rei possit haberi scientia, nec veritas exactè cognosci, palàm est, eos qui hanc methodum non ingrediuntur, nunquàm ad veram, perfectam, & indubitatam cognitionem ullius disciplinæ posse euadere. Nec mirum, cum omnes disciplinæ adminiculo & instrumentis Dialectices sint inuentæ, & ipsa ad omnium disciplinarum principia habeat viam, ac ne potuerit quidem fieri, vt vlla esset ars, nisi per Dialecticam in ordinem & formam redacta. Testatur id Cicero sub persona Crassi, Nihil est, inquiens, quòd ad artem redigi possit, nisi ille prius qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Hoc video dum breuiter voluerim dicere, dictum esse à me paulò obscurius, sed experiar, & dicam (si potero) planius. Omnia ferme quæ sint conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt, vt in musicis, & numeri, & voces, & modi. In geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitudines. In astrologia, cœli conuersio, ortus, obitus, motúsq; syderum. In grammaticis, poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus. In hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quondam omnibus & diffusa latè videbantur, Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum Philosophi assumunt, quæ rem dissolutam diuulsamque conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Hactenus Cicero. Sed enim de Dialectica illum loqui res ipsa clamat. nulla enim est alia disciplina, quæ illud efficiat. Præterea alius Ciceronis locus id palàm indicat. Nam in libro de claris oratoribus. Cum Seruium Sulpitium, omnium non modò eiusdem ætatis, sed eorum etiam qui fuissent, in iure ciuili principem constituisset, admiranti Bruto, cum quo sermo fuit institutus, caussam reddidit. fuisse in eo peritiam Dialecticæ, qua superiores & æquales iurisconsulti destituti ad perfectam iuris scientiam peruenire non potuerint. Eius verba sunt. Sic enim inquã Brute existimo, iuris ciuilis magnum vsum & apud Scæuolam & apud multos fuisse, artem in hoc vno. Quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo. obscuram explanare interpretando. ambigua primum videre, dein distinguere. postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæque non essent, consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quæ confusè ab alijs aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticã mihi videris dicere, inquit. Rectè inquam intelligis, Sed adiunxit etiam & literarũ scientiam & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillimè perspici potest.

Oẽs disciplinæ adminiculo Dialectices sunt inuentæ.

Cicero lib. 1. de Oratore.

Cicero de claris Oratoribus.

Iuris ciuilis vsus, nõ ars, sine Dialectica haberi potest.

Cæterùm quomodo hæc ars omnium maxima, vt testatur Cicero, & quasi cæteris lucem præbens, extrinsecus reliquis disciplinis sit adhibita, in hunc modum facilè ostendi potest. Omnis disciplina, quamcunque materiam habeat subiectam, hoc agit, vt doceat, & de re dubia faciat fidem. Itaque ante omnia opus est, disputationem à definitione proficisci, vt in quæstione proposita intelligatur quid sit de quo disputetur. Cum sine definitione nulla res absolutè possit cognosci. Habita definitione, quoniam sæpe plurima in eodem genere continentur, aut alioqui in diuersum accipi possunt, necesse est rem perfectè vel tradere vel intelligere volenti, ipsum genus in partes distribuere, ac per suas differentias separare. aut quod est multiplici significato ad propositam quæstionem distinguere & accommodare, ne animus discentis propter ambiguitatem, veluti in mari, fluctuet. quibus incommodis amouendis rursus per definitionem in partibus, sicut in toto, est succurrendum. Definitiones diuisionésque rerum in quæstione propositarum sequitur iam ipsa argumentatio.

Dialectica ars oĩm maxima, & lux disciplinarũ

Quæ potißimùm rei dubiæ facit fidem. Inuestigans per omnes locos dialecticos, quid vnam quamq; rem secūdum substantiā consequatur, & inhæreat ipsis rebus, de quibus est quæstio, & quid comitetur ipsam substantiam, & quasi adiunctū sit, quid penitus ab ipsa re disiunctum, tamen ad faciendam de illa fidem extrinsecus aßumatur. Nec fieri potest, vt alia ratione res penitus cognoscantur, nisi definitionibus explicentur, diuisionibus separentur, & nisi argumētatione quid in illu consequatur, quid repugnet intelligatur. Porrò cùm sola Dialectica tradat rationes, modos, ac leges definiendi, diuidendi, & argumentandi, neq; hoc munus sibi vlla alia disciplina tanquam proprium vsurpet, sed quoties eo vtendum est, à dialecticis mutuo accipiat. Quis non videt, ignorata Dialectica, neminem in alijs disciplinis vel rectè poße definitione res explicare, vel per partes, aut species suas diuidere, vel ratiocinando consentanea adstruere, vel dißidentia remouere? Iure igitur M. Tullius hanc artem omnium maximam & lucem disciplinarum appellauit: Nec Aristoteles in Topicis aliud sentit, ostendens hanc facultatem non solum exercitatiores in dißerendo efficere, & ad rectè & probabiliter disputandum in obuiationibus, seu congreßibus hominum dexteritatem conferre, vt facilius nobis habeant fidem, verùm etiam hanc eandem disciplinā Dialecticæ ad omnium scientiarū principia habere viam. Hac nimirum ratione inducti sunt veteres Philosophi, qui Dialecticen Organum sapientiæ appellârunt, ducta similitudine ab artificibus, quorum nemo suum munus exercere potest, nisi instrumento & armis sui artificij instructus, quantumuis artis peritia excellat. Quæ autem est illorum vel stultitia, qui sine instrumento vera inueniendi & rectè iudicandi, se in vlla disciplina rectè operaturos eße arbitrantur? Hos iubemus vel Dædali fabulosam historiam inspicere, quoniam hoc genus hominum magis fabulis delectatur, quàm vera rerum scientia, quem poetæ ferunt non prius cum Icaro filio tentaße volatum, quàm auium exemplo sibi pennas cera agglutinaßet. Aut quæ est istorum hominū ignauia, exiguū tempus organo sapientiæ comparando impendere recusantium, cum id tanto studio & industria homines illiterati in prophanis artibus non recusent? Quæ autem est prophanarum artium cum sapientia comparatio? Illæ corpori inseruiunt, & victum præstant: atq; etiam diuitias interdum cōquirunt. Sapientia animum ornat, & veritatis alimonia pascit, præterea huiusmodi opibus locupletat, quæ nec surripi nec eripi possunt, nec naufragio nec incendio amittuntur, nec tempestate nec temporum vicißitudine permutantur. Quibus qui præditi sunt, soli sunt diuites. Soli enim poßident res fructuosas & sempiternas. Quarum rerum poßeßione Bias ille Prienensis vnus de numero septem Græciæ sapientum Crœso Lydorum rege multo fuit beatior. Capta enim patria, omnia sua secum portauit. Animi enim bona non amisit. At Crœsus, qui in externis rebus fœlicitatem collocauit, vt in Cyri potestatem amisso regno fuit redactus, nihil sibi putauit supereße, fœlicitatem enim in fortunæ ludibrijs, non in animi bonis reponebat, quæ Philosophus pro nihilo ducens suis opibus, quas in animo circunferebat, se verè locupletem eße existimauit, quibus saluis, reliquarum rerum iactura tanquam alienarum nihil commouebatur. Hanc ergo artem, quæ animum ad sapientiam instruit, vt nihil virtute superius, aut magis expetendum ducat, negligere, nihil aliud est, quàm sibi ad fœlicitatem vltro præcludere viam. Vidit hoc diuinus ille Plato, qui in libris de republica docet, solam Dialecticen conari recto ordine, ad inueniendum quid vnumquidq; sit, ac re vera animi oculum luto barbarico obrutum, paulatim sursum trahere ac ducere, ne ignorantiæ cœno maneat demersus. Itaque in omni Repub. bene constituta legem statuendam eße censet, vt adolescentes ea disciplina in primis imbuantur, quibus prompti fiant ad sapienter, tum interrogandum, tum respondendū. Hanc enim solutionem præbere à vinculis ignorantiæ, hanc animum ex vmbra in lucē, ex antro in solem producere, imò eße θριγκόν, id est,

Dialectica organū sapientiæ.

Plato.

Adolescētes dialectica imbuēdi.

apicem,

apicem, & veluti fastigiũ in omni genere disciplinarum. Eadem fuit Stoicorũ sententia, qui Dialecticen inter virtutes collocârunt, quod per illam docemur, ne cui falsò assentiamus, néue vnquã captiosa probabilitate fallamur, eáque; quæ de bonis & malis diceremus, tenere tueriq; possimus. Nam sine hac arte, quẽuis arbitrantur à vero abduci fallique posse: Rectè igitur, si in omnibus rebus temeritas ignoratióque vitiosa est, se virtutẽ appellare putauerunt, quæ ab illis animũ liberet. Iidẽ Stoici (vt autor est Laertius in vita Zenonis Cittiei) cũ essent ostensuri Dialecticæ in philosophia vtilitatẽ, tametsi philosophiã in tres partes diuisissent, tamen totam similem esse dicebant animali, Dialecticen ossibus & neruis, Carnibus & colori ethicen, Animæ naturalem scientiam æquiparantes. Item agro fertili, cuius sœpimento responderet Dialecticè, fructui Ethice, ipsi fundo & arboribus ibidem consitis Scientia rerũ naturæ. Porrò sicut sublatis ex animante ossibus & neruis, omne robur tollitur, ita significarunt cæteras disciplinas sine dialectica tanquam amisso robore, penitus collapsuras. Et quemadmodum frustra fundum possidemus, aramus, & colimus, nisi cepto noxiæ bestiæ arceantur, Ita reliquas artes ex seipsis non habere, quo sese tueantur, si Dialectica vallo sint destitutæ. In qua re nunquam satis potest laudari nostrorum Theologorum & Medicinæ artem profitẽtium summa prudentia, & grauissimũ iudicium, qui quod Plato & Stoici verbo præferebãt, re ipsa ab initio institutæ nostræ Academiæ diligentissimè obseruarunt. Ne quem ad superiores gradus admitterent, nisi illos solos, qui ingenium in Dialecticis haberẽt exercitatum, ac à nostro ordine prius honoris gradum essent adepti. Theologi, quorum officium est diuina interpretari, aduersarios fidei catholicæ reuincere, aberrãtes in rectam viam reuocare, progressos confirmare, cessantes incitare, verè arbitrati sunt ad hoc munus non esse idoneum, nisi qui prius non solum Dialecticẽ, verùm etiam naturalem Philosophiam didicissent. Medici quoq; eâdem ratione ducti, in tãta varietate rerum naturæ, crediderũt nõ posse quemquam inoffenso pede disciplinam medendi perdiscere, nisi parato prius illius artis instrumento, sine quo rectum ab obliquo, verum à falso non possimus dijudicare. Infinita sunt tum ethnicorum, tum Sanctorum patrum, & Ecclesiæ catholicæ tanquam luminum, quæ nobiscum faciunt, testimonia. Sed in re manifesta non est vtendum testimonijs non necessarijs. Cum ipsa ratio apud omnes omni humano testimonio debeat esse maior. Neque audiendi sunt contra tantorum autoritatem, & contra rationem quauis autoritate potiorem, qui Rhetorici volunt videri, ne rhetoristæ quidem nomine digni, cum nihil sint re vera quàm leues futilesq; locutuleij & blacterones effrenis linguæ, & qui clauo mentis carentes, compendium disciplinarum neglecta Dialectica, quærunt, nec vnquam ad sapientiæ frugem perueniunt. Nam si isti artis suæ, quam se sectari iactant, vel definitionẽ inspicerẽt, viderent in ipso limine, quàm toto errẽt cælo, qui ad eloquentiæ studium properant, ipsarum rerum cognitione neglecta. Definitur autem à M. Tullio in Partitionibus oratorijs, Eloquentia copiosè loquens sapientia, quæ ex eodẽ hausta sit genere, quo ipsa Dialectica. Atq; vt idem docet in Oratore, Nihil est tam furiosum, quàm verborũ vel optimorũ atq; ornatissimorũ sonitus inanis, nulla subiecta sententia neq; scientia. Idem tot locis testatur, eloquẽtiam ex rebus & verbis constare. Et si alterurrum sit optandum, malle indisertam prudentiam, quàm stultã loquacitatem. Porrò à principe oratorum quid apertius dici potuit in istorum hominum, qui eloquentiæ studiosi esse volunt sine cognitione rerum, quam absque dialectica non posse percipi & ratione & autoritate ostendimus, stultam loquacitatem. Elegantiam verborum in eloquentia, comitẽ vult esse sapientiæ. Quapropter studiosum eloquentiæ prius oportere sapientiæ initiari, verba verò etiam ornatissima quibus non sit subiecta res, merito stultam appellat loquacitatem. Præterea quanquàm inter omnes artes est quædam quasi cognatio, vtpote quæ

Dialectica virtutibus ãnumerata.

Dialectica nerui philosophiæ.

Reliquæ artes dialectica se tuẽtur.

Nemo ad superiores gradus admittẽdus sine dialectica.

Compẽdiũ disciplinarũ sine dialectica nõ perducit ad frugẽ.

Eloquentia rebus & verbis constat.

 vnum

Dialectica & Rhetorica sunt coniũctissimæ.

vnum sapientiæ corpus absoluant & perficiant, Nullæ tamen disciplinæ coniunctiores sunt inter se, quàm Dialectica & Rhetorica. In hac re si apud istos blacterones leuissimos non sat ponderis habet Aristotelis grauissimi Philosophorum autoritas, qui in exordio primi libri de Rhetorica scribit. Rhetoricam & Dialecticam inter se conuerti. Id enim significant Græca verba ἡ ῥητορικὴ ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, Illud saltem suo Ciceroni credant, ex eodem genere disciplinæ esse Retoricam & Dialecticam. Idem toties ex Zenonis Cittiei sententia affirmat, inter Rhetoricen & Dialecticam non magis interesse, quàm inter manum explicatam & in pugnum collectam, explicatæ manui Rhetoricam latius disserentem comparans, in pugnum contractæ Dialecticam, vtpote constrictius omnia complectentem, & magis pondere quàm orationis vbertate depugnantem. Accedit ad tantorum virorum autoritatẽ etiam ipsa ratio. Vtraq; enim disciplina indeterminata est, vtráque definit. Est enim apud Rhetores quoq; status definitiuus. Vtraq; res in species deducit, vtraq; partitur, vtraq; ambiguum distinguit. Vtraq; ratiocinatione, inductione, enthymemate, & exemplis fidem facit. Vtraque eosdem habet locos & sedes argumentorum, vt nominibus, ita & re conuenientes, nisi quòd Rhetorum præcepta non possunt intelligi, nisi ab illis tantummodo, qui prima rudimenta artis è scholis Dialecticorum hauserunt. Nam Cicero, Quintilianus, atque adeò ipse Aristoteles in Rhetoricis, vt neque Grammaticæ, ita neque Dialecticæ præcepta tradiderunt, imò non rarò significant, ista Rhetoricen discere volentem non illic percepturum, sed ea domo afferre oportere, vt scilicet eadem ratiõ & necessitudo Dialecticæ sit in Rhetoricis, quæ est in omnibus alijs disciplinis. Et sanè sicut frustra conẽris eum docere dicere, qui nesciat loqui: neque spes est qui latinè nesciat, hunc ornatè esse dicturum, Ita frustra nituntur ad eloquentiam, qui Dialecticam prætererierunt. Moueat illos Ciceronis exemplum, qui ante actionem caussarum per Dialecticam sese ad dicendi facultatem præparauit, domi etiam in hoc alens sibi proprium præceptorem. Ego, inquit in Bruto, noctes & dies in omni doctrinarum meditatione versabar, eram cum Stoico Diodoro. Qui cum habitasset apud me, cumque vixisset, nuper est domi meæ mortuus, à quo cum in alijs rebus, tum studiosissimè in Dialectica exercebar, quæ quasi contracta & adstricta eloquentia putanda est, sine qua etiam tu Brute iudicasti, te iustam illam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse. Proinde sciant isti loquaces magis quàm eloquentes, (Nam sine sapientia nulli contingit vera eloquentia) cum vituperant Dialecticen, se & Rhetoricen vituperare. Si quẽadmodum maximis autoribus visum est, inter Dialecticam & Rhetoricen nihil præter modum disserendi interest. Aut si credamus, eas facultates distinctos habere fines, vt Dialectica sit ars ex probabilibus de quolibet proposito argumentandi, aduersarios confutandi, & omnium artium principia inquirendi: Rhetorica verò disciplina persuadendi, ipsos suæ quoq; Rhetoricæ, sicut omnium aliarũ artium fundamẽta labefactare, quæ nisi fideliter posita fuerint, nihil nisi ruinosum superædificari potest. Neo vnquam, quod in omni disciplina, quæ recta ratione instituitur, est necessarium, poterit caueri, vt omnium partium inter se sit consensus, & principium medio, medium cũ extremis, deniq; omnia cum omnibus consonent. Sed ne caussentur, hæc à suis aduersarijs in Dialecticæ laudem dici magnificentius, quàm pro re. Hoc ipsum rursus ex ipso Cicerone planũ faciemus, vt qui recta via ad eloquentiæ seu sapientiæ studia ingressi sunt, constanter perseuerent. Qui non cõparato dialecticæ instrumento temerè ad altiores disciplinas prorupẽre, si ætas adhuc integra est, ne pudeat illos reuocare gradum, & parua temporis mora perdiscere artem, quæ in omnibus disciplinis resecat moras, & veritatis lumine animum illustrat. Aut si serior est ætas, vt ipsi non possint capescere quæ sunt optima, saltem non inuideant nec obstrepãt recta ratione ad illa euadere contendentibus. Positum sit igitur, inquit Cicero,

Sicut grãmaticæ, sic etiã dialecticæ præcepta ad rhetoricen adferenda.

Cicero per dialecticen sese ad dicẽdi facultatẽ præparauit.

Cicero, in primis, quod post magis intelligetur; SINE PHILOSOPHIA NON POSSE EFFICI QVEM QVAERIMVS ELOQVENTEM. Et rursus. Esse igitur perfectè eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quæ sit eius propria fusè latéque dicendi, sed etiam vicinam eius atque finitimam Dialecticorum scientiam assumere. Et iterum. Ergo eum censeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, Sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi disciplina institutus, nouerit primùm vim, naturam, genera verborum, & simplicium copulatorum. Deinde quot modis quidque dicatur, Qua ratione verum falsúmve sit, iudicetur. Quid efficiatur è quoque, quod cuique consequens sit, quodque contrarium. Cumque ambiguè multa dicantur, quomodo quodque eorum diuidi explanarique oporteat. Hæc tenenda sunt oratori: sæpe enim occurrunt, Sed quia sua sponte squallidiora sunt, adhibēdus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur & via, primùm constituendum est quid quidque sit. (Nisi enim inter eos qui disceptent, cōueniat quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec vnquàm ad exitum perueniri potest.) Explicanda est verbis mens nostra de quáque re, atque inuolutæ rei notitia definiendo aperienda est, Siquidem est definitio oratio, quæ quid sit id de quo agitur, ostendit quàm breuissimè. Tum vt sic explicato genere cuiusque rei, videndum est quæ sint eius generis siue formæ siue partes, vt in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, vt definire rem possit, neque id faciat tam pressè & angustè, quàm in illis eruditissimis disputationibus fieri solet, sed cum explanatius, tum etiam vberius, & ad commune iudicium popularémque intelligentiam accommodatius. Idemque etiam, cum res postulabit, genus vniuersum in species certas, vt nulla neque prætermittatur, neque redundet, partietur & diuidet. Sed scimus nos surdis frustra canere, stultis incassum verba facere. Nobis hoc satis est, si ab æquis lectoribus nostrum consilium probetur. Quod certè futurum confidimus, cum propius inspexerint, nos adolescentibus hac æditione multis modis consuluisse, prospexisse item quo perfectius, minori negotio, constantius, & conformius, Dialectica disciplina tradatur, vt his præceptis instituti, tanquàm Thesei filum secuti, in altioribus disciplinis nusquam à recto tramite aberrent. Ergo cum superioribus rationibus essemus persuasi ad nouos Commentarios, in quibus esset maior docentium concordia, ac discentium cum maiore vtilitate maior facilitas, in Aristotelis libros de Dialectica publicandos, Quo res tanta diligentiori industria & cura perageretur, hanc prouinciam viris doctissimis, qui longo tempore in Philosophia tradenda in omnibus gymnasiis primas partes tenuerunt, imposuimus, non mediocri etiam mercede illis constituta, Cuius tamen pecuniæ iacturam pro lucro facilè ducet nostra Facultas, modo res hæc redundet, vt speramus, in reipub. vtilitatem, cuius ante omnia semper duximus primam habendam esse rationem. Simul illis mandauimus, vt primùm omni studio in Aristotelis verba & sententiam animi oculos intenderent, ac verum sensum eruerent, adhibentes non multorum opiniones & somnia, qui posterioribus sæculis Aristotelem magis obscurârunt commentariis, quàm illustrârunt, sed iuxta antiquorum doctrinam iam multis ante sæculis probatam interpretarentur, & commentarios conficerent solidos, resecantes omnem sophisticarum contentionum inutilem syluam, Idq; stilo non sublimi, sed mediocri, à vitiis tamen illatini sermonis perpurgato. Cùm enim & ipse Aristoteles propter rerum quas tractat subtilitatem, non parū habeat obscuritatis, Adeò vt apud Ciceronē Caius Trebatius quoq; summus iurisconsultus, se ab his libris legendis hac de caussa fateatur esse reiectum, An non perdidissemus oleum & operam, si quod lucis caussa fuit adhibitū, id pueris ad Philosophica adspirātibus sermonis sublimitate & affecta-

Sine Philosophia non potest quis eloquēs fieri.

Cur mediocri stilo scripti sint hi Cōmētarij.

& affectatione eleganter dicendi prębuisset rursus occasionem morę, & pro lumine quęsito tenebras offudisset? Quòd si nonnunquàm nostri commentatores à quorundam veterum aut etiam recentiorum interpretatione recesserunt, neminem mouere debet aliorum autoritas, sed expendendę sunt rationes, quibus adducti aliorum vestigia deseruerunt. Id eos in vniuersa Dialectica commentanda diligenter considerare iussimus, non tantum quid vel prisci, vel huius temporis autores in Aristotelem sunt commenti, sed quàm omnia quę in Aristotelem scriberent, inter se essent connexa & sibi cohererent, & sensum Aristotelis efficacius & significantius explicarent. Item quę prima fronte (cuiusmodi multa sunt in Aristotele) apparerent dissidère in diuersis locis, ea secundum subiectam materiam aut loci difficultatem, apta interpretatione vel dissoluerent, vel coniungerent, Primo ne medium, medio ne discrepet imum, Atque eatenus aliorum autoritatem sequerentur, vt tamen prima cura & ratio haberetur consensus & veritatis. In hoc quóque Aristotelis apophthegma imitantes, qui nõnullis indignãtibus quòd à Platone Socrateq; in quibusdam Philosophię scitis auderet discordare, nec non ipso Platone, vt autor est Laertius, conquerente, quòd Aristoteles in se, non aliter quàm pulli equini in matrem, recalcitraret. Respondit illud vulgatum, Amicus Plato, amicus Socrates, sed amicior veritas, Admonens in traditione disciplinarum nihil fauori, nihil affectibus, nihil vetustati, neque recenti memorię, aut ętati esse tribuendum, sed solius veritatis rationem esse ducendam. Quod illos fecisse, & causa veritatis inuestigandę, & in apertũ proferendę fecisse, non dubitamus, quin ęquus lector sit inuenturus, Et tum nostrum consilium & in prouehendo Philosophię studio perquàm graues sumptus, tum illorum laborẽ vtróq; pollice laudaturus. Indoctorum hominum verba & voces, qui nullam partem Philosophię attigerunt, aut propter stuporem ingenij operam in illa luserunt, neque hęc lecturi sunt, nec intellecturi, (cum falsa persuasione scientię à melioribus recusent doceri, aut frustra tentarint) neminem à bono instituto ac proposito debent auertere. Isti si ad rectiora studia properantibus obganniunt aut obstrepunt, hoc cogitandum est, Nunquam fore sapientem, qui se ad indoctorum hominum sententiam & iudicium comparat. Proinde eorum insultatio aut derisus pro nihilo ducendus, aut potius ad incitamentum suscepti studij conuertendus, Atque in memoriam reuocandum est illud ab Epicteto grauissimo Philosopho dictum. Si sapientię studium affectas, para te continuò vt irridearis, vt subsannéris ab indocta multitudine, Quod si perseueras, qui te prius deridebant, ijdem postea admirabuntur, Sin cësseris & terga des, duplici irrisione afficiêris. Talem constantiam in susceptis studijs voluit esse Antisthenes, monens in profundissima cogitatione & proposito firmissimo prudentię murum esse constituendum, qui neque decideret, neque hostibus proditione aditum prębeVret. Ac Diogenes Sinopensis in hac stultorũ subsannatione est imitandus, qui dicente quopiam, Multi te rident. Respondit, At ego nequaquàm rideor, Scilicet ineruditorum risu & iudicio sentiens se nihil commoueri. neque curandum esse, quid imperiti probent vel improbent, sed quid ipsa recta ratio doceat esse faciendum. Sed omnes adolescentes, qui aliqua ingenij excellentia prędici sunt, istorum clamoribus, qui non aliunde, quàm ex ignorantia veri proficiscuntur, contemptis, sibi illos maximos orbis próceres ac clarissima mundi lumina tum in Ecclesiastica hierarchia, tum in prophana repub. quorum innumerabilis multitudo, tum ex hac nostra vniuersitate, tum ex alijs, per has artes ad summos honores euasit, semper sub oculos reuocabunt, dum virent genua, sicut inquit Horatius, Dum fauet ętas, dum se prębet ad hęc studia, discendi occasio, Quę subito pręteruolat. quòd si quis in eius momento cunctetur, post frustra conqueretur eam esse neglectam, vtpote pennatis pedibus volucrem & fronte tantum capillatam, vt fabulantur poetę. Ac consimiles fructus, quales illi

In traditiõe disciplinarũ solius veritatis ratio ducenda.

Nunq̃ fore sapientẽ qui se ad indoctorũ iudicium cõparat.

Nõ q̃d imperiti probãt, sed q̃d ratio docet esse faciendum.

illi celeberrimi viri aſſecuti ſunt, facilius & citius ſperent. præſertim hoc tempore, cum Philoſophiæ ſtudioſi hac Commentariorum æditione plus temporis ſint nacti, ac multo labore & ſcribendi moleſtia ſubleuati. Hæc meditatio, qua ſtudioſi doctiſſimos quoſque ſibi tanquam exemplum propoſuerunt, maximum adiumentum adfert ad incrementa ſtudiorum. Cuius rei vel teſtis locupletiſſimus eſt ipſe Ariſtoteles, qui interrogatus, Qua ratione diſcipuli quàm plurimum proficerent, prudentiſſimè reſpondit, Si præſtantiores ſequantur, nec expectent tardiores. Interea certiſſima ſpes ampliſſimorum præmiorum facilè mitigabit laborem, & ſuppeditabit perſeuerantiam, nec patietur humilem videri artem, per quam tot in altiſſimos honoris gradus ſunt collocati, Nec contemnendam, quam ſummi viri ſummis ingenijs præditi primam eſſe duxerunt, & ſine qua nulla prorſus poteſt inueniri ac perdiſci aut conſtare diſciplina.

Bene valete. Louanij, ſeptimo idus Octobris.

Anno, M. D. XXXV.

Commentariorum in Porphyrii Phoenicis Isagogen, et omnes *Aristotelis libros de dialectica*

PROOEMIVM.

VNIVERSAM Aristotelis philosophorum principis Dialecticam dilucidis commentarijs pro nostri ingenij modulo illustraturi, conuenienter facturi nobis videmur, si principio quidnã ipsa sit dialectica, quæ eius partes, & officia, quæ similiter materia illius, paucis, sed quàm fieri potest clarissimè ostendamus. Nam præterq; quòd hæc magnum dicendis sint lumen allatura, etiam manifestißimè declarabunt, quãta sit dialecticæ vtilitas, Imò necesßitas omnibus, quotquot ad altiores disciplinas contendentes, fructũ aliquẽ e suis studijs referre quærunt. Est igitur à M. Tullio in Topicis sic definita. Logica est diligens ratio dißerendi. Quo pacto & à D. Augustino est explicata, sed verbis inmutatis. Dialectica est (inquit) benè disputandi scientia. Vtroq; explicatius Rodolphus Agricola. Est (inquit) dialectica, ars probabiliter de re qualibet proposita dißerendi, prout vniuscuiusq; natura capax eße poterit. Alius quidam sic definiuit, Est ars definiendi, diuidendi, & argumentandi. Et alibi idem fusius. Est ars (inquit) cum vocum definiendarum & diuidendarũ, vt quid quæq; vox propriè significet, & quàm latè pateat, seu quid quæq; res sit, & quas habeat partes, clarè perspiciamus, tum colligendi alias sententias ex alijs. Vulgatißima est hæc definitio. Logica est ars, verum à falso discernens, ac ex noto in ignoti notitiam intellectum humanum deducẽs. In huiusmodi autem definitionibus, ratio & ars generis locum obtinent. Quæ verò sequuntur differentiæ, a grãmatica & rhetorica, quæ ad dialecticam proximè accedũe, manifestè eam separant. Neutra enim illarum vel dißerere, vel argumentari, vel colligere vnum ex altero, vel verum à falso discernere, aut ex noto in ignoti notitiam deducere docet. Sed est grammatica, ars emẽdatè atq; apertè loquendi, vt percipere queat auditor, quid sibi velit is qui dicit. Rhetorica verò, ars est inueniendi & disponendi res ipsas de quibus est dißerendum cum ornatu cultuq; orationis, omnes capiendarum aurium illecebras adhibens ad faciendam fidẽ apud quem verba sunt facienda. Cæterùm vt nonnihil prædictæ definitiones inter se discrepare videntur, Ita non parum quoq; (si quis attentius expenderit) consentire deprehendẽtur. Et hoc quidem interest discriminis, quòd aliæ dantur per præcipuum dũtaxat logices officium, aliæ per omnia, alia per finem. Primæ enim tres propriũ modò illius officium amplectuntur, quod est dißerere, hoc est, rectè & appositè argumentari, siue probare, siue disputare, quæ omnia vel eadem planè pollẽt, vel modicè admodum significatione differunt. Sequentes duæ, omnia illius officia continent. Omnium postrema, finem illius ostendit. In hoc enim argumentationem paramus ac dißerimus, vt quid veri res in se contineat, quidue falsi deprehẽdamus, atq; ex nobis noto in ignoti notitiam deueniamus. Consentiunt autem in hoc omnes, quòd ex æquo huius facultatis officia, ac summam exponant in omni genere disciplinarum vtilitatem: nisi fortaßis vera à falsis discernere, ac firmã vnius ex altero illationem ab infirma atq; sophistica separare poße, nõ magni momenti eße putamus. Ex his igitur non difficile fuerit officia dialectices colligere. Nam ex tribus primis constat, principale illius munus eße, probabiliter dißerere, quod ipsum etiam duæ sequentes explicant, quæ tamen præter illud, duo addũt alia, vtpote definire & diuidere. Postrema nihil præterea addit officij, sed horum ipsorum officiorum finem, ac id cuius gratia illa fiunt, commonstrat. Proinde & tres solent dialecticæ partes aßignari, definitio, diuisio, & argumentatio: quamuis alij duas duntaxat

Quid dialectica.

Quid grammatica.

Quid rhetorica,

Officium dialecticæ.

Finis dialecticæ.

Tres partes dialectices.

taxat posuerint, inuentionem & iudiciū. Verùm eodem res rēcidit, neq; diuersum a prioribus, nisi verbotenus, dicunt. Nam Boetio autore, definitio, partitio, seu diuisio, & collectio, siue argumētatio, inuentionē intra se singulæ continent & iudiciū, vt quæ neq; existere præter inuētionem. neq; cognosci præter iudicium, rectè ne an secus sint factæ possint. Neq; enī quæcunque vocum congeries, definitionem, diuisionem, & argumentationem constituit, sed certa ac certis legibus constricta, vt suis locis explanabitur. Secunda igitur logices partitio, ea quæ in priori confusè latebant, ab inuicem segregat. Inueniendi inquam facultatem atq; iudicandi. Respondent duabus hisce partibus ad amussim, quæ ab Aristotele de dialectica sunt scripta. Nam ad inuentionem pertinet Prædicamentorum liber, quare & Porphyry Isagoge. Item liber Peri Hermenias ac Topicorum. Nam materiam suppeditant faciendis argumentationibus, illi quidem simplicem, & in qua neque verum neq; falsum reperitur, Hi verò compositam, ac iam vero falsō ve coniunctam. At duo Priorum analyticorum, ac totidem Posteriorum, & Elenchorum duo libri, ad iudicium pertinent. Nam cum omnis argumentatio enunciationibus cōstet, duo sunt in ea contemplanda. Prius, quenā sint illa, & qualia, ex quibus componitur. Alterum, quanam & quàm legitima compositione siue connexione partes ipsæ cohæreant. Quemadmodum enim in pariete nunc de lapidibus ipsis iudicamus ac lignis, nunc de ordine eorundem inter se & compositione: ita de argumentationibus gemina quoque est iudicandi via. Vna, qua de propositionibus iudicamus, necessariæ ne sint, an probabiles, an sophisticæ. Atque hoc de materia est iudicium. Altera est, qua propositionum inter se iuncturam ac compositionem expendimus, atque hæc de forma ipsa argumentationum pronunciat. Ad priorem illam iudicij partem pertinent Posteriorum analyticorum libri duo, ac totidem Elenchorum, quorum hi falsò & apparēter duntaxat probabiles dinoscere docent propositiones, illi verò necessarias ac demonstrationibus idoneas. Ad posteriorem verò pertinent Priorum analyticorum duo libri, In quibus præscriptæ quædam formulæ traduntur, ad quas tanquam certissimas & infallibiles regulas argumentationes omnes examinare oportet. Neque enim tam ignis auri vitium arguit, quàm hæ formulæ siue regulæ, argumentationum vitia, si non syncerææ ac probæ fuerint.

Altera diuisio dialect.

Quęstio incidens.
Solutio.
Boetius.

Sed mirabitur fortasse quispiam, cur nihil ab Aristotele traditum sit de iudicio propositionum probabilium. Huic responsum sit ex Boetij sententia, quòd plana atque expedita est via iudicandi de medietate. cum quis extrema perfectè cognouerit. Si quis enim necessaria dijudicare nouerit, ac idem falsarum ac sophisticarum propositionum a reliquis discrimē sciuerit. Probabilia etiam, quæ quasi medium inter illa tenent, non erit difficile discernere. Verùm hac de re latius posterius, si opus fuerit.

Quę sit logicę materia.
Dupliciter aliqd alicuius disciplinę dicit esse materia.

Vt autem tandem materiam dialectices paucis aperiamus, Inprimis animaduertendum esse monemus, duobus modis aliqui dici materiam artis alicuius seu disciplinæ. Vno modo id quod ars ipsa docet, & circa quod omnis eius cura atq; præceptio versatur, quā vocabulo in scholis nunc magis vsitato Subiectum appellamus. Atque hoc modo materia siue subiectum logices, est ipsa argumētatio. In hac enim facienda, logica tota est occupata, & quæcunque in ea traduntur, huius cognoscēdæ & habendæ gratia traduntur. Altero modo dicimus materiam, id in quod ars suam explicat. quo modo artis ædificatoriæ materia sunt ligna & lapides. In hæc enim ea ars vī suam explicat, hanc aut illam figuram inducens. Quæ secundum hanc significationem logices sit materia, facilè est ex officio eius proprio perspicere. Nam si opus eius proprium est probabiliter disserere, siue argumentari, siue disputare, quicquid id est in quod hoc suum officium experiri & ostendere possit, id certè materia illius erit. Est autem huiusmodi, omne quod tanquam dubium incertumque accipitur. Quod autem tanquam ambiguum in medium adducitur, id secundum Aristotelem propositio est, vel problema, vel (vt vno verbo vtrūq; includatur) quæstio. Erit ergo quæstio hoc modò logicæ materia. Quod ipsum &

Rodolphus

Rodolphus

Rodolphus asserit, nihil diuersum à scholis sentiens, cum scholæ de materia secundum priorem significationem loquantur, non negantes interim quæstionem quoque alia significatione esse huius artis materiam. Nouerunt enim nihil absurdi consequi, si eiusdem scientiæ plures dicantur esse mrteriæ secundum aliam & aliam significationem. Illud postremò admonendum, varijs & inexplicabilibus penè perplexitatibus sese inuoluere solere homines quosdam pro tuenda veritate huius enunciationis, Argumentatio est subiectum logicæ. Nonnulli siquidem dictionem (argumentatio) ibi materialiter, vel (vt alij loqui malunt) technicè accipiunt, hanc reddentes sententiam, terminus argumentatio personaliter, hoc est, significatiuè pro denominatis in alia enunciatione, vtpote hac, Argumentatio est illatiua consequentis ex antecedente acceptus, est subiectum logicæ, Licet autem tales termini plurimi fieri possent, quia tamen omnes synonymi sunt, pro vno & eodem reputantur. Quare ex hac explicatione non potest inferri, logicen plura habere subiecta, quod absurdum esse constat. Alij argumentationem simpliciter accipiunt, vt hic sit sensus, res primò significata hoc nomine argumentatio est subiectum logicæ: Hunc antiquiores, neglectis terminis amplectuntur. Vtrisq; autem talis explicationis causa est, ne si argumentationem in dicta enũciatione personaliter accipi dixerint, cogantur per locum à genere non accepto vniuersaliter ad eius species disiunctiuè sumptas, admittere syllogismum, aut enthymema, aut inductionem, aut exemplum, esse logices subiectum, quod absurdum habetur, eo quòd subiectum hic intelligatur accipi pro subiecto adæquato & conuertibili huius scientiæ, quale manifestum est non esse enthymema, aut syllogismum, aut aliquod inferius argumentationis, cum circa nullius horum considerationem tota logica sit principaliter occupata. Restabat ergo, vt terminum (Argumentatio) materialiter aut simpliciter sumi dicerent, sub qua acceptione non licet argumentari a superiori ad inferius, imò neque per vllum locum dialecticum, vt alibi præcipietur. Quod si non de adæquato & primario subiecto nobis sermo esset, nihil foret periculi, prædictam voculam accipere personaliter, permittereq; syllogismum esse subiectum logicæ, imò quamlibet argumentationem: quemadmodum fatemur, colorem esse obiectum visus, sed non adæquatum. Verùm de his fortasse aliquanto quàm par erat verbosius.

Quo pacto verum sit, argumẽtationẽ esse subiectũ logicæ.

PROOEMII DIALECTICAE TOTIVS FINIS.

Procemium in Isagogen PORPHYRII.

Sex prælibanda i quis opere exponendo.

VOLVNT probari autores, sex numero in initio ab expositoribus prælibanda esse, Quæ videlicet sit operis intẽtio, Quæ vtilitas, An eius cui opus inscribitur germanus, ꝑpriusq; sit liber, Quis ordo, Quæ operis inscriptio, Et ad quam philosophiæ partẽ scientia quæ traditur, sit reducẽda. Huius operis intẽtio & vtilitas ex præfatione Porphyrij peti debẽt. Cæteris autem, quæ tanq̃ manifesta ab omnibus concedũtur, omissis, tantũ inscriptionẽ tractare volumus q̃ breuissimè. Est itaq; huius operis inscriptio seu titulus, Isagoge Porphyrij Phœnicis in Categorias Aristo.) In quo operis qualitas ostẽditur, & causa efficiens seu autor, & simul causa finalis. Operis quidẽ qualitas, in eo quod dicitur Isagoge. Est autẽ Isagoge idem quod principiũ vel introductio. Requirit autẽ omnis introductio facilẽ, præparatiuã, non curiosam, nõ nimis exactã intelligentiã, & in ea rudi præparatione, crassaq; (vt dicunt) instituti Mineruæ debemus abire contenti, alioquin auditoris importunitas præceptorem, & præceptoris indiscretio fastidio afficiet auditorem. Causa efficiens ex nomine & genere declaratur, cũ subditur, Porphyrij Phœnicis. Fuit enim Porphy. patria Phœnix e Tyro, philosophus Atheniensis, Plotini discipulus, ac Platonicæ sectæ in alijs imitator & defensor. Causa finalis vltimo loco ostenditur, cũ dicitur, in categorias Aristotelis. Categoria autẽ licet interdũ idem sit quod accusatio, tamẽ pro prædicamẽto vsurpatur apud philosophos. Quanq; autẽ hæc vniuersalium notitia ad plurima cognoscenda sit vtilis, vt habet ipsa Porphyrij præfatio, in inscriptione tamen solum mentio fit categoriarum, eo quòd præcipuè ad prædicamenta cognoscenda hæc conducunt; quodq; propter ea ipsa intelligenda, potissimùm hunc librum Chrysaorio cõscripserit. Quia verò præsentis operis, atq; adeo tota ipsius autoris intentio, est de vniuersalibus tractare, eorumq; naturam explicare, huic loco oportunum duximus, de vniuersalibus nonnulla præmittere, & ipsius vniuersalis acceptiones, quantum huic loco congruit, declarare. Nam his ignoratis, ea quæ posterius traduntur, non satis commodè intelligi valent.

Libri huius inscriptio. Huius libri qualitas. *Causa efficiens.* *Finis.*

Vniuersalis duplex acceptio. Prior.

Accipitur ergo vniuersale dupliciter. Priore modo, Vniuersale est signum, quod aptum est ex sua significatione de pluribus prædicari, quales sunt hi termini, homo, animal, rationale, risibile, albũ. Solent hic addere, verè, affirmatiuè, secundũ se, vel suũ synonymum, mediãte copula non ampliata ad quinq; differentias temporum, quæ ideo omisimus, quia ad sophisticẽ proximè videntur accedere, & quia facillimè talia a mediocriter ingeniosis subintelliguntur. Huiusmodi autem vniuersale triplex est. Vnum mentale, vt conceptus seu cogitatio, qua hominem apprehendo. Nam illa rectissimè vniuersalis dicitur, vt quæ cõmuniter omnes homines repræsentat, sicut conceptus Ioannis solum Ioannẽ, qui ob id indiuiduus nõ iniuria vocari potest. Aliud vocale, vt vox homo. Tertium scriptũ, vt scriptura homo. His enim tribus, scilicet conceptibus, vocibus, & scripturis, eadem & similiter tribui solent, vtpote esse complexũ, incomplexũ, esse propositionẽ, verũ, falsum, & alia id genus. Sola hæc vniuersalia signa agnoscunt illi, qui a nominum maiori cura nominales vulgò appellantur, ad nomina referentes ferè cuncta, quæ a Porphyrio, Aristotele, & cæteris, in logicis traduntur. Arbitrantur hi, vniuersalia signa nihil aliud significare, q̃ omnia & singula singularia sua inconiunctim. Quorũ sententiam, quòd non satis consentanea sit priscis illis scriptoribus, & magis probatis, Aristoteli, Auicennæ, Auerroi, Alberto magno, Thomæ, Scoto, & alijs, prosequi non intendimus, concedentes interim ponenda esse vniuersalia, quæ signa sunt, licet non sola, de hisq; nonnunq̃, etsi rarius, loqui autores. Verùm definitionem antepositam in hunc modum limitaremus. Vniuersale est signũ incomplexũ, natum prædicari de multis vniuocè, & diuisim, ratione rei communis, verè ac positiuè, primò per ipsum significatæ. Per incomplexum, accipere oportet signum voce & significatione incomplexum, aut saltem significatione, cui videlicet respondet in mente conceptus incomplexus ac simplex. Quare ea quæ significatione sunt cõplexa, a definitione vniuersalis reijciuntur, vt homo albus, currit velociter, nemo, semper, & similia. Non autem excluditur corpus animatum, aut quantitas continua, quia hæc licet secundum vocem cõplexa sint, significant tamen mediantibus simplicibus conceptibus, sicut voces incomplexæ, loco quarũ prædictis complexis ob penuriam simplicium dictionum vti cogimur. Quod continuè subiungitur, Natum prædicari &c. indiuidua a definitione secludit. Hæc enim aut de multis prædicari omnino non possunt, aut non nisi æquiuocè

Nominaliũ opinio. *Explicatio definitionis vniuersalis priori modo accepti,*

vel copulatim

vel copulatim. Nomen quidem Cato de multis æquiuocè, id est, secundum aliam & aliam significationem prædicatur. Illud verò indiuiduum, hi homines, de pluribus coniunctim, id est, simul sumptis. Hæc tamē esse indiuidua, nemo est qui ambigat. Id de multis diuisim prędicatur, quod de singulis ipsorū separatim prædicatur, vt nomen homo de Ioanne & Petro. Nō autem Ioannes de anima sua & corpore. Nam & si de ambobus fortasse nō falso dicatur, nequaq̃ tamen de vtroq; illorum separatim accepto dici poterit. Adiunctum est tertiò, ratione rei, &c̄. vt iudicaremus signis vniuersalitatem tantum esse tribuendam, propter principale ac primariū significatū. Quarè hæc pronomina, meus, tuus, & pleraq; nomina his similia, nō erunt vniuersalia, licet de multis vniuocè dicantur & diuisim, eò quòd principaliter rem singularem significant. Vniuersalis correlatiuum, est subijcibile, quod hoc modo potest definiri. Subijcibile est, quod natū est vniuersali subijci, vt homo respectu animalis, rationalis, risibilis, aut albi.

Quid subijcibile q̃d est vniuersalis correlatiuū.

Secundò accipitur vniuersale non pro ipso signo, sed pro re primò per huiusmodi signum significata. Ita acceptū vniuersale duobus modis definitū reperio. Vno modo vniuersale est, quod in multis natum est esse, hoc est, vniuersale est res, quæ apta est esse in diuersis singularibus, penes quartū aut quintū modum essendi in. Est autē quartus inexistendi modus, secundum quē pars essentialis est in suo toto. Quintus autem, secundum quē forma suo inest subiecto, sicut in prædicamentis, & maximè quarto Physicorum, latius est declarandum.

Posterior vniuersalis acceptio, eiusque duplex finitio.

Altera definitio est. Vniuersale est, quod natum est de multis prædicari, tanq̃ significatum videlicet, hoc est, quod natum est primò significari per signū aliquod de multis prędicabile.

Posterior definitio.

Hæc secunda effectus est prioris, ex eaq; pēdet. Ideo enim res illa quæ vniuersalis dicitur, de pluribus est prędicabilis, q̄ in pluribus nata sit esse. Erit igitur illa prior, essentialis definitio vniuersalis, aut si vtraq; descriptio fuerit, inter eiusdē rei descriptiones vna erit reliqua prior naturâ, quod ipsum & alibi inter passiones eiusdem subiecti vsu venire fatentur doctissimi philosophi. Quæ pro huiusmodi vniuersalium exactiori cognitione faciunt, suo loco posterius a nobis tractabuntur. Species vniuersalis vtrolibet modo accepti sunt quinq;, genus, species, differentia, proprium, & accidens, quarum differentia ac numerus ex diuersa ratione, hoc est, modo prædicandi de subijcibilibus colligitur. Quicquid enim vniuersale est, in quid aut quale prædicatur, Si in quid, aut ergo de differentibus specie, & sic est genus, aut de numero differentibus duntaxat, & est species. Si verò in quale, aut ergo in quale essentiale prædicatur, & sic habetur differentia, aut in quale accidentale; atq; hoc vel necessarium, & erit proprium, vel contingens, & erit accidens. Sunt tamen, quibus hęc proprij ab accidente separatio, non vsquequaq; arridet, qui si diligentius ea quæ ab Aristo. & alijs veteribus de proprio tradita sunt, expendissent, fortasse ab hac sua sententia non grauatim discederent.

Quinq; vniuersalis species.

Annotatio in præfationem Porphyrianam.

Cum sit necessarium.

HAC præfatione Porphy. vtilitate ac necessitate tractandorum proposita, auditorem beneuolum reddit, difficultate attentum, docilem verò eorundem ordine. Necessarium hoc loco non dicitur, quod aliter se habere non potest, sed id quod vtile est, maximeq; expediens, aut sine quo boni aliquid assequi, aut malum vitare non possumus. quomodo studium ad scientiam adipiscendā, operatio ad virtutē comparandā, iactura mercīū in mare ad naufragij euasionē: ac mēbri morbidi, ne pars syncera trahatur resectio, necessaria est ad corporis salutem. Prædicamenta series sunt prædicamētales, de quibus alibi, vel si quis malit documenta prædicamentalia, quale est illud, Diuersorū generū & non subalternatim positorū, &c̄. & cætera alia huiusmodi. Porphy. autē speciei differentiā præponens, ordinem naturę seruat, postea tamē in progressu operis, tractationē speciei differentiæ præmittit, secundū ordinē doctrinæ. Naturæ ordo est, quo partes præcedunt totum, causa effectum, subiectū suū proprium, aut accidens: & vniuersaliter omne a quo quippiā dependet, illud quod ab ipso est dependēs. Ordo doctrinæ expostulat, vt cōmuniora præcedant minus cōmunia, notiora minus nota, & vt ad prius dictorū pleniorē faciliorem q; intelligentiā facientia, continuè subnectantur. Hic duplex ordo interdum cōcurrit, interdū verò separatus est alter ab altero, vti res ipsa exigit. Illa dicuntur subsistere in litera, quæ re ipsa circa omnem intellectus operationē illa tanq̃ obiecta respicientē, existunt. quales sunt omnes substāti ę ac accidētia. Ea verò in solis intellectibus seu cogitationibus sunt posita, quæ hoc solum habent esse quod intelligantur, vt hircoceruus, chimera, centaurus, & huiusmodi fictitia. Neq; putamus entia rationis, de quibus agit logicus (licet ab operatione intellectus dependeant) esse in solis intellectibus q̃ modo sunt res fictitiæ, cum illa suo modo existant, q̃uis imperfectè. Hæc tria solis, nudis, &

Quomodo accipiendū necessarium

Prędicamēta.

Cur differētia speciei p̄posita.

Ordo naturæ.

Ordo doctrinæ.

Quę dicunt subsistere.

puris(quod in alia trãslatione adiectũ est)a Boetio accipiuntur vt eadẽ sint, sitq́; posterius prioris declaratiuũ, ac verborũ inculcatio quędã. Corporalia vocãtur, quę in tres sunt extensa dimentiones, hoc est, longitudinẽ, latitudinem atq́; profunditatem. Per sensibilia intelligẽda sunt singularia. Hæc enim sola sentiri possunt, vt frequenter inculcat Aristo. Ex his facilè patent sensus triũ difficilium quęstionũ, quas licet ob sui arduitatem recuset hic Porphyrius dissoluere, vt tamen iuuentus non ambigua incertaq́; in primo operis limine hæreat, nõ grauabimur paucissimis, quid nobis secundum Peripateticã doctrinam verisimilius videatur, aperire.

Ad primã ergo quęstionẽ respondendũ est, omnia vniuersalia verè subsistere in rerũ natura, neq́; vllum eorũ sic esse in puro intellectu, quasi nõ aliter q̃ quia intelligitur, q̃uis interim subiectiuè in intellectu sint ea, quorum indiuidua ibi repeiuntur, vt scientia, virtus, &c. Subsistunt enim vniuersalia, etiã si nullo intellectu cõprehendantur, vtputa à suis singularibus realiter indistincta, licet fortasse rationẽ vniuersalis nõ nisi ab intellectus consideratione accipiãt. Verùm hęc res aliũ requirit locum. Ad secundã dicẽdum est, vniuersalia ea corporalia esse, q̃rũ indiuidua corporalia sunt, Et illa incorporalia, quorũ singularia huiusmodi, Partim verò corporalia & partim incorporalia, quæ vtriusq́; generis habent indiuidua. Exemplũ primorum, vt homo, equus, lapis, albedo: Secundorũ, vt sciẽtia spiritus: Tertiorũ, vt substantia, qualitas. Huius ratio in prõptu est, tũ ex Porph. tũ ex Aristo. in prędicamentis, accidẽtia indiuiduorum mediate in ipsa redundare vniuersalia, ponentibus. Ad tertiã quæstionem (omissa Platonis opinione, separãtis vniuersalia a singularibus) dicendum est cum Aristo. omnia vniuersalia suis intimè inesse singularibus, ita vt ea cõstituant intrinsecus, & essentialiter, & non tantũ per imitationem, seu velut exemplaria quædam, vt ille ponebat. Hæc paucis attigisse impræsentiarum satis est. Mouet autem Porphy. has quæstiones difficiles de genere & specie potius, quàm de reliquis tribus vniuersalibus, propterea quòd (vt vult Albertus) hæc tria postrema minus principalia sunt, & in duobus prioribus contineantur. Differentia siquidem potestate est in genere diuiso, actu verò in specie constituta. Proprium immediatè in specie est, Accidens verò in indiuiduo, & deinde in indiuidui superioribus.

Albertus.

Quatuor vniuersaliũ vtilitates.

Complectitur Porph. præfatio quinq́; vniuersaliũ quatuor vtilitates, quod in primis ita accipiendũ est. quinq́; vniuersalium notitiã, qua cognoscitũ quid significẽt, omnino & simpliciter necessariã esse ad notitiã de prędicamẽtis, definitionibus, diuisionibus, & demõstrationibus habendã. Deinde eorundẽ vniuersalium notitiã definitiuã, ad habendã exactã & facilẽ de prędicamentis cognitionẽ, necessariã esse. Neq́; tamen ob quinq́; vniuersalium traditionẽ omissam, dicendus est Arist. diminutè logicã tradidisse, cum hæc ex eius Topicis, vndè Porph. plerasq́; suas definitiones excerpsisse constat, haud difficulter percipi possint. Secundò hę vtilitates accipiendæ sunt, vt singula quinq́;, ad singula quatuor sint vtilia. Est igitur primò notitia vniuersalium vtilis ad series & documenta pręedicamentalia. Nam series prædicamentalis est ordo vnius generis generalissimi, generum subalternorum, specierum specialissimarum, atq́; indiuiduorũ, sese habentium ad inuicẽ per modum superiorum & inferiorum. A genere generalissimo vsq́; ad specialissima per differentias fit descensus, quæ quidem indirectè tantum sub generalissimo continentur. Inter prædicamenta etiã vnum est rerum per se existentium, quę substantiæ dicuntur. Alia nouem earum rerum quæ per accidens & in alio sunt, quæ accidentia nominantur. In documentis autem prædicamentalibus, Aristot. meminit nunc generis, nunc speciei, nunc differentiæ, nunc proprij, nunc accidentium, licet nõ sub nomine accidẽtis.

Prima.

Secunda.

Secundò cõducit hæc doctrina pręedicabilium, ad assignandas definitiones, earumq́; formãdarum artem intelligendã, eo quòd quædam sit definitio essentialis, quæ de sola specie datur, & constat ex genere & differentia, reiectis proprijs & accidentibus, quare & horum notitia necessaria erit, cum malum non vitetur nisi cognitũ. Aliæ verò sunt descriptiones seu definitiones accidentales, quę dãtur per genus & proprium, si hæc cõmodè haberi queant, alioquin etiã per mera accidentia. Tertiò vtilis est ad diuisiones. Nã harum aliæ sunt generum in species, aliæ generum in differentias aut propria, alię subiecti in accidentia, aut ediuerso, de quibus diffusius fortasse sumus dicturi. Quartò demõstrationũ scientię plurimũ lucis adferet horũ vniuersalium cognitio. Demõstratio enim omnis (modò sit potissima) mediũ syllogisticũ definitionẽ habet essentialẽ, quæ ex genere & differentia cõflatur, Maiorẽ extremitatem propriũ ipsius subiecti, minorẽ verò subiectũ ipsum, id quod semper species esse debet. Accidentia autem a demõstrationibus in totum reijciuntur. Neq́; verò arbitrandum est, huiusmodi vniuersalium notitiã tantũ vtilem esse ad ea quatuor, quę a Porph. recensentur, cum ad vniuersam philosophiam, eiusq́; quãlibet ferè partem rectè intelligendam, plurimum momenti habeat.

Tertia.

Quarta

Quoniam

Quoniã Porph. noster in calce proœmij sui Peripateticorũ meminit, nõ ingratum fore putamus curioso lectori, si maximè insignes philosophorũ Græcorum familias, obiter hoc loco enumerauerimus. Ex igitur quatuor fuère celebratiores magisq; memorabiles. Vna Epicureorũ, ab Epicuro huius sectæ pricipe nuncupata, Hi argumẽtationibus abstinuisse dicunt, neq; quicq̃ de rerum naturis differere curauisse, sed more beluarũ solas carnis voluptates amplectentes, in voluptate vel indolentia primã hominis felicitatem statuisse. Secunda erat Stoicorũ, a Stoa porticu Atheniẽsi, vbi disputasse scribuntur, nomẽ habens, quorũ princeps (teste Cice.) extitit Zeno. Alij putant Pythagorã fuisse. Hi de virtutibus ac vitijs seuerè differebãt, in virtute sũmũ hominis bonum, & per contrarium, in vitio extremã miseriã ponentes, de rerum autem naturis vix quicq̃ attingebant. Tertia fuit Academicorũ, qui ita appellati sunt ab Academia loco nemoroso, nõ procul ab Athenis sito, in quo natum ferunt Platonem, qui horum dux fuit. Hi naturam rerum subtiliter inquirebant, magis tamen versabantur circa diuinas res, ab his inferioribus & corruptibilibus sese ad res perpetuas, incorruptibiles, ac diuinas attollentes. Quarta erat Peripateticorum, a deãbulatione, quam vel ipsi disputantes, vel magister eorum Aristoteles inter docendum exercebat nomine accepto. Nam περιπατεῖν Græcis ambulare significat. Hi de omni scibili acutissimè disseruerunt, rerum naturas, ac (vt ita dicã) quidditates mira subtilitate inuestigantes. quare cæteris omnibus posthabitis, sola Aristotelica doctrina in manibus remansit, ac in omnibus vniuersalibus scholis traditur. Fuerunt tamen qui dicerent, Platonis & Aristotelis doctrinam eandem esse, nihilq; inter eos, quod ad rem ipsam attinet, esse controuersiæ: vellemus, nobis eorum concordiam exhibuissent.

Quatuor Græcorũ philosophorum sectæ. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

Annotatio in secundi capitis priorem partem, generis acceptiones continentem.

Videt autneq; genus.

SINGVlorum vniuersalium cognitionem speciatim traditurus Porphy. à genere ordi-tur, cuius tres acceptiones hac priori parte explicat, adiecta ipsarum acceptionũ ad se inuicem cõparatione. Genus autem primo modo a Porph. in hunc modum describit. Genus est aliquorum quodãmodo se habentium ad vnum aliquid, & ad se inuicem collectio. In hac descriptione genitiuus aliquorũ, pro solis hominibus accipit. Collectio verò, pro rebus collectis, hoc est multis, & si in locis sint maximè distãtibus, vt sit cõstructio trãsitiua posita loco intrãsitiuæ. Aliquoties tamen reperitur, vnicum hominem dici genus primo modo, vt in illo Virgil.

Genus primo modo quid sit.

Obruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas,
Ipsumq; Aeaciden genus armipotentis Achilli. Et apud Nasonem.
Ilia ab Idæo Laomedonte genus. Sed raenter admodũ. Ideoq; Porphyrius frequentiorem vsum magisq; proprium generis primo accepti, descripsisse dicendus erit. An autẽ multitudinis ratio in duobus cõsistere possit, an debeãt vt minimũ esse tria (sicut vulgò receptũ est) ex vocabuli acceptione ac vsu putamus dependère. Particula (quodãmodo) accipiẽda est, vt singularis numerus positus sit loco pluralis. Neq; eni est eadẽ habitudo, qua se illi, q genus primo modo sunt, habent ad se inuicẽ ad vnũ aliquid, imò nõ tãtũ numero, sed & etiã specie diuersa. Verùm istud curiosis discutiendũ relinquimus. Hoc tamen admonendum putauimus, eã habitudinẽ quæ est ad vnum aliquid propriè & præcipuè ad hanc definitionem pertinere. Nã ab ea formaliter aliqui dicuntur genus primo modo. Alterã autem, quæ est multorum ad inuicem, illi quidem necessariò cõiunctam esse, ab eaq; pendère, nõ tamen ad rationem generis, nisi per accidens pertinere videri. Vnum aliquid in descriptione, est principiũ effectiuũ, q̃d sit parens, vel locus seu patria. Parens inq̃, vel propinquus, vt est Hercules respectu Hyli, vel remotus, vt Tantalus respectu Orestis, & similis est ratio de loco. Cõtentionem illã, an nomine parentis hic etiã comprehendẽda sit mater & auia, missam facimus, tum quòd minimè magni põderis est ea disputatio, tũ q; fortasse in vtranq; partẽ æquè valida sunt argumẽta. Locus, nõ accipitur hic pro nuda quãtitate, seu superficie cõcaua corporis cõtinentis, vt à Physicis describitur, sed potius pro corpore locante, siue id vnũ sit simpliciter & absolutè, siue tantum aggregatiuè. Est autem hic locus (teste Boetio) per accidens principium effectiuum ob virtutem seu influentiã cælestem, quã a cælestibus corporibus recipit, quæ corporũ inibi ortorũ effectrix est & cõseruatrix. Parens verò principium est per se & principale. Qui locum etiã per se causam esse contendunt rei in ipso genitæ, tantum de vocabulo, non autem de re ipsa laborant. Nam isti nomine loci corpora cum influentijs accipiunt. Quomodo autem diuersorum locorum diuersæ sint virtutes naturales, in Physicis, aut alijs disciplinis requirendum est. Expressit aliquas Virgilius elegantissimè, his quæ sequuntur versibus.

Vnũ aliquid quid sit. *Boetius.*

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ,

Arborei fœtus alibi, atq; iniussa virescunt
Gramina. nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum.
Continuò has leges æternaq; fœdera, certis
Imposuit natura locis, quo tempore primùm
Deucaleon vacuum lapides iactauit in orbem,
Vndè homines nati durum genus.

Ex eo quod habet Porphy. (secundum quam ab alijs generationibus distinguitur) colligunt quidã, hoc principiũ de quo loquitur prima acceptio generis, debere esse distinctiuum suę generationis ab alijs. Quare omnes homines nõ essent dicendi genus primo modo respectu Adę, aut totius mundi. An rectè nec ne, iudicent alij. Est igitur sensus primæ generis acceptionis. Genus primo modo est aliquot homines, qui ab vno principio, quod est parẽs vel patria, orti sunt, & inter se habitudinẽ certã habent, a qua dicuntur vel cõsanguinei, vel cõterranei. In secũda acceptione, quæ est, Genus est, quod est vniuscuiusq; generationis principiũ, vel ab eo qui genuit, vel a loco in quo quis genitus est, per generationẽ intelligunt nõnulli multitudinem, quæ ab vno principio descendit, hoc est, progeniẽ vel nationem, quorũ vnus est Albertus, dicẽs Hylum cũ domo & familia sua, genus ab Hercule habere. Secundũ hos igitur genus primo & secundo modo correlatiua erunt, quẽadmodũ pater & filius. Alij accipiunt generationem etiã pro vnico homine generato, quibus satis videntur fauere verba textus, atq; ita primæ duæ acceptiones non forent correlatiuæ. Reliqua ad hanc acceptionem spectantia, facilè ex præcedente cognoscuntur. Idem enim hic per principium intelligitur, quod ibi per vnum aliquid. Porro Tantalus, de quo in litera, Iouis & Plotis nymphę secundum fabulas poetarum filius, attauus fuit Orestis. Nam Tantalus genuit Pelopem, Pelops Atręum, Atreus Agamemnonẽ, Agamemnon ex Clytęnestra cõiuge suscepit Orestem, qui matrẽ, quòd ipsa prius patrem necasset occidit, ac postea furore correptus est. Hylus Herculis ex Dianira filius fuit. Hercules autẽ Iouis & Alcumenæ vxoris Amphytrionis. Pindarus insignis poeta Lyricus fuit apud Græcos. Plato verò clarissimus philosophus Atheniensis, Socratis auditor, & præceptor Aristotelis. Cecrops Athenarum conditor fuit, qui & in eis primus regnauit. Thebæ & Athenæ Græciæ vrbes præclarissimæ olim fuêre. Duæ primę acceptiones generis ciuiles appellantur, quód eis vulgares in communi sermone ciuilibusq; negocijs vtantur, atq; adeo ipsi etiam poetæ & oratores. Genere primo modo Virgilius vtitur dicens.

Italiam quęro patriam, & Genus ab Ioue summo.

Genere autem secundo modo Vlysses apud Ouidium, cum ait.

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Genere autem tertio modo vtuntur philosophi, alijs raro aut nunquam, quare non videtur operæprecium illis diù immorari. Per duas rationes a Porphyrio ad comparationem generis primo atq; secundo modo adductas monemur, non omnes probationes, quæ ab autoribus afferuntur, omnino exactas esse debere, atq; necessarias, sed earum complures accipiendæ sunt tanquam probabiles & verisimiles tantum.

Generis secũda significatio. — *Albertus.* — *Tertia generis acceptio*

Tertia generis acceptio est. Genus est, cui supponitur species, Circa quam aduertendũ, apud logicos diuersas esse definitiones seu descriptiones, pro eorum vocabulorũ diuersitate, quę definiunt. Nam quędã sunt definitiones, quę tantũ signis applicari possunt, de quorũ numero sunt nominis, verbi, orationis, syllogismi, &c̃. Hęc enim in res ipsas quadrare nõ possunt, & per cõsequens nec eorũ definitiones. Alię sunt quę tantũ rebus cõpetunt, vt est qualitatis definitio, duę priores generis acceptiones, & alię quædã, licet perpaucæ. Aliæ rursus sunt quę & signis & rebus rectè accõmodant, interdũ tamen cõuenientius his q̃ illis, aut ediuerso: interdũ vtrisq; iuxta atq; ex æquo. Idem de diuisionibus cæterisq; documentis sentiendũ est. Hæc autem tertia generis acceptio, aliæq; vniuersalium definitiones, æqualiter & rebus & signis applicari possunt, quanq̃ eum sensum secundum quem de rebus exponuntur, penè omnes antiqui expositores sequuntur. Fit igitur, vt huiusmodi enunciationes, homo est species, animal est genus, rationale est differentia, & reliquę similes, dupliciter verę sint. Priore modo subiectis materialiter acceptis, ꝓ sibi similibus signis significatiuè sumptis. Altero modo subiectis acceptis simpliciter pro naturis rebusq; vniuersalibus, primò per ipsa significatis. Cuilibet liberũ erit, vtrũ sensum velit eligere. Atq; hac de causa duplicem vniuersalis acceptionem prius in initio distinximus.

Vocabulum

Vocabulum genus, quod hic describitur, licet rectissimè possit generaliter accipi pro omni genere logico, siue prædicamentale sit, hoc est, directè in aliquo x. prædicamentorũ collocatũ, siue non: & similis est ratio de specie. malunt tamen quidã, hæc de solis prædicamẽtalibus accipere, Nam & generalissimũ & specialissimũ, de quibus posterius agitur, solis prædicamentis cõueniunt: & quæ hoc loco a Porphyrio traduntur, ad cognoscenda prędicamenta pręcipuè traduntur, Tamen nõ efficaciter cõuincunt, quin de omni genere ac specie rectè intelligantur Porphyrij definitiones, quod alij faciunt. Qui in priore sentẽtia sunt, antecedẽs relatiui (quod) intelligunt esse vniuersale prędicamẽtale. Alij tantũ vniuersale. Hoc autẽ relatiuo seu eius antecedente ab hac definitione reijciuntur, quęcunque non sunt vniuersalia. Speciẽ subijci generi, est speciem esse inferius sub genere positũ. Volunt nõnulli, qđ dicitur intelligi debere, de subiectione proxima seu immediata, sed hi nõ vidẽt aliquid nõ modò respectu proximæ speciei, verùm etiam longè infra positæ genus esse, vt substantia nõ tantum est genus corporis aut spiritus, sed etiã animalis, hominis, equi. Accipitur autẽ hic species pro specie subijcibili, quæ est generis correlatiuum, nõ pro prędicabili. Nã sic animal non esset genus respectu bruti. Ex hac autem parte a reliquis vniuersalibus, quatenus talia sunt, sumenda est distinctio generis tertio modo accepti. De hoc autem genere logico in fine literæ subdit Porph. ipsum a similitudine ad duas præcedentes acceptiones nomen generis mutuasse. Quæ quidem similitudo in ordine ad genus primo modo consistit in collectione quadam seu comprehensione multorũ. Vt enim genus primo modo captũ plures homines ab eadem stirpe propagatos cõtinet, ita genus istud logicum, plurimas sub se comprehendit species. Differunt tamen. Nã genus primo modo, est quoddam integrale totum, & proinde de partibus quas colligit, non potest prædicari. Non enim est Orestes, ipsa Iouis familia. Genus verò tertio modo dictum, totum est vniuersale, de suis partibus prædicabile. Insuper autem genus secundo modo cum genere tertio modo conuenit, quòd vtrunque principium sit quoddam eorum quorum genus est, hoc quidem constitutiuum atque definitiuum. Illud verò effectiuum externumque.

Speciẽ subijci generi, qđ sit.

Annotatio in secundam partem secundi capitis, quæ continet generis definitionem.

Tripliciter ergo cum genus dicatur

IN priori membro diuisionis, in textu statim post definitionem positæ (quã Albertus esse vult analogi in sua significata, alterum quidem principale, alterum minus principale) Indicantur diuersa esse indiuidua, quędã propria ex nomine, alia ex demonstratione, vt hic homo, hoc animal. Porphyrius tamen solum hic, hæc, & hoc posuit, vt indicaret in quouis prędicamento ad hunc modum indiuidua assignari posse. Per proprium intelligit Porph. proprium specificum, hoc est, cum specie specialissima conuertibile. Nam propria generica, vt mobile respectu corporis, visibile respectu coloris, de pluribus differentibus specie prædicãtur. Neque ob hoc tamen erunt genera, eo quòd non in quid est de illis prędicantur, sed in eo quod quale est. Per quam particulam etiam potuisset Porph. excludere proprium specificũ, si ei ita visum fuisset. Illud quod dicitur, differẽtias & accidẽtia nõ in quid, sed in quale prædicari, vel quomodo se habet, a diuersis variè interpretatur. Boetius siquidem prædicari in quale ad differentiam & proprium refert, ad accidentia verò in quomodo se habet. Alij prædicari in quale, tribuunt differentijs & accidentibus, quatenus per verba exprimuntur. Ex quo sequitur, idẽ accidens aliquando in quale, & aliquando in quomodo se habet prędicari, vt calor dũ designatur nunc nomine calidus, nunc verbo caleo. Alij prius ad accidenria absoluta, vt sunt quantitas & qualitas, applicãt. posterius verò ad accidentia respectiua. Idque quantum apparet satis congruenter. Illud etiam quod in fine cap. a Porph. infertur, Nihil ergo superfluum, &c. duplicem recipit interpretationem. Sunt quibus eam definitionem superfluum continere placet, quæ pluribus conuenit quàm debet, nempe alijs a definito. Eam verò minus continere, quę non omnibus sub definito cõprehensis cõpetit. Et hi, inter quos est etiã Boetius, accipiunt verbum continere, pro verè & affirmatiuè prædicari. Mihi tamen rectius videntur hæ particulæ in alium accipi sensum, vt illam definitionem superfluum continere dicamus, quæ partem aliquam superfluam, nihil conferentem ad integritatem definitionis complectitur: Eam verò minus continere, cui deest pars aliqua ad definitionis integritatem necessaria, siue ea definitio pluribus, siue paucioribus competat quàm definitum, siue etiã conuertibilis quidem sit, sed non satis explicet naturam definiti. Et hoc modo nihil aliud erit continere, quàm habere tanquam partem integralem sui.

Albertus.

Boetius.

Definitionem generis, quam hoc capite tradit Porphyrius, a tertia acceptione nullo alio modo differre putamus, quàm quòd tertia generis acceptio naturam generis non adeò plenè explicat

In quo differat definitio generis à tertia acceptione.

plicat, vt quæ vnius duntaxat mentionem faciat speciei, hæc autem definitio perfectissimè idipsum facit. Nihil enim perfectè generis, imò nec vniuersalis habet rationem, nisi ad plura de quibus prædicabile est, fuerit comparatum. An autem genus hic sumatur tantum pro illo quod formaliter genus est, cui actu iam competit relatio generis, propter comparationem ipsius per intellectum ad suas species. An pro omni eo quod fundamentaliter (vt vocant) genus est, hoc est, quod secundum eam significationem quam modo habet, de diuersis speciebus natum est prædicari, siue iam actu per intellectum ad eas comparetur per prædicationem, siue non, curiosis inquirendum relinquimus. Relatiuum (quod) in definitione refert non definitum ipsum (nam hoc absurdissimum esset, propterea quòd aliquid propriam ingrederetur definitionē) sed genus definiti, nempe vniuersale, per quod exclusa erunt omnia quæcunque ab vniuersalis definitione ante separata sunt, qualia sunt cōplexa & indiuidua. Verbū (prędicatur) accipitur, vt aptitudinē significet, ac idem polleat quod aptū prædicari, verè, affirmatiuè, & tanquam signum, si terminis definitionem accommodare libeat: vel tanquam significatum, si rebus ipsis, seu naturis genericis. Cum enim prædicari idem sit, quod per copulam affirmatiuam alicui attribui, quis neget ipsum conuenienter & rebus & signis applicari posse? Comparatiuus (pluribus) ponitur pro suo positiuo. Per differentia specie) hoc loco accipere oportet species differentes seu diuersas, vt sunt homo & equus, sub animali. albedo & rubedo, sub colore.

Quæstionis incidētis solutio.

Quòd si quis roget, si homo & equus differunt specie, quænā est ea species, qua ipsi inter se differunt? Respondebimus, eam speciem esse rationalitatem, quæ est differentia cōstitutiua hominis, & etiam species prædicabilis respectu huius rationalis ac illius. Nihil etiam incommodi eueniret, si vnam speciem ab altera per semetipsam differre diceremus. Alibi tamen generalius vtimur differentibus specie, admittentes etiam indiuidua diuersarum specierum specie differre, vt Ioannem & Bucephalum, id quod etiam hoc loco faciunt nonnulli, quibus placet animal non modò genus esse, comparatione hominis ac equi aliarumque specierum, verùm etiam respectu indiuiduorum. Nec generis correlatiuum esse speciem, sed generis subijcibile, aut simile quippiam: quin & respectu indiuiduorum eiusdem speciei, ac ob id solo numero differentium, volunt consistere generis rationem, vt si animal tantum ad Socratem & Platonem comparetur, per locum a diuisione colligentes, animal respectu horum non est species, neque aliud quoduis vniuersale, nisi fateamur esse genus. Ergo cum manifestum sit, ipsum esse vniuersale ad illa, consequens est esse genus eorum. Adducunt etiam regulas prædicationum, quas postea ponit Porph. cum dicit genus prædicari de sua specie ac eius indiuiduis. In definitione ergo sub differentibus specie intelligunt etiam quæ numero differunt, quę ideo dicunt non expressisse Porph. quòd in maiori facile intelligitur quod minus est. Alij, quos magis sequimur, tradunt genus, & speciem esse correlatiua, id quod apertissimè ex ipsius Porph. verbis conuincitur. Quis enim relictus erit locus purgationi eius, qua se excusat, quòd genus & speciem per se mutuò definiuerit, si non sunt genus & species correlatiua. nihil ergo habet rationem generis, nisi comparatione diuersarum specierum, mediatè vel immediatè sub se contentarum. Respectu indiuiduorum autem, erit vniuersale quoddam innominatum, ac medium quiddam inter genus & speciem. Ad illud quod ex regulis Porph. adferunt, Respondebimus, Porphyrium ibi non dicere, genus prædicari de indiuiduis tanquam genus, sed prædicari tantum. Nam & simili modo dicit hoc capite, propriū de indiuiduis suæ speciei prædicari. Nec tamen hoc quicquā terret illos, qui affirmāt nihil esse propriū, nisi respectu speciei, cū qua cōuertitur, vt risibile respectu hominis quidem esse proprium, non autem respectu Ioannis.

An id quod genus est, generis rationem habeat ad eiusdem speciei indiuidua collatum.

Particula, In eo quod quid est) valet idem quod in propositione conuenienter reddita interroganti quid sit aliqua res: vt si rogêris, quid sit pyropus, rectè respōderis, pyropus est lapis. Positus est autem numerus singularis loco pluralis. Non enim in vnica enunciatione prædicatur genus de multis speciebus, sed in diuersis id fieri necesse est. Aduertendum est tamen hoc loco, interrogationem factam per quid est, bifariam accipi. Vno modo, vt inquirat totā ac completā rei substantiā seu quidditatem, quomodo hic non accipitur. Nam id solī cōpetit definitioni essentiali. Aliter, vt non totam quærat substantiā, sed eius partem, nō quamlibet, sed quæ per modum materiæ seu substantię, non qualitatis, se habet: & in hunc sensum hic accipitur. Hanc distinctionem si intellexisset Valla, nō adeo procaciter Aristotelem, Porphyrium, & omnem ferè philosophorum turbam falsitatis arguisset. Est igitur genus vniuersale, quod aptum est prædicari verè & affirmatiuè, de multis & diuersis speciebus, in propositione conuenienter reddita interroganti quid sit aliqua res.

Interrogationis per qd est factæ, duplex acceptio.

Annotatio

Annotatio in primam partem tertij capitis, quæ est de acceptionibus & definitionibus speciei.

Species autē dicitur.

OPTIMO ordine Generis diffinitioni, posthabita Differētia, subnectit Porphyrius, Speciei considerationē. Tum quia species iuxta vnā acceptionē correlatiuū est generis. Correlatiua autē vt vnum sine altero existere, ita & definitè exacteq; cognosci nequeunt. Tū quia (vt ait Auicēna) genus in sua specie per essentiā inest, nō autē in sua differētia, cū ipsa sit actus purus. In textu Græco & apud Boetiū Primum legitur, nō Priami. Cōmentator tamē Auerrois Priami non Primū legit. Ideo autē dicebatur antiquitus species digna esse imperio, quòd ex elegāti & omnibus numeris absoluta corporis cōpositione, veluti indicio quodā, naturæ insignis ad virtutes, & felicitatis actus mōstratur dispositio. Est enim (vt Commentator ait) omnis diuersitas, quæ in corpore est, secundū membrorum cōpositionem, prouenìens ex potentiarū diuersitate, quę sunt in anima. Et vt cætera paria sint, tamen (vt eleganter est a poeta dictum)

Auicenna. Boetius. Commentator.

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus. Quod in obiectione dicitur. De genere prius per speciem definito, referendū est ad tertiā generis acceptionem, & etiā ad eius definitionē. Circulus in definitionibus cōmittitur, quādo illud per quod alterū definitū est, vicissim definitur per ipsum, vt si quis dicat, ea nomina in es breue desinere, quæ mittunt genitiuū in itis, & rursus genitiuum mittere in itis, quæ exeunt in es breue. Qua quidem docendi ratione nihil est ineptius, vel magis ridiculum. Sic enim oporteret idē esse notius & ignotius altero, imo suā ipsius ingredi definitionem, quæ omnino sunt impossibilia. In definitionibus autem relatiuorū mutuā eorum inter ipsa relationē explicantibus, nō est prohibitus circulus. Nā licet simul sint natura ac cognitione, tamē vtrunq; potest per alterum definiri tanq̄ per extremum quoddam sibi oppositum, ex cuius collatione redditur notius, iuxta id quod vulgò dici solet, Opposita iuxta se posita (vt ad se conferantur) magis ac magis elucescunt. Nec sequitur, species non est genere notior, ergo non inducit nos in cognitionem naturæ genericæ. Est enim hæc, vt dixi, oppositorum natura, vt ex mutua ad seinuicem collatione, magis ac magis innotescant, etiam si prius neutrum fuerit altero notius, Sicut quorundam corporum natura est, vt confricata incalescant, etiamsi prius fuerit vtrunq; frigidum. Et quemadmodum hic corpus vnum ad alterum cōfricare, est ipsum calefacere, Sic ibi vnum correlatiuorum per orationem ad alterum conferre, est ipsum definire ac eius explanare naturam. Sed in hac re fallit nos rerum absolutarum consideratio, quarum natura per definitionem explanari nō potest, nisi ipsa definitio sit natura definito notior, id quod in correlatiuis locum non habet.

Quid sit in finitionibus circulū cōmittere.

Assignātur autem a Porph. duæ speciei acceptiones, vna ciuilis seu vulgaris, altera logica cū priore habens similitudinē. Forma) in priori acceptione, quæ est, Species dicitur de vniuscuiusq; forma, idem valet quod pulchritudo, quomodo apud poetam accipitur, cum inquit.

Prior speciei definitio.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam. Et alibi,

Lis est cum forma magna pudicitiæ. Vbi manifestū est, solā pulchritudinem, nō etiā deformitatē, nomine formæ significari. Est autem pulchritudo (autore D. Augustino) membrorum decentia cū coloris suauitate. Quare patet pulchritudinē, non vnā quampiā rem esse, sed aggregatum quoddā ex qualitatibus tertiæ & quartæ speciei, vel certè harum certā conuenientēq; proportionē. Contēdunt tamen quidā, speciem & formā vocabula media esse .i. quæ in vtrāq; partē tam malā q̄ bonā accipi possint, pro pulchritudine videlicet vel deformitate. Pro quibus facit illud Aristo. j. Ethicorū, nō omnino felix qui specie turpissimus. Simili modo genitiuus vniuscuiusq;, quāuis hoc loco pro solis hominibus soleat accipi, nō absurdè tamen fortassis pro alijs etiam rebus, siue animatis, siue etiam inanimatis sumeretur, quibus vulgo etiam interdum formam seu pulchritudinem tribuunt. Sed ista, cum ad grāmaticam potius pertineant, aliena sunt a nostro instituto. Atque hæc quidem, de qua iā diximus, species seu forma accidentaria est. Alia verò est essentialis, quam formam naturalem seu substantialem vocāt, quæ materiæ tanquam informi subiecto suique perfectionem desiderāti adueniens, ipsam ad certā speciem cōtrahit atq; determinat, quomodo anima rationalis forma est hominis, anima vegetatiua plātæ, & ita in cęteris. Huius nō meminit Porph. quoniam (vt ait Boetius) altiorem & eruditiorem exigit intellectum. Cum vtrāq; autē similitudinem habet species logica. Vt enim illæ suorum subiectorum omnem pulchritudinem cōplectuntur, sic & species apud philosophos, generis confusioni & imperfectioni ornatum addit, & si quidem specialissima fuerit, totam suorum indiuiduorum continet essentiā. Ex quo colligit Albertus, speciei nomen magis propria ac propinqua similitudine translatum esse, ad significandam speciem specialissimam seu prædicabilem, q̄ subijcibilem: cū subijcibilis (quam nonnunq̄ genus esse cōtingit)

Augustinus. Boetius. Albertus.

aliquid

aliquid adhuc imperfectũ seu potētiæ cõtineat, nec dũ tota ad speciei dignitatē deducta. Secunda speciei acceptio logica est, quę nõ omnino vna remanet, sed in duplicē rursus distinguitur acceptionē. Nã vna significatione species dicitur apud philosophos, quæ generi cuipiã tanq̃ inferius superiori subiecta est, quomodo homo, animal, & corpus, species sunt substãtiæ. Atq; hanc vocamus speciē subiicibilem, cui a Porphy. assignatur secunda speciei acceptio, cũ duabus primis definitionibus. Alia significatione speciem appellamus vniuersale, quod tãtum de differentibus numero in eo quod quid est natũ est prædicari, quomodo homo species est Ioannis & Petri: equus bucephali, & aliorum particulariũ equorũ. Et hæc species prædicabilis vocatur, & vltima definitione a Porph. est descripta. Ex istis facilè colligerit ingeniosior quispiam, inter has quasdam reperiri, quæ tantũ sunt species subiicibiles, vt sunt animal, corpus, color. Nequeũt enim ista esse species prædicabiles, cum de specie diuersis prædicentur. Alias tantum esse prędicabiles, vt sunt punctus, vnitas, risibile, rationale, cum reliquis omnibus proprijs passionibus, & differentijs magis proprijs, secundum veriorem fortassis opinionem, de qua re posterius. Hæc enim nulli omnino generi subiecta sunt. Alias verò simul & subiicibiles esse & prædicabiles, quales sunt homo, equus, albedo, linea. Hæc enim suo quodq; generi subiecta sunt, & non nisi de differentibus numero valent prædicari. Est autem dictio species, omnino æquiuoca ad duas hasce acceptiones. Species quidem subiicibilis generis est correlatiuum, neq; vllo modo est species ipsius vniuersalis, cum ab eius ratione prorsus aliena sit, vt quæ superiora respiciat non inferiora, sed est species correlatiui ipsius vniuersalis, quod in initio diximus vocari subiicibile. Species autem prædicabilis, vera est species vniuersalis, referturq; ad inferiora, nempe indiuidua, & secundo loco inter vniuersalia recensetur, quæ sola prædicationem secundi prædicabilis constituit.

Secũda speciei accept. duplex q̃p logica spēs.

Species tãtũ subiicibilis.

Species tãtũ prędicabilis

Spēs subiici bilis & prædicabilis simul.

In secunda acceptione speciei per genus assignatum intelligitur genus ante definitum, non quidē dictio illa genus, sed denominata ipsius, vt sunt animal, color. Addit autem assignato, vt indicaret, qua in significatione vteretur nomine generis. Illud dicitur sub genere poni, quod alicui generi in recta linea prædicamentali subiicitur, hoc est, de quo genus aliquod in eo quod quid est prædicatur. Atq; ita secunda acceptio & prima definitio, quæ & verbis penè consentiunt, a secunda definitione verbis non sensu different, explicabitq; secunda definitio, quid sit speciem sub genere poni. Quòd si quis aduersus has definitiones obiiciat, indiuiduum etiam ponitur sub genere prius definito, atq; genus de eo in eo quod quid est prædicatur, vt animal de Socrate, ergo dictæ definitiones conueniant alijs a definito. Respondent quidam, definitiones esse intelligendas de situ & prædicatione immediata, quomodo Socrates sub animali nõ est, neq; de eo animal prædicatur. Verùm his obstare videtur, quòd indiuiduũ generis, vt hoc animal, hoc corpus, immediatè sub genere ponitur, cũ inter ipsum & genus nulla appareat species media, quã in sua ratione includat, vt hoc animal in sua ratione neque hominem neq; brutum complectitur. Et ideo melius respondēt alij, relatiuum in definitione positum referre vniuersale, seu rem vniuersalem, aut simile quippiam, quod constat non conuenire indiuiduis. Nec huic obstat, quòd dictio vniuersale non nisi per accidens prædicetur de specie subiicibili, cum ipse Porphyrius speciem specialissimam etiã definiat per (prædicari de differentibus numero) quod tamen ei non nisi per accidens competit.

Explicat secũda speciei acceptio.

Tertia definitio, quæ de specie specialissima datur, tota ferè manifesta est ex generis definitione, paucis particulis exceptis. Generaliter ea dicuntur numero differre, quorum vnũ non est alterum, siue eiusdem fuerint speciei, siue non. Specialiter verò & propriè dicuntur numero differre diuersa indiuidua sub eadem specie prædicabili contenta. vt Ioannes & Petrus, hæc albedo & illa. Atque hoc posteriore modo in hac definitione sumuntur numero & differentia. Poterũt tamen & priore modo accipi, si ablatiuo (numero) addas signũ exclusiuũ, Præter quod & alterũ necessariũ est signũ exclusiuũ, quod determinet totã illam orationē (prædicari de pluribus differētibus numero) vt sit sensus definitionis. Species est vniuersale, quod solũ de differentibus solo numero natum est prædicari, in eo quod quid est, ita vt nõ de specie differentibus. Alterutro enim omisso, accidet, definitionem alteri a definito conuenire, vt animali, ac alij cuilibet generi. Verum enim est, animal de pluribus solo differētibus numero in quid prædicari, vt de Virgilio, & Horatio. Verum etiam est, animal tantum de differentibus numero in eo quod quid est prædicari, quia omnia de quibus prædicatur animal, numero differunt, saltem generaliter: sed falsum est, animal tantum de his quæ solo numero differunt prædicari, vt ex prædictis constat. Alij, ne protrita via videantur incedere, aliam quandam comminiscuntur rationem, qua animal cum alijs generibus separent ab hac definitione. Sed

nos con

contenti sumus prædicta expositione, quam vt longè faciliorem Auicenna tradit, & nonnullis in locis indicat ipse Porphyrius. Ablatiuum (numero) quidam accipiunt aduerbialiter, vt idem sit quod (numeraliter) sicq; non habeãt reddere rationem de eius suppositione. Aliter dicere possumus, numerum sumi pro re aliqua numerata, id est, quæ cum alia numerum constituit. Omnia enim quæ numero differre dicuntur, aliqua re numerata differunt. Verbi gratia, Ioannes differt a Petro re numerata, quæ est sua anima. Ipsa autem anima Ioannis ab alia anima differt seipsa, vel per suam differentiam indiuidualem, quæcunq; sit illa. Neq; ab hac sententia longè discedit Boetius, per numerum intelligens ipsum numerum, & vnitatem, quæ numeri est principium. Quærere solent hoc loco, quo pacto Sol, Luna, Phœnix, & similes quædam species, quarum vnum duntaxat est reperire indiuiduum, sub hac definitione cõtineantur, eo quòd non videantur de pluribus prædicari. Ad quod respondendum est, licet ob defectum rerum non possint fortasse huiusmodi species de pluribus verè prædicari, ipsa tamen vocabula secundum significationem quã habent, apta esse vt de pluribus indiuiduis prędicētur. Nam nomen sol, cũ planetam (quẽ Poeta elegantissimè mundi oculũ appellauit) non vt est hic sol significat, neq; vt his certis proprietatibus indiuiduũ constituentibus subiacet, sed quatenus in tali specie cõstitutus est, hoc est, quatenus est sol. Sicut homo Ioannẽ significat, nõ vt est Ioannes (sic enim non posset de Petro etiam prædicari) sed quatenus est homo, atq; ideo terminus ex sua significatione habere dicitur, vt de pluribus sit prædicabilis. Neq; dicenda est huiusmodi aptitudo esse frustra, quamuis vt iam dictum est, non possit fortè vnquã ad actũ reduci. Satis est enim vt aptitudo non sit frustra, ipsam in simili secundũ speciem aut genus vndè profluit & originẽ ducit, ad actum reduci. Alioqui frustra & inaniter poneremus in cæco aptitudinẽ ad videndum. Diximus fortè, quia nõ in omnibus iã enumeratis impossibile est illam aptitudinem reduci ad actũ, cum phœnix actu possit de pluribus prædicari, licet nõ simul tempore sed successiuè. Imò facilè quis defenderet eã etiã in alijs antedictis ad actũ reduci posse, dicendo hic sol est sol, ille sol est sol, demonstrato in secunda per intellectum alio quodam sole, qui nec est, nec per naturã esse potest. Nam in prædicationibus quatuor primorũ prædicabilium, dicuntur copulæ absolui a tempore, vt nulla habita temporis consideratione, sola designetur necessaria rerum per extrema significatarũ ad inuicem connexio. Hactenus generis & speciei definitiones pro viribus explicauimus. Reliquum erit, vt iuuentus in hac re diligenter exerceatur varijs propositis exemplis, vt promptè distinguere ac dinoscere valeat genus a specie, quod vt vtilissimum esse constat, ita difficillimum esse vbiq; præstare ei qui parum philosophus est, re ipsa frequenter discimus. Nam & Martianus Capella, homo ea ætate insigniter literatus, cum genus eãdẽ penè definitione qua Arist. & Porph. sed verbis immutatis definiuisset, in hunc modum, Genus est multarũ formarum per vnum nomen cõplexio, subiecit statim exempli gratia, hominem (licet animali species sit) Barbaris tamen & Romanis, masculis & fœminis, pueris & senibus, genus esse. Quod nos nec a puero quidem ferendum putaremus. Qui igitur promptè discutere volet, sit ne vox aliqua genus an species, videat an eius significationes res diuersarum naturarũ comprehendant, an omnia ipsius significata eiusdẽ omnino sint naturæ atq; essentiæ. Verbi causa considerãs significationẽ huius termini animal, inueniet varias esse naturas, non modò accidentarias, sed & essentiales eorum, quæ animalia dicuntur, atq; ideò intrepidè pronunciat, animal esse genus, Sic de bruto, aue, pisce, arbore, lapide, colore, scientia, atq; similibus dicendum. Similiter attentius inspiciens ac animo recẽsens omnia significata huius termini Sciens, vtpote Grammaticũ, Geometrã, Rhetorem, Dialecticum, & alios eruditos, inueniet ea naturã essentiáq; differre, non quidem simpliciter & vt homines sunt, sed vt scientes. Et proinde (Sciens) non dubitabit esse genus. Cæterùm homo, cum omnia eius significata vnius & omnino consimilis naturæ essentialis sint; licet varijs accidentibus ab inuicem discrepantia, species est, non genus. Album etiam licet multa significet, quæ essentiã longè sunt diuersissima, vt cygnũ, niuem, hominem, ac papyrum, quia tamen ea in genere coloratorum eiusdem omnino sunt naturæ, ad generis amplitudinem pertingere non possunt. Cum autem naturæ ipsæ rerum procul remotæ sint a cognitione nostra & non nisi per accidentia deprehendantur, fit vt in plerisq; essentialem differentiam cõiectura probabili magis quàm euidenti, certaq; ratione assequamur.

Auicenna.
Porphyrius
Boetius.
An Luna, Phœnix, & eiusmodi sint species sub tertia definitione cõprehensę.
Martianus Capella.
Planũ aũterit.

Annotatio in secundam partem, de specie, dictorum declarationem continentem.

QVOD in initio dicitur (In vnoquoq; prædicamento) a nonnullis refertur ad particulam præcedentẽ, quibus cõsonat id quod postea sequitur (Sit autem manifestum in

vnoquoq; prædicamento, &c.) Alij cum sequentibus construere malunt, sed istis signum distributiuum (vnoquoq;) sumendum erit loco collectiui, aut pluralis numerus huius nominis (generalissima) pro singulari. Sunt autem generalissima & reliqua omnia in prædicamentis, tanq; partes integrales in suis totis. Nam prædicamentum (vt alibi dixisse recordamur) tota est collectio eorum, quę inuicem superiora sunt & inferiora. Pro declaratione autem eorum quæ dicta sunt de generalissimo, specialissimis, & medijs, assignat Porph. licet imperfectè, & tātum secundum partem aliquam, prædicamentum Substantiæ, inter cætera ponens animal rationale speciem esse animalis, ac ipsius hominis genus. Sequitur enim Stoicorum & omnium ferè gentilium communem errorem, arbitrantium præter incorporeas substantias, quas intelligentias seu spiritus vocamus, alios quosdam deos terrestres, Cererem, Aesculapium, & inferos, Plutonem, & Vulcanum, cum alijs pluribus dæmonijs, esse animalia quædam rationalia immortalia, quemadmodum postea cum de differentijs agit, apertè testatur. Et Poetæ non modò Faunos & Satyros, aliaq; syluestria numina quæ semideos vocabant, corporea fecerūt, sed & ipsos suos cœlicolas deos, vt ex eorum scriptis facilè colligitur. Verùm hæc a Peripateticis pro figmentis habita sunt, & a sacrosancta Christiana fide longè sunt aliena, quæ vnum tantū Deum agnoscit cæli terræq; creatorem omnipotentissimum & incomprehensibilem, qui nec animal est, nec substantia, cum nullius prædicamenti limitibus possit contineri, nec vllo poni sub superiori, quia quicquid sub superiori continetur, habeat aliquid cum alijs quibusdam commune, naturam videlicet communem superiorem. Deus autem nihil habet commune cum creatura, in quo quicquid est, simplicissimum est & infinitum. Re vera ergo animal rationale non est genus hominis, sed cum eo conuertitur. Non est enim audiendus Auicenna, cum cæteris Arabibus, asserens angelos quoq; animalia esse, rationis participia, cum angelus nullo modo sit animal, nisi fortassis aliquando impropria locutione, propter vitam quam habet secundum intellectum. Neq; etiam rationalis est vt homo, sed tantum æquiuocè. Hæc autem incompleta prædicamenti substantiæ series, quæ a generalissimo ad vnam tantum specialissimam speciem per omnia intermedia procedit, vnà cum differentijs vtrimq; ad latus appositis, subiecta ad oculum monstrat figura.

Stoici & gentiles.

Auicenna.

SEQVITVR FIGVRA PRAEDICAMENTI SVBSTANTIAE.

SVBSTANTIA.

CORPOREA, constituens corpus. | INCORPOREA, quæ spiritū seu substantiam incorpoream constituit.

CORPVS.

ANIMATVM, constituens corpus animatum. | INANIMATVM, constituens inanimatum corpus.

CORPVS ANIMATVM.

SENSIBILE, constituens animal. | INSENSIBILE, constituens plantam.

ANIMAL.

RATIONALE, hominem constituens. | IRRATIONALE, constituens brutum.

HOMO.

Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Virgilius, Horatius, Ouidius.

CVM

CVM sequitur apud Porphyrium, Horum autem substantia generalissimum est, & cęt.) genitiuus ille demonstrans omnia statim enumerata, partitiuè exponendus est, non possessiuè. Non enim verum est, substantiam esse generalissimum in ordine ad omnia iã dicta, cũ respectu sui ipsius non sit generalissimum, imò nec respectu Socratis ac Platonis, ad quos etiam homo specialissimi non obtinet rationem, quod partim ex dictis, partim ex dicendis esse poterit manifestum. Illud verò (Et omne quod ante indiuidua, &c̃.) ad indiuidua per secta prædicamentalia est restringendum, vt excludantur iuxta quorundã opinionem genera ad sua indiuidua, quæ generica Albertus vocat comparata, vt sunt, hoc animal & illud, respectu animalis, aut quæ indiuidua vaga dici solent. Nunq̃ enim genus, quomodocũq; comparetur, specialissimi recipit rationem. Deinde etiam, vt excluderentur species prædicabiles tantũ, vt risibile, punctus. Non enim putamus esse specialissima, aut generalissima, aut subalterna apud Porph. quæ extra omnem sunt ordinem x. prędicamentorũ, licet oppositũ fortasse non difficilè fuerit sustentare.

Reddit sensus corollarij in litera positi.

Corollarium illud (Quare illa quæ in medio sunt, &c̃.) intelligendum est de habitudinibus significatis nomine generis aut speciei, vt est generis correlatiuum, sicut apertè indicat textus, cum subditur, Vnam ad superiora secundum quã species ipsorum dicuntur, alteram ad posteriora, secundũ quã eorum genera. Hinc exclusa est obiectio, quod generalissimũ & specialissimum habitudinẽ habent subiecti ad sua propria & accidẽtia. Nam de tali habitudine nihil impræsentiarũ agitur. Et quod specialissimum præter eã qua superiora respicit, etiã ad indiuidua habitudinem habet, latenter soluit ipse Por. dicens illã habitudinem, qua specialissimum respicit indiuidua, non esse vnam ex eis de quibus loquimur, quamuis eodem nomine æquiuocè significetur, vt sensus sit. Specialissimum ad indiuidua nõ habere alteram ex duabus antedictis habitudinibus. Circa definitiones in litera positas aduertendũ, hęc vocabula, genus, generale, generalissimũ, idem principaliter significare, inter se autẽ tantũ connotatione quadã, vti cætera positiua, & superlatiua differre. Et similiter de specie, speciali, & specialissimo, iudicandum est. Licet autẽ naturæ subiectę generis & speciei relationibus, secundum se non prædicentur cum aduerbijs magis & minus, nihil tamen prohibet, dicta vocabula genus & species magis & minus admittere, vt in pluribus alijs relatiuis cõtingit.

Generalissimi duplex expositio. Itẽ & specialissimi.

Generalissimũ (sicut & alius quilibet supeclatiuus) bifariàm exponitur. Primò negatiuè, vt idem sit quod genus, quo nihil est generalius. Hoc modo accipiendum est, cum quicq̃ generalissimum dicitur, nulla relatione expressa eorũ quorum est generalissimũ, vt cũ dicitur esse decẽ genera generalissima. Alio modo affirmatiuè, pro eo quod omni alio eiusdẽ prædicamẽti generalius est. Hoc modo vtemur generalissimo, quando certa proponitur materia, vt cũ substantia, omnium substantiarum dicitur esse generalissimũ. Specialissimum verò semper negatiuè est exponendum, nisi materia omnino particularis proponatur. Non enim concedẽdus est homo esse specialissimum affirmatiuè, nec eorum quidem quæ in prædicamento substãtiæ sunt, licet talis posset admitti respectu animalis, corporis animati, corporis, atq; substantię, vt ex ipso Porph. constat. Generalissimi duæ assignantur descriptiones.

Prior generalissimi definitio.

Vna, quæ in initio textus ponitur, & in fine eisdem verbis repetitur, est. Generalissimũ est, supra quod nõ est aliud genus superueniens, quæ posterioris quodãmodo videtur esse causa, indicatq; apertè generalissimi negatiuè accepti naturã. Antecedens relatiui (quod) est genus prædicamentale, per quod excluditur motus, & si qua sunt similia, Item & ens, si ponatur esse genus vniuocum ad omnia prædicamenta, quemadmodum quidã opinantur. Suprauenient genus vocatur genus superius, id est, quod de altero ordinatè, & in eo quod quid est prędicat. Non sunt ergo quale, quantũ, & similia, genera superuenientia in ordine ad animal.

Posterior.

Altera definitio est. Generalissimũ est, quod cũ sit genus, non est species, Relatiui antecedens est vniuersale prędicamẽtale, q̃d in sequentibus etiã cæteris definitionibus addendũ pręmonemus.

Auerrois.

Vanũ est quod Auerrois annotat, ideo generalissimũ per se definiri, ꝙ nullũ genus habeat, Definitur enim generalissimum per suum genus, puta vniuersale, & per suum positiuũ notius, vbi superlatiua describi solent. Vocula illa (cum) non capitur vt causam vel necessariam illationem designet, sed (vt dici solet) aduersatiuè pro q̃uis, vel potius quodãmodo copulatiuè, vt sit sensus, quod genus quidem est, sed non species. Species in definitione pro subijcibili accipienda est. Alioqui enim si pro specie prædicabili sumatur, animal erit generalissimũ.

Prima specialissimi definitio.

Specialissimi quatuor sunt descriptiones. Prima hæc est: Specialissimũ est, post quod nõ est alia inferior species. Qua manifestè explicat natura specialissimi negatiuè expositi. Imprimis enim latẽter ponit, ipsum debere esse vniuersale prædicamẽtale, seu potius speciẽ prædicamentalẽ. Deinde excessum negat, quantũ attinet ad magis esse speciem, cũ dicitur, post quod non est alia

Secunda. inferior species, inferior, id est, specialior. Secunda est. Specialissimũ est, quod cum sit species, nõ est genus. In qua per speciem est intelligenda species subijcibilis. Quamuis enim accipiendo speciẽ pro specie prædicabili, definitio maneat conuertibilis cũ suo definito, nõ tamen satis explicabitur definiti natura. Debet enim superlatiuus per suũ positiuum aut eius synonymũ definiri, quod non est species prædicabilis respectu specialissimi, sed subijcibilis. Inter enim prædicabiles species, vna nõ est alia specialior, sed omnes æqualiter species sunt. Deinde etiam ociosa foret vltima definitionis particula (non est genus) quod non videtur esse ex sententia Porphyrij. Hanc secundam effectum esse volunt respectu præcedentis. Tertia est hæc.

Tertia. Specialissimum est, quod cum sit species nõ diuiditur in species. Hæc a specialissimo negat quãdam generis proprietatem seu conditionem, ob idq; ex præcedente rectè pendêre ac inferri dicetur. Proprium enim generi est, per differentias formales ac per se diuidi in multas suas species, quæ genere secundũ eius totam essentiã, non secundũ totam potestatẽ participant, qua lis diuisio non est attribuenda specialissimo. Diuiditur enim hoc per differentias materiales, in sola indiuidua, quorum est tota essentia, & a quibus participatur etiam secundum totam

Quarta. potestatem. Quarta ac postrema est. Specialissimum est, quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Quæ in nullo a tertia speciei definitione differt. Estq; hæc definitio omnino impropria, eo quòd non naturam speciei specialissimæ, vt specialissima est ac subijcibilis, explicat, sed in quantum est prædicabilis. Sed qualis qualis est, non est Porphy. imputandum, qui non suas, sed aliorum recitat definitiones. Subalternorũ definitio est huiusmodi. Subalterna sunt, quorum vnumquodq; genus & species esse potest,

Subalternorum descriptio. ad aliud quidem, & ad aliud sumptũ. Definitum (subalterna) accipitur pro generibus subalternis, & speciebus subalternis. Nã hæc inter se conuertuntur, atq; sunt eadẽ. Opinantur quidã, dictionem (subalterna) generi ac speciei adiunctam æquiuocè accipi. passiuè, cum dicitur genus subalternum, hoc est, genus sub altero genere positum. actiuè, cum dicitur species subalterna, id est, species sub se aliam speciem habens.

Albertus. Verùm Albertus in opposita est sententia, dicens subalternum vtriq; adiunctum eodem modo sumi, idemq; valere quod subalternatim positum modò subtus, modò supra. Quid autem significet hoc nomen subalternum, an quid vnum, nec ne, discutiant alij. Verbum (potest) in definitione dicit potentiam seu aptitudinem propinquam, quæ videlicet sequitur significationem quam vocabulum nunc habet, non eam quam potest habere, quomodo homo potest esse genus, si imponatur ad significandum omnes arbores. Et vt res dilucidior fiat, addo simile, Ioannem qui adhuc laicus est, dicunt vulgò non posse peragere rem diuinam, quod sane dilucidè intelligitur de potentia propinqua. Nam potentia remota potest vtrq; celebrare. potest enim ordinari sacerdos. Alia quæ ad hanc definitionem attinent, ex antedictis manifesta relinquuntur.

Intermedia gña dicunt & species.

Annotatio in tertiam partem, explicantem conuenientiam atq; differentiam seriei ciuilis seu familiæ, atq; ordinis prædicamentalis.

IN tertia parte capitis de specie, pro eorum quæ superius dicta sunt faciliori intelligentia, declarat Porph. habitudines eorum quæ in eãdem sunt serie prædicamentali, per simile in familijs, intendens quòd sicut in progenie seu familia quapiã reperitur primus pater illius familiæ, & qui tantũ pater est, sic vt non filius respectu eorũ qui sunt de eadem familia, similiter reperitur qui tantũ filius est inter illos, & rursus alij intermedij, qui & patres sint & filij respectu diuersorum, vt in familia Iouis, Tantali, Pelopis, Atrei, & Agamemnonis, Iupiter tantum pater est, & Agamemnon tantum filius, Reliqui verò tam patres quàm filij. Ita quoq; in prædicamento reperitur aliquid, quod solum genus est, & aliud inter communia infimum quod solum est species, & alia inter hæc intercepta, quę sunt genera & species subijcibiles, ad aliud tamen & ad aliud cõparata, quemadmodũ præcedenti textu latius declarauit. Sicut ergo genus logicum cum genere ciuili similitudinem habere dictum est supra, sic & cũ serie ciuili atq; familia, similitudinẽ habebit ipsa generũ & specierũ coordinatio. Neq; tamẽ ob hoc putandũ est, similitudinẽ inductam inter familiã & prædicamentalẽ seriem omni ex parte sibi cõstare. Cõuenit quidem inter eas perbellè, quod diximus, sed tamen nonnihil etiã subest discriminis. Nã in familijs frequẽter diuersæ, imò plurimũ distantes familiæ in vno capite seu primo parẽte cõueniunt, vt familia Tantali, Pelopis, Atrei, & Agamẽnonis. & familia Aeaci, Pelei, Achillis, & Pyrrhi reducũt ad Iouẽ. Fuit enim Aeacus quẽadmodũ & Rhadamãtus Iouis filius, ex Aegina filia Aesopi regis Boetiæ, quam Iupiter in specie ignis grauidauit. Verùm istud nõ accidit in prædicamentis, vt liquido declarat Porphyrius. Cum igitur Agamẽnon, Atrides, Pelopides, &c. pręter iã expositam conuenientiam principalem, & quę magis ad rẽ facit, alia quędam latenter

latenter innui videtur inter seriē prædicamentalem ac ciuilē similitudo, q̄ sicut in familia inferiores a superioribus, nō quidem omnino eisdem nominibus, sed in patronymicā formā inflexis denominantur, sic etiā in prædicamentali serie, superiora de sibi subiectis ordinatè prędicātur. Non vidētur omnino eadē esse, genus primo modo, & familia de qua hic. Hæc enim requirit multorū ab eodem parente descendentiū ordinem, quē genus primo modo nō necessariò exigit. Quare multi filij eiusdem patris, genus quidem sunt, sed non familia de qua hoc loco agitur. Iouem pro numinis reuerentia vltimum posuit, omisso Saturno eius patre, qui regno pulsus a filio, exulare coactus est in Latio. Dicit, plerūq; diuersas familias ad vnū reduci principiū, propter diuersas Philosophorū opiniones, arbitrantiū in diuersis terræ habitabilis partibus, ac longinquis insulis, diuersos fuisse primos parentes, ac iuxta Auicennę sententiā dicentis, hominē, & equū, aliaq; huiusmodi animalia, sicut mures ac vermiculos, ex putrefactione posse generari. Re vera oēs familiæ ad vnū cōmunē parentē reducūtur, videlicet Adā, quē totius humani generis originē sacra testantur eloquia, sed hoc Porphyrium latebat. An ens æquiuocū sit ad x. prędicamenta, vt cōtendit Porph. & alicubi indicare videt ipse Aristo. an non, alibi non hic est discutiendum. Si quis certis rationibus adducitur, vt ens credat esse vniuocum, liberè a Porph. sententia recedat. Neq; enim tantum tribuimus Porph. neq; sic in illius verba iurauimus, quin ab eo deficere audeamus, sicubi nō rectè sensisse conuincitur, aut ratione, aut grauioris alicuius philosophi, qualis est Aristoteles, autoritate. Quod dicitur, specialissima numero non esse infinita, intelligendū est de specialissimis prædicamenti substantiæ, quod ante assignauerat. Nā numerorū, figurarum, atq; relationum species, sunt infinitæ, tam quo ad naturā, q̄ quo ad nos, cum in infinitum multiplicari possunt. Omnium tamen specialissimorū prædicamenti substantię numerus, secundum naturā est finitus ac certus, quia simpliciter aut certè notabiliter augeri vel minui non potest. Horum tamen specialissimorum numerum, non putamus vlli cognitum ac exploratum esse, nisi soli deo, & spiritibus incorporeis, quē quidem deū, vt absolutissimum opificē, proprium opus latēre nō potest. Ac ob id specialissimorū multitudo, licet nō quo ad naturā, nobis tamen infinita dici rectè poterit, qui eius finē ac mensurā ignoramus. Duplices autē in substātiæ prædicamento specialissimę species cōtinentur. Quarundā enim esse specificum in vnico saluatur ac durat indiuiduo, eo q̄ illud indiuiduū generationi & corruptioni nō est obnoxiū, vt sunt sol, luna, & huiusmodi. Itē & substātiarū incorporeatū species, Huiusmodi specierū indiuidua, secundū naturā finita sunt, & nōnunq̄ etiā secundum nos, vt vnicus est sol, vnica luna. Alię sunt species, quarū esse specificū in vnico indiuiduo saluari nequit, quales sunt omnium rerū generabiliū & corruptibiliū species, Cuiuslibet talis speciei indiuidua actu existētia, secundum naturā numero finita sunt, nobis tamē plerumq; incerta. Secundum verò naturæ potentiam, propter eorum continuam generationem, & nobis, & secundum naturam sunt infinita, neq; tot aut facta sunt, aut fient, quin adhuc plura produci possunt. Loquimur hic secundum Aristotelis sententiam, arbitrantis mundum nec principium accepisse, nec finem habiturum: aut eorum, qui mundum creatum quidem, sed perpetuò in ea conditione quam nunc inspicimus duraturum argumentabantur, sicut Platoni visum est. De huiusce indiuiduis intelligendum est, quod a Porphyrio dicitur. Primum corollarium ibi positum, Quapropter descendentem, est intelligendum de specialissimis indiuiduorum, quæ generationibus & corruptionibus subiecta sunt. Nam in solis his probatio ex Platone adducta locū habet. Neq; magnopere laboramus, an Plato iussisset descendētem ad solem vsq; in sole quiescere, & nō ad hunc solē progredi. Infinita autem quatenus infinita, in scientia vel arte secundū se non tractātur cōsiderantur q; sed tantū secundū vnum commune in quo conueniunt, vt facilè fuerit declarare. Præterea indiuiduorum generabilium ac corruptibilium prædicata, secundum se contingentia sunt, eisq; contingenter competunt quę cunq; habent, quatenus indiuidua. Cum igitur scientia de necessarijs habeatur, itq; certa, nunquam de indiuiduis generabilibus ac corruptibilibus (Nam de alijs fortasse quæstio est) secundum se habebitur. Iam verò quod hic a Platone dicitur, ad descensum perfectum, & qui ad definitiones ac demonstrationes ordinatur, applicandum est. Isti autem ascensus & descensus (ne quis in verbis hæreat) nihil aliud sunt, quàm continuæ quædam enumerationes eorum generū, quæ sunt inter specialissima & ipsum generalissimum, inchoando a generalissimo & vsq; ad specialissima procedendo, aut econuerso, non omissis interim differentijs specificis. Atq; hinc alia ratio colligi potest, cur in specialissimis sit quiescendum, quia videlicet sub his nullæ inueniuntur specificæ differentiæ, per quas diuiderentur. Quod sequitur, Collectiuum enim multorum, & cęt. variè a diuersis exponitur. Qui omnia signis attribuunt,

Auicenna.

Specialissima q̄ pacto finita.

Quarū specierū indiuidua infinita

Quid ascendere & descēdere in serie prędicamentali.

Quomodo accipiendũ est illud, Collectiuũ enim multorũ in vnã naturã est gen⁹. &c

dicunt, id multorum in vnam naturam esse collectiuum, quod plura significat per vnam eandemq; notionẽ seu conceptum, illa essentialiter & quiditatiuè repræsentantẽ. Sic vocabulũ homo, omnes particulares homines in vnam naturam colligit. animal, omnia animalia, & ita in alijs. Contra, ea in multitudinem diuidunt, quæ multa distinctim significant mediantibus diuersis notitijs, quæ prius vnica notione confusè significabantur, vt hęc nomina, Socrates, Plato, Demosthenes, respectu hominis: homo, equus, leo, respectu animalis. In participatione speciei plures homines sunt vnus homo, quia omnium particularium hominũ essentia ac quiditas, vnica notitia per terminum homo significatur. Hanc suam interpretationem, qui vulgo nominales appellantur, Fabro atq; Boetio conantur ascribere. Qui verò a rerum studiosa multiplicatione reales vocari solent, omnia ferè, quatenus fieri potest, vbiq; de rebus ipsis interpretantes, eam rem volunt multorum in vnam naturam esse collectiuam, quæ ab intellectu apprehensa, vna quidem est, ac eadem atq; indistincta, nata tamen pluribus essentialiter & quiditatiuè cõmunicari, vt humanitas quæ species est, singularium hominum est collectiua, quoniã ipsa per intellectum sine conditionibus indiuidui cõprehensa, habetur vt vna, & nata est seipsam pluribus communicare indiuiduis, aut (vt Alberti verbis vtamur) nata est omnibus eiusdem speciei hominibus inesse. Ediuerso particulares homines vnam speciem in multa diuidunt, quia humanitatem (quæ modò dicta est vna in se) per differentias materiales indiuiduum constituentes, contractã habent. Pari modo de genere respectu specierum, & cõtra, iudicandum. Plures autem homines, sunt vnus homo, non particularis, neq; cõmunis simpliciter; sed sunt vnus homo participatione speciei, siue secundum speciẽ. homines nãq; particulares per intellectum relati ad humanitatẽ, quæ vt intelligitur, vna est, non habent quo differant. Solis enim principijs indiuiduum facientibus, ab inuicẽ diuersi sunt, a quibus omnibus per intellectũ abstracta est ipsa humanitas. Ediuerso quoq; humanitas ipsa, quæ modo dicto vna est & cõmunis, nata videlicet pluribus se cõmunicare, est multi homines, nõ quidem simpliciter & absolutè, sed per ipsos particulares hões, cũ ipsa ad plures singulares homines cõponendos, per indiuidualia principia cõtrahit. Hanc opinamur veriorẽ & antiquis interpretibus Aristotelis magis cõsentientẽ declarationẽ. Platonici, in qbus fuit & Porph. asserentes vniuersalia, quas ideas .i. formas appellabãt) a singularibus non solũ cogitatione, sed re ipsa separata esse, hunc sensum redderẽt. Plures homines participant eadẽ natura specifica humanitatis, atq; in ea cõueniũt, & ad ipsam reducuntur, tanq̃ ad exemplar quoddã seu formã, ad quam factu sunt, atq; hac figura dicunt esse vnus homo cõmunis, & ille plures dicit esse homines, perinde atq; multæ figuræ eodẽ sigillo diuersis materijs impressę, quodãmodo dici possunt esse vna figura ipsius sigilli, cuius referunt similitudinẽ, & a qua sunt factæ: & rursus vna sigilli figura, multę. Aliud simile adduci posset de ædificatore plures domos ad vnius ædificij similitudinẽ seu conceptũ, quẽ in mente gerit, ædificante. Prædictas igitur orationes nõ simpliciter, nõ absolutè crudeq; (q̃d aiunt) intellectas, veras esse cõstat, sed tãtum secundum peculiarem quendã loquendi modum, & cum determinatione quapiã adiecta. Solet enim cum vnum ad alterũ iuxta suę naturæ ordinem reducitur, illius ad quod reducitur suscipere denominationem. Hinc concedimus, hominẽ vt animal est, corpori animato immediatè subijci, Socratẽ vt homo est, esse per se ac primò risibilem, & eundem per se, vt albus est, esse visibilem: Policletum vt est statuarius, esse causam per se, statuarium autem vt Policletus est, esse causam per accidens. Ioannẽ vt pater est, in pręedicamento ad aliquid collocari, albedinem & dulcedinẽ vt sunt in lacte, esse subiecto eadem, lac vt album est & dulce, a seipso accidente ac ratione differre, & plurima alia reperies huius generis apud Aristotelem, & quosuis alios qui disciplinas tradunt.

Nominales.

Reales.

Albertus.

Platonici.

Assignatio gñe & specie

Annotatio in quartam partem capitis de specie, quæ quasdam prædicationum regulas continet, & indiuidui descriptionem.

Albertus.

QVarta hac præsentis capitis parte, duo præcipuè agit Porphyrius, initio quasdam prædicationum regulas tradit. Secũdò de indiuiduo determinat, quod secundum vnam significationem, speciei prædicabilis est correlatiuum. Hanc particulam, Existente genere vno plures sunt species, ita accipit Albertus, vt opinetur, genus in vnica specie non posse saluari. Nos oppositum verius opinantes, quia essentialis prædicatio generis de specie, ab actuali existentia abstrahit, & nullo modo illam respicit, dicemus facilè id hoc loco dici esse, quod aut actu est, aut verè esse potest. Vult enim Porphy. si vna natura generica actu existat aut existere possit, multas eiusdem generis aut esse aut posse existere species. Neq; aliud conuincit adiecta probatio, Est enim semper diuisio, &c) hoc est, omne genus semper in plures species diuidi potest. Nam huiusmodi diuisiones sicut & definitiones essentiales, a præsenti existẽtia

abstrahunt

abstrahunt, neq; eam vllo pacto requirunt, sed potius explicant quæ sub ambitu & communitate generis comprehendi possint, q̃ quæ iam nunc cõtineantur. Quòd autem ad hunc modum genere existente vno, plures sunt species, ante dictũ est latenter in corollario illo, Descẽdentibus ergo ad specialissima necesse est, &c. & ex alijs locis colligi potest. In particula illa (Non enim conuertitur) vt efficax sit probatio, intellige neq; est maior. Solent enim autores nõnunq̃ subticere ea, de quibus minor poterat esse dubitatio, & quę satis cõstat ita habere, alijs de quibus minus videbatur expressis. Deinde intelligendum est quod continuò subditur, de prædicatione ordinata & necessaria. Nam homo inordinatè prædicatur de animali, & medicum de homine prædicatur ordinatè & contingenter, quorum neutrum tamen aut maius est, aut æquale. Per æqua intelliguntur conuertibilia, quæ de seinuicem vniuersaliter, & verè prędicantur, vt risibile, rationale, & homo. Maiora vocanẽ magis cõmunia, quæ videlicet vniuersaliter prædicantur, sed non ita subijciuntur, vt omnis homo quidẽ animal est, sed non verum est, omne animal esse hominem, atq; ideo animal maius, homo verò minus appellatur. Non est autem ita accipienda ista probatio, vt eam conuerti & recurrere putemus. Quanq; enim omnem prędicationem ordinatam & necessariam, necesse est maioris de minori esse, aut æqui de æquo, non tamen ediuersò oportet omnẽ huiusmodi prædicationem ordinatam esse & necessariam, vt constat de istis, risibile est flebile, rationale est substantia. Cum postea sequitur, Omnia superiora de omnibus sub se positis prædicari, per superiora intelliguntur magis communia, non quæuis, sed essentialia duntaxat. In fine autem Porphy. dicens speciem esse partẽ alterius, totum verò non alterius, &c. nihil aliud vult, q̃ speciei vt partis rationem subeat, satis esse, si ad vnum aliquid comparetur, quanq̃ ipsa interim cum alio sumatur, sed eãdem nõ induere plenam totius rationem, nisi ad multa cõparata, cum totum non nisi ex multis constare possit.

Quę æqua & maiora.

De indiuiduo.

Circa ea quæ ad indiuiduum pertinent, vanum est in primis & nimis friuolum disceptare, ponatur ne in litera definitio aliqua indiuidui, an non, etiam vna tantum, an duæ. Satis erit, ex verbis Porphy. duas colligi posse, vnam hanc. Indiuiduum est, quod prædicatur de vno solo particulari, Alteram istam. Indiuiduum est, quod consistit ex proprietatibus, quarum collectio nunq̃ in alio erit eadem. Pro quarum pleniore facilioreq; intellectu, paucis annotandæ sunt & perstringendæ aliquot indiuidui acceptiones, vt q̃ magna sit indiuiduorũ varietas aperiamus.

Prior indiuidui acceptio.

Primò itaq; indiuiduum signis seu terminis attribuitur. Quomodo indiuiduum nihil aliud est, q̃ signum incõplexum, cui ex sua significatione naturali vel ad placitum, repugnat de pluribus prædicari, ratione rei verè ac positiuè per ipsum significatæ, vt Socrates, Virgilius, hic bos. Patet ergo, non omninò idem esse indiuiduum & terminum singularem seu discretum. Nam hæc cum sunt termini singulares, propositionemq; efficiant singularẽ, non tamen indiuidua sunt, homo qui est Socrates, hæc Chimęra, hæc cæcitas, & secundũ quosdam etiam humanitas, aliaq; quæ vocantur abstracta vltima abstractione. Fatemur tamen, nõnunq; largius vsurpari nomen indiuidui; sed ea acceptio non conuenit præsenti loco, vbi de indiuiduis ipsorum vniuersalium agitur. Hoc indiuiduum rursus duplex esse volunt.

Indiuiduũ vagum.

Quoddã vagum, quod est aggregatum ex signo particulari & termino communi, circumlocutiuè (vt quibusdam visum est) acceptum, ad significãdum vago & indeterminato modo aliquam rem singularem, quæcunq; illa fuerit, vt aliquis homo, quidam color. Huiusmodi indiuiduorum non meminit Porph. vtitur autem crebrò Arist. in prædicamentis, præsertim secũdum eos, qui illum de signis interpretantur. Nam aliter non videtur opus tale indiuiduũ vagum ponere.

Thomas. Caietanus.

Diuus Thomas autem, & Caietanus censent huiusmodi vaga indiuidua non contineri hac definitione, imò nec propriè indiuidua esse, cum de multis prædicentur vniuocè, sed tantum indiuidua vaga.

Determinatũ ex noie.

Aliud est indiuiduum determinatum, quod determinato certoq; modo rem singularem significat. Et horum aliud determinatum est ex nomine, nihilq; aliud est, quàm proprium cuiusq; rei nomen, vt Socrates, Bucephalus, Nilus.

Ex demonstratione.

Aliud verò per demõstrationem determinatum est. Estq; compositum ex pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, & termino communi rem demonstratam significante circumlocutiuè acceptum, id quod frequenter vsu venire necesse est, cũ proprijs nominibus destituimur, vt hic homo, hic equus, hæc aqua. Addere solent indiuiduum determinatum ex suppositione seu hypothesi quapiã, quale est, Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius: sed nos id non dubitamus veram indiuidui rationem obtinere, cum de multis licet iam non prædicetur, tamen prædicari possit: a Porphy. autem non exempli, sed magis declarationis causa adductum esse, Nisi quis velit ipsum obtorto (quod aiunt) collo trahere, ad significandum circumlocutiuè & singulariter vnũ Socratem, quod non est verisimile Porph. vel somniasse quidem. De his igitur indiuiduis de-

Prioris indiuidui finitionis explicatio.
Auerrois.

terminatis commodè licebit priorem indiuidui definitionem accipere, si de terminis agere malumus, obseruatis interim quibusdã particulis, circa vniuersalis definitionem expositis, & non multo etiam ante indicatis. Hanc tamen indiuidui descriptionem cum autore ipso, reprehendit ac reijcit commentator Arist. eo q si ei credimus, indiuiduũ negatiuè definiri debeat, quemadmodum ab Aristo. in libro Peri Hermenias est factum. Singulare (inquit) est, quod non est de pluribus natum prædicari. Adducit & illud Arist. in prædicamentis, A principali substantia nõ est prædicatio. Sed hæc facilè per distinctionem duplicis prædicationis solui possunt. Et sanè qui negat singulare de pluribus natũ esse prędicari, per mutuus videtur ipsum de vno posse prædicari. Nomen illud (particulari) quod definitioni adiectum est, excludere videtur humanitatem, animalitatem, &c. quæ diximus vocari abstracta vltima abstractione. Quę hic de hoc albo verbosè magis q̃ verè inculcari solent, eiusq; triplici acceptione, consultò omittimus, q ociosorum hominum ista commẽta esse videantur. Quis enim accipiat hoc album, vt idem polleat, quod res alba hac albedine. nõ de eo quod fieri potest hic agitur, neq; quã significationem intellectus apprehendere possit, sed quid vulgò a doctissimis fieri soleat perpendẽdum est, quando de significatu ipso incidit contentio. Erit ergo hoc album, verum indiuiduũ, idem significans quod hæc res hanc albedinem habens. An hæc nomina Christianus, Ciceronianus, Louaniensis, Brugensis. Niliacus, indiuidua sint, nec ne, dubitauerit fortasse quispiã. Cui paucis rèsponsum sit, ea nequaq̃ indiuidua esse, quia nõ vni soli conueniunt, licet interim principale significatum fortassis vnum sit & singulare. Alio modo sumitur indiuiduum pro re quapiã vna, quę conceptu singulari ac incõplexo, significatur, cuiusmodi sunt Ioannes, Petrus, Paulus, hic homo, & similia, cui indiuiduo potissimùm attribuenda videtur secunda definitio, quæ de ipso assignatur in quantũ ab alijs diuisum est, & causam prioris quodãmodo indicat. Ideo nanq; indiuiduum de vno solo prædicari natum est, quia ex proprietatibus consistit eiusmodi, quæ in multis reperiri pluribusq; communicari non possunt. Consistere autẽ hoc loco non idẽ valet quod constare vel cõponi, cum impossibile sit, substantiã aliquam siue communem siue singularem non ex huiusmodi proprietatibus, quarum pleraq; pars accidentia sunt, constitui. Quamuis istud a nonnullis Boetio (quàm rectè viderint ipsi) imponatur. Erit ergo consistere ex proprietatibus, proprietates habere, eisq; affectum esse, & per illas ab alijs quibusq; discerni aptum natum esse. Id quod etiam admonet Albertus satis dicens, consistere non hic accipiendum esse secundum substantiam ipsius rei, sed discretionem.

Per proprietates intelliguntur non sola accidentia aut propria, sed omnia siue communia siue singularia, quæ quomodolibet vel intrinsecus, vel extrinsecus prædicantur de re quapiam sumpta tamen secundum esse quod habet in rerum natura, non autem secũdum esse quod habet in intellectu. Proinde hominis communis proprietates sunt substantia, corpus, animal, rationale, risibile, disciplinæ susceptibile, aliæq; passiones ex eius essentia manantes. Item habere neruos, ossa, caput, teste diuo Thoma & Caietano: sed esse vniuersale, speciem, & similia, quæ secundas intentiones vocamus, non sunt proprietates hominis communis, quia solum conueniunt homini secundum illud esse, quod habet in intellectu, id est, secundum quod est obiectum intellectus, non autem secundum illud esse, quod habet in rerum natura. Vndè nec in particularibus hominibus reperiuntur. Similiter etiam album, nigrum, & similia, non sunt proprietates hominis communis, quia non competunt ei considerato simpliciter secundum propriam naturam, quomodo consideratur cum adduntur hæ particulæ ipse, communis, & similes, sed solum secundum quod accipitur personaliter pro aliquo singulari, cui hæ proprietates insunt. Socratis proprietates sunt, esse caluum, ventrosum, deformem, Sophronisci marmorarij & Phanaretæ filium, illo momento natum, Xantippes maritum, molestiarum muliebrium, vxoriarumq; litium patientissimum contemptorem, Philosophum Atheniensem, Platonis magistrum, Delphicíq; Apollinis oraculo omnium mortalium sapientissimum pronunciatum, & ad extremum ab Anyto siue quòd de dijs malè sentiret, siue aliam ob causam accusatum, cicuta intrepidè hausta, mortem oppetisse, de quo Satyricus,

> Barbatum hoc crede magistrum
> Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

Præterea habere hæc ossa, hos neruos, & breuiter quæcunq; de eo enunciari queunt. Assignantur ferè ab omnibus expositoribus septem, quibus potissimùm homines inter se discerni consueuerunt, hisce quæ sequuntur versibus comprehensa,

> Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.
> Hæc septem propria continet omnis homo.

Quod se-

Quod sequitur in definitione, quarum collectio, &c. accipiendum est de identitate numerali, non tamen eo modo quo quidam intelligunt, quasi videlicet tunc aliqua dumtaxat proprietas dicatur eadem in pluribus reperiri, quando singularis & indiuidua aliqua forma in diuersis reperitur subiectis, sed vt ea dicantur eandem habere proprietatem, de quibus idem numero prędicatum verè & affirmatiuè dici potest, siue prædicatum sit singulare, siue commune, siue complexum, siue incomplexum. verbi gratia, homo, animal, rationale, risibile, bipes, constans ex anima & corpore, & similes proprietates, in omnibus particularibus hominibus reperiuntur eædem, quia vnaquæque earum permanens vnum & idem numero prædicatum de omnibus particularibus hominibus verè & affirmatiuè dicitur, sed non reperiuntur eædem in brutis aut arboribus, quæ non possunt de ipsis verè & affirmatiuè enunciari. Verùm obijciat quispiam, quicquid de Ioanne dicitur, id etiam dici potest de hoc risibili, hoc flebili, hoc rationali, & similibus, demonstrando semper eundem hominem, quæ tamen sunt indiuidua a Ioanne distincta, cum sub alijs speciebus contineantur, ergo tota collectio proprietatum Ioannis potest in alijs indiuiduis eadem reperiri. Cui respondendum puto, quòd hæc indiuidua, hoc risibile, hoc flebile, hoc rationale, quæ pro Ioanne sumuntur duobus modis considerari possunt. Altero modo materialiter tantum, pro re pro qua sumuntur, & sic non differunt a Ioanne, cum pro eadem re prorsus accipiantur. Vnde fit, vt quicquid de Ioanne dicitur, de ipsis etiam dicatur, & contra. Altero modo considerantur formaliter & secundum propriã naturam, & sic sunt inter se distincta indiuidua, possuntque de vno multa dici, quæ alijs non cõpetunt, vt formaliter loquendo de hoc risibili rectè dicitur, quod causam formalem habeat risibilitatem, non autem de Ioanne flebili, similiter de Ioanne dicitur, quod constet anima & corpore tanquam proprijs partibus, non autẽ de risibili. Et eodẽ modo respondendũ ad argumentũ quod sic colligi potest. Quicquid cõuenit Ioanni, etiã conuenit homini, & animali, per locũ ab inferiore ad superius, ergo proprietates Ioãnis reperiũtur in alio eædẽ, nempe quod homo & animal etiã duobus modis considerari queunt, iuxta modum prius dictũ, videlicet materialiter & formaliter: & materialiter considerata censentur eadem cũ singularibus pro quibus accipiuntur, vndè & de ipsis prædicantur, quæcunque singularibus cõpetunt. Formaliter verò cõsiderata sunt diuersa, & ideo de ipsis non prædicantur proprietates singularium, vt album nigrum & similia. Nam homo ipse neque albus, neque niger est, sed bene contra, omnes proprietates hominis communis Ioanni tribuuntur, quia Ioannes in se hominem includit, & non contra.

Differẽtia cositer, pro priè, & magis proprie dicitũ

In primã partem capitis de differentia, continentẽ differentiæ acceptiones, annotatio.

EXPOSITIS duobus primis vniuersalibus genere & specie, ad differentiam transit Porph. quod hæc reliquis duobus posterioribus perfectior & dignior existat, cum essentialiter prædicetur, illa verò accidentaliter omnino de suis dicantur subijcibilibus. Et initio quidem more suo acceptiones aliquot differentiæ præmittit, antequam tertij prædicabilis determinationem aggrediatur. Pro quibus aduertendum, nomen differentia nõ abstractiuè hic sumi, pro ipsa videlicet diuersitate, seu differendi respectu, licet ita primo aspectu videri possit, sed concretiuè pro forma qua aliquid differt. Etsi enim quæ de differentia a Porph. traduntur, vocibus etiam signisque non absurdè applicentur, longè tamen conuenientius rebus ipsis attribui putamus. Quis autem sit respectus principaliter hoc nomine (Differentia) significatus, an rationis, an realis, Item in quo fundetur, & ad quid terminetur, curiosis inquirendũ relinquimus. Neque enim nostrum est, huiusmodi quæstiunculas exactius excutere, quarum intelligentia ex alijs pendet, iuuentutisque instituendæ captum excedit. Sed nec illam contentionem magni ponderis esse arbitramur, An differentia vniuocum sit ad tres hasce acceptiones, an æquiuocum, atque hoc an a casu, an a consilio, vt quibusdam videtur. sunt enim hæc ferè arbitraria, & parum vtilitatis continere videntur. Certum est, communem aliquam rationem siue essentialem siue accidentalem reperiri posse, in qua tres hæ acceptiones conueniant, atque ita nihil vetare, quin aliquando quodammodo vniuocè nomine differentiæ significetur, licet interim æquiuocè nomen illud accipi contingat, ad hanc aut illam dumtaxat acceptionem significandam.

Quomodo nomẽ differentiæ sumendum.

Quid differentia.

Differentia igitur generaliter dicta, est forma quæuis, siue communis, siue singularis, positiua, priuatiua, aut negatiua, absoluta, vel respectiua, qua aliquid ab alio aut seipso differre dicimus. Dictum est forma) Nam partes integrales, item genus ac species, aut alia his similia, quibus nonnunquam vnum ab altero differre dicitur, non admittuntur esse differentiæ. Dicitur autem aliquid per formam dupliciter differre ab altero. Vno modo, quando talis forma illi conuenit, non alteri, siue ad præsens tempus comparatio fiat, siue ad præteritum aut

futurum

futurum, Hoc modo homo, rationabilitate differt a bruto animali. Et hoc fundamentaliter ſeu intrinſecus differre vocatur. Altero modo aliquid per formam differt, quando ipſi forma non cõpetit, ſed alteri, quomodo brutum ab homine differt rationalitate. Atq; hoc extrinſecus & tanq̃ terminũ, non vt fundamentum, differre aiunt. Pari modo declarandũ, quomodo idẽ a ſeipſo differre dicatur ratione diuerſorum temporum. Sufficientia in hunc modũ a nonnullis declaratur. Quęcunq; enim differunt, aut eſſentiali, aut accidentaria differentia differunt, Si eſſentiali, ea erit magis propria, ſin accidentali, aut ergo inſeparabili, & eſt propria, aut ſeparabili, & vocabitur communis. Aliam, quæ ex Boetio colligitur, breuitati ſtudentes omittimus, hoc tamen admonemus, quòd in huiuſmodi rationibus non oportet ſemper conuertibilitatem exigere, ſed ſatis eſt in pleriſq; rem ita habere. Tres autem prædictas acceptiones non ſub nomine differentiæ, ſed differentis deſcribit & explicat Porph. propterea q; hoc notius ſit, & cum altero per omnia connexum. Ex communis differentis ergo definitione, hãc differentiæ cõmunis deſcriptionem colligere licebit.

Quid differentia cōis.

Differentia cõmunis eſt forma, qua tanq̃ alteritate quadam, aliquid differt quocunq; modo, vel a ſeipſo, vel ab alio, vt ſeſſio, curſus, quies, albedo hominis. Per alteritatem intelligimus, quãlibet formam facilè a ſubiecto ſeparabilem, non tantum ratione atq; intellectus cogitatione, ſed & reipſa, quales ſunt iam enumeratæ. Particula (quocunq; modo) non ad alteritatem quandam applicanda eſt, ſed potius ipſam per id quod ſequitur explicari dicemus, puta vel a ſeipſo vel ab alio. Alijs tamen ſecus videtur, volentibus ea indicari, quòd in quolibet prædicamento huiuſmodi communes differentias eſt reperire. Appellata eſt autem differentia communis, non quòd alias ſub ſe complectatur & contineat, ſed quòd frequens admodum ſit & varia, quodq; per eam vulgo homines rerum diuerſitatem accipere ſoleant. Ex quo etiam facilè fuerit intelligere, cur reliquæ alia propria, alia magis propria nominentur.

Quid ꝓpria differentia.

Differentia propria eſt inſeparabile accidens, quo alterum ab altero (intellige) vel a ſeipſo differt, vt naſi curuitas, albedo cygni, riſibilitas hominis. Nomine accidentis, hoc loco omnes formæ non eſſentiales intelliguntur, etiã ipſæ propriæ paſſiones. Inſeparabile accidens eſt, quod a ſuo ſubiecto aut nulla ratione, aut certè difficulter poteſt ſeparari.

Obiectio.

Si inſtes, naſi curuitas facilè a ſuo ſubiecto videt ſeparari, cũ videlicet quis naſum curuum diuerſam in partem vi premit, ergo malè a Porphy. inter proprias differentias recenſetur.

Solutio.

Reſpondebitur, per naſi curuitatem non tam figuram ipſam curuam ſeu obliquitatem hoc loco accipiendam eſſe, quàm huius ipſius cauſam, quæ eſt certa quædã diſpoſitio qualitatum, ceſſante violẽtia, naſum ipſum in priſtinã curuitatem ſtatim reducens. Hanc autem conſtat difficulter a naſo eſſe ſeparabilem. Nam vt eleganter ab Horatio dictum eſt,

Naturam expellas furca, tamen vſq; recurrit.

Aut ſi per curuitatem ipſam figuram accipere placeat, definiendum erit accidens inſeparabile eſſe, quod aut ſecundum ſe, aut ſecundum ſuam cauſam, difficulter aut nullo modo a ſubiecto ſeparari poteſt: quod de cauſa ſufficienti & accidentaria ipſi ſubiecto intelliges, ſi frigus reſpectu aquæ inſeparabile accidẽs eſſe fateri voles.

Quid magis propria.

Differẽtia magis propria eſt ſpecifica differentia, qua alterum ab altero differt, vt rationalitas. Accipitur autem ſpecifica differentia duobus modis. Vno quidem denominatione ſumpta a ſpecie ſpecialiſſima, pro ea quæ ſpecialiſſimam ſpeciem immediatè conſtituit, vt eſt rationale ſecundum veritatem, licet non ex ſententia Porphy. Hoc modo ſumitur differentia ſpecifica, quando contra genericam diſtinguitur. Altero verò modo denominatione a ſpecie ſubijcibili deriuata, pro ea quæ ſpeciem ſubijcibilem aliquam, ſiue ſubalternam, ſiue ſpecialiſſimam conſtituit, quo modo accepta, genericam complectitur ſub ſe, & ita in hac definitione ſumenda eſt.

Dictarũ differẽtiarum diſcrimina & cõſenſus.

Intereſt autem inter duas præcedentes & hanc tertiam differentiæ acceptionem, In primis quòd ſemper poſitiua ſit forma, nonnunq̃ priuatiua aut negatiua. Secundò, quòd illis ſingularibus formis eſſe liceat, hæc verò ſemper communis ſit & vniuerſalis, vt ex Porph. verbis ſatis liquidò poteſt conſtare. Si quis tamen oppoſitum dicere malit, non admodum cum hoc contenderimus. Tertiò, quòd per differentiã magis propriam, nunq̃ aliquid a ſeipſo differre poſſit, in ordine ad quodcunq; tempus ſumatur, quia eſſentialis eſt. Eſſentia autem rei permutari non poteſt vnquã. Cuius oppoſitum in alijs acceptionibus, quæ accidentariæ ſunt, eſt dictum. Aſſignat quoq; Porph. vnam inter haſce acceptiones conuẽnientiam, & differentiam triplicem. Conueniunt enim omnes in hoc, quòd ipſæ alicui aduenientes, id eſt, inexiſtentes, ipſum aliquo modo diuerſum efficiunt. Sed illud primum intereſt, quòd communis & propria alteratum ſolum faciunt, hoc eſt, tantum faciunt ſuum ſubiectum differre generaliter, ita vt non eſſentialiter differre faciant. Magis propria facit aliud, hoc eſt, ſubſtantialiter diuerſum, ſpeciemq; quæ vnã

per ſe

per se est, constituit. Quæret fortasse quispiã, qualis differentia sit rationalitas respectu animalis quod diuidit, & ad esse specificum contrahit. Respondere solent, communem esse differentiam, perque eam animal communiter differre. Nos autem Alberti, Thomæ, aliorumque veterum sententiam sectantes, probabilius putamus, rationale sic comparatum neque communem esse differentiã neque propriam. Hi enim omnes vnanimi consensu pernegãt rationale respectu animalis esse accidens separabile aut inseparabile. Sed neque specifica differentia esse videtur, cũ nõ constituat animal, neque definiat quę huiusce differentiæ propria sunt officia. Erit ergo reductiuè differentia magis propria, eo quòd animali aduenien, ipsum ad certam speciem cõtrahat. Idem videtur iudicium habendum de formis physicis & indiuiduis differentiarum.

Quæstio. Responsio. Albertus. Thomas.

Secunda differentia inter dictas acceptiones innuitur, quòd communis & propria simpliciter & tantũ differentiæ vocantur, atque hoc propter imperfectionem ipsarum, quemadmodũ animalia bruta, sine addito vulgò vocamus animalia, quo nomine si hominem aliquem voces, iniuriã fortasse ac contumeliã intulisse videaris, non quod quis inficias ire possit, se animal esse, sed quia nobilius quiddã se esse cognoscit, quàm vt ea appellatione contentus esse debeat. Magis propriç autem differentiæ specificę appellantur, quòd sanè grandis earũ præ cęteris indicatur eminentiaque perfectio. Tertiam ex ipso autore satis procliuè fuerit intelligere.

Differẽtiaꝝ alia est separabis. lis.

In secundam partem de differentia, complectentem differentiæ tres diuisiones, annotatio.

ENVMERAT tres differentiæ diuisiones, quodam ordine sese ad inuicem habentes. Primæ diuisionis diuisum est differentia generaliter sumpta, vt omnes ante enumeratas acceptiones comprehendat. Hæc autem diuisio cum sequentibus, modò nihil intelligas, est accidentis in accidentia (licet quibusdam aliter visum fuerit) quod facilè cognosceretur, si quis diuisi & membrorum diuidentium rationes, mutuasque habitudines diligenter excusserit atque contulerit. Neque in huiusmodi accidentarijs diuisionibus, quicquam incommodi euenire arbitramur, si aliquando diuidentia membra alteri a diuisõ conuenire probentur, cum istud solũ in per se diuisionibus exigatur. Sunt tamen qui huic qualicunque incõmodo occurrere volẽtes, diuisum in membris seduló repetant, id quod satis sit semel admonuisse. Nam & alibi frequẽter incidet. Quæ sint differentiæ separabiles, quæ inseparabiles, præcedenti annotatione expeditum est. Differentiæ per se a quibusdam describuntur esse essentiales, ab alijs quę primo modo per se ab Arist. in posterioribus Analyticis assignato differentibus competunt, sed hæc in idem redeunt. Nam risibile per se quidem secundo modo conuenit homini, sicut & cæteræ passiones suis subiectis, sed non primo modo, cum non ingrediatur eius essentialem definitionem, quæ ex genere & ex differentia per se constare debet. Erit ergo risibile, differentia per accidens, quemadmodum simum, aquilinum, & album. Secundam differentiam seu separationem differentiarum per se & per accidens referunt Boetius & Albertus ad eas per se differentias, quæ ad substantiam prędicamentum prius assignatum spectant. Nobis tamen magis probatur aliorum sententia, ea quę hic dicuntur, de cuiuslibet prædicamenti differentijs per se ac generibus, quatenus talia sunt, intelligentium. Nulla enim omnino per se differentia, neque vllum genus, neque vllum esse, seu quiditas rei, de his respectu quorum est huiusmodi secundum maius aut minus prædicabitur. Eius causa est, quia magis & minus suscipere, ex indiuiduorum principijs, gradibus formæ singularis, aut maiori penitiorique in subiecto inhæsione prouenire debet, a quibus omnibus differentia per se, genus, ac ipsum esse ãbstrahunt, vt vna albedo non est magis disgregatiua visus, quàm altera, neque hoc album magis coloratum aut album est illo, si naturam aut essentiam ipsam spectemus, & non particularium albedinum maiorẽ vel minorem intensionem. Per esse autẽ vniuscuiusque, definitionẽ essentialem intellige, quæ ideiro vna ac eadem esse dicitur, quia omnibus quibus essentialis est, æqualiter & non secundum magis & minus conuenit. Ex eo autem rectè probat Porph. neque genus, neque differentiã magis & minus suscipere. Nam si altera definitionis pars magis aut minus susciperet, ipsa quoque definitio idem pateretur, cum (vt dici solet) effectus sequatur debiliorem partem suæ causæ. Illud nõ omittendum est, posteriorem huius discriminis partem particulariter tantũ veritatem continere. Non enim verum est, omnes differentias per accidens intensionem suscipere aut remissionem, vt constat de quantitatibus, figuris perfectis, & multis relationibus. Insuper propriæ passiones (quę essentiam ipsam quæ in indiuisibili cõsistere dicitur, sequuntur, ex eaque inseparabiliter manant) magis ac minus suscipere non possunt, vt vnus homo non magis risibilis est altero, teste etiam Porphyrio in communitatibus vniuersalium, & ita in alijs. Quod si nonnunquã huius oppositum, apud Albertum aut alium quempiam reperiatur, id ad actum

Prima differẽtiæ diuisio.

Secunda differentia. Boetius. Albertus.

actum quem huiuſmodi aptitudo reſpicit, aut ad materiæ diſpoſitionem, non ad ipſam aptitudinem ſecundum ſe referendum eſt, ſi eorum autoritatem inuiolatam tueri quis volet. Aquilinum, ſimum, coloratum, aliquo modo intendi & remitti volunt, quòd illa tantum in ſuis cauſis intentionem ſuſcipiant, & remiſſionem. hoc verò tantum ratione inferiorum ſuorũ, videlicet albi aut nigri, ſecundum magis & minus prædicetur. An hæc ita ſe habere neceſſe ſit, non eſt præſentis loci diſcutere. Tertia diuiſio ita accipienda eſt, vt membra diuidẽtia non re ipſa ſint oppoſita, ſed tantum ratione. Nam omnis differentia diuiſiua, conſtitutiua eſt, & contra, ſed non reſpectu eiuſdem. Eſt enim generis diuiſiua, & conſtitutiua ſubiectæ ſpeciei. Differentiæ per ſe multa ſunt officia, quorum duo hac ipſa diuiſione indicãtur. Primò enim genus ipſum diuidit, generiſq; poteſtatem contrahit. Atq; hinc diuiſiua vocatur. Secundò cum genere ſecundum poteſtatem contracto ſpeciem conſtituit, & ab hoc conſtitutiua ſiue ſpecifica nominatur, tanq̃ a digniore officio, quàm ſit, genus ipſum partiri ac diuidere. Tertiò, ſpeciem conſtitutam eſſentialiter ab alijs quibuſq; differre facit, quare & magis propria differentia appellatur. Quartò de ſpecie conſtituta in quale eſſentiale prædicatur, a quo prædicabilis differentia dicitur, & vt talis eſt, ſpecies eſt vniuerſalis, ob cuius pleniorem cognitionem, alia omnia quæ ad differentias pertinent, a Porphyrio ſunt pertractata.

Diuiſio tertia. Differẽtię per ſe officia.

In tertiam partem capitis de differentia, differentiæ definitiones complectentem, annotatio.

PRO exacta eorum quæ hoc capite traduntur intelligentia, plurima annotanda forent, iuuentutis nouiciæ captum excedentia, quæ breuitati ſtudentes ſuis locis conſulto reſeruauimus. Primam autem differentiæ definitionem ſic explicamus. Differentia eſt res vniuerſalis, quam ſpecies aliqua ſubijcibilis, eſſentialiter ac formaliter includit, ſed nullum genus eiuſdem ſpeciei, ſiue propinquum, ſiue remotum, vt homo rationalitate abundat ab omni ſuo genere. & animal ſenſibilitate, atq; ita in alijs. Eſt enim homo per rationalitatẽ ipſam, quam tanq̃ partem eſſentialem, formalem, atq; determinantem, neceſſariò includit, Id quod de nullo ipſius hominis genere verè dixeris, vt quorum vnumquodq; ſine rationalitate exiſtere poteſt. Definitur autem hac definitione, differentia magis propria, inquantum conſtitutiua eſt ſpeciei. Nam aliæ differentiæ quæ communes & propriæ dicuntur, ſicut a philoſophico inſtituto alienæ ſunt, ita hac definitione minimè continentur, neq; per eas ſpecies ipſæ ſunt quod ſunt, ſed ſpeciebus antè exiſtentibus adueniunt & accidunt, quare non eſſentiales, ſed accidentales vocantur. Reijciuntur & genera a definitione, quia non formales, ſed materiales ſunt partes cõſtitutarum ſpecierum. Similiter & formæ Phyſicæ, quę non ſola cogitatione, ſed reipſa a ſpeciebus differunt, ideoq; definitione differentiæ non continentur. Loquimur enim hic de partibus metaphyſicis, quarum compoſitio tantum ſecundum intellectum ſpectanda eſt. Illud verò negligendum non eſt, quemadmodum dupliciter aliquid habere dicitur quippiã, actu videlicet ac poteſtate, & dupliciter quoq; vnum ab altero per aliquid abũdare. Abundat enim genus poteſtate a quauis ſua ſpecie, ſpecies verò actu a genere. Sed quia poteſtate abundare non propriè abundare eſt, quemadmodum nec propriè diues eſt, qui diues tantum eſſe poteſt, ideo ſimpliciter pronunciatum eſt a Porph. ſpeciẽ a genere abundare per differentiam, non econuerſo. Circa obiectionem autem ſeu dubitationem, quam ſibi facit Porph. aduertendum eſt, quoſdam Peripateticos (vt notat Albertus) quæſtionem iſtam, ad genus cauſæ efficientis retuliſſe, fortaſſe quòd aduerbium (vndè) talem cauſam indicare conſueuit, ſicut in definitione cauſæ efficientis, quæ eſt apud Ariſt. ſecundo Phyſicorum. Verùm hic ſenſus & falſus eſt, & ad præſentem locum non accommodus, Mox enim ſequitur, Neq; ob hoc ex non ente aliquid ſit) quod ſanè omnes ad ſubiectum materialeq; principium referunt. Falſus eſt etiam, Nam ſecundum probabilem opinionem Alberti & Thomæ, genus & differentia, verè vna res ſunt, cauſam autem efficientem a ſuo effectu reipſa diuerſam eſſe oportet. Deinde ſi inter ea huiuſmodi diuerſitas admittatur, illud certè inficiari non poteſt, naturam genericam ad differentiam, vt materiam ad formam ſe habere, atq; vt imperfectum quoddam ad perfectum. materia autem formæ non eſt cauſa efficiens, neq; perfecti imperfectum. Quare non de efficiente, ſed de materiali principio intelligenda eſt dubitatio.

Primæ finitionis differentiæ explanatio.

Albertus.

Obiectiõis Porphyrianę explicatio.

Albertus. Thomas.

Si roges, quod ergo ſit ipſius differentiæ principium effectiuum? Reſpondebitur, eam eſſe cauſam efficientem differentiæ, quæ indiuiduum in quo differentia continetur, efficit atq; producit. Ab eadem enim cauſa effectiua, indiuiduum & indiuidui ſuperiora omnia ſuam accipiunt exiſtentiam. ſimili modo de cauſa finali iudicandum. Differentiæ autem, cum ſimplex actus ſit, nulla eſt omnino aſſignãda cauſa formalis. Dubitatio autẽ iſta, cuius de intellectu

Quęſtionis incidentis dilutio.

hactenus

hactenus est disputatū, hunc in modū fusius explicatiusq; proponi poterit. Si quemadmodū in prima cōtinetur definitione, species differentiā abūdat a suo genere, vndenā ergo habēt species hasce differētias? Neq; enim eas a genere accipere posse videtur, cū eis ipsis a genere dictę sint abundare, nulliq; opposita siue repugnantia simul inesse queant. Sed neq; a seipsis illas habēt, cum nihil semetipsum constituere, ac seipso prius esse valeat. Neq; verò a nullo eas haberi rectè dixeris, quia ex nihilo seu non ente nihil fieri, omnium philosophorū consensu iam olim est receptum. Apparet ergo, aut species omnino differentias non habere, aut certè eis nō abundare a suo genere. Hanc controuersiam ex Peripateticorum sententia ita tollit Porph. vt dicat genus ipsum, actu quidē (qui Græcis ἐνέργεια vocatur) istas differentias, quas in suas fundit species, nō habere, sed potestate siue potētia tantū. Quemadmodū enim homo ridēs, ab eo qui potest ridere differt actu, & si accidentaliter, sic homo rationalitate abundat actu ab animali. Necessariò enim & essentialiter homo est rationalis, animal verò ipsum non statim rationale esse oportet, quia vt irrationale sit, etiam potest fieri. Cōtinet ergo genus potestate differentias diuersas, quia ex natura generica, in qua inchoatæ modò erant, oriuntur, propriasq; distinctim sortiuntur actualitates. Non autem ex dictis consequens esse oportet, quippiam ex nō ente fieri, aut opposita eidem inesse, eo modo quo id absurdum habetur, nēpe actu. Nam potentias contrariorum in eodem simul constare, nemo est qui addubitet. Simul enim eodēq; momento, corpus aliquod potentiam habet vt album sit, atq; etiā vt sit nigrum, licet fieri nequeat vt simul & album sit & nigrum. Obijcies forsitā. hæ simul veræ sunt, animal est rationale, animal est irrationale, ergo genus differentias suas non tantum potestate, sed & actu habet coniunctas. Respondet Caietanus, duo opposita eidem actu inesse, dupliciter intelligi. Aut enim per coniunctionis modū, quo modo accidentia suis subiectis coniuncta sunt, & forma materiæ, & quoduis aliud, quod extra substantiam est, rei cui inest, ipsumq; in formando determinat. Hoc modo opposita non posse inesse eidem simul; veritatē continet tantūmodò de illo quod est idē numero. Idem nāq; genere, & specie, possibile est taliter opposita simul habere, vt homo albedinē habet & nigredinem, animal rationalitatem atq; irrationalitatem. Aut per modū inclusionis, sic vt opposita in illius ratione includātur. Hoc modo impossibile est, idem siue numero, siue specie, siue etiā genere, actu habere opposita, neq; sic genus differētias diuisiuas habere dicitur, sed tantū priore modo. Ab hac solutione nō multū diuersa est illa, quæ dicit duas propositas propositiones, pro diuersis subiecti suppositis verificari. Nec item alia, concedens rei quæ vt per intellectum cōcipitur eadē est, posse adiungi diuersas determinationes, seu res intellectas determinantes, cui rei sic eidē, re vera tamen diuersa & multa respondent in his reperta, quibus tales res determinantes insunt, vt animalitas secundū intellectum vna dumtaxat est, in rebus tamen ipsis diuersæ pluresq; sunt animalitates, vna in homine, in quo ei coniuncta est rationalitas, altera in bruto, in quo irrationalitas. Cū dicitur, Quale autē animal, &c̄. non est arbitrandū, totum istud (animal rationale mortale) vt differētiam assignari, sed idcirco appositum esse genus, vt tātò plenius interrogationi satisfieret, adderetur q; differentiæ, id ipsum a quo profluxit atq; dependet, nempe genus diuisum, quo sublato tolluntur omnes subiectę differentiæ. Secunda differentiæ definitio est. Differentia est, quæ de pluribus specie differentibus, in eo quod quale est prædicatur, aut vt (habet Boetius) in eo quod quale quid est. Quam constat in primis non omni simpliciter differentiæ assignari, cum Aristoteles & eius cōmentator, in Metaphysicis asserāt, differentiā speciei specialissimæ immediatè constitutiuā cum specie specialissima cōuerti oportere, quod etiam verā differentiæ rationem intelligentibus certissimum est. Difficultas ergo magna ipsos agitat cōmentatores, quodnam assignandum sit huic definitioni adæquatum definitū. Nonnullis visum est id esse, differentiam magis propriam nominatam simplici nomine, omnemq; huiusmodi, secūdum sententiam Porphyrij de differentibus specie prędicabilē esse contendunt. Nam rationale, de quo minus videbatur Platonicis, de homine ac deo tanq̄ diuersis speciebus prędicatur. Non minus probabilis videtur illa vulgaris sententia, iam olim in his scholis recepta, dicens hac definitione tantum describi differentiam genericam, seu vt verbis Arist. in Topicis vtamur, generalem, quatenus est prędicabilis. Illud enim exploratū certumq; est, nec vllo pacto dissimulandum, non semper (inquam) ab autoribus definitiones ita generatim assignari, vt omnibus omnino sub definito contentis conueniāt, sed & sic nonnunq̄, vt penè omnibus, potioriq; competant parti. Quæ in hac definitione ponuntur, ex præcedentibus manifesta sunt omnia, vltima tantum particula excepta. Pro qua aduertendum, Quale, sicut & qualitatem, variè ab autoribus accipi. Prima enim significatione solum pro ea forma sumitur qualitas, quæ ad

Obiectiōis solutio. Caietanus.

Secūda differētię finitio.

Qualitatis ac qualis diuersæ acceptiones.

apud Aristot.sub se propria primo & secundo modo continere,& ita Porph.distinctius explicare voluisse,quæ apud Arist. breuioribus terminis conclusa erant, quod certè nequaq̃ vitio verti debet,imò nec omnes assignauit proprij acceptiones,si rem ipsam diligentius libeat excurrere. Nam proprium prædicabile, quod maximè ad rem faciebat,silentio pertransijt, de q̃ postea disputabimus. Prima proprij acceptio,quæ est, Propriũ est quod alicui soli speciei accidit,& nõ omni,sic est explicanda. Proprium est vniuersale,quod soli alicui speciei specialissimæ,sed nõ omni,id est,nõ toti,siue non in vniuersum accidit,hoc est, accidẽtaliter inesse, siue accidentaliter de ea natum est prædicari. Malè enim a nonnullis asseritur,verbum accidit,(si modò prędicationẽ,quæ vocabulorum est,denotat)necessariò actũ signare debere,non aptitudinẽ, vt facilè fuerit declaratu. Ex qua interpretatione statim manifestũ est intelligẽti, quo pacto hinc excludenda sunt genera respectu suarũ specierũ,& alia similia. Item partes integrales. Siquidem ista omnia non tanq̃ formæ accidentales insunt. Dictio exclusiua (soli) non omnia alia a specie,id est,quæ non sunt ipsa species,excludere credenda est,sed tantummodo illa quæ a specie omnino sunt aliena atq; separata, qualia non sunt eius indiuidua, & partes essentiales seu integrales,vel etiã naturę superfluitates,vt capilli,& vngues. Hoc autem ideo admonendum duximus,ne quis ob hoc medicinam non soli homini accidere cauilletur, quòd etiã animę,atq; intellectui eius accidentaliter insit. Neq; istud in hac solummodo intelligi volumus acceptione, sed in alijs sequentibus. Datiuus (speciei) particulariter seu determinatè accipitur, vt arguit signum (alicui) quod præcedit. Nomen autem (omni) non signũ est vniuersale seu distributiuum, sed significatiuè accipitur pro toti seu integræ. Tunc autem quippiam toti speciei accidere dicitur, quando omni eius indiuiduo accidit. Neq; tamen ob hoc substantiuum adiectiui (omni) erit hæc dictio indiuiduò, sicut nõnullis visum est. Hoc enim nimis longè petitum videtur, cũ non aliã (vt arbitramur) inuenirent euadẽdi rationẽ. Pro nobis facit, atq; adeo conuincit, quod Boetius dicit, propriũ secundo modo esse, quod huiusmodi est, vt omnem quidem speciẽ contineat atq; transcendat, manifestè videlicet nomẽ (omne) ad speciem referens, nõ quidem vniuersaliter acceptũ (sic enim falsissimum foret quod dicit) sed vt modò diximus. Alij huiusmodi particulas pro aduerbijs accipere consueuerunt, vt omni idem valeat, quod vniuersaliter affirmatiuè, & in cæteris proportionabiliter. Sunt autẽ exempla primi modi, medicina, grammatica, geometria, cęteræq; disciplinæ, studio atq; labore ex præcedentibus operationibus cõparatæ. Scientias nanq; infusas, quas possident angeli, specie fortassis discrepant ab humanis. Atq; huiusmodi quidem, propria sunt homini secundum animam, alia verò secundum corpus, vt habere actu duas manus, habere aures immobiles. Siquidem omnia alia animalia quæcunq; aures habent, eas moritare possunt. Quęcunq; hoc modo propria sunt, in vniuersum vera sunt accidentia prædicabilia, & proprij prędicabilis rationem habere non possunt, respectu eorum quibus sunt propria.

Prima.

Boetius.

Secundam acceptionem, quæ est. Proprium secundo modo est, quod omni & non soli accidit, sic declaramus. Proprium est vniuersale, quod accidit alicui speciei toti, hoc est, integrę, ita vt omni eius indiuiduo, tẽpus a natura determinatũ habenti, cõueniat, sed nõ soli, vt aptitudo ad habendũ duos pedes cõparatione hominis. Addita est vniuersalitati illa restrictio (tẽpus a natura, &c.) quia nigrũ respectu corui, & albũ cõparatione cygni, hoc modo ꝓpria ab autoribus asserũt, cũ tamẽ nec pulli cygnorũ albi sint, nec coruorũ planè nigri. Hęc ꝓpria secũdo modo, si aptitudines sint cõnaturales, ex speciei essentialibus principijs manãtes, atq; productæ, vera erũt propria prædicabilia, respectu eorum subiectorum, quibus secundo modo sunt propria. Si autem formæ accidentales fuerint, non essentiam ipsam sed indiuidua consequentes, vt sunt quãtitas, & color respectu hominis, albedo respectu cygni, talia vera erunt accidentia, neq; proprij prædicabilis vnq̃ suscipient rationem. Proprij tertia acceptio, quę est huiusmodi. Proprium tertio modo est, quod soli, omni, & aliquãdo accidit, ex duabus præcedẽtibus manifesta esse potest, dẽpta vltima particula, videlicet (aliquãdo) quã omnes penè expositores accipiũt, vt idem valeat quod aliquo tempore, & aliquo non. Qui enim particulariter aliquid pronunciat, vniuersale solet excludere, licet tamen id vbiq; non sit necessarium. Exempla sunt, vt canescere respectu hominis, quia soli, & omni homini aliquando accidit, nempe in senectute, si ad eam perueniat. Sic enim sub hypothesi, siue suppositione quadam intelligi debet, quod dicitur, proprium tertio modo speciei omni conuenire, si videlicet ad tempus a natura determinatum pertigerit indiuiduum. Quòd si qua fuerint, ad quę natura nullum tempus definierit, & tamen omni & soli accidãt, sed non semper, fatebimur ea quoq; tãtisper propria tertio modo esse, quàm diu sic sese res habuerit, vt si omnis & solus homo curreret,

Secunda.

Tertia.

currere proprium foret tertio modo comparatione hominis. Quibus verò natura certum aliquod tempus determinauerit, ea perpetuò propria tertio modo permanere cõcedimus, qualia sunt, canescere & pubescere respectu hominis, quorũ hoc in iuuentute, illud in senecta homini aduenire solet. Dicet fortasse quispiã, videmus etiã iuuenes præ nimio studio, cura, aut læsione, aliòue simili accidente canescere, non ergo certũ tempus præfixisse videtur natura caniciei. Respondendũ est, duplicẽ esse canitiẽ, Vnam quidem naturalẽ, prouenientem ex caloris naturalis defectu, humidũ cerebri humani nõ potentis resoluere atq; digerere, propter quod humidi fit putrefactio, ex qua capillorum prouenit canicies, non omnibus quidem eodẽ tempore seu annorum numero, sed his citius, alijs tardius, prout serius maturiusue calorem natiuũ deficere contigerit, secundũ varias hominũ diuersorum cõplexiones. Altera est canicies accidentalis, non ex caloris naturalis defectu propter ætatem proueniens, sed vel ex nimia solicitudine, aut cerebri læsione, aut alio quopiam casu. De qua non est nobis hic sermo.

Obiectio. *Solutio.* *Duplex canicies.*

Quarto modo id propriũ esse dicit̃, quod est vniuersale, alicui speciei omni, soli, & semper accidens, id est omni tempore accidentaliter inhærens. Hæc autem duplicia sunt. Quædã speciei ipsi conuertibiliter & necessariò accidentia, sic vt saluis essentialibus eius principijs, ne intelligi quidẽ possint abesse, quales sunt omnes & solæ aptitudines, quas alio nomine proprias passiones appellãt, vt risibilitas, flebilitas, & disciplinæ susceptibilitas respectu hominis, & ita in alijs. Alia conuertibiliter quidẽ conueniũt, sed interim cõtingenter siue nõ necessariò, ea inq̃ necessitate quã diximus, vt intellectus siue intelligẽdi potentia homini. Itẽ quantitas corpori, potẽtia nutritiua corpori animato, sensus animali, modò nõ tantũ de specifico proprio loquamur. Atq; hæc etiã sub quarta proprij acceptione secundũ veterũ interpretationẽ continent̃. Fuerunt tamẽ inter recẽtiores, qui sola illa priora hac acceptione cõcludere, & posteriora hæc ad tertiã relegare volẽtes, aduerbia (semper & aliquando) per necessariò & cõtingenter exponerent, sed nõ consentire videtur hæc interpretatio ijs, quæ postea in communitatibus quinq; vniuersalium a Porph. dicuntur, neq; etiã veterũ expositionibus, hic de quatuor proprij acceptionibus a Porph. assignatis.

Quarta. Duplex propriũ quarto modo.

Sed de proprio prædicabili, siue quod species est ipsius vniuersalis, cuius ante meminimus, vehemẽs inter philosophos, & difficilis versatur quæstio. Nõ nullis sanè placet, propriũ prædicabile non aliud esse, q̃ proprium quarto modo. Hicq; proprium ab accidente hoc discrimine separant, q; illud conuertibiliter, hoc verò nõ conuertibiliter, vtrũq; tamen accidentaliter prædicetur. Itaq; risibile respectu hominis propriũ esse inter ipsos cõuenit, sed respectu Ioãnis, cũ quo non cõuertit̃, accidens esse volũt. Alij, quorũ sententiæ magis accedimus, propriũ quarto modo vt tale est, vniuersalis speciẽ non esse dicũt, neq; hoc inter propriũ prędicabile & accidẽs interesse, q; alterũ conuertibiliter, alterũ prędicetur nõ conuertibiliter, sed aliud quiddam, Quod sic ostendere credunt. Id quod proprium est quarto modo, non est vniuersale comparatione illius, cui sic est proprium, ergo proprium quarto modo non potest esse vniuersalis species. Consequentia est manifesta, quia li duorũ relatiuorum vnũ ad alterum se habet vt species ad genus, oportet nõ solum superius vniuersaliter de inferiori verè prædicari, sed necesse est, vt cuiuscunq; respectu inferius de aliquo dicitur, illius etiam cõparatione superius de eodem verificetur, quẽadmodum in quarto Topicorum Arist. docet, & exẽplis haud difficulter ostenditur. Antecedẽs autẽ probant. Nam nomen & ratio vniuersalis exigit, vt ipsum ad plura de quibus prædicabile est comparetur, aut certè illorũ aliquod. sed quod cum aliquo conuertitur, non potest ad illud tanq̃ aliquod plurium, de quibus dicatur comparari, quandoquidem ipsum minimè excedit, neq; aliud quicquãm extra ipsum complectitur, non potest ergo quicq̃ respectu eius cum quo conuertibile est, veram vniuersalis rationem obtinere. Quare neq; differentia vniuersale erit, comparatione illius speciei, cum qua cõuertitur, neq; item proprium, sed tantũ comparatione minus communium, siquidẽ vniuersale vt huiusmodi, ad particularia, minusq; communia, non ad cõuertibilia referri debet. Adducũt & alia quædã, quæ breuitatis gratia omittimus. Distinguunt ergo hi ab accidente proprium prædicabile, per necessariò & contingenter prædicari, loquendo de necessitate & cõtingentia, quæ spectantur ex ipsa essentia, non ex indiuiduorum principijs, vt alibi declarabimus. Poteritq; proprium prædicabile in hunc modum definiri. Proprium est vniuersale, quod de pluribus accidentaliter & necessariò prædicatur, vt risibile respectu Socratis, bipes comparatione hominis, hinnibile ad Bucephalum, atq; ita in alijs. Quare patet, nulla propria primo aut tertio aut quarto modo quatenus huiusmodi, hoc est, cõparatione eorũ q̃bus sic propria sunt, esse propria prędicabilia, sed tantũ propria secũdò modo, eaq; nõ omnia, sed quæ veræ sunt aptitudines. Similiter & ea quæ propria quarto modo sunt speciebus, si ad indiuidua

De proprio prędicabili. *An propriũ quarto modo spẽs sit vniuersalis.*

indiuidua referantur earum. Sed dicent forsitan illi, hæc omnino arbitraria & commentitia videri, atq; a Porph. sententia longè alienissima, qui de proprio agens nusq̃ huius necessitatis, per quam ipsum ab accidente distinximus, meminerit. Quibus ex aduerso opponendnm est, nullam etiã Porph. cũ accidentis tradit descriptiones, mentionẽ fecisse eius discriminis, quo ipsi accidẽs a proprio separare nituntur. Quòd si dixerint, satis esse id in proprij definitione fuisse indicatũ, q̃ proprium conuersim prædicaretur, atq; ita contrariũ in descriptionibus accidẽtis subintelligendum reliquisse. cur non & nobis sufficiat, in accidentis definitionibus factam esse mentionem contingentis prædicationis, per quam proprium ab accidente peculiariter distinguitur, hancq; distinctionem satis indicasse autorem, dum in modis proprij solo verbo inest vtitur, hic autem & verbo inest, & non inest. Si quis definitionem Aristotelis e Topicis adduxerit, qua proprium per conuersim prædicari definit, dicendum est, longè aliam rationem esse proprij prædicabilis, q̃ proprij vt est prædicati species, sed de hoc alibi.

Accidẽs est qđ adest.

In caput de accidente annotatio.

Reprehenditur ab Auicenna Porph. quòd de accidente diminutè seu insufficienter tractauerit, omissis eius acceptionibus, quas tamẽ plurimi refert intelligere eos, qui in philosophicis libris instituendi sunt, aut versari solent. Nos igitur, ne eadem de causa accusemur, aliquot accidentis acceptiones seu significationes varias, quibus apud autores sumitur, proponemus. Primùm ergo accipitur a philosophis nonnunq; pro omni eo quod alicui non essentialiter cõpetit, hoc modo, albo accidit homo & rationale. triangulo æquilaterũ. & vniuersaliter omni superiori suũ inferius accidere dicitur. Secundũ hanc ergo significationẽ, etiam substãtiæ accidentia erunt. Secundò sumitur accidens, vt contra substantiã distinguatur, sitq; quæuis forma subiecto alicui inhærens, hoc est, sic illi inexistens, vt cum ipso non efficiat quid vnum per se & simpliciter, sed tantũ per accidens, sic risibilitas accidens est hominis, Item cæcitas, albedo, & hæc albedo. Aliæ sunt formæ, quas dicunt informantes, cum suis substãtijs vnam rem per se componentes, vt omnis forma substantialis respectu materiæ, & differẽtiæ respectu generis. Tertiò, accidens capitur pro forma accidentali cõmuni, quæ non ex essentialibus speciei profluit, sed ex proprijs indiuiduorũ principijs, quæ aliquando variabilia sunt, aliquando ob certã causam variari non possunt, subiecto seu indiuiduo permanente, vt albedo hominis, frigus aquæ, calor ignis, deq; his intelligẽda sunt, quæ hic a Porph. de accidente traduntur. Aduertendum tamen est, vocabulũ accidens pro tali forma accidentali acceptum, duplicem habere posse significationem. Priore modo, vt indicet seu principaliter significet inhærentiam, qua forma ipsa suo subiecto dicitur inhærere seu inesse. Hic respectus realis videtur, & ob hoc non logicæ considerationis, sed metaphysicæ. Secundò, vt significet habitudinem quandam rationis, quæ videlicet intellectus operationem consequi habet. Vt enim cætera vniuersalia, non nisi operatione intellectus, vniuersalis rationem accipiunt, ita & ipsum accidens (modò vniuersalis vera sit species) accipere debet. Et secundum hanc significationem, a Porphy. definitum est accidens tribus definitionibus, quas plurimis rationibus impugnat Auicenna cum suis Arabibus, vt ostendat non rectè a Porphy. descriptũ esse accidẽs. Verùm qui accuratius rẽ expendere velit, facilè deprehẽdet immerito Por. ab istis suggillatũ esse. Prima autẽ accidentis definitio est hæc. Accidẽs est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, quæ hanc habet sententiam. Accidens est vniuersale, quod alicui inhæret subiecto, seu de eo prædicatur, & eidem potest non inhærere, seu de eodem potest verè negari, sine tamen eius corruptione. Cui consentit illud diui Augustini interpretamentum, Accidens est, cuius præsentia subiectum non constituit, & cuius absentia non destruit, vt albedo respectu hominis & cygni, sessio respectu Ioannis, & ita in alijs. Per genus definiti (vniuersale) exclusa sunt a definitione indiuidua, vt hęc albedo, hic cursus. Item cęcitas, nuditas, & alię formę non positiuæ. Huiusmodi enim non concedi solẽt esse vniuersalia. Verba autem illa (adest & abest) quemadmodum ex præmissa interpretatione colligere licet, dupliciter exponi possunt. Vno modo, vt per adesse & abesse intelligamus inhærere, & posse non inhærere, priore quidem verbo actum dicenre, posteriore verò potentiam. Cuius ratio est, quia probabilius putamus, albedinẽ respectu hominis non esse accidens, si nullus omnino sit homo albus, eo q̃ tunc album de homine prædicari non sit aptũ, aduerbio tunc determinãte verbũ prędicari, & non verbũ sit. Omne autẽ vniuersale semper de suo subijcibili prædicabile esse debet. Cui aliter videtur, aliã adhibeat interpretationẽ, si libet. Hic sensus Caietano non placet, Tum primò, quòd intentio secunda, non debeat definiri per accidens reale, Tum secundò, quia multa sunt entia rationis quę accidentia sunt, quibus tamen inhęrere non competit.

Auicenna.

Accidentis acceptiones

Prima.

Secunda.

Tertia.

Duplex accidẽtis tertio modo dicti acceptio.

Auicẽna & Arabes.

Prima definitio accidẽtis.

Caietanus.

competit. His non absurdè respondere arbitramur, quòd licet accidentium singularium realium inhærentia, sit realis, ipsorum tamen communium, seu vniuersalium accidentium, siue ea realia fuerint, siue rationis, non est realis inhærentia, sed tantum rationis, per intellectum illis conueniens, quemadmodum & vniuersalitas ipsa, intellectus sequitur operationem. Nihil enim reale in communibus agnoscimus, quod non etiam competat indiuiduis. Quæ ergo propriè vniuersalibus competit inhærentia, non est alia, quàm rationis: interim tamen non negauerimus, realem indiuiduorum inhærentiam, etiam vniuersalibus, mediantibus illis, conuenire, sicut & grammaticam, & albedinem, aliaque similia. Altero modo per adesse & abesse, idem intelligitur, quod aptum affirmari & negari. Est enim albedo apta affirmari de pariete cui inest, & ab eodem permanente negari, idque quatenus nomine concreto, videlicet album, significatur. Quòd si eam sententiam sequi placeat, quæ tradit, formam non habere rationem accidentis ad ea subiecta, quibus actu non inest, necesse erit verbum adest, propinquam aptitudinem prædicationis denotare, abest verò, remotã seu a longinquo petẽdam. Ea autem vocatur aptitudo propinqua, quæ ad actum reduci potest, nulla in rebus ipsis facta mutatione. Per oppositum facilè intelligitur quæ sit remota. Hic secundus sensus ex priore tanquam causa dependet, eumque includere debet. Accidens enim inhærere subiecto, causa est, cur de ipso natum sit prædicari. Per hanc particulam, exclusa sunt a definitione reliqua omnia vniuersalia. Genera enim & species, & differentiæ, & propria prædicabilia, quatenus talia, aut non inhærent, aut si inhęrent, non possunt non inhęrere, sed semper adsunt, quamdiu subiectum existit, vt facilè fuerit exemplis declarauisse. Excluduntur etiam partes integrales, & alia huiusmodi, vt manus, vnguis, calces respectu hominis. Item rationale respectu animalis, anima comparatione hominis, & vniuersaliter omnis differentia respectu generis, & forma substantialis relatione materiæ. Hæc enim licet aliquo modo adesse concedantur, & possint non inesse saluo subiecto, nullum tamen eorum inhærere dixerit, qui quid inhærere sibi velit, satis cognitum habuerit. Quare non verè quinti prædicabilis tales erunt prædicationes, animal est rationale, materia est animata, id est, anima informata, quamuis ad illas vtcunque accedere fateamur.

Quę aptitudo propinqua, quæue remota.

Obiectio. Sed obijciet quispiam, Multa sunt accidentia, quæ non possunt non adesse seu inhærere subiecto, quandiu ipsum fuerit, ergo eadem ratione qua propria a definitione separantur, plurima etiam excludenda erunt accidentia, quare non rectè videtur Porphyrius accidens definiuisse.

Solutio. Hoc argumẽto permoti quidã eorum, qui inter proprium & accidens solum conuertibilitatis discrimen astruunt, dixerunt primam hanc definitionem de accidente tantum separabili datã esse, atque ob id Porph. diuisionem accidentis statim subiunxisse, vt indicaret, de quibus accipi vellet definitionem. Verùm istorum sententiæ, nõ adeo consentit illud, quod postea a Porph. tanquam solutio huius ipsius obiectionis subditur. (Potest tamen coruus intelligi, &c̃) & apertè aduersatur ipse Boetius, cuius verba, nisi prolixitas deterreret, afferremus.

Boetius. Aliter ergo respondebimus, abesse præter subiecti corruptionem in definitione accidentis, idem valere quod posse non inhærere, subiecto tamen permanente, non quidem simpliciter, sed solum quantũ ad essentiam subiecti pertinet, cui sanè nulla fit iniuria, si quis quoduis accidens a subiecto per intellectum detraxerit, eo quòd nõ essentiam, sed vt iam sæpe dictum est, indiuidualia principia sequatur accidens. Repugnat autem essentialibus principijs, vt quis propriam passionem a subiecto abesse intelligat, quia ex illis tanquam necessarijs causis profluit, eisque inseparabiliter omnino connexa est: constare ergo putamus, nihil incommodi accidere, si hasce definitiones de omnibus simpliciter accidentibus (vti debent) exponamus.

Obiectio. Solẽt hoc loco instantiam inferre de morte, combustione, corruptione, & similibus, quæ accidentia esse conceduntur, & tamẽ non videntur posse adesse & abesse præter subiecti corruptionem.

Solutio. Ad hanc dicendũ, mortem esse vitæ carentiam. Id enim nominaliter mortuum vocatur, quod vita caret, quale est cadauer, vel potius eius materia. Quare nec accidens erit mors, nec vniuersale, quemadmodum nec cæteræ formæ priuatiuæ. Quòd si per mortem mutationẽ aliquam intelligere placeat, sicuti per cætera quæ enumerata sunt, omnia erunt vera accidentia, non quidem eorũ quæ corrumpuntur, sed iuxta Arist. sententiam in primo de generatione, ipsius materiæ primæ.

Obiectio. Quod si vrgeas, ista nõ verè prædicantur de materia, sed de ipsis compositis corruptis. Non enim materia aut generari dicitur aut corrumpi, sed homo, vel ignis, aut alia res naturalis, horum ergo potius quam materiæ videntur esse accidentia.

Solutio. Respondebitur, complura esse accidentia, quæ de suis subiectis non prædicentur, propter solam vocabulorum penuriam ac defectum, quia aut nominibus concretis omnino carẽt, aut si habeant concreta, illa tamẽ non subiectis talium accidentium, sed alijs quibusdam adiunctis imposita sunt. Verbi gratia.

Corrumpi

Corrumpi non de materia, quæ corruptionis est subiectum, verè prædicatur, sed de toto composito, quod est dictæ corruptionis terminus a quo, saltem remotus. Quare neque ob defectum prædicationis de aliquo, efficaciter concludi potest, illud non esse inhæsionis subiectum. Neque ex vera prædicatione formæ accidentalis de aliquo, ipsum esse huiusmodi subiectum. Diuisio accidentis, quam in hoc a Porphyrio inductam esse dicimus, vt datam definitionem omni accidenti conuenire declararet, est hæc. Accidentiū aliud separabile, aliud inseparabile, quę est accidentis in accidentia, & ex prima differentiæ diuisione satis manifesta est. Separabile accidens est, quod per potentiam naturalem a suo subiecto haud difficulter re ipsa separari potest, vt aquæ caliditas, aeris frigus, albedo lactis, ambulatio, somnus, quies, respectu hominis, accipiendo hæc vt sint formæ positiuæ. Nisi velimus non tanq̃ exempla, sed explicandi gratia vt similia quædam veris exemplis, talia a Porph. adducta esse. Accidens inseparabile est, quod re ipsa aut difficile admodum, aut omnino impossibile est, naturali potentia a suo subiecto separari posse, vt ignis calor, aquæ humiditas, albedo niuis. Inter hæc quędam sunt quæ alicuius generis aut speciei omnibus indiuiduis ita conueniunt, vt ab ipsis omnino separari nequeant, vt intellectus ac voluntas respectu hominis, lux solis, calor ignis, sensus comparatione animalis, quantitas respectu corporis. Quædam dicto modo aliquibus, non omnibus certæ speciei indiuiduis competunt, vt nigredo æthiopis, cuius causa aliunde petenda est. Atque in huiusmodi inseparabilibus accidentibus, statim manifestū est, ea non ex essentialibus principijs ortum habere, cùm in Socrate albo, qui eiusdem est speciei cum æthiope, hominis essentia integra consistat, cum negatione tamen huiusmodi accidentis, quod est nigredo. Quædam verò, & si omnibus indiuiduis iuxta communem naturæ cursum conueniant, nonnunq̃ tamen & rarissimè quibusdam deprehensa sunt non competere, qualis est nigredo respectu corui. Si enim corui ouum (vt refert Albertus) argento viuo cum humore viscoso, quale est anseris & cati (quæ frigida sunt animalia) vnguen seu pinguedo, oblinatur, sitque nidus in frigidissimo loco, sicut in summis montibus, ex ouo nascetur coruus albus, qualem se Neapoli vidisse testatur Sipōtinus tempore Calixti pontificis apud Alphonsum Siciliæ regem. De hoc etiam Satyricus, cum ait, Coruo quoque rarior albo. In his rursum constat, accidentis negationem, essentiæ subiecti non repugnare. Verùm vtcunque accidētia re sint inseparabilia, cuncta tamen secundum intellectum possunt separari. Dupliciter autem per intellectum, vnū ab altero separari intelligitur, Vno modo per solam intellectus apprehensionem, qua vnum apprehendere potest, altero non apprehenso, propterea quòd illius rationem seu definitionē non ingrediatur. Hoc modo risibile ab homine separari contingit, sed non animal ab homine. Includitur enim in conceptu hominis, animalis conceptus, atque ex eo erui non potest. Altero modo vnum ab altero separatur per intellectum componentem quidem, quando oppositum vnius de altero enunciat, vt si hominem iudicet esse hinnibilem, coruum albissimū. Diuidentem verò, si vnum ab altero neget, vt si intelligat hominem non esse risibilem, coruum nō esse nigrum. Huiusmodi intellectus componens aut diuidens, dupliciter verus dici esse potest. Priore modo positiuè, absolutè, atque simpliciter. Hoc modo intellectus, coruum esse album aut non esse nigrum, imò posse esse album & non nigrum iudicans, falsus est, simpliciter enim falsa sunt hęc. Nam ab eo quod res est aut non est, oratio vera vel falsa dicitur. & propter nostrum affirmare vel negare, nihil mutabitur in re. Secundò negatiuè & secū dum quid, siue cum addito. Hoc modo dictus intellectus quodammodo verus est, quia scilicet falsus non est, propter subiecti aut eius rationis corruptionem seu destructionem, hoc est, quasi subiecti rationem euertat & tollat. Id quod sanè ex consequenti facit intellectus, intelligens hominem non esse risibilem, vt ex dictis clarum est. Ad hunc sensum subindicandum nō tantum dixit Porph. coruum posse intelligi album, & æthiopem candidum, sed adiunxit præter subiecti corruptionem. Neque rectè notatur ab Arabibus, q vsus fuerit in definitione alia separabilitate, ea videlicet quæ secundum intellectum spectatur, & in diuisione alia quæ est secundum rem. Nam id necessarium fuit. Omnia enim accidentia, in ea separabilitate conueniunt, quæ est secundum intellectum, vti declaratum est. In secunda accidentis definitione, quæ est. Accidens est quod contingit inesse, & non inesse eidem. Inesse & non inesse, bifariam quoque accipi possunt, sicut de adesse & abesse in prima est dictum. Verbum impersonale Cō tingit, contendunt quidam repetendum esse ad verbum non inest. Inter hanc autem & superiorem definitionem hoc discrimen ponit Caietanus, quòd hæc magis expressè accidentis naturam explicare videatur, quod logicam potentiam exprimat per verbum contingit. Addit Commentator, priorem de omni accidente datam esse, hanc de separabili duntaxat. Nos cū Caietano,

Accidentis diuisio.

Accidens separabile.

Accidens inseparabile.

Accidētium inseparabiliū varietas.

Albertus.

Duplex per intellectum dicitur aliq̃ separatio.

Arabes.

Secūda accidētis descriptio.

Cōmētator

Caietanus, Caietano, vtranq; de vtroq; accidente intelligimus, subintelligentes etiam hic illam particulam præter subiecti corruptionem, eo modo quo ante est exposita. Qui opinantur, quicquid est accidens alicuius inferioris, omnium quoq; superiorum eius accidens esse, & insuper cuiuscunq; inferius est accidens, eiusdem etiam omnia superiora illius inferioris accidentia esse, in hisce definitionibus intelligere solent illam particulam, Aut secundum se, aut secundum aliquod suũ inferius, quod an necessariũ sit, ne æquo prolixiores videamur, omittimus discutere.

Tertia finitio accidẽtis Tertia accidentis definitio est. Accidens vniuersale est, quod neq; est genus, neq; differẽtia, neq; species, neq; propriũ, semper autẽ est in subiecto subsistens. Priorem partem intellige hoc modo, Accidens est vniuersale respectu alicuius, respectu cuius neq; est genus neq; species. Idem enim ad diuersa comparatum, genus est & accidens, vt coloratum. species & accidens, vt album. proprium & accidens, vt risibile. differentia & accidens, vt disgregatiuum visus, item continuum & discretum. Illud tamen substantiarum differentijs propriè non accidit. Hi quorum iam meminimus, arbitrantes idem etiam respectu eiusdem genus esse & accidens, vt qualitatem respectu intellectus, addunt, & sub eadem ratione. Definitionem hanc ratione primæ partis reprehendit Auicenna, dicens Porphyr. eadem opera, alia etiam vniuersalia potuisse definire per cæterorum negationem, quod absurdum est. Respondet Albertus, ideo Porphyrium in hunc modum accidens definiuisse, & non reliqua, quod accidens vniuersale sit imperfectum, ac imperfectiorem inessendi & prædicandi modum habens, q̃ cætera, atq; ob id tanq̃ aliorum priuationem per eorum negationes esse definitum, quemadmodũ semper priuatio per habitum definiri debet. Nemo tamen arbitretur, accidens verã priuationem esse, sed ei quodãmodo assimulari. Addit idem, quòd tametsi negatio nihil certi indicat, cum sola est. cum tamen ad ea quæ negat terminetur, aliquo modo notificare potest. Secundam particulam (Semper autem est in subiecto subsistens) impugnat Auicenna dupliciter. Primò, ꝙ accidentia nõ semper in subiecto sunt, cũ ab eo sunt separabilia. Secundò, ꝙ in verbis sit implicatio seu repugnantia. Nam si quid in subiecto est, iam non subsistit. & si subsistit, non potest in subiecto esse. Sed hæc ex crassa, aut supina, aut certè voluntaria quadã ignorantia huius particulæ processisse videntur. Non enim subsistere hic accipitur pro per se esse, quomodo soli substantiæ conuenit, sed vt omnino idẽ sit quod existere, sitq; particulæ sensus, & semper q̃diu est atq; existit, est in subiecto existens, atq; adeo ex huius existentia, suã accipiens. Id intellige in casibus naturalibus, non autem supernaturalibus, qui antiquis non erant cogniti. Habent tamen accidentia, etiam a suis subiectis diuina virtute separata, inclinationem & aptitudinem ad subiecta vt ipsis insint. Non explicant autem definitiones istæ plenã accidentis rationem, quatenus species est vniuersalis, cũ vnius duntaxat meminerint subiecti. sed si accidens, vt vniuersalis species definiendum est, id hoc modo fiat oportet. Accidens est, quod pluribus adest & abest præter subiecti corruptionem, vel (quod in idem redit) Accidens est vniuersale, quod de pluribus accidentaliter & contingenter aptum est prædicari.

Auicenna. Albertus, Auicenna.

In tractatus tertij caput primum, summatim vniuersalium communitates & differentias continens, annotatio.

DEclaratis in præcedenti tractatu singulorum vniuersaliũ definitionibus, hoc tertio tractatu singula singulis conferens, ostendit Por. in quibus consentiant, ac rursus differant dicta quinq; vniuersalia: idq; satis lucidè & prolixè prosequitur, vt non sit operæprecium nos in istis diutius occupari. Si quæ tamen difficilia, aut notatu digna videbuntur, quę diligenti commentatori minimè dissimulanda forent, ea q; breuissimis explanare, ac indicare conabimur. Quod igitur in primo capite dicit, accidens de pluribus speciebus prędicari, non omnino vniuersaliter, sed in plerisq; intelligendum est veritatem continere. Ex fine huius capitis, tanq̃ autoritas quædam celebris allegatur. Accidentia primò & immediatè indiuiduis inesse, secundariò autem speciebus, & alijs superioribus, eo ordine quo in illis includuntur. Quod licet de separabilibus tantum intelligat Aegidius Romanus, nos tamen de omnibus accidentibus communibus, quæ non sunt propriæ passiones, potissimùm si absoluta fuerint, accipiemus, potestq; huius ratio ex eis quæ superius diffusè sunt declarata, facilè reddi. Addidimus potissimũ si absoluta fuerint. quia certũ est, multos respectus rationis ipsis vniuersalibus immediatè inesse, vt sunt relatio generis, totius vniuersalis, partis essentialis, & huiusmodi. Neq; intelligendum est vllo pacto dictum hoc, vt comparatio fiat accidentium communium, seu vniuersalium ad sua indiuidua, quasi immediatius insit Ioanni albedo q̃ hæc albedo. (Id enim planè falsum & impossibile est, cum realis inhęsio in subiecto immediatè singulari accidenti competat) sed comparantur singularia subiecta, sicuti diximus, suis superioribus.

In pri-

In primam partem secundi capitis, complectentem generis & differentiæ communitates & differentias, annotamentum.

PRima communitas de differentia diuisiua intelligitur, & præsupponit, nullam differentiam cum specie specialissima conuerti. Loquitur autem de continentia non secundum actum, quomodo species & genus differentiam continet, sed de continentia secundum potestatem communitatemque seu maiorem prædicationem. In secunda conuenientia, illud de genere vt genus prædicari intelligimus, quod de genere vniuersaliter & necessariò prædicatur, siue id genus sit, siue differentia, siue aliud quicquam. Item illud de differentia vt differentia est prędicabitur, quod ipsi etiam per accidens, vniuersaliter & necessariò cõuenit, vt sensibile, risibile, aptum vti ratione, respectu rationalis. Prima differentia intelligẽda est de proprio specifico, & accidente, quod particulariter alicuius speciei indiuiduis competit. Aliter rectè sic accipi potest, vt solum dicat Porph. ad accidentis rationẽ non esse necessarium, ipsum de multis prædicari speciebus, cũ vni soli conuenire possit, hoc tamen ad generis omnino exigitur rationẽ. In tertia differentia, prius secundo modo accipitur, secundum quem illud prius dicitur, quod ad aliud sequitur, non contra. Neque tantum intelligitur, de singulis differentijs, sed etiã omnibus simul sumptis. Nec dicit Porph. naturam genericam permanere ablatis vniuersis differentijs diuisiuis, sed illam tunc etiam posse intelligi, hoc est, si intelligamus genus non habere in se aliquam suarum differentiarum, ille intellectus non repugnabit principijs essentialibus eius. Sunt enim differentiæ, quasi accidentia quædam generis. Putant etiam nonnulli, ipsum genus re ipsa in indiuiduo vago permanere posse, absque omni differentia, sed hoc non vsque adeo certum est. Differentiæ diuisiuæ, re vera sine genere diuiso existere nequeunt, neque etiã mente ac cogitatione, in quantum diuisiuæ sunt, aut specierum constitutiuæ. Nam fortasse secundum se cogitatione a generibus, quę nec actu nec intellectu in se includunt, separari possent. Quod aduertentes quidam, id quod hic dicitur de differentia concretiuè designata, & vt de specie constituta prædicatur, accipiunt, in hunc modum soluentes eam obiectionem quæ ex anima rationali sumitur, quam nullo animali existente fatemur posse esse. Quinta differentia de genere & differentijs immediatis seu proximis intelligenda est, atque secundum Platonicorum sententiam magis quàm rei veritatem. Neque enim in hac re multum laborandum est, vt Porphyrij autoritatem tueamur.

In secundam partem, continentem generis speciei que communitates & differentias, annotatio.

IN quarta differentia generis & speciei, per differentias proprias intelligit magis proprias, quamuis etiam de proprijs passionibus verum sit quod dicitur. Ex vltima colligere licet errorem illorum, qui tradere solent, animal, si soli sint homines, specialissimum fore, neque amplius genus permansurum.

In tertiam partem, quæ continet communitates ac differentias generis ac proprij, annotatiuncula.

PER prædicationem vniuocam in tertia conuenientia significatur omnis ea, quę nõ est æquiuoca, quomodo vniuocè prædicari omnibus vniuersalibus commune est. Aliter ab Aristotele sumitur vniuoca prædicatio, vt alibi videbimus.

In quartam partem, quæ est de generis & accidentis communitatibus & differentijs, annotatiuncula.

IN prima differentia, de priore quinto modo, qui est secundũ causalitatẽ, sermo est. Omne enim accidẽs qualecunque sit, siue naturale, siue violentũ, a suo subiecto depẽdet, tãquã quędã causa.

In primam partem tertij capitis, continentem communitates & differentias Differentiæ, ad posteriora vniuersalia comparatæ, annotatio.

EX secunda Differentiæ & speciei communitate allegare solent, quòd Socrates semper, siue sit siue non sit, & rationalis est, & homo, occasione (credimus) accepta, ex dictione semper. Verùm huius non meminit neque Boetius, nec Commentator, neque etiã ex Porph. sumitur sufficienter. In sequẽtibus enim dicit, accidens inseparabile semper suo subiecto adesse, vt coruo nigrum, ex quo inefficaciter colligeretur, coruum siue sit siue non sit, nigrum esse. Potius ergo huiusmodi dictum, ex loco Aristotelis in Posterioribus sumptum esse videtur, qui habet, scientiam versari circa ingenerabilia & incorruptibilia, hoc est, prædicationes quatuor primorum prædicabilium necessarias esse, semperque veras, de quo alibi latius. Sed quo pacto hoc verum sit, variæ sunt diuersorum philosophorum sententiæ, neque inter omnes satis cõuenit.

Quidam enim intelligunt, veritatem habere illud, modò subiecti constantia ponatur, vt

Quomodo prædicationes quatuor priorũ prædicabiliũ sint necessariæ.

hæc necessaria est, homo si sit, est animal, Socrates si sit, est rationalis, est homo. Verùm hic modus, cum illa antiquorum autoritate pugnat. Alij in talibus prædicationibus subintelligunt modum (possibile) copulam determinantem, quem in prædicationibus accidentium non intelligendum dicunt, ne etiam necessariæ sint. Sunt & alij qui copulam a tempore absolui dicunt, vt nullum certum tempus designet, sed omne tempus sub disiunctione, siue sit præsens, siue præteritum, siue futurum, siue denique possibile, sed hoc re vera magis est onerare copulam temporibus, quàm eam a tempore absoluere. Antiqui autem, vt Auicenna & alij complures, videntur copulam ita a tempore absoluere, vt nullum tempus nullamque actualẽ notet existentiam, sed tantum nudam prædicati cum subiecto coniunctionem, non quidem secundum existentiam, sed secundum intellectum, in quo nunquã sit prædicatorum essentialium separatio a suis inferioribus, sed manet eorum sempiterna vnio. An autem hi aliquod esse essentiæ ab esse existentiæ diuersum ponant, non est huius loci inquirere. In prima differentia innuit Porphyr. differentiam simpliciter esse qualitatem, essentialem tamen, atque ob id in quale prædicari. Speciem verò esse quale quid, non tamen simpliciter, & solum quale, & ob id hominem non in quale, sed in quid prædicari. Includit enim homo genus quod quid est, & differentiam quæ est qualitas. ex quibus duobus habet vt sit quale quid. Vltima differentia ab Aegidio Romano exponitur de diuersis differentijs, quibus eandem ac vnam reipsa differentiam circũloquimur, ne plures ferè eiusdem rei concedantur. Albertus post Auicennam de his intelligit differentijs, quarum prior vt potentia se habet, posterior vt actus. An hęc rectè dicantur, omittimus discutere. Illud certum est, ad eiusdẽ speciei specialissimæ essentiam constituendam plures cõcurrere differentias, vnã mediatè, alteram immediatè, aut etiam interdum ambas immediatè. Ex speciebus verò specialissimis, nulla species essentialiter componi potest, eo quòd sint actus quodammodo completi, qui ad alterius compositionem contrahi nõ possunt, nisi per indiuiduorum principia. Notat Albertus Porphy. quòd inconsideratè dixerit, ex cuiusdam equæ cum quodam asino permixtione muli generationem fieri. Eundem reprehendunt alij, quia rectè medicus dicitur sanare ægrotum, ergo equa & asinus mulam generant seu producunt. Verùm hæc facilè diluuntur. Singularium enim per se & immediatè sunt generationes, corruptiones, atque operationes. vniuersalibus autem per accidens hęc omnia competunt. Nostro iudicio verius fortasse accusandus est, quòd diuersitatem posuerit inter vniuersalia & singularia, quæ huic proposito non satis conuenit. Non enim particularis equa & quidam asinus, essentialiter & intrinsecus quendam mulum constituunt, sed tantum effectiua sunt principia, atque externa, de quibus in ipsa differentia non agebatur.

Auicenna. Egidius Romanus. Albertus. Auicenna. Albertus.

In tertiã partem, continentem communitates & differentias Differentiæ & Accidentis, annotatio.

Bipes in secunda communitate accipiendum est, vt exemplum sit non accidentis inseparabilis, nam hoc non satis conuenit. Si enim actum significet, iam non erit inseparabile. Sin aptitudinem, iam non accidens erit, sed proprium prædicabile. Accipitur ergo vt sit differentiæ exemplum, quomodo frequenter apud Aristot. sumitur in prædicamentis, pro vera differentia essentiali, licet fortasse non sit. Intelligitur aũt hęc secunda cõmunitas de accidẽte inseparabili, sequente cõplexionem indiuiduorũ omnium certæ speciei, & tali accepto postq̃ in fuerit. Hinc exclusa est instantia de cicatrice, Item de pullis coruorũ, qui nondũ nigri sunt.

In priorem partem quarti capitis, quæ continet communitates & differentias speciei & proprij, annotatiuncula.

IN tertia differentia illud proprium dicitur actu inesse, quod habet suum actum coniunctum aptitudini, quomodo mobile circulariter actualiter semper inest cœlo, non autem homini risibile, quia interdum sola aptitudo ridendi homini inest, & non risus ipse.

In quintũ caput, quod cõplectitur cõmunitates & differentias proprij & accidentis, annotatiũcula.

PRima differẽtia nõ de oĩ accidẽte inseparabili veritatẽ cõtinet, vt ex ante dictis cõstare potest. Quòd autẽ nigrũ inseparabile accidẽs sit carbonis, nõ videt vllo modo cõsentaneũ, cũ videmus carbonẽ incensum, rubrũ apparere, & cādescere. Sed dicendũ est, sensum cùm carbonẽ iudicat esse rubrũ accẽsum, falli. Nõ enim vera ibi est rubedo quę cõspicit, sed phasma potius, seu apparitio quędã falsa, eo quòd particulę ignis in poris carbonis receptæ, rubedinẽ mentiantur. Lucidum enim per nigrum visum, rubrũ apparet, sicut in physicis ostenditur. Eius rei cõfirmatio potest esse, quòd extincto igne, pristinam carbo nigriciem obtinere conspicitur, verùm istud non erat huius loci. Ex differentijs istorum prædicabilium, sumi possunt Maximę confirmatiuæ quarundam argumentationum, quemadmodum traduntur a philosopho in posterioribus libris Topicorum, vndè omnia ferè hæc Porphyrium desumpsisse, verisimile est.

Commentariorum in Isagogen Porphyrij, Finis.

Procemium in Categorias ARISTOTELIS.

ANTEQVAM eorum quæ de prædicamentis non minus grauiter & acutè, quàm succinctè tradit Aristoteles, declarationem aggrediamur. In primis, operis offert sese aperienda intentio, cum alijs nonnullis, quę huiusce disciplinæ tyrunculis, præcognitu videbantur necessaria. Quoniam autē præsentis libri proprium finem, clarè inspicere admodum difficile est, ex toțius logices fine tentandum est eum inuenire. Logica igitur (quemadmodū ipsum nomen satis indicat) quum sit ars quędam, actuum rationis directiua, ad ipsum rationis opus, vt proprium finem ordinatur. In hoc enim pręcipuè cōparata est logice, vt circa vnamquamq; rem clarè intelligendam, benè se habeat intellectus noster, quare & modus sciendi nō incongruè ab Arist. secundo Meraph. appellata est. Nam cum ad ipsius regulas & præcepta, rem de quacunq; quæritur exigimus, naturam eius penitus peruidemus, & quid in quouis negocio veri, falsiue insit, haud difficulter exploramus.

Tres intellectus nostri operationes

Operationes autem intellectus nostri, triplices omnino deprehendere licet. Prima quidem est, simplicium apprehensio, qua rē aliquam nudè intelligimus, nihil illi vel attribuentes, vel adimentes.

Simplicium apphensio.

Secunda verò est, simplicium apprehensorum compositio vel diuisio, qua res aliquas apprehensas, aut componi ad inuicem, aut separari intelligimus, atq; hanc mentalem enunciationem vocant dialectici.

Cōpositio & diuisio.

Vt ea cogitatio, qua hominem apprehendimus esse animal, equum non essē bipedem, & ita de alijs. Et in hac primùm reperitur veritas vel falsitas. Tertium intellectus opus est ratiocinatio seu discursus, quo videlicet mens hominis, ex vno cognito in aliud progreditur, ex notis ignota colligens. Atq; hæc est argumentatio mentalis, vocalibus quidem & scriptis per omnia respondens. Secundum trinam igitur hanc operationem intellectualium diuisionem, tres quoq; consentaneū erat logicæ constitui partes. Ad argumentationē enim seu ratiocinationē formandam inueniendamq;, quæ principalior est huius scientię finis, pertinet ea logicæ portio, quæ in libris Priorum & Posteriorum analyticorum, insuper & Topicorum & Elenchorū tradita est. Enunciationibus autē, quæ in compositione seu diuisione consistunt, assignata est ea ars, quam continet liber Peri Herm. Primæ autem intellectus operationi dirigendæ, vt videlicet vnumquodq; ens simplex promptius rectiusq; quomodo oportet apprehendamus & intelligàmus, hic Prædicamentorum liber destinatus esse perhibetur. Erat enim prius ens simplex seu incomplexum, in vniuerso confusè dispersum, ac obscurum, ita vt si aliquādo simplex quippiam (puta albedo) intellectui oblatum fuisset, quid ipsum propriè sit, difficillimum fuisset inuenire atq; explicare. eo q̄ confusione quadam albedinis natura, cum figuris, cum quantitate, cum substantia, relationeq;, in vnum subiectum sit commixta. Nūc autem distinctis rerum ordinibus seu classibus quibusdam, & cuiuslibet seriei rebus adunatis atque redactis ad decem incomplexa, prima & generalissima, suis insignita proprietatibus, longè facilius circa singula intellectus aciem figere audemus. Verùm quando res ipsæ, néque adunantur inter se, néque distinguuntur secundum eas conditiones, quas in rerum natura habēt, sed vt intellectus apprehensioni sunt subiectæ, id est, quatenus interioribus quibusdam verbis seu notionibus dicuntur & concipiuntur, quorum signa sunt voces incomplexæ.

Intētio huius libri.

Hinc factum est, vt a Boetio & alijs autoribus, præsentis libri intentio dicatur de vocibus incomplexis tractare, vt rerum simplicium sunt significatiuæ. Et profectò, si rem attentius consideremus, modico admodum interuallo distare, imò omnino in idem verius recidere deprehendemus, siue de re simplici apprehensione concepta quatenus talis est, siue de voce, vt illam significanti, tractari dicatur. Tantus enim istis inter se mutuò similitudinis est consensus, vt quicquid vni tribuitur, id in alterum quoq; (seruata tamen proportione) quadret aptissimè, rei quidem quatenus res concepta est, voci verò vt ipsius rei signo. In substantiæ namque pr'ędicamento, quemadmodum res homo, quatenus speciei nomine significata est, continetur, ita & nomen illud, quatenus huiuscemodi rei est significatiuum, in eodem prædicamento dicitur collocari.

Auicenna.

Attamen illud (quod in initio suæ logicæ admonuit Auicenna) nequaq̄ dissimulandū est, eam quę de vocibus est consyderationem, non esse per se ex intentione logici negotij, verùm ad hanc, necessitatem compulisse, eo q̄ res hoc illóue modo appehensas, non nisi vocibus ex-

primere,

primere, docere, ac ordinare queamus. Nam si absq; exteriorum verborum adminiculo, omnia ista præstare possemus solo sermone interno, vel si qua alia commodiora signa inuenirẽtur, contentis de vocibus minimè tractandum foret.

An de rebus an de vocibus ꝑcipuè agat philosophus i prędicamentis.

Si quis ergo rogitet, num de rebus, an potius de vocibus principaliter hoc libro disputetur. Huic simpliciter ex doctissimorum autorum Theophrasti, D. Augustini, Alberti, & Thomæ sententia respondendum, præcipuam curam & considerationem philosophis in hoc opere semper de rebus fuisse, quemadmodum a nobis ante est expositum. Quod autem Boetius contrarium sentire videtur, dicimus referẽdum esse ad determinatum quendam huius artis effectum seu finem, nempe propositiones & syllogismos maximè vocales constituere, quibus velimus nolimus vtendum nobis est, si quãdo cum alijs præsentibus super re quapiam controuersa, fuerit commentandum & disserendum. Eandem legem & apud absentes subibunt scripturæ.

Theophrastus. Augustinus Albertus. Thomas.

Non diuersum a supra dictis sentiunt hi, qui triplicem cognitionis prædicamentorum vsum vtilitatemq; assignantes, tam ad definitiones, & diuisiones rerum componendas, nec non ad intelligendos locos dialecticos, plurimum momenti habere dicunt. Prudenter enim (vt quidam ait) & res omnes, & vocabula omnia in hos ordines docti homines distribuerunt, & a substantijs accidentia separarũt, & classes quasdam rerum fecerunt, vt vniuersæ naturæ ordinem, in animo concipere possent, & dicturi quacunq; de re, in promptu haberent definitionem, & statim in his tabulis cernerent, quid singulis rebus cognatum sit, quid dissimile. Nam proposito quocunq; genere vel specie, cuius de definitione quæritur, vel diuisione, statim ad eius prædicamentum est recurrendum, inde tanquam ex penu quodam, quæ nostro instituto accommodata fuerint, facilè deprompturis, quam sanè methodum in inuestiganda motus definitione in tertio Phys. & animæ natura in secundo de anima, & alijs infinitis locis, diligentissimè secutus est noster Arist. Idem & in locorum dialecticorum vsu contingit, quando vel a definitione, vel a genere aut specie, vel a contrario sumendum erit argumentum. Similiter & si in quauis figura cõficiendus erit syllogismus, aut alia quælibet argumentatio constituenda, necesse est ex his prędicamentis peti materiã. Videntur enim qui prædicamenta tradiderũt philosophi, hoc quoq; spectasse, vt omnium rerum totius vniuersi (de quibus singulæ sciẽtiæ speciatim & fusius tractant) cognitionem aliquam breui cõplecterentur compendio. Quicquid enim philosophus docet naturalis, hoc ferè pertinet ad prædicamentum substantiæ, aut quantitatis vel qualitatis. Quod verò Mathematicus, totũ pertinet ad qualitatis prędicamentũ, & quartã speciẽ qualitatis. Quicquid verò moralis philosophia docet, id primæ speciei qualitatis limitibus cõprehẽsum est. Vnaquæq; enim definiendo, diuidendo, aut argumentãdo videtur vti his prædicamentis. & idcirco nonnulli putant, decem prædicamenta esse, veluti decẽ locos, vndè ad quãuis propositam quæstionem conueniens possit duci argumentum.

Thomas.

Ex prædictis colligendum est, quodnam sit subiectum scientiæ huius seu materia. Nonnulli, qui Thomæ sectatores videri volunt, arbitrantur subiectũ esse vniuersale, non quidem ad hanc passionem prędicabile (Sic enim de eo in Porphyriana Isagoge satis est determinatum) sed quatenus in prædicamẽto est ordinabile, asserentes proinde indiuidua non per se in prędicamento contineri, id quod in commentarijs prædicabilium habet Egidius Romanus.

Egidius Romanus,

Alij aliud assignauerunt. Hodie pleriq; subiectum huius libri constituunt prædicamentum, acceptũ, non quomodo totam aliquam seriem rerum significat, sed pro vno quolibet contentorum in prædicamento. Verùm hi abuti videntur nomine prędicamenti, quod non nisi toti alicui classi vocabulorũ, aut summo sui ordinis generi ab autoribus tribui solet. Illi, quos in pręcedentibus ferè secuti sumus, assignant ens simplici intellectus apprehensione conceptum. Passio autem erit, in prædicamẽto ordinabile.

Huius libri materia seu subiectum.

Tripliciter aliquid in ꝑdicamento reponi.

Sed illud notandum est, aliquid tripliciter reponi in serie prædicamentali, directè, indirectè, atq; reductiuè. Addunt quidam, & per accidens.

Directè.

Illud directè proprieq; in prædicamento aliquo continetur, quod est illius generalissimum, vel de quo generalissimum in eo quod quid est prædicatur. Sic substantia, animal, homo, Ioannes, caput, manus, aliaq; huiusmodi sunt in prædicamento substantiæ.

Indirectè.

Indirectè autem & obliquo quodam modo in prędicamento reponitur, quod istiusmodi quidẽ non est, sed in eius quod propriè in prædicamento claudirur, constitutionẽ venit, tanq̃ pars formalis, generis confusionem ad speciem constituendam sua perfectione contrahens. Tales sunt omnes & solæ differentiæ magis proprię.

Reductiuè.

Reductiuè autem, quę cũ nihil eorum quę diximus sint, ad ea tamen quæ directè in prædicamẽtis collocantur, tanq̃ peculiaria quędã principia attinent. Ita in prædicamento substantię sunt materia prima, & formæ physicæ. In prædicamento quantitatis, punctus, vnitas, instans. In qualitatis, angulus, & quorundam sententia gradus. Eodẽ modo motus, pro diuersitate suarum

specierum

specierum in pluribus reponitur prędicamentis. Huic tamen sub quantitate directè contineri contendunt nonnulli. Priuationes quoque & negationes, hoc modo in eodem prędicamento, ad quod res positiuę quouis modo spectant, reduci dicuntur. Similiter & propriæ passiones reducuntur ad ea prędicamenta, quorum sunt sua subiecta, quanquam has omnes Paulus Venetus cũ alijs nõnullis, ad secũdam speciem qualitatis reijciat. De entibus etiam rationis longa fuit altercatio, quibusdam ea in prædicamento ad aliquid ponentibus, alijs vndecimum prędicamentum, quod signi vocauerunt, eisdē assignantibus, alijs verò a prędicamentorum ordine & classibus ea omnino excludentibus. Propterea quòd Aristoteles in Metaph. prius diuidat ens, in ens in anima, & ens extra animam. hoc est, ens rationis, & ens reale. & deinde ens reale, in decem prædicamenta, a quibus sanè non dissentire videtur Boetius, qui quum apertè testetur, hęc prędicamēta continere prima nomina rerum, & Aristot. in hoc libro tractare de primis rerum nominibus, satis indicat ab his ordinibus reijcienda nomina secunda, seu impositionis secundæ. sed & ipsius Dei quoque incõprehensibilem amplitudinē non veriti sunt quidā arctis hisce prędicamentorum limitibus concludere. Verùm his sanior potiorque philosophorũ pars refragatur. Hęc atque huiusmodi disquirere prolixius, nõ est animus. Præsenti loco sufficiat, omne ens creatum, positiuum & reale, aliqua prędicamentali serie contineri, directè, aut indirectè, aut reductiuè. Cuius declaratio (vt & cæterorũ multorum, quæ hoc libro breuiter perstringuntur) ad metaphysicum, quàm ad logicum magis pertinere videtur. Hactenus intentionem & vtilitatem operis, qua licuit breuitate, explicuimus. De ordine verò eiusdem ad cætera logicæ Arist. volumina, nulla est controuersia, omnibus illi vnanimi consensu primũ locum tribuentibus. Cuius ratio ex antedictis perspicua euadit. Addit Caietanus, quod quum genus, speciem, cæteràque vniuersalia definiri, ad definiendi artem pertineat, cui hęc prædicamentorũ cognitio præparatur, prædicamentorum liber, Porphy. Isagogen naturaliter præcedit, Sed eo dē iure, & ante grammaticen illum collocare poterat, quũ hæc definitionibus vti debeat. Nomen seu inscriptio libri est, Categoriæ Arist. id est, Prædicamenta. Hæc autē, vel series prædicamentales sunt, vel ipsa decem generalissima, quæ ordinum prædicamentalium sunt capita.

Verus autem & germanus eius autor est Aristot. Stagirita Peripateticorum princeps atque pater, qui non modò libri huius scriptor, sed & admirandæ huius doctrinæ inuentor extitit, vt Themistio & Auerroi placet, quàm quis Iamblicus quidam philosophus Architam Tarentinum Pythagoræ sectatorē, idem argumentũ ante Arist. tractasse confirmet. Istis expositis, ad ipsius Arist. enarrationē accedere oportunũ fuerat. Sed cũ logica (teste Auicēna primo metaph.) circa intētiones secũdas, primis adiunctas, versetur & occupata sit, atque in huius libri principio a Boetio de nominibus primæ & secundæ impositionis tractetur, paucis illa, quidnā sibi velint, aperire diximus operæpreciũ. Omnino enim referre credendum est, vt quę propriè in proposita disciplina tractētur, intelligat auditor. Per intentionē igitur nihil accipere debemus, quàm attentionem seu considerationem rei cuiuspiam. Hæc in primam & in secũdam distribuitur, cuius quidem diuisionis ratio sumitur, ex eo quòd in rem quæ intelligitur dupliciter aliqua competunt. Nam quędam ipsi rei secundum se, etiamsi nunquam ab intellectu comprehenderetur, conueniunt, vt homini esse animal, esse album. Alia verò eidem, non nisi quatenus per intellectum concipitur, possunt attribui, quomodo homini conuenit esse speciem, esse prędicatũ vel subiectum in propositione. Talia enim non in homine, quatenus in rerũ natura existit reperiuntur, sed solum in quantũ in intellectu est. Prima ergo intentio dicitur intellectus ea attētio, qua rē in rerũ natura existentē contēplatur, aut qua in rebus sibi oblatis inspicit ea quę illis secundũ suam naturā competũt, vt hominis, albedinis, & similium rerũ notitia. Item illa qua quis hominē esse animal vel album apprehendit. Secunda verò ea, qua in rebus sibi oblatis intuemur ea, quæ illis conueniunt per intellectus nostri operationem, vt intellectu cognoscente hominem esse album, si ipse album de homine prædicari attendat, hæc secunda attentio dicitur. Iam verò quòd in cæteris nominibus intellectiuas operationes significãtibus euenire solet, vt videlicet frequenter ad res significatas transferantur, sicut quum conceptus pro re concepta accipitur. Idem etiam istis vsu venisse videmus, vt intentio prima pro eo sumatur, quod per intentionem intelligitur. secundam autem intentionem id vocēt, quod in rebus consideratis per intellectus operationem relinquitur & reperitur, quod (si modò quicquam est) nihil certè aliud est, quàm ens quoddam rationis, quod iuxta diui. Thomæ sententiam, sufficienter in negationem & relationem est diuisum. Supponendæ igitur hoc loco erunt huiusmodi secundæ intentiones esse relationes rationis, vt est relatio albedinis ad hominem, non quatenus illi inest, sed quatenus de ipso prædicatur, hoc est, per intellectum

Paulus Venetus.

Boetius.

Themistius
Auerrois.
Iamblicus.
Archita.
Auicenna.

aliquem enunciatur & attribuitur. Ex dictis procliue fuerit intelligere ac declarare, quo pacto quinque vniuersalium scientia, & cæteræ logicæ partes, sint de secundis intentionibus adiunctis primis. Tractant enim de relationibus seu habitudinibus generis, speciei, per intellectus operationem prouenientibus, quæ quidem animali, homini, & cæt. coniunctæ sunt, non quatenus in rerum natura existunt, sed vt apprehenduntur ab intellectu. Palam etiam euadit ex dictis, quænam sint nomina primæ intentionis, seu impositionis, & quæ secundæ. Nam nomen primæ intentionis vocatur, quod mediante prima intellectus attentione, rem significat, vt homo, equus, animal, album, sonus, & alia similia, quæ rebus extra omnem intellectum positis accommodantur. Nomina verò secundæ intentionis sunt, quæ mediante secunda intellectus attentione, illas rationis relationes designant, vt subiectum, prædicatum, genus, species, aliáque eiusdem farinæ vocabula, quę rebus per intellectum consideratis duntaxat attribuimus. Verùm illud animaduertendum, huiusmodi secundas intentiones non modò rebus attribui solere, sed & ipsis signis seu vocabulis, aliquādo quidem easdem seu consimiles. Dicimus enim hos terminos homo, animal, album, vniuersales esse, deq; subiectis vocabulis pr̨dicari, queadmodum res significatę vniuersales sunt, & pr̨dicantur de rebus subiectis. Nonnunquam verò alias quasdam, quæ rebus accommodari nequeunt, vt quę significantur his vocibus, nomen, verbum, genus, figura, aduerbiū, propositio, & similibus. Neq; enim rerum hęc sunt discrimina, quum eadem res frequenter nomine & verbo atq; aduerbio significet. Quòd ergo nomina secundę impositionis ipsis vocibus seu terminis significatiuis propriè tributa sint, apertè testantur, quæ hoc loco in hunc modum scribit S. E. Boetius. Rebus (inquit) permanentibus, & in propria principaliter naturæ constitutione manentibus, humanum solum genus extitit, quod nomina rebus posset imponere. Vndè factum est, vt singulatim omnia persecutus humanus animus, singulis vocabula rebus apptaret. & hoc quidem, verbi gratia, corpus hominem vocauit, illud verò lapidem, aliud lignum, aliud verò colorem. Et rursus quicunque ex se alium genuisset, patris vocabulo nuncupauit, mensuram quóque magnitudinis, proprij forma nominis terminauit, vt diceret bipedale esse aut tripedale, & in alijs eodem modo. Ergo omnibus nominibus ordinatis, ad ipsorum rursus vocabulorum proprietates figurasq; reuersus est, & huiusmodi vocabuli formam, quę inflecti casibus queat, nomen vocauit, quę verò temporibus distribui, verbum. Prima igitur illa fuit nominū impositio, per quam vel intellectui subiecta vel sensui designarent. Secunda consideratio, qua singulis nominum proprietates figurasq; perspicerent, & infra. Est prima impositio, vt nomina rebus imponerentur. Secunda verò, vt alijs nominibus ipsa nomina designarentur. Hæc ille.

Nomen primę intentionis. *Nomē secūdæ impositionis.*

Aequoca dicūtur, quorum nomen,

In primi tractatus libri Prædicamentorum Aristotelis caput primum, tria prima antepraedicamenta continens, scholia.

EX MORE probatorum autorum, Philosophus noster ante Prædicamentorum tractatum nonnulla documenta, veluti præambula siue præludia quædam, præmittit, ad eorum quæ deinceps dicenda sunt apertiorem intelligentiam plurimum facientia, quæ ob id Antepraedicamenta interpretes vocauerunt. Quin & finito prædicamentorum tractatu, alia quædam subiunxit, eodem spectantia. Horum autem singulorum vsum suo loco indicabimus. Atque hinc factum est, vt totus hic liber in tres tractatus sit diuisus. In quorum primo, de septem antepraedicamentis succinctè pertractat, quæ sunt tres definitiones, Duæ diuisiones, ac totidem regulæ. In primo igitur capite primi tractatus, tres proponit definitiones, æquiuocorum scilicet, vniuocorum, & denominatiuorum, eo consilio, vt ex illis cognoscatur diuersitas vocabulorum simplicium. Si non obsistir, quòd duę priores definitiones, de rebus accipi solent. Non enim dantur de rebus in se cō̄sideratis, sed cōparatis & relatis ad dictionem aliquam, illas significantem. Innuit ergo Aristoteles, triplex esse genus seu differentiam nominū significatiū, vel potius ipsarum rerum, quatenus nominibus significatæ sunt. Nam quędam sunt æquiuoca, alia vniuoca, alia verò denominatiua, quibus addit Nicephorus in sua logica, & Boetius in prædicamentis, multiuoca, & diuersiuoca. Aequiuoca quidem vocātur, quæ nomine quidem conueniunt, sed definitionibus discrepant, vt homo viuus & homo pictus, comparatione nominis homo. Hæc Grecis ὁμώνυμα dicantur. Vniuoca (Gręci synonyma appellant) quæ & nomine, & definitione conspirant, vt Plato, & Socrates, respectu hominis. Diuersiuoca, seu heteronyma, vniuocis directè opposita sunt, quę neque nomine, neque definitione coniunguntur, vt homo, & albedo.

Huius libri partitio. *Vocabulorū varietas.* *Nicephor⁹. Boetius. Æquiuoca. Vniuoca. Diuersiuoca*

albedo. Multiuoca verò æquiuocis ex diametro opposita, sunt plura nomina eiusdẽ omnino rei significatiua, vt Virgilius & Maro, ensis & gladius, quæ cum Græcis πολυώνυμα vocantur, vulgò tamen synonyma solent vocari, licet ea appellatio rectius vniuocis quadrare videatur. Denominatiua verò, quæ Græci paronyma vocant, nonnullam cũ præcedentibus habent conuenientiam, ac (vt dicit Augustinus) in homonymorum, & synonymorum medio constituta sunt, quòd partim in nomine, ac definitione cum suis abstractis consentiant, & partim differant, vt fortis respectu fortitudinis, & albus comparatione albedinis. Sed anteq̃ ad accuratiorem definitionis æquiuocorum (quam nobis in primo statim huius operis limine proposuit Aristot.) explicationem proficiscamur, operæpreciũ erit altius nonnulla de æquiuocis repetere, adnotareq;. Sciendum igitur est, æquiuocum initio bifariam accipi. Vno namque modo æquiuocum appellamus vocabulum seu nomen aliquod, plures res diuersis rationibus, notionibusq; significans, quod recentiores nouo vocabulo æquiuocum æquiuocans vocauerunt. Exemplum est dictio canis, quæ diuersas res, vt canem marinum, animal latrabile, & astrum quoddam significat, sed non secundum communem aliquam rationem atq; conceptum, id quod in nobis experiri licet, dum aliam cogitationem seu conceptum nominis canis in mente formamus, quando audimus Liciscam esse canem, quàm cum Sirium. At verò siue Platonem audierimus esse hominem, siue Socratem, eadem manet significatio termini homo, quamuis diuersæ res sint significatæ, quia vna eademq; notione res illæ concipiuntur. Quare canis æquiuocũ esse probatur ad canem latrantem, & cœlestem, sed non homo ad Socratem atq; Platonem, verum omnino vniuocum sicut & canis ad Liciscam & Melampodem, quos vna significat notione, vniuocum est. Neque enim absurdũ est, sed vsitatissimum, eandem vocem comparatione diuersorum significatorum ęquiuocum esse & vniuocum. Ex dictis colligere licet, orationem amphibologicam, qualis est hæc (libro Aristot.) non esse æquiuocum, quum non sit nomen, hoc est, vocabulum simplex. Nam nominis appellatione, etiam verba & aliæ orationis partes, quæ significatiuæ sunt, comprehenduntur, Vt impono æquiuocum est, quia & decipere significat, & in aliquo ponere. Similiter complector, dum modò actiuè, modò passiuè capitur, æquiuocum est, teste Boetio. Sed neq; nomen populus, quod nunc arborem, nunc hominum collectionem designet, ęquiuocum censeri deberet, quia in illis diuersis significationibus, non permanet nomen prorsus idem & inuariatum, quum varietur quantitas primę syllabæ, verùm de hoc latius in priore libro Elenchorum disserendi dabitur locus. Syncategoremata quoq; hòc loco æquiuoca non dicuntur, licet nonnulla eorum multimodę consignificent, quia nulla eis correspondet ratio, neq; mentibus nostris vllius rei ingerunt cognitionem, sed tantum significantibus terminis adiuncta, aliter faciunt eorum significata apprehendi, q̃ si amota essent. Quamobrem & consignificatiuæ dictiones appellatę sunt huiusmodi, sicut alibi diffusius est declarandum.

Multiuoca — *Denominatiua.* — *Augustinus* — *Quid ęquiuocũ æquocãs.* — *Boetius.*

Altero modo vocamus æquiuoca res ipsas eodem nomine, sed diuersis rationibus designatas, quæ æquiuoca ęquiuocata iuniores dixère, vt homo viuus & homo pictus respectu termini homo, canis latrabilis & canis marinus respectu canis. Porrò dictio ęquiuocum vtróque modo dicta, rursus æquiuoca est, ac multis dicitur modis, vt ait Ammonius. Sunt enim æquiuoca quædã a fortuna seu casu, nonnulla a consilio. A casu, vt cũ in locis diuersis quidã idem habuerint nomen, Vt Alexander Paris, & Alexander Macedo. A consilio verò, vt si cui lubeat filios seruos, aut alias res quaslibet, certa quadam ratione, eodem nomine appellare. Et horum quę a consilio proficiscuntur, Aliqua a memoria fiunt, vti cum quis filium suum maiorum nomine aut suo vocauerit. Alia a spe, veluti vbi filium suum philosophum fore quispiam expectans, Platonem nominauerit. Alia ab analogia seu proportione, vt cum ab alicuius rei proportione quicquam nuncupamus, vt pedem lecti, ac montis verticem. Quam enim pes ad hominem, eam quoq; pes lecti ad lectum rationem habet. Aliud ex eo dicitur, quia ab vno multa dicuntur, verbi causa, cum orsi ab aliquo eius appellatione quæcunque ab eo deducuntur vocabimus, vt medicum volumen, medica potio. Aliud ex eo quòd ad vnum multa referuntur, sicuti quando ad finem quempiam respicientes, ab illo denominamus quę propter ipsum fiunt, vt salubris exercitatio & potio salubris. Cæterùm differunt hæc ab iis quæ ab vno denominantur, quòd ab aliquo principio dicantur illa, hęc ad finem aliquem spectent. Quæ autem ab vno proueniunt, partim vt ab exemplari causa appellantur, vt homo in tabula depictus ab aliquo vero homine, partim ab efficiente, vt medica potio, medicum pharmacum. Sic ferè Ammonius & Boetius.

Aequiuocorum alia
- A casu.
- A consilio.
  - A memoria.
  - A spe
  - Ab vno
    - A causa exemplari.
    - Ab efficiente.
  - Ad vnum
  - A proportione.

Ex quibus patet, æquiuocum a consilio non id tantum dici, quod vulgo analogon vocant, sed etiam sub se nonnulla comprehendere, quæ in scholis dici solent æquiuoca a casu, cuiusmodi ferè sunt quæcunque a memoria vel spe dicuntur. Reliqua tria genera æquiuocorum a consilio solent sub analogo comprehendi, licet vnum duntaxat propriè secundum analogiã dicatur, de quibus etiam est illud vulgò iactatum prouerbium, Analogon per se positum est accipiendum pro principali significato. Per se autem proferri intelligitur, cum non adhibetur aliqua determinatio distrahens ipsum ad minus principale significatum. Cæterùm dicta regula quid frequentius fiat, non quid oporteat fieri, præcipit. Sæpe enim analogon etiam per se positum ad minus principale significatum refertur ab autoribus, quum id loci circunstantia requirit, vt apud Horatium in principio artis poeticæ.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris vt turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa supernè.
Spectatum admissi risum teneatis amici.

His prælibatis ad Aristotelicæ definitionis interpretationem veniamus, quæ sic habet.

Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, secundum nomen verò ratio substantię diuersa. Cuius de definito; quonam modo accipiendum sit, existunt controuersiæ. melior enim interpretũ pars ipsum pro æquiuocis æquiuocatis accipi confirmat, propterea quòd equiuocantibus non sit nomen cõmune vt talia sunt, sed ipsamet sunt nomina suis significatis communia. Si tamen cui arridebit contraria Aegidij Romani sentẽtia, definitionẽ æquiuocantibus nominibus accommodantis, facilè dixerit, in ipsa constructionem transitiuã positam esse loco intransitiuæ (quorum nomen commune est) pro (quæ sunt nomina communia) id quod authoribus non omnino inusitatum est. Vtcunq; tamen definitum sumatur, satis docuit quænam sint æquiuoca nomina, quæ vocant æquiuocantia. Cum enim æquiuocans & æquiuocatum sint correlatiua, ex vnius descriptione leui opera quid sit reliquum cognoscitur. Deinde vt de æquiuocatis intelligatur definitio, restat adhuc difficultas, an ea duntaxat hac definitione comprehendantur, quæ vnum idemq; habent nomen æquiuocãs, qualia sunt homo viuus & pictus respectu hominis, canis latrans & piscis respectu canis. An etiã illa, quibus diuersa sunt nomina æquiuoca communia, vt canis marinus respectu canis, & polypus piscis respectu polypi. Priori quæstionis parti fauere videntur verba autoris. talibus enim solis est nomen cõmune. Fauent & exẽpla literæ atq; interpretum. Quibus tamen secus videtur, hi pluralẽ respondent loco singularis numeri positũ esse. Sed nos alteri sententiæ accedimus. Consulto autem in plurali numero definiuit Philosophus æquiuoca, eo q vni soli rei competere non possit æquiuocatio, nisi & alia quædam sit similis ac eodem nomine consignata, vt si nihil aliud q̃ canis latrans nomine canis significaret, non esset canis latrans ęquiuocum. Idem consiliũ & in vniuocis definiendis est secutus. Nihil enim vniuocum vniuocatũ (vt ita dixerimus) respectu nominis alicuius esse potest, nisi etiam aliud quoddam eodem nomine designetur. Quare res indiuidua respectu singularis termini vniuoca propriè non est dicenda. Ex quo proinde consequens est, non omne nomen æquiuocans esse vniuocans etiam respectu diuersorũ. Nam vocabulũ Pyrrhi æquiuocũ est ad Pyrrhum Achillis filiũ, & Pyrrhum Epiroten, sed vniuocũ tamen non est. Nullum enim nomen vniuocũ propriè esse potest, quod manet indiuiduũ. Dictio (nomen) in definitione non tantum primã orationis partem indicat, sed omnem in vniuersum, quæ rei cuiuspiam sit significatiua, siue ea verbum sit, siue pronomen, siue participium, aut aliud quiddam, sicut primo Peri hermenias dicitur. (Verba quidem secundum se dicta nomina sunt, atq; aliquid significant) Aequiuocationem verbi Credo, eleganter & acutè indicauit epigrammatographus illo disticho.

Plus credit nemo tota, q̃ Codrus, in vrbe,
Cum sit tam pauper quomodo; cæcus amat.

Commune autem nomen intelligitur, non quod de pluribus vniuocè dicitur (sunt enim quædã æquiuoca indiuidua) sed quod de vnoquoq; significatorum secundũ eam impositionem, quam inpræsentiarum habet, verè dici potest. Particula exclusiua Solum, non omnia simpliciter, quę a nomine ipso diuersa sunt, excludit (Nã possunt æquiuocata pręter nomẽ etiam alia quædã habere cõmunia) Sed quod nomini vicinum est & coniugatum (eandem substantiæ rationem secundum illud nomen) id quod satis insinuat particula sequens (secundũ nomen verò substantiæ ratio est diuersa) quæ ideo adiecta est, ne quis fallatur, existimãs nullã substantiæ rationem æquiuocatis esse cõmunem. Possunt enim æquiuoca in quibusdam superioribus essentialiter conuenire, in quibus sicut eandẽ habent substantiã, sic & eandẽ substantiæ rationem. Sed non possunt conuenire in aliqua substantia per nomẽ æquiuocũs significata, ratione cuius dicerentur eandẽ habere substantię rationem, vt canis marinus & canis latrabilis cõueniunt in bruto, animali, corpore, & alijs generibus, in quibus prorsus easdẽ habẽt substantias, & substantiæ rationes, vndẽ & vniuoca sunt. Sed nõ conueniunt in aliqua substãtia significata per nomẽ canis, quia vterq; secundũ nomen canis propriã substantiã, ac propriam substãtię rationẽ habet, & ideo æquiuoca sunt. Porrò quid per rationẽ accipiendũ sit, variant interpretũ sententiæ. nobis per rationẽ videtur sub disiunctione intelligendã esse definitionẽ propriè dictam, vel conceptũ propriũ. Dico imprimis definitionem propriè dictã, quia Arist. in secunda parte capitis de substantia rationẽ hominis assignat, animal rationale mortale. Addo autem quòd sub disiunctione intelligendus sit proprius conceptus, quia multa sunt & æquiuoca & vniuoca, quæ secundũ nomen nullam habere possunt substantiæ definitionẽ, quibus tamen sine dubio competunt istę definitiones. Sed rogabit aliquis, cur sub ratione non possit comprehendi descriptio, qua vtimur, vbi vera definitio non suppetit? Cui responsum sit, quòd licet Ammonius & Boetius sic expressè loquantur, videtur tamẽ quibusdam æquiuocatis eadem substantiæ descriptio, secundum nomen posse competere, Verbi gratia, sensibile plura æquiuocè significat, si modò sit differentia propriè dicta, modò propria passio animalis, quibus tamen facilè poterit assignari eadem substantię descriptio secundum nomen, quia plures illæ significationes inter se conuertuntur, hinc putamus descriptionẽ sub ratione non debere cõprehendi. Dictio (substantia) apud Aristotelem bifariam sumitur. Aliquando enim significat ens per se subsistens, quod ab accidentibus ex opposito distinguitur. Aliquando verò cuiusuis rei essentiam seu partem essentialem, in quo significatu vtitur hic Aristoteles nomine substantiæ. Erit igitur aliquorum diuersa substantię ratio secundum nomen, quando vnumquodq; eorum habebit propriam rationem, id est, definitionem seu conceptum substantiæ suæ per nomẽ significatæ, vt definitio substantiæ hominis viui, secundũ nomen homo, est, animal rationale. definitio verò substantiæ hominis picti, est, imago hominis viui. Sed quorsum adiecit Aristoteles substantiæ, nec dixit secundum nomen ratio diuersa? Respondemus, vt a definitione secluderet ea, quorum non substantia, sed accidens aut aliud quippiã, alia & alia ratione ab ęquiuoco nomine significatur. Verbi gratia, alia ratione dicitur homo sanus, alia verò vrina. Verũm ea ratio nõ est ratio substãtię hominis aut vrinæ, sed accidẽtis potius, cũm dictio sanũ nihil substantię hominis significet. & ideo secludenda sunt hæc a definitione æquiuocorum, sicut & a definitione vniuocorum secludi debent Ioannes & Petrus respectu nominis album. Nam licet eadẽ ratione dicantur albi, ea tamen ratio non est ratio substantiæ eorum significatę per nomen album, sed accidentis tantũ, vt postea dicetur. Quemadmodum superius duplex distinximus æquiuocum, quoddã æquiuocans, alterum æquiuocatum, ita quoq; vniuocum consimilem omnino distinctionem pati, operæprecium est prænoscere. Vniuocum vniuocans variè vsurpatur apud philosophos. Primo enim accipi solet pro omni dictione vnum vel multa eodem cõceptu significante, quomodo indiuidua concedimus vniuocè prædicari de vno solo particulari. Verũm hæc acceptio (sicut ante ostendimus) impropria est. Secundo modo vniuocum dicitur, omne nomen plura significans, de quibus secundum eãdem rationem aut essentialiter aut accidentaliter quouis modo prędicatur. Sic omne vniuersale vniuocè dicitur de quolibet subiicibili. Tertiò nonnunquam sumitur, sed rarenter admodum, pro eo duntaxat, quod plura significat, de quibus necessariò prædicatur, siue id essentialiter fiat, siue accidentaliter. Quomodo vsus est alicubi Porph. vniuoca prædicatione in suis quinq; vniuersalium cõmunitatibus. Quartò propriè sumitur pro nomine plura significante, de quibus natũ est prędicari secundũ vnam & eãdem rationem illis essentialiter cõpetentẽ, vt animal respectu hominis & equi, coloratũ respectu albi & nigri, non autẽ hominis & parietis. Totidẽ etiã modis vniuocatum distinguendum

Nomẽ commune.

Quid ratio

Quid substantia.

distinguendum erit. Sunt enim vniuocans & vniuocatum relatiua. De definito huius secundę definitionis eadē habenda est ratio, quæ de æquiuocis ab Arist. descriptis. Penè autem tota definitio vniuocorum manifesta est ex declaratione definitionis æquiuocorum, excepta vltima particula, cuius tamen sensum etiam superius satis indicauimus. Nam ea dicuntur habere eandem substantiæ rationem secundum nomen, quæ communicant in eadem substantia per nomen significata, cuius definitio vel conceptus est vnus & idem, vt homo & equus communicant in re significata per nomen animal, quę est eorum substātia, quia est pars essentialis vtriusq;, cuius definitio est eadem ratio substantiæ amborum secundū nomen significatæ. Particula (substantiæ) additur huic definitioni eadem ratione, qua superiori adiecta fuit, nempe vt ab ea separet diuersa subiecta, de quibus proprium aliquod aut accidens eadem ratione dicitur, vt Ioannes & Petrus dicuntur eadem ratione risibiles, albi, aut nigri. Verùm ea ratio nō est ratio substantiæ ipsorum secundum nomen, sed accidentis aut proprij. Vndè si quis assignet vtriusq; rationem secundum illud nomen, nō assignabit rationem substātiæ ipsorum quid vterq; sit, sed qualis. & ideo secluduntur a definitione vniuocorum. Sunt tamen qui admittant, vniuoca dari respectu cuiusuis vniuersalis, generis, speciei, differentię, proprij, & accidentis. verùm hi neq; verba definitionis intelligunt, neq; attendunt quid Aristoteles in progressu dicat. Assignantur igitur vniuoca tantum respectu triū priorū prędicabilium, generis, speciei, & differentiæ, & non respectu proprij & accidentis. Reddens autem huius definitionis exempla Boetius dicit, non modò species plures respectu sui generis vniuocas esse (res inquam respectu signi) sed & speciem vna cum genere vniuocam esse respectu nominis, quod illi generi positum est, vt non tantum hominem & equum vniuocata esse termini animal, atq; similes species, sed & hominem & ipsum animal. Nam, inquit, & homo & animal animalia nuncupantur, secundum igitur commune nomen, si vtrumque definias, dicis animal esse substantiam animatam atq; sensibilem, hominem quóque secundum id quod est animal, si substātiam animatam sensibilem dixeris, nihil in eo falsitatis inuenies. Sic ille. Quem si sequi placeat, concedendum erit, aliquam prædicationem (quam identicam vocare solent) vniuocā quóque esse, vt animal est animal. Sed iam ad reliqua transeundum.

Denominatiuorum descriptio. Denominatiuorū definitio apud Arist. hæc est. Denominatiua dicuntur, quæcunq; ab aliquo, solo casu differentia, secundum nomen habent appellationem. Quæ vt magis euadat perspicua, sciendū est, *Quid denominatiuum* denominatiuum nomen generaliter sumptum nihil aliud esse, quàm concretum accidētale, hoc est, quod accidentariā aliquam significat formam, ratione cuius aut extrinsecus aut intrinsecus de subiecto quopiam prædicatur, vt album, sedens, studiosum, currere, &c. Diximus concretum, Nam abstracta non sunt vnq̄ denominatiua, neq; denominatiuè possunt prædicari. Veruntamen abstractū ipsum nonnulli denominans vocauêre, alij eam appellationē formæ potius significatæ asscribentibus. *Denominās. Denominatum.* Denominatum verò ea est res, de qua denominatiuū prædicatur, vt homo, aut lapis. Diximus etiam accidentale, quòd nostra sententia nomina hæc, aqueum, terreum, lapideum, humanum, rationale, sensibile, & id genus alia, substantias, vel substantiales differentias significantia, denominatiua minimè sint, licet ipsa denominatiuorum formam, & nonnullum imitamen habere non negemus. Quod si quis in contrarium velit contendere, cedemus citius quàm contentiosè repugnabimus. Illud tamen aduertat, quod autores tradunt, in hoc potissimum ab Aristotele denominatiua esse tractata, vt cognoscamus, omnia accidentia ad substantiam quandam reductionem habere, quatenus de ea in concreto prædicantur, nimirum denominatiua ipsa in accidentium grege numerantes. Porrò vocabulo accidentalis, hîc non tam propriè vtimur, vt tantum quintū prædicabile contineat, sed ad omnia quæ subiecto cuipiam inhærere possunt, extendimus, siue ea singularia existant, siue cōmunia, siue propria, siue non. Addidimus quoq; (aut extrinsecus) *Augustinus* quòd Augustinus dicat consilium a sapientia sapiens dici denominatiuè, quum tamen consilio non insit sapientia, sed consulenti ingenio seu rationi. Est autem triplex denomina*Denominatiuū triplex* tiuum. Nam aut nomine, seu voce sola, quippiam denominatiuum dicitur, aut re seu significatione tantum, aut vtroq; pariter. Denominatiuum voce tantum est concretum, cum abstracto quopiam, voce quidem conueniens in initio, & differens in fine, cum quo tamen non significat eandem accidentariam formam, vt studiosus, dum eum qui virtute præditus est significat, nomine tenus quidem cum abstracto studium consentit, sed tamen significatu dissidet maximè. *Denominatiuū significatione tātū* Denominatiuum significatione tantum, est concretum accidentale, non habens impositum abstractum eandem formam significans, cum quo in principio conueniat, & differat terminatione. Id autem tripliciter contingere assolet. Primò cum formæ nullum omnino est nomen

est nomen abstractum impositum, quomodo cursor & pugilator, quando naturales potentias significant, denominatiua dicuntur significatione tantum. Secundò, quando formæ accidētali positum quidem est nomen abstractum, sed ipsum non conuenit in principio dictionis cū concreto, vt studiosus ad virtutem relatus, albus ad candorem. Hos duos modos mox a definitione qualium expressit ipse Arist. Tertio modo, quando inter abstractum & concretum eandem formam significantia tantus est in dictione consensus, vt nec terminationibus quidē inter se distinguantur. Teste enim Boetio, mulier non dicitur denominatiuè grammatica a grāmatica, neq; secundum Augustinum denominatiuè dicuntur a sapientia, verba sapientia. Huius tamen contrarium Egidius Romanus cum alijs plerisq; sustinet, satis esse arbitrans, vt concretum dicatur denominatiuè secundum vocem, si ipsum vel eius synonymum cōdeclinium ab abstracto in fine discrepet. Denominatiuum voce & significatione simul, est cōcretum, cui respondet abstractum eandem formam designans, cum quo in principio cōuenit, & differt terminatione, vt album ad albedinem, sapiens ad sapientiam, studiosus pro diligenti ad studium. Neq; enim absurdum est, idem esse variè denominatiuum comparatione diuersorum. Ad denominatiuorum igitur propositam definitionem redeuntes, dicimus ea definiri, quæ sunt denominatiua nominis & rei, vel aliter, voce & significatione simul, eo quòd his cognitis haud difficulter alia etiam quæ imperfectius denominatiui naturam participāt, cognosci possunt. Nam (vt rectè dicit Faber) de ijs quæ maximè talia sunt, præcipua apud Arist. determinationis cura esse solet. An verò definiantur duntaxat denominatiua eiusdem denominantis, facilè ex præcedentibus colligitur responsio. Si substantialia concreta, secundum ea quæ ante diximus a definitione separare voles, intellige nomen (quæcunq;) referre concreta accidentalia, vt hic habeatur sensus. Denominatiua dicuntur accidentalia concreta, quęcūq; ab aliquo, &c. Ablatiuus (aliquo) accipitur pro abstracto. Nomē Solo exclusionem designat, nō omnimodam, sed limitatam. Per casum autem, prætermissis quorūdam aliorum sententijs, intelligimus terminationem. hoc enim oportet ipsum met denominatiuum a suo abstracto discrepare, neq; satis est vt in aliud genus vel ipsum transformatum sic differat. Quare a definitione reiecta sunt omnia denominatiua significatione tantum, primo aut tertio modo. Quæ verò secundo modo continebantur, non solo casu ab abstractis discrepāt, sed & principio. Per Appellationem quidnam accipiēdum sit in fine definitionis, diuersę sunt interpretū sententiæ. Quibusdā placet, appellationem hic esse deriuationem quandam, non quomodo grammatici tradunt abstractum a concreto fieri, vt iustitiam a genitiuo iusti, sed veluti effectus a sua causa, ac a priore defluit posterius. Significat enim abstractum formā per se, non vt est in suo subiecto, habetq; se tanq̄ formalis causa. Concretum verò eandem, vt in subiecto est, significat, habetq; sese vti causæ formalis effectus atq; quoddam compositum.

Alij per appellationem intelligunt accidentariam prædicationem, quam dicuntur denominatiua habere secundum nomen, quod ipsam habeant rationē formę per abstractū designatę. Hic dicendi modus satis cōsonat illi accidentium ad substantias reductioni, quam hoc loco tacitè innuere Philosophū tradunt expositores. Trium iam expositarū definitionum præcipua hoc loco traditur esse vtilitas & fructus, vt intelligamus, nulli æquiuoco dum æquiuocè capitur, locū esse in prædicamento, propterea q; non vna quadam ac determinata contentū est significatione. Vniuoca verò omnia eiusdem inter se ordinis esse, atq; etiam cum suis vniuocantibus. Porrò denominatiua directè in eadem classe cum denominantibus formis sibi correspondentibus cohærere, per accidens verò duntaxat ad prædicamenta denominatorū referri, Aquinas alicubi sentire videtur, concreta accidentaria & quęuis abstracta vltima abstractione reductiuè tantum ad prędicamentorum ordines pertinere. Præter hæc autem, dictorum antepprædicamentorum cognitio ad plerosq; obscuriores passus per vniuersam logicam, sicubi æquiuocorum, vniuocorum, aut denominatiuorum inciderit mētio, percipiendos plurimum adferet adiumenti. Hic notandum postremò, triplicem secundum ea prædicationem distingui solere. Vnam æquiuocam, in qua prædicatur æquiuocum nomen æquiuocè acceptum de aliquo suorum significatorum, vt canis latrans est canis, pictura est homo. Tunc autem æquiuocè capitur æquiuocum, quando pro pluribus significatis inconiunctim sumitur. Verbi gratia, si æquiuocè accipiatur subiectum huius, canis est albus, sensus erit, canis latrans, canis marinus, canis sydereus est albus. quo fit, huiusmodi orationes propriè nō esse enunciationes. Sed de hoc in libro Peri Herm. plura. Aliter, & (ni fallamur) rectius dicimus, nomen ęquiuocè capi, relatione facta ad diuersas orationes, in quibus secundum aliam & aliā ponitur significationem. Secunda est prædicatio vniuoca, in qua scilicet prędicatur vniuocū de suo

Boetius. Augustinus Egidius Romanus.

Iacobus Faber.

Æquocorū vniuocorū & denominatiuorum cognitorū vtilitas.

Thomas.

Triplex prędicatio. Æquiuoca.

Vniuoca.

Denominatiua.

de suo vniuocato, vt Socrates est homo, homo est animal, homo est rationalis. Tertia est denominatiua prædicatio, quæ tum propriè fit, quando denominatiuū voce & significatione simul de suo prædicatur denominato, vt homo est doctus, paries videtur.

Eorum quæ dicuntur

Secundi capitis, continentis duas diuisiones antepredicamentales, scholia.

Prior antepdicamentalis diuisio.

QVIA Simplicium tantum vocum in hoc prędicamentorū opere habenda est consideratio, ideo diuisione quadam incomplexas voces significatiuas a complexis, quæ e prędicamentis exclusę sunt omnes, disseparare curauit Philosophus. Eorum (inquiens) quæ dicuntur, alia secundum complexionem dicuntur, alia verò sine complexione. Cuius quidē diuisionis diuisum sumitur pro vocibus ad placitum significatiuis. nam hæ proprijssimè dicūtur, id est, proferuntur. Quare a diuiso separata sunt omnia syncategoremata, hoc est, consignificatiuę dictiunculę, quales sunt cōiunctiones, prępositiones, & plęraq; aduerbia. Siue autē ad voces solas diuisum contrahamus, siue ad scripturas etiam extendamus & conceptus, parui sanè retulerit. Sunt enim hæc tria in istiusmodi semper pari lege connexa. Ab hac diuisione reijcere solemus eas voces, quæ non vnæ sunt, id est, vnicum sensum non obtinent. Quare æquiuoca æquiuocè accepta propriè non erunt incomplexa, nec amphibologicæ orationes complexæ erunt. In causa est, quòd ex his ita sumptis, non possit fieri enūciatio vna, sed plures, de qua re in sequenti libro latius. Neq; enim respondet illis vnus conceptus vel simplex vel complexus, sed plures non constituentes vnum integrum conceptum. Verùm & hoc ad alium pertinet locum. Pro intelligentia autem integriore membrorum huiusmodi diuisionis, distingui consueuit triplex complexum. Nam quoddam est complexum voce tantum,

Complexū triplex. Item & triplex icōplexum.

Et est terminus secundum vocem compositus ex pluribus dictionibus significatiuis, cui tamen in mente vnicus respondet & simplex conceptus, vt corpus animatum, quando circumlocutiuè accipitur, quomodo est genus subalternum prædicamenti substantiæ. Ob penuriam enim simplicium vocum, cogimur nonnunq̃ compositis loco illorum non impositorum vti, nō quidem vt pristinam suam, hoc est, complexam retineant significationem (nam sic non aliud q̃ orationes veraq; complexa forent) sed vt eandem planè subeant functionem, qua fungerentur nomina incomplexa, si essent imposita. Hæc alio nomine dicta sunt, incomplexa significatione tantum. Complexum sola significatione, siue (quod in idem redit) incomplexum voce tantum est, quod in voce quidem simplicitatem custodit, neq; ex significatiua dictione conflatum est, sed tamen in mente conceptum habet non alium, q̃ si complexum foret, vt verbū impersonale curritur. Nam hoc cum verè aut falsè significet, non simplicem, sed complexū necessariò arguitur habere conceptum. Tale etiam est nomen nemo, si (quod vulgò receptum est) ipsi complexus respondeat conceptus idem, qui huic orationi nullus homo, quod addimus. Nam tantus est nostri intellectus vigor & perfectio, vt ea quę aliàs separatim diuersis comprehendebat conceptibus, vnica etiam simplicíq; notione complecti possit, licet res sint alioqui lōgè ab inuicem discrepantes. Cæterùm istud ad aliū pertinet locū declarare. Cōplexum voce simul & significatione, est vox cōposita ex pluribus dictionibus significatiuis, secūdum leges artis grammaticæ constructis, vel vna significatiua & altera consignificatiua, cui in mente respondet conceptus complexus, vt homo sedet, homo & equus, homo albus, omnis homo, ad patrem, & similes orationes congruę. Nam solœcismi, ne orationes quidem vel complexa vocari merentur, quum in eis potius sit dictionum confusio aggregatióq; quędam, q̃ constructio legitima. Incomplexum voce & significatione pariter, est dictio simplex, cui respondet simplex incompositusq; conceptus, vt homo, equus, fortis, fortiter, currit, ambulat. Hæc enim omnia, licet quodammodo res plures significent, eas tamen vnico simplicíq; concludunt conceptu. Quare superuacanea iam est illa disceptatio, quam nonnulli huc inuexerunt, sint ne concreta nomina, verbaq;, incomplexa, an complexa: quū ipse Arist. nobis apertissimè illam quæstionem suis dissoluerit exemplis. Neq; magni momenti est quod adferunt, album idem valere quod habens albedinem, & ita de alijs concretis. Id enim si modò verum erit, non ad significationem, sed conuertibilitatem duntaxat est referendum, quemadmodum etiam de homine & rationali dicere licet. Conuertuntur enim inter se mutuo horum significationes, sed non ob id continuè easdem esse oportet, eo quòd res vna multimodè possit consyderari. His ita declaratis, dicimus, priore huius diuisionis membro contineri propriè ea, quę tā voce q̃ significatione sunt complexa, reductiuè etiam complexa significatione. Sub posteriore autem comprehenduntur incomplexa significatione & voce simul, & etiam significatione tantū. Nam neq; hæc a prædicamentorū exulant ordinibus, eo quòd saltem in mente dicantur

sine com-

fine complexione. Porrò complexio propriè est plurium significatiuarum vocum apta compositio. Idem in scripturis quoq; & conceptibus accipiendum est, iuxta vulgarem atq; his in scholis receptam opinionem. Sed de hac re alibi fortassis commodius.

Alteram diuisionem in antepraedicamentis assignauit Aristo. quadrimembrem hanc, Eorũ quae sunt, alia de subiecto quodã dicuntur, in subiecto verò nullo sunt. Alia in subiecto sunt, de subiecto verò nullo dicuntur. Alia & de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Alia verò neq; in subiecto sunt, neq; de subiecto dicuntur, qua quidem diuisione, licet angustissima atq; breuissima (si Boetio creditur) omnium sermonum multitudinem varietatemq; cõplexus est, sicut ex progressũ liquidò constabit. Quanq; autem Albertus eam sentire videatur, esse generis in suas species, nos tamen re pensiculatius examinata, analogi potius (vt ita diximus) in suorum analogatorum proprietates, partim re ipsa, partim ex intellectus consideratione illis competentes, putamus esse diuisionem, maximè si entis analogiam ad substantiam & accidens statuere velimus. Nam esse in subiecto vel non esse, rebus ex suapte conuenit natura, citra omnem intellectus nostri operam. At dici de subiecto & non dici, quemadmodum & vniuersalitas ipsa & particularitas, non nisi secundum mentis nostrae quandam cõsyderationem proueniunt, vt in Porphyrianae Isagoges scholijs indicabamus. Omnino autẽ rerum ipsarum, non terminorum hanc esse distributionem segregationemq;, est consentaneũ, tametsi aliter existimantium sententias non omnino reijcimus. Licebit autem, ipsam in duas bimembres diuisiones redigere, ad hunc modum. Eorum quae sunt, quaedam sunt in subiecto, alia verò minimè. Et eorum quae sunt, quaedam de nullo subiecto, quaedam de aliquo dicuntur subiecto. Ex quarum duarum membris variè congregatis, hanc vnam conflauit Aristoteles, vniuersam rerum omnigenarum cõgeriem breuibus terminis concludentem. Nam primo membro continentur vniuersales substantiae, vt homo, lapis. Secundò particularia accidentia, velut haec grammatica, haec linea, hic color. Probat autem Arist. in litera, quendã colorẽ esse in corpore vt in subiecto, quia omnis color ita in corpore est, fortasse ne quis veterum quorundam philosophorum sententia delusus, arbitretur colorem non veram esse rẽ, sed apparentiam rei duntaxat. Caeterùm dicta probatio, non est a priori, ac secundum rerũ ordinem probatiua. Vt enim in communitatibus praedicabilium habet Porphyrius, accidentia communia prius insunt singularibus, q̃ eorum superioribus. Sed hoc sciendum est obiter, coniunctiones causales enim, quia, nam, quoniam, non semper apud autores causam insinuare rei probandae, cur ipsa sit aut ita se habeat, sed cur nos conueniat credere, eam ita habere. Tertium membrum continet vniuersalia accidentia, vt grammaticam, virtutem. Quartũ singulares substantias, quales sunt Demosthenes, Bucephalus, Ister. Suntq; haec ipsa mẽbra aptissimè descriptiones eorum, quae in ipsis diximus comprehendi. Est enim substantia vniuersalis (largius accepto vocabulo substantiae, q̃ dum est generalissimum primi praedicamẽti) quae quum de subiecto quodam dicatur, in subiecto tamen minimè est. Accidens singulare, quod est quidem in subiecto, sed tamen de subiecto non dicitur. Vniuersale verò accidens, quod & de subiecto dicitur, & est in subiecto: Particularis autem siue prima substantia, quæ neq; in subiecto est, neq; de subiecto dicitur, quà definiendi ratione vtitur ipse Philosophus in sequẽti tractatu. Eodem modo ex duabus illis bimembribus diuisiunculis, colligendę sunt substantię & accidentis, vniuersalis & singularis definitiones. Declarantur haec omnia fusissimè apud Boetium in enarrationibus Categoriarum Arist. Caeterùm hoc non est ignorandum, etiam differentias substantiales hisce membris comprehensas esse, similiter & materiam & formã physicas, vniuersales quidẽ, primo, singulares verò, quarto, nisi ea sola quae in praedicamentalibus ordinibus directè collocantur, hic recipere velimus. Veruntamen res fictitiae, quae omnino esse nequeunt, vt Chymera, sphynx, hircoceruus, similiter & quae cum complexione dicuntur, prorsus sunt a diuisione secunda repudiandae, quemadmodum ex diuiso eius, & connexione ad praecedentem facilè animaduertitur. An autem horum membrorum ita pluraliter prolatorum quaternarius numerus satis sit, an non, sed oporteat diuisionem totam ad singularẽ numerum redigere, an sub membris simpliciter expressis, alia quaedam ex his commixta sub intelligere, sicut alibi frequenter accidere solet, videmus a curiosis in quaestionem versum esse, quorum votis ne vbiq; deesse videamur, difficilioresq; nodos percurrere vel declinare potius q̃ dissoluere posse, paucis nostrã super hac re sententiã nõ grauabimur aperire. Affirmamus igitur, in praesenti diuisione nihil opus esse plurium membrorum additione vel subintellectione, q̃q̃ id in alijs plerisq;, praesertim quando membra omnia affirmatiuè exprimunt, sit necessarium. Si quis ergo sciscitetur, sub quoto membro contineantur homo & scientia, Socrates

Posterior antepraedicamentalis diuisio.

Boetius. Albertus

Boetius.

Socrates & albedo. Respondebimus, illa quidem primo membro comprehendi, eo quòd de subiectis quibusdam dicantur, in subiectis verò non sunt. Nam homo non est in subiecto, ergo homo & scientia non sunt in subiecto. Hæc verò quarto contineri, eo quòd neq; in subiecto sint, neq; de subiecto dicantur, quia Socrati neutrum istorum competit. Quòd si quis ob

Obiectio.

iiciat. Si bona est consecutio, Socrates non est in subiecto, ergo Socrates & albedo in subiecto non sunt, proba erit & ista, hæc albedo nõ continetur quarto mẽbro, ergo Socrates & hæc albedo eodem minimè continentur. Probatur consequentia a simili, quia vtrobiq; proceditur a parte copulati ad totum negatiuè. Hanc perplexam quæstionem inuoluramq; difficultatẽ,

Dilutio.

paucis expedientes dicimus, probam, firmamq; esse argumentationem negatiuam a parte copulati ad totum, quando prædicatum est huiusmodi, vt ipsum secundum se vel in singularẽ numerum transformatum, vnicuique partium significetur attribui, sicut accidit in nostris illis consequentijs. Verùm vbi prædicatũ huiusmodi non est, tũ non obtinere robur. Verbi gratia, rectè sequitur, Ioannes non est albus, ergo Ioannes & Petrus non sunt albi. Nam qui dicit Ioannem & Petrum esse albos, vtrique indubiè albedinẽ attribuit. Fieri enim aliter nequit vt albi sint. Non consequitur autẽ, vas partim vino partim aere refertum, non implet aer, ergo tale vas non implent aer & vinũ. Nam qui dicit vinum & aerem replere vas, non attribuit vtriq; partium subiecti impletionem vasis, sed ambobus pariter acceptis. Fateor tamen huiuscemodi propositiones distingui posse in duplicẽ sensum, sicut & hanc, duo & tria sunt æqualia, sunt quinq;, vt in Elenchis, quum de compositione ac diuisione agetur, latius est declarandum. Vt ergo ad rem redeamus, contineri sub hoc aut illo mẽbro præsentis diuisionis ita pluraliter assignatæ, non attribuitur vni cuipiam rei, sed pluribus simul acceptis, atq; hinc fit, cur non procedat inducta obiectio. Verùm hæc extra ordinem, velut ex diuerticulo, dicta sint. Pendet autem iam declaratæ diuisionis intelligentiã, omnino ex duobus quę modò restant declaranda, nempe quid sit de subiecto dici, & quid esse in subiecto. Qui hæc terminis ascribunt, dici de subiecto definiunt, prædicari de essentialiter subiicibili. Esse verò in subiecto, prædicari accidentaliter de termino significante formæ inhærentis subiectum. Nos, quibus sermo de rebus hoc loco magis placet, definimus id de subiecto dici, quod de aliquo essentialiter prædicatur, non vt signum, sed vt signatum, vt animalitas dicitur de subiecto, nempe Socrate, & rationalitas de homine, cum dicimus Socrates est animal, & homo est rationalis. Esse autem in subiecto, est inhærere cuipiam, sicut albedo & dulcedo inhærent lacti, & risibilitas homini. Omne enim & solum accidens prædicamentale, hoc est, non tantum prædicabile, sed & id quod proprium est, pertinetq; aliquo modo ad prædicamentorũ aliquod, in subiecto est. Porrò ipsemet quoq; Philosophus, ne minus satisfecisse studioso lectori fortasse videretur, quę nam dicat esse in subiecto, hisce verbis exposuit. Esse in subiecto dico, quod cum, &c. Ex quibus hęc elicitur definitio. Ens in subiecto est, quod cum in aliquo sit, nõ sicut quędã pars, impossibile est esse sine eo in quo est, ad cuius euidentiorem notitiam, visum est breuiter octo modos quibus aliquid alteri inesse vulgò dicere solemus, iuxta Aristot. in quarto Physicorũ enumerationem recensere. Primo itaq; modo dicimus partem integralem suo inesse toti, vt manui digitum, ædificio parietes. Secundo totum integrale in partibus. Sic S. Iob dicit se in carne sua visurum deum. Tertio speciem in genere. Et in vniuersum omne compositum in sua parte essentiali, sic homo est in animali, in rationali, in anima quoque, atq; materia.

Eius quod est in subiecto descriptio.

Quarto genus in specie, & omnem essentialem partem suo composito, vt animal & animã atq; corpus homini, colorem albedini. Quinto formam in materia. Qui modus in duos minus communes scinditur, prout duplex est forma. Nam aliter forma essentialis (quam vocant informantem) inest suę materię, cum qua vnum per se constituit, vt anima corpori hominis. aliter accidentaria forma (quam inhęrere dicimus) suo inest subiecto, vt albedo homini. Hęc enim vnum quiddam cum eo cui inest, non componit, quod illa facit, sed rei iam consummatæ, veluti forinsecus accidit. Sexto modo est effectus in sua efficiente causa, vt regimen reipublicę in rege, calor in pipere. Sic dicitur in vino esse luxuria. Septimo modo in causa finali est finis effectus, vt virtutes in beatitudine. Octauus modus est, secundum quem quippiam in loco esse dicitur, vt vinum in vase, hominem in theatro. Verùm hunc in duos distinxit Boetius, nouem faciens inessendi modos. Nos Aristotelem magis sequimur. In definitione igitur eius quod est in subiecto, primam particulam scilicet (quod cum in aliquo sit) intelligimus generatim de quolibet dictorum modorum. Quamuis enim verbum inesse æquiuocè sumatur illis modis, potest tamen nonnunquã sumi (sicut frequenter in vulgari vsu accidit) generaliter, vt quodammodo vniuocè plures suas significationes comprehendat, aut etiam omnes, siue id

Boetius.

siue id mediante conceptu essentiali fiat, siue accidentario quopiam. Id quod in alijs etiam æquiuocis non raro vsu venit. Principio igitur definitionis exclusa sunt ea, quæ nullo omnino modo insunt. Quando sequitur (non sicut quædam pars) intellige per oppositum, neq; sicut quoddam totum, neq; etiam tanq; vnà constituens essentialiter idem totum. Quare exclusa sunt omnia quæ primo, secundo, tertio, & quarto modis inesse dicebamus, imò etiã quæ secundum priorem partem quinti. Vltima definitionis parte reijciuntur, quæ insunt sexto, septimo, aut octauo modis. Nam horum vnumquodq;, sine eo cui sic inest, potest consistere. Hæc ferè est Boetij expositio, quam ille magna ex parte a diuo sumpsit Augustino, aduersus quam occurrunt instantiæ. Primò enim non videtur hæc definitio omnibus quę in subiecto sunt verè accommodari posse. Quia albedinem Socratis possibile est esse, sine eo in quo est. Potest enim esse sine Socrate, ergo sine eo in quo est. Antecedens probatur, quia Socrate mortuo, eius relinquitur albedo in cadauere secundum probabilem opinionem in libro de generatione & corruptione, ponentem idem accidens nonnunquam in genito & corrupto permanere. Secundò alijs a definito videtur competere sic interpretata definitio. Nam homo in loco est, non sicut quædam pars, & sine loco esse non potest. Deinde inferiores cœli in proximè superioribus sunt contenti, Extra quos etiam esse non possunt. Sed & homo & cunctæ creaturæ in deo sunt, non vtique in toto quodam (siquidem Deus simplex est) sed vt in fine suo, & conseruatore, sine quo omnino nequeunt consistere. Et tamen constat hæc non esse in subiecto. Ad priorem obiectionem respondendum est, non valere cõsequentiam, albedo Socratis potest esse sine Socrate, ergo potest esse sine eo in quo est. Si enim hoc enthymema ad syllogismum reduxeris, additione minoris, hoc modo, Socrates est id in quo est sua albedo, & illa potest esse sine Socrate, ergo potest esse sine eo in quo est, argumentaberis a termino particulariter accepto in antecedente, ad ipsum in consequente vniuersaliter sumptum, hoc est quod dici consueuit, a non distributo ad distributum. Nam maior extremitas, videlicet Id in quo est, &c. in maiore propositione particulariter accipitur, in cõclusione verò vniuersaliter, propter negationem quam continet præpositio sine, quòd si eam in maiore vniuersaliter accipi facias, falsa erit propositio. Neq; enim Socrates est omne illud in quo est sua albedo, quia Socrates non est suum corpus. In hoc tamen est albedo Socratis, & permanet aliquamdiu ipso defuncto. Quare nunquam sine omni eo in quo est, consistere poterit. Quid autem de albedine communi, ea inq̃, quę & in subiecto est, & de subiecto dicitur, quam apparet permanere etiam sine omni eo in quo est, sit dicendum, studiosis coniectãdum relinquimus. Ad posteriorem autem ad id quod primò assumitur, facilis est responsio, hominem, licet sine omni loco fortassis esse non possit, posse tamen vtiq; sine omni loco in quo nunc est consistere. Accidens verò non modò sine omni subiecto esse non posse, sed nec sine eo in quo est. Neq; enim fieri potest, vt accidens subiectum immediatum mutet, ac de vno in aliud transmigret, quemadmodum homo de loco in locum potest transferri, sicut ex Physicis constat certissimè. Quod verò Boetius adfert. malum, si in manu teneatur, manũ ipsam odore mali compleri. Nihil huic obstat, neq; enim numero idem odor, qui ante malo inhærebat, in manum se recipit, sed ideo manus odore mali compleri dicitur, quia malum odorem nouum in manu producit. quale quiddam igni etiam astantibus contingit, cuius argumentum est, quòd mali odor per hoc nihil remittitur, quòd manus quoq; simili imbuitur odore, nisi fortassis manus ipsa alio cõtrario odore sit infecta. nam tunc vterq; remitteretur, quia agẽs in agẽdo a passo repatit. Verùm hęc nõ Logicæ, sed Physicę potius sunt speculationis. Quod verò de inferioribus cœlis respectu superiorũ, & creaturarum omniũ respectu Dei assumptũ est, maiorẽ videtur & difficiliorẽ mouere dubitationẽ. Potest tamen (ni fallamur) haud incongruè respõderi, q necessaria illa dependentia inferiorũ sphærarũ cœlestiũ a superioribus, nõ conuenit eis quatenus sunt in illis tanq̃ suis locis. Si enim ab eis propterea necessariò pendêrẽt, quia ipsis sunt vt locis circũscripta, idẽ oporteret & in alijs locatis vsu venire, vt sine suis locis omnino cõsistere nequirent. Nam vbi est eadem ratio & causa, idem quoq; effectus sit necesse est. At istud falsum esse euidentius est, q̃ vt debeat probari. Similiter creaturæ a Deo non dependent necessariò, quatenus est ipsarum finis vel conseruator, eo q non cuiusq; finis vel conseruantis ea sit conditio, vt sine ipso nequeat esse suus effectus, vt facilè fuerit exemplis ostendere. At verò quæ in subiecto sunt, omnia illius sunt naturæ, vt sine subiecto existere nequeant. Patet ergo, quomodo salua maneat iam declarata huius definitionis interpretatio. Nonnulli tamen talium obiectionum violentia territi, principium definitionis (quod quum in aliquo sit) ad secundam partem quinti modi inessendi restrinxerunt, definitũ

(vt appa-

Boetius.
Augustinus

Obiectio prima.

Obiectio secũda & tertia.

Responsio ad priorem obiectionẽ.

Responsio ad posteriorem.

Ad tertiam.

(vti apparet) in sua ipsius constituentes definitione, q̃ rectè, iudicent alij. Scimus responderi posse, quòd non sit absurdum, in definitionibus improprijs idem per seipsum, alijs verbis expressum, definiri. Sed nos in huiusmodi confutandis non amplius immoramur. Aliter respondet Caietanus, dicens ea quæ assumpta sunt posse esse quodammodo separata ab ijs quibus insunt, quãuis sine illis existere nõ possint. Accidens verò, non posse separatim a subiecto consistere, sed eidem perpetuo quodam nexu penitissimè inhærere, quamdiu in rerum natura extiterit.

Caietanus.

In tertium caput, quod duas antepraedicamentales regulas continet, annotatiuncula.

Quãdo alterũ de altero p̃dicatur

Prior regula, qua mutua habitudo eorum quæ eiusdem sunt prædicamenti exprimitur, ita apud Arist. refertur. Quando alterũ de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur. Cuius sententia a veteribus sic declaratur. Si duarum rerum vna prędicetur de altera, tanq̃ subiecto seu inferiori, hoc est, essentialiter subijcibili, quicquid de eo quod prędicat̃ dicitur vt de subiecto, id etiã ita de primo dicetur subiecto. Alij ita reddunt. Quicquid est superius superiore, etiam est inferiore superius, vt si homo essentialiter est animal, & animal essentialiter est corpus, erit & homo essentialiter corpus. similiter sese habent ternarius, numerus, & quantitas. grammatica, scientia, & habitus, atq; ita in alijs prædicamentis. Ex quo interpretamento patet, clausulam illam (vt de subiecto) necessariò repetendã esse secundo loco ad id quod dicitur in regula (quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur) Alioqui enim falsa erit regula, dabiturque facilè instantia in hisce tribus, homo, animal, & quadrupes. Patet etiam Aristot. non intendere, hic vniuersalem aliquam dare argumentandi formam, sed tantùm viam quandam monstrare, qua deprehendamus, quid quo superius sit. Quia tamen recepta habet consuetudo, vt hoc loco modus quidam argumentandi tradatur, quem quidam consequentiam a primo ad vltimum, alij argumentationem per primam regulam antepręd icamentalẽ, nonnulli græco vocabulo σωρίτην, hoc est, coaceruationem appellant. hoc loco admonendum esse duximus, hanc coaceruationẽ duplicem esse. Quædam propositionum, quum ex vna propositione infertur alia, ex qua rursus tertia infertur, & ita deinceps, & tandem ex primo antecedente infertur vltimũ consequẽs, vt si Socrates est, homo est: & si homo est, animal est: & si animal est, substãtia est: ergo si Socrates est, substantia est. Sed vt hæc argumẽtandi ratio efficax sit & firma, necesse est omnes pręcedentes collectiones validas esse & efficaces. Hinc non sequuntur, Si quis bene bibit, bene dormit: & si quis bene dormit, non peccat: si autem non peccat, erit beatus: ergo si quis bene bibit, erit beatus. Hic enim neq; prima consequentia bona est, neq; vlla sequentium. Alia est coaceruatio terminorum, quæ tunc contingit, cũ de aliquo subiecto quippiam prędicatur, & huic prędicato mox attribuitur aliud prædicatum, & sic deinceps, & vltimo infertur nouissimum prædicatum de primo subiecto. In hunc modum, Socrates est homo, & homo est animal, & animal est substantia, ergo Socrates est substantia. Sic Diophantus Themistoclis filius colligebat. Quod ego volo, idem mater vult: quod mater, idem Themistocles: & quod Themistocles, id vult populus Atheniensis: Ergo quod ego volo, idem vult populus Atheniensis. Est autem in his obseruandum, vt secunda propositio assumpta cũ alijs sequentibus (si quę fuerint) vniuersalis sit, aut certè vniuersaliter vera. & deinde, vt prima non sit negatiua. Nam istis neglectis non sequitur, nullus homo est equus, & omnis equus est animal, ergo homo non est animal. Omnis homo est animal, & quoddam animal est quadrupes, ergo homo est quadrupes. Causa in primo priorum Analyticorum patebit. Sunt enim huiusmodi consequentię duabus tantum præmissis constantes, & in quibus secunda formaliter est vniuersalis, veri syllogismi primæ figurę, sola pręmissarum transpositione ab alijs qui in vulgatis modis fieri solent, differẽtes. Sed cum hæc præter mentem Philosophi in isto loco sunt tractata, non est cur eis diutius immoremur. Aliorũ quoq; interpretũ diuersissimas pręsentis regulę interpretationes, prolixitatis vitandæ gratia, libenter prætermisimus.

Prior antepdicamẽtalis regula.

De ea ratiocinandi forma quam Græci σωρίτην appellant.

Diophãtus Themistoclis filius.

Posterior regula antepdicamẽtalis, qua tam eorum quæ diuersorũ sunt prædicamentorum, q̃ quę eiusdem, explicatur habitudo ad inuicem, duas continet partes. Prior est. Diuersorum generum & non subalternatim positorum, diuersę sunt species & differentiæ. Exemplaria Græca nunc habent. Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersa sunt specie & differentia. Quem locum in hũc modum interpretatur Commentator. Genera diuersa, & nõ subiecta posita, ordinata alia sub alijs, scilicet nõ subalternata, diuersas habent differentias in specie. Verùm hunc sensum rari sunt interpretes qui sint persecuti. Lectionis varietas (quemadmodum arbitramur) inde manauit,

Posterior regula antepdicamẽtalis

manauit, quod quidã τῶν εἰδῶν legerint. Alij verò τὰ εἴδη. Altera, Subalternorum generum, nihil prohibet easdem esse differentias, intellige etiã species. Diuersa genera sunt genera nõ synonyma, hoc est, non multiuoca, vt animal & corpus, animal & color. Subalternatim poni dicuntur ea, quæ eiusdem sunt prędicamenti. Horum enim alterum sub altero continetur, vel ambo sub eodem tertio, vt animal & corpus. animal & planta, scientia & habitus. Non subalternatim posita sunt, quæ in distinctis sunt prædicamentis, vt substantia, & quantitas, arbor & color. Vndè patet, multũ interesse inter genera subalternatim posita, & genera subalterna a Porph. desinita. Habẽt enim hęc ad seinuicẽ, vt excedentia & excessa. Nã dantur subalternatim posita, quę non sunt subalterna, vt animal & substantia. Dantur rursus subalterna genera, quæ non ponuntur subalternatim, vt animal & color. Tertiò sunt, quibus vtrunq; horũ cõueniat, vt arbor & corpus. In secunda tamen huius regulæ parte, abutitur vocabulo subalternorũ, pro subalternatim positorũ. Nomine (species) intelligũtur in regula omnes species subijcibiles, siue specialissimę fuerint, siue subalternę. Sub quibus etiã indiuidua sunt subintelligenda. De his enim, quantũ ad hunc locũ pertinet, eadẽ est ratio atq; de speciebus habenda. Per differentias autẽ, accipiendæ sunt differentiæ magis propriæ, tam diuisiuæ, q̃ constitutiuæ. De diuisiuis assignatũ est exemplũ prioris partis regulę, cum dicitur, animalis enim differentiæ sunt, &c̃. De constitutiuis autem loquitur finis literæ, vbi habetur. Quare quæcunq; prędicati, &c̃. Priorem partem regulæ quidam negatiuè intelligunt ad hunc sensum. Nullorum generum non subalternatim positorum, sunt eædem species & differentiæ. Persuasum enim habent in solis substantijs reperiri differentias essentiales, atque ob id non veram esse affirmatiuam regulæ intelligentiam. Nos tali immutatione locutionis nihil opus esse putamus, scientes in omni prædicamento necessarias esse essentiales differentias, quibus generum confusæ naturæ, ad specierum decorem contrahantur atque formentur, licet illæ plerunque nobis sint ignotæ, sicut & in substantijs ipsis, perpaucas aut (si verum fateri velimus) omnino nullas probè cognitas habemus. Ad negatiuum sensum nonnihil facere videtur exemplum textus, vbi dicitur. Scientiæ verò nulla harum est. Verùm si subintelligas, sed & aliæ, nempe naturale, morale, atque rationale (his enim statim diuiditur scientia) ad alterum sensum accedes. Secunda pars particulariter est accipienda. Aliqua enim genera subalternatim posita eandem habent differentiã, non omnia. Nam quæcũq; differentia constitutiua est superioris, eadem & inferioris cuiusq; constitutiua sit oportet. Sic corporeum, corporis, animalis, & plantæ, est differentia. Quæcunq; autem diuisiua est inferioris, superius quóque diuidere (licet nõ immediatè) intelligitur. Sic rationale animalis & substantiæ est differentia. Alia verò quædam sunt genera, etiam subalternatim posita, quæ nullo pacto eandem obtinent differentiam, & per consequens nec speciem, vt corpus & spiritus, spiritus & animal. Omnia autem & sola ea quæ eandem habent diuisiuam differentiam, habent quoq; eandem speciẽ. An verò duorum generum eiusdem prædicamenti, quorum tamen neutrũ sub altero collocatũ est, possit eadẽ esse species, vt bruti & animalis bipedis coruus, non est præsentis loci discutere. Sanè in initio tertij capitis quarti Topicorum, videtur istud Aristot. non omnino abnuere. Hæ duę regulę ab Alberto suppositiones vocantur. Alijs prior videtur dignitas esse, posterior verò suppositio. Cuius hæc solet reddi causa. Quòd naturæ prædicamentorum sunt impermixtæ. Cæterùm latior horum declaratio, ad Metaphysicam pertinet. Quid autem differant suppositio & dignitas, in libro Posteriorum ostendetur.

Quę diuersa genera.

Quę subalternati posita.

Quę nõ posita subalternatim.

Quæ noie differentiæ sunt accipienda.

Posterioris regulæ explanatio.

Aduersus secundam regulam occurrit instantia. Nam corpus species est substantiæ, vt certum est, & etiam quantitatis continuæ, sicut hoc eodẽ libro testatur Philosophus. Item rationale, differentia est diuisiua animalis & sciẽtiæ, vt ex superius dictis colligĩt. Ergo non est necessariũ, diuersorum generũ & non subalternatim positorum, diuersas esse species & differentias, sed nonnunquam etiam easdem esse licebit. Dicendum est, quòd corpus dum substantię & quantitatis est species, & rationale quando animam & scientiam diuidere perhibetur, non eandẽ esse speciem, aut differentiam, sed maximè diuersam. Aequiuocè enim in talibus diuisionibus vtimur corpore & rationali. Quũ autem nomen duntaxat idem relinquitur, rebus longo inter se interuallo distantibus, non eadem censetur species aut differentia, sed plures & distinctæ. Corpus quidem, cum substantię species est, dicitur substantia quæpiam corporea, hoc est, res per se subsistens, cui ex natiua sua proprietate conuenit quantitas trium dimensionum. Quum verò quantitatis continuæ ponitur species, nihil est aliud, quàm hæc ipsa, in tres dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem, atque profunditatem, extensa quantitas, quę duo longè diuersissima conspexerit facilè, qui diligentem suæ mentis attentionẽ adhibuerit

Obiectio.

Dilutio.

inconsilium,

in consilium. Itidem de rationali quoq; arbitrandum. Quando enim animalis differentia est rationale, non aliud est, q̃ res eum perfectionis substantialis gradum sortita, ex qua ratio seu intelligendi vis sit nata profluere. Quando verò scientias nonnullas rationales appellamus, nihil intelligimus aliud, quàm eas non in rerum ipsarum considerationem versari, sed hoc agere ac præstare potius, vt rationis seu intellectus nostri cogitationes aptè formemus, vel probabiliter eloquamur. Quare & sermocinales vocatæ sunt, grammatica (inquam) dialectica atque rhetorica.

In tertij tractatus caput primum, quo decem prædicamentorum generalis quædam continetur diuisio, scholia.

Eorum quæ secundũ nullam cõplexionẽ dicuntur,

PRæmissis quibusdam adminicularijs, tertio hoc tractatu ipsorum prædicamentorum determinationem aggreditur Philosophus, assignata in primis generali eorum diuisione, seu (vt alijs placet) enumeratione. Nam diuisio generis in species esse debere videtur, quo quidem carent generalissima. Cæterùm hoc parum ad rem facit. Neque enim sunt membra diuidentia huius diuisionis ipsa decem generalissima genera seu prædicamenta, sed significare substantiam, significare quantitatem, & sic in alijs, in quibus ipsa generalissima satis innuuntur, exprimunturque, atque hinc prædicamentalem diuisionem appellari consentaneum est. Cuius hæc est sententia, vnumquodq; incomplexorum, aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, id est, relationem, aut relationem localem, aut temporalem, aut situm, aut habitum, aut actionem, aut passionem. Quæ diuisio, accidentis in accidentia nobis esse videtur. Quare & diuisum in membris diuidentibus repetendum erit, si horum inter se conuertibilitatem saluam esse velimus. Sed adhuc restat scrupulus. Non enim omne incomplexum, aut substantiam, aut quantitatem, &c. videtur significare, eo quòd rationale nihil significet horum. Non quantitatem, aut aliquid sequentium, vt constat. Nec etiam substantiam, quia tum rationale foret secunda substantia, quod omnino est alienum ab Aristotelis sententia, in sequentis capitis parte tertia. Et idem de alijs plerisq; ostendi posset. Hunc nodum soluendi duplex est modus. Quidam enim accusatiuos illos substantiam, quantitatem, &c. paulò largius accipiunt, quàm dum propriè sunt prædicamentorum generalissima. Non enim substantiam in hac diuisione intelligi volunt tantum eam, quæ directè pertinet ad primum prædicamentum, verùm etiam quicquid indirectè vel reductione quadam illuc refertur, & ita de alijs quóque sequentibus. Alijs placet, eosdem accusatiuos propriè, & vt sunt decem prædicamentorum capita, seu prima genera, accipi. Hi quóq; diuisum ipsum adiectione quadam restringunt ad hunc modum. Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, & in ordine sunt prædicamentali, singulum significat substantiam aut quantitatem, &c. Quæ autem a prædicamentalibus exulent ordinibus, & quæ non, satis est ante dictum. Est autem in diuisione sermo de significationibus principalibus, præcipuisq;, non autem accessorijs, quas connotationes appellare solent. Nam alioqui album probaret quis etiam substantiam significare, similiter dulce & lineatum, quod nequaquam est admittendum. Significat enim album principaliter idem quod albedo, eo quòd hæc coniugata sint, vt patet ex Topicis, sed tamen præter illam quantitatem, eius quóque significat aut connotat subiectum, vt cygnum, vel niuem. Quod verò ad numerum ipsorum prædicamentorum attinet, an (quemadmodum hæc innuit diuisio) decem sunt, an (quod alijs magis placet) quatuor, an vnum tantum cum dimidiato, vt alij quidam contenderunt, & vnde sit eorum distinctio sumenda, non est præsentis loci pertractare, sed in hoc metaphysicè vestigandum est. Lycium autem media producta (Nam apud Græces per e diphthongum scribitur) cuius in litera mentio fit, fuit gymnasium celebre Athenis, in quo Aristot. ipse περιπατῶν, id est, deambulans docebat. Cicero.

Regulæ prædicamentalis declaratio.

Obiectio.

Solutio prior.

Posterior.

> Inq; Academia vmbrifera nitidóque Lycio,
> Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

Ibi autem in litera (Singula ergo eorum quæ dicta, &c.) indicat proprietatem quandam, seu conditionem certam eorum, quæ incomplexè dicuntur, quòd scilicet ipsorum nullum sit affirmatio vel negatio, sed ex ipsis certo modo compositis affirmatio vel negatio fiat, etiam si ex eorum compositione, alia quoq; nonnunquam efficitur oratio, vt optatiua, vel imperatiua, aut etiam prorsus imperfecta.

In secundi

Subſtā tia autẽ quę pro priè,

In ſecundi capitis, quod eſt de Subſtantia, primam partem monſtrantem quotuplex ſit ſubſtantia, & quid prima ſubſtantia ſit, quidue ſecunda, annotatio.

Conſulto a ſubſtantia prædicamentorum tractationem exorſus eſt, quòd hęc accidentium (quæ ſola ſequentibus nouem continentur ordinibus) baſis atq; fundamentum exiſtat, & cauſa tam efficiens quàm finalis, ac etiam quodammodo materialis, & proinde natura prior atq; perfectione. Quorum exactior declaratio, in ſeptimo Metha. eſt requirenda. Nomen ſubſtantia (Græci οὐσίαν appellant) variè apud philoſophos vſurpatur. Aliquando enim ſubſtantiam vocant cuiuſuis rei eſſentiam, ſiue ea per ſe exiſtat, ſiue per accidens. Hoc modo color pars eſt ſubſtantiæ, Imò etiam ſubſtantia albedinis, vt habetur ſecundo Topicorum. Secundò ſubſtantiam appellant, quicquid accidens non eſt, hoc eſt, quicquid non eſt forma ſubiecto inhærens. Sic materia & forma ſubſtantialis, vt anima, in ſubſtantijs numerantur, velut in principio ſecundi de anima. Tertio modo ſubſtantia deſcribitur res per ſe ſubſiſtens, quales ſunt, homo, lapis, ſpiritus, Ioannes, Gabriel. Illud autem hic per ſe ſubſiſtere dicitur, quod vt exiſtat, non oportet alteri inhęrere, neq; partem eſſe alterius eſſentialem phyſicam, aut conſtitutiuam differentiam. Quodcunq; verò huiuſmodi non eſt, per accidens perque aliud dicitur ſubſiſtere. Quare conſequens eſt, nullum accidens per ſe ſubſiſtere, quum eius exiſtentia a ſubiecto naturaliter depēdeat. Neq; etiam per ſe ſubſiſtēr, hoc modo materia & formæ ſubſtantiarum, eo quòd ſine cōpoſitis ſuis exiſtere non poſſit. Nam anima rationalis (ſi modò eam incorruptibilem poſuit Ariſtoteles) licet ſeparatim a corpore noſcatur exiſtere, aptitudine tamen quadam & naturali inclinatione a corpore dependet, adeò vt niſi corpore reaſſumpto, ad integri compoſitionem hominis, naturale eius deſyderium impleri, perfectiorque conſummari nequeat, quemadmodum nos ſacra docet Theologia. Cur autem differentiæ ſubſtantiarum conſtitutiuæ, negentur propriè per ſe ſubſiſtere, quum id generibus & ſpeciebus concedatur, in cauſa eſſe videtur, quod differentia a ſola ſumitur forma, & non a materia. Genera verò & ſpecies, vtrumque horum videntur includere, quare & ſola iſta in quid prædicari de primis ſubſtantijs dicuntur ab Ariſtotele atque Porphyrio. Sed talium profundior conſideratio alterius eſt negocij. Hic nobis ſunt huiuſmodi ſupponenda. Hoc modo accipienda eſt ſubſtantia, dum ſtatuitur primi prædicamenti generaliſſimum, Diuiditurq; ſtatim, in corpus & ſpiritum. Corpus autem in corpus animatum ſiue viuum, & inanimatum, & ſic deinceps per diuerſa ſubalterna, vſq; ad innumera ſpecialiſſima ac indiuidua, ſicut in ſcholijs Porphyrij Iſagoges diffuſius eſt declaratum, & in ſequenti ſubiecta oculis figura monſtratur.

Subſtantiæ acceptiones
Prima.
Secunda.
Tertia.

- Substātia.
  - Spiritus seu Intelligentia.
    - Michael.
    - Gabriel.
    - Raphael.&c̃.
  - Corpus.
    - Corpꝰ animatum seu viuum.
      - Animal.
        - Brutum
          - Auis.
            - Cornix.
            - Anser.
            - Psitacus,&c̃.
              - Hic aut hæc.
          - Animal quadrupes.
            - Equus.
            - Leo.
            - Lupus,&c̃.
          - Piscis.
            - Salmo.
            - Gobio.
            - Rhombus,&c̃.
          - Animal reptile.
            - Serpens.
            - Lacertus.
            - Basiliscus.
            - Pulex,&c̃.
        - Homo.
          - Robertus.
          - Ioannes.
          - Petrus.
      - Plāta.
        - Arbor
          - Quercus.
          - Malus.
          - Corylus.
        - Frutex.
          - Genista.
          - Vepres.
          - Arundo.
        - Herba.
          - Beta.
          - Thymus.
          - Hysopus,&c̃.
    - Inanimatum.
      - Simplex.
        - Elementum
          - Terra.
          - Aqua.
          - Aer.
          - Ignis.
        - Cœleste
          - Firmamentum.
          - Cœlum Iouis.
          - Cœlum lunæ,&c̃.
      - Inanime mixtum
        - Lapis.
          - Silex.
          - Iaspis.
          - Sardonyx,&c̃.
        - Metallum.
          - Aurum.
          - Argentum.
          - Ferrum,&c.
        - Horũ media.
          - Gluten.
          - Gummi.
          - Sulphur.&c.

Hæc est eorum series, quę propriè &(quod dicunt)directè ad primũ attinent prędicamentũ, a qua etiā non excludi volumus horũ integrales partes, vt caput, manũ, pedē, caudā, radicem, &c. Nā in primæ proprietatis substātię declaratione, pro absurdo habet Arist. substantiarũ partes negari esse substātias, vbi tamen non largo quodam modo de substantia loquitur, vt constat ex eo, quòd ibidē differentias substantiales a substantijs manifestè separat, quæ tamen illo modo substantiæ sunt. Deinde etiā cum non possit eadē species in diuersis reponi prædicamentis, nec etiam(vt apertum est)partim esse in prædicamento & partim(hoc est, pro nonnullis suis indiuiduis)non esse. sintq; hæ partes integrales eiusdem omnino speciei cum suis totis, quũ similiter ex materia & forma cōponantur, manifestũ est, eas propriè ad prędicamentũ pertinere, & veras esse substātias & corpora, licet nō animalia aut homines consueuerunt appellari. eiusdē tamen cum suis totis speciei & essentiæ. Nam in illis totis, quæ nō constant ex partibus homogeneis, id est, similaribus seu eiusdē generis, seu heterogeneis, hoc est, dissimilaribus, (qualia sunt vniuersa animata)pars non suscipit denominātionem totius. Neq; enim pedem

Partes integrales ĩ prædicamento collocantur

porci,

porci, porcum aut animal vocant homines, neq; caput hominis hominem, q̃uis eiusdem sit cũ integro homine speciei. Vbi verò partes homogeneæ sunt, vnaquæq; earũ sibi nomen vsurpat totius. Tã enim pars aquæ aqua dicitur, ꝙ tota, & tam mica cretæ creta est, q̃ ingens massa. Dissimilares partes sunt, quæ pro diuersis in composito suo officijs & operationibus, diuersas quoq; sortitæ sunt figuras, vt manus & venter, oculus & aures. Similares verò, quarum non sunt diuersæ in toto functiones, & proinde non oportet eas variegatis prçditas esse figuris. Tales sunt rerum naturalium inanimatarum partes, vt aquæ, lapidis, vini, &c. Quarta substantiæ significatio relatiua est, secundum quam id quod primi est prçdicamenti, substãtia vocatur, quatenus alteri essentialiter aut accidentaliter substat, hoc est, subijcitur. Sic Socrates substãtia est, quatenus substat homini, animali, substãtiç, albo, & similibus. Atq; hæc acceptio modò rebus attribuitur, idq; rectius nostro iudicio, modò etiam terminis, vt apparet in tertia substantiæ proprietate. Sic acceptç substantiæ in primã atq; secundam latenter insinuat distributionem Arist. quam licet recentiores putant esse generis in species, Albertus tamẽ, & post hunc Caietanus malunt, eandem esse analogi in sua (vt loquuntur) analogata, quorũ principale sit prima substantia. fortassè rectius dicetur accidentis in accidentia diuisio, si modò per primum & secundũ intelligantur singulare atq; vniuersale, vt ferè solent interpretari.

Albertus Caietanus.

Primæ substantiæ hçc a Philosopho assignatur definitio. Substantia quç propriè, principaliter, & maximè dicitur, est, quæ neq; de subiecto dicitur, neq; in subiecto est. In qua totũ hoc (substantia quç propriè, principaliter & maximè dicitur, simpliciter substãtia, vel substare) periphrasis est definiti, nẽpe primç substãtiç. Ex qua nonnulli alterã colligunt definitionem hanc. Substantia prima est, quæ propriè principaliter & maximè dicitur substãtia. vbi tria illa aduerbia, propriè principaliter & maximè, quæ pro eisdem & se mutuò interpretantibus Faber habet, alij pleriq; subtiliter distinguere nituntur, vt propriè substantia dicatur, ad discrimẽ substãtiæ illo modo, quem nos primum fecimus, acceptç. Principaliter seu primo substet, quod immediatè proximéq; subijcitur. Hinc excluduntur secundç substãtiæ, quæ tantum secundariò & minus principaliter ratione primarũ substant, prçsertim accidentibus communibus, imò quibusuis secundum esse reale. Tertiò subiungitur (maximè) ad indicandum prima substãtia nihil magis substare, sed ipsam omnibus alijs esse subiectam. Estq; superlatiuus iste negatiuè exponendus, facta comparatione primarum substantiarũ ad inuicẽ. affirmatiuè verò, si ad alia cõferantur. In definitione autem, vt excludantur hæc materia, hoc rationale, & similia, pro genere definiti accipe substantiã, etiam si illud non probet Caietanus, putans sic effici, vt secunda definitionis pars (neq; in subiecto est) ociosa relinquatur. Quare ipse mauult, rem prçdicamentalem eo loco constitui. Si aduersus definitionem opponas. quod nulla proba definitio assignanda sit per negationem. Respondet Caietanus, eã non per purã negationem esse datã, eo quòd etiam aliquid affirmationis seu positiui in se claudat, vt patet ex mox dictis. Annotat hic Albertus, indiuiduam substantiam in substando seu existẽdo primã esse, secundum essentiam verò esse omniũ postremã & vltimam. Nã existere prius singularibus cõuenire, & per hæc speciebus ac generibus, eo ordine quo in illis includuntur. Essentiam verò (quam ab existentia realiter differre ponit) ediuerso prius esse generalissimorum q̃ minus communiũ, atq; ita deinceps, descendendo tandem ad indiuidua. Atq; huius indicandi gratia, Aristotelem duplici vsum vult negatione in definienda prima substantia, quarum vna ipsam in essendo seu in esse essentiali vltimã esse significaret, Altera in existendo primam, prçsertim quum horũ non sit possibile positiuam aliquam assignari causam. De exemplis Arist. vt aliquis homo, & aliquis equus, quç indiuidua vaga appellari solẽt, magna est altercatio interpretũ inter se, quæ tota tollitur & subruit, si quç hic dicuntur, ad res ipsas referamus omnia. Secundarũ substantiarũ definitio ex Arist. hçc colligitur. Secundæ substãtiç sunt species & genera, in quibus illæ quç principaliter substãtiç dicuntur insunt. Quam ad declinandas sophisticas obiectiones sic interpretare. Secundç substãtiæ sunt, quarum vnaquæq; est species aut genus, in quo principales substantiç insunt, vt homo, vulpes, auis, arbor, corpus, substantia. In qua descriptione, species pro specie prædicabili rectius videtur accipienda, vt scilicet a genere distinguatur. Verbum (insunt) ostendit modum, secundum quem inferius inest superiori, nẽpe tertium. Differentiç substantiales, vt rationale, & irrationale, per genus definiti facilè excludentur, siue id sit substantia, siue res prçdicamentalis. Deinde etiam non tam propriè insunt eis primæ substantiæ atq; generibus suis & speciebus, quæ sola in quid de primis substantijs prædicantur, atq; harum indicium sibi proprio iure vendicant, vt patet ex fine sequentis textus.

Primæ substãtiæ descriptio.

Obiectionis dilutio.

Secundarũ substãtiarũ descriptio.

Quum sequitur in litera (manifestum autem &c.) explicat quoddã inter ea quæ de subiecto

Explicatio notabilis in litera assignati.

dicuntur, & quæ sunt in subiecto discrimen, quod dicit ex ante dictis dilucidum euadere, definitione scilicet vnjuocorum & secunda diuisione, non qꝫ ex illis tanq̃ antecedente quodam rectè inferatur, sed qꝫ illis benè intellectis, sine magno negocio etiam percipi queant, quæ hic dicuntur. Consistit autem discrimen in hoc, quòd earum rerum quę de subiecto dicuntur, necesse est tam nomen q̃ rationem, hoc est, definitionem de illo subiecto prædicari. Earum verò quæ in subiecto sunt, licet plurimæ neqꝫ nomine neqꝫ ratione de subiecto prædicentur, vtpote quando abstractim significantur, aliquæ tamen earum (quæ scilicet cõcretis præditæ sunt nominibus) nomine tenus de subiecto prædicari possunt, sed tamen fieri nequit vnqꝫ, vt earum ratio talibus accommodetur subiectis. Declarantur hæc exemplis facilè. At dicet quispiam. qui fieri potest, vt cuipiam nomen attribuatur, & non ipsius definitio: quum dictet maxima topica, Cuicunqꝫ conuenit definitum, eidem & definitionem cõuenire, eo quòd inter hæc omnibus modis perfecta esse debeat conuertibilitas. Cui respondendum est, non aliter hic censeri rationem de quopiam prædicari, nisi de illo prædicetur essentialiter. Tum enim propriè vt ratio, hoc est, essentialis definitio accipitur. Non autem oportet, de quo nomen simpliciter prædicatur, de illo definitionem prædicari essentialiter. Ex nostro interpretamento colligendum est, secundæ partis in hoc discrimine, quæ ibi incipit, (Eorum verò quæ in subiecto, &c̃.) duo membra ad eadem esse referenda accidentia, non autem diuersa, nisi sola consyderatione, id quod ab omnibus etiam alijs, quos nobis videre contigit, interpretibus factitatum inuenimus. Et prius quidem membrum vniuersaliter habere veritatem de omnibus accidentibus, eo quòd omnino nullum accidens abstractum designatum dicatur de suo subiecto. Posterius verò, particulariter dumtaxat, quòd sint nonnulla accidentia, quibus non sunt imposita concreta subiectis accommodabilia, vt sunt generatio, corruptio, sonus. Neqꝫ enim generari, corrumpi, aut sonare seu sonora esse ea dicuntur, quę illarum formarum sunt subiecta, sed quę termini sunt, ad quos est mutatio, aut causæ efficientes soni. Perspicuum quoqꝫ euadit, multo accipi aliter, prædicari de subiecto, quùm nominibus accidentalibus tribuitur, q̃ cùm essentialibus. Loquitur verò semper Aristoteles de nominibus, quæ non sunt vltima abstractione abstracta. Nam talia, vt humanitas, animalitas, &c̃. non dicuntur propriè de vllo subiecto. Non enim dicere solemus Socratem esse animalitatem, humanitatem seu humanam naturã. Verùm huiusmodi abstracta fortasse nõ agnouit Arist. Per ea quæ adnotauimus, facilè eliduntur soluunturqꝫ ab ingenioso, quæcunqꝫ aduersus prædicta possunt obijci. Ibi verò, Alia autem omnia de principalibus, &c̃.) intelligenda est fieri distributio pro rebus prædicamentalibus dumtaxat, vt excludantur instantię de materia & formis substantialibus, quæ neqꝫ de primis substantijs dicuntur vt de subiectis, cum significent res, quæ non consideratione sola, sed & re ipsa sunt partes illarum, neqꝫ etiam eisdem vt subiectis insunt, sicut ex ante dictis certò constat. Interim tamen non negamus, de plerisqꝫ etiam eorum, quæ ad nullum prædicamentum directè pertinent, veritatem continere quod hic dicitur. Reducenda quòque est de qua nunc agitur propositio, ad terminos singularis numeri, aut sub duobus simplicibus membris cõposita erunt intelligenda, vt morosioribus ingenijs eripiatur omnis rixandi materia. Probat autem eam Aristot. in litera inductione imperfecta, duo exempla (de quibus ac reliquis omnibus idem sit iudicium) assumente. Sed quonam pacto valeant argumentationes ad istorum exemplorum probationem adductæ, (animal de homine prædicatur, ergo de aliquo homine, Color in corpore est, ergo in aliquo corpore) a nonnullis scrupulosè disquiritur. Nobis breuiter videtur prior consequentia vim suam habere per priorem regulam antepradicamẽtalem, qua dicitur, Quando alterum de altero prædicatur, &c̃. Aut aliam Maximam æquiualentem. Posterior verò videtur inniti huic maximæ. Quicquid est in superiore vt in subiecto, est etiam in aliquo inferiore, & contra. Si aduersus iam dicta obijciatur ex Porph. Animalis ratio manet destructis omnibus animalibus, & pari ratione hominis ratio poterit subsistere, sublatis cunctis particularibus hominibus. hominis autem & animalis definitionibus permanentibus, certum est animal de homine prædicari posse, ergo licet nemo sit particularium hominum, poterit animal de homine prædicari, quare corruet omne robur iam declaratarũ argumentationum. Huius solutio, ex his quæ in communicatibus vniuersalium & alibi annotauimus, petenda est. Ex præmissis facilè intelligitur corollarium, in fine textus contra Platonem, qui ideas, id est, formas seu naturas rerum posuit separatim ab ipsis singularibus existere, illatum. Cuius hæc est reddenda sententia. Non potest aliquid aliorum existere, quãdo nulla est prima substantia. Quo sanè significatur impossibilitas huius copulatiuæ, nulla prima substantia est, & eodẽ tempore aliquid aliorum est. Cur autem potius sic exponamus

Obiectio incidentis.

Responsio.

Literæ conclusio.

Obiectio.

Dilutio ex alio loco petenda.

ablatiuos

ablatiuos absolutè positos,q̃(vt vulgo hic fieri assolet)per coniūctionem conditionalē,in causa est,quia si conditionaliter explicentur, aut modus impossibile determinabit totam hypotheticam,aut tantùm consequens.Non prius,quia eâdem ratione liceret dicere, non existentibus hominibus,impossibile est aliquid aliorum esse. Est enim hæc conditionalis impossibilis, Si nulli homines sint,aliquid aliorum est,quum sit semper mala consequentia.Non etiam posterius,nam sic falsa erit conditionalis. Si nulla prima substantia est, impossibile est aliquid aliorum esse,eo quòd antecedens potest esse verum sine consequente.Si enim omnipotens Deus omnem primam substantiam nunc tolleret e medio,antecedens esset nunc verum, consequens tamen falsum,quia licet nunc nihil aliorum esset,possibile tamen foret,aliquid eorum esse.Nam possibile est,ipsas primas substantias a Deo rursum produci. Accidit autem hic & alia quædam dubitatio. Nam cum anima rationalis,corruptis omnibus substantijs,esse possit,vt fide credimus certissima,possintq; in ea esse plurima accidentia,vt scientiæ ac virtutes, videtur periclitari illius corollarij veritas. Ad quam respondendum est,Aristoteli fortassis animas omnes mortales esse,& cum corporibus interire. Quod si indignum tanto philosopho arbitramur, dicamus tum demum, hic primas substantias intelligi non existere, quū nec ipsæ extent,nec vlla earum pars sit superstes.

Obiectio.

Solutio.

In secundam partem, in qua ad seinuicem conferuntur substantiæ, adnotatio.

Secūda rū substātiarū

Comparantur hac secunda præsentis capitis parte inter se substantiæ omnes,per quatuor conclusiones,quemadmodum satis apertè monstrant marginales adnotatiunculæ. Primæ conclusionis prior probatio,in hac maxima propositione seu proloquio cōsistit.Quicquid primæ substantiæ vicinius est, id magis est substantia, illo, quod abest longius. Ex quo sequitur,speciem omnem magis esse substantiam suo genere,si ad eandem referantur primam substantiam. Nihil namq; prohibet,aliquando genus esse magis substantiam sua specie, relatione facta ad aliam & aliam substantiam primam. Animal enim ad Socratem relatum, magis est substantia,q̃ brutum ad hanc cornicem, eo quòd inter illa solus est homo, inter hæc verò auis & cornix media sunt. Eiusdem primæ conclusionis probatio secunda,huic maximæ innititur, Id quod alteri substat, magis est illo substantia. Non oportet autem, vt quod substat pluribus, magis sit substantia,q̃ id quòd non tam multis substat,nisi etiam huic illud substare probetur. Alioqui enim equus magis esset substantia q̃ homo, quod est contra secūdam conclusionem. In quartæ conclusionis priore probatione,illa dicuntur primas substātias indicare,quæ de illis in eo quod quid est prædicantur.Id quod neq; accidentibus conuenit,neq; etiam substantialibus differentijs. Dum dicitur ibidem (Interrogatus enim quidnā aliquis homo sit, conuenientius, &c̃.) interpreretur comparatiuus propriè,vt inferre liceat, ergo vtrumq; conuenienter respondebis, non impropriè, quomodo Salustius (teste Macrobio)dixit,mare Ponticum esse dulcius quàm cætera, id est minus amarum. Vt autem probationes literæ euadant planiores, constituenda est triplex rerum seu terminorum multitudo atq; congeries.Vna primarum substantiarum, Altera secundarum omnium, Tertia verò vniuersorum accidentium. Cætera per se sunt satis manifesta.

Cōmune est oī substantiæ,

Adnotatio in tertiam partem eiusdem capitis, substantiæ proprietates continentem.

De proprietatibus substantiæ, & præcipuè sexta, sic habet Boetius.Post enumerationē substantiarū & diuisionē,in qua alias primas,alias secundas esse posuit,quoniam substātiæ definitio nulla est reddita, iccirco quia generalissimū genus definitionibus nō tenetur,pro prietatem quandam cupit exquirere,quasi signum aliquod,quo substantiā queamus agnoscere, priusq̃ quid ipsis substantijs communiter possit euenire, proponit. post verò quid illis proprium sit,quærit. Sed idcirco ista præmittit,vt ad istud verum proprium sine vllo errore perueniat,& quod verè est substantiarum proprium, vltimum dicat.hactenus ille.Ex quo apparet,quinq; priores proprietates, communitates potius seu communes conditiones substantiarum esse vocandas, quàm proprietates. Siquidem id demum verè proprium existimandum est,quod omni,soli, atq; semper conuenit. Licebit tamen & alias priores aliquo modo proprietates vocari,a tribus illis primis, quæ sunt apud Porph. proprij improprijs acceptionibus. Nolumus enim super nomine odiosius confligari,sicut nec de ordine ac diuersitate dictarū sex proprietatū,in quibus subtiliter indagandis,mirum q̃ sudârunt quorundā plus satis curiosa ingenia. Paucis tamen aduertendū duximus, secundā atq; tertiam non nisi secundū mentiū nostrarū consyderationes, rebus aut terminis conuenire ac attribui. Reliquas verò

Alberto, Fabroq; probet dictam proprietatem non omni substantiæ conuenire, nobis tamē cum plerisq; alijs, videtur ad eius quod statim præcessit declarationem propius facere. Significat autem, a nulla prima substantia, tanquam a prædicato (quod digniorem in propositione locum obtinet) prouenire prædicationem propriam seu ordinatam, scilicet qualis sit superioris de inferiori, aut accidentis de subiecto suo. Nam impropriam prędicationem quandam, vulgò identicam appellatam (de qua Boetius ait, nullam esse veriorem prædicationem, ea in quaidem de seipso prędicatur) effici posse per primas substantias, vel ex indiuidui Porphyriana definitione licet arguere. Si cui nostra hęc plane simplicitas minus satis faciat, inueniet apud Caietanum duplicem hoc loco distinctam prædicationem, videlicet, ex se & ex intellectu, & apud Albertum, artificialem & naturalem. Tertiam proprietatem si assignare placeat, videri significare hoc aliquid, erit propria secundo modo respectu substantiæ terminis attributæ. Omne enim vocabulum prædicamenti substantiæ, hoc aliquid apparet significare, sed non solum, eo quòd istud etiam competat differentijs substantialibus, vel Alberto teste, & secundum quosdam, accidentium etiam concretis. Cæterùm ijs quibus id non placet, propria est quarto modo. Verbum (videri) hoc loco omne animi iudicium designat, siue id verum fuerit, siue falsum. Nam primę substantię verè videntur hoc aliquid significare, secundæ verò falsò, vt textus declarat, vbi probatio illa (Indiuiduum enim, &c.) ne cauillationem pati aris, intelligenda est secundum materiam pręsentem & subiectam, de indiuiduo scilicet substantiali. Alioqui enim consimili argumento probarentur singularia accidentium, vt hęc albedo, hęc linea, significare hoc aliquid. Si verò assignetur significare hoc aliquid, erit proprium quarto modo respectu primæ substantiæ, sicut significare quale quid respectu secundæ. Per hoc aliquid, intelligenda est substantia singularis. Nihil enim propriè & per se aliquid est siue ens, quod non est substantia. Pronomen autem (hoc) singularitatem manifestè insinuat, quum nihil cōmune demonstrari possit, teste Caietano, adnotat Albertus substantiam singularem a suis indiuidualibus principijs habere, quòd sit hoc. Quòd autem aliquid sit, a forma suę speciei, quę in ipsa est, quæq; ipsius esse totum includit. Nam (si Boetio creditur) omnis res ab alio habet quod sit, & ab alio quòd sit hæc. Quale autem quid, siue quale aliquid, à diuersis diuersè accipitur. Auicenna, & post hunc Albertus, tradunt quale quid appellari hic compositum ex prædicato, quod in quid prędicatur, & ex altero quod dicitur in quale, hoc est, compositū ex prędicato quod in quid prædicatur, & ex altero quod dicitur in quale, hoc est compositum ex genere & differentia. Itaq; homo dicitur significare, quale quid, quia humanam naturam significat, quæ ex animalitate & rationalitate conflatur, & ita in alijs. Verùm hæc interpretatio multis impetitur obiectionibus. Primò, accidentia etiam, vt albedo, significant compositum quiddam ex genere & differentia, quorum illud in quid prędicatur, hæc in quale, non ergo erit secundis substantijs proprium significare quale quid, quod tamen sub indicare videtur Arist. Secundò, hęc hominis definitio, animal rationale, quæ non est secunda substantia, significat quale quid, nimirum genus cum differentia. Tertiò, genus generalissimum, tantum quid significat, non etiam quale, cum ex nulla componatur differentia, quare significare quale quid non omnibus secundis substantijs competit. Quartò, prima substātia, vt Socrates, ad hunc modum etiā videbitur quale quid significare. Res enim quæ est Socrates componitur ex genere & differentia. Ad primam facilè respondetur, quòd quamuis albedo, aut aliud accidens quale quid significet, non tamen quale quid ipsarum primarum substantiarum, ad quas referenda sunt ea, quæ de secundis substantijs dicuntur. Aliter respondendum est, dictionem quid, seu aliquid, hoc loco pro solis substantijs accipi, quomodo non significat albedo aliquid, sed tantum accidens, quod cum in prędicando modum substātiæ imitetur, aliquo etiam modo alibi admittitur in quid prædicari. Ad secundam respōdendum videtur, quòd talis definitio non tam compositum ex quo & quali significat, vt secundæ substantiæ, quàm illius compositi partes. Vel dicatur hic Aristoteles loqui solum de confusa & non expressa distinctaq; in partes significatione qualis alicuius. Ad tertiam dicunt, secundas substantias omnes, pręter vnum generalissimum, significare actu quale quid, Generalissimum verò, tantum potestate quale quid importare, vt ex Porphyrio manifestum esse potest. Quare potius volunt, generalissimum significare aliquid qualificabile, hoc est, per qualitatem essentialem contrahibile, quod tamen hic aiunt sufficere. Ad quartam respondendum, quòd licet prima substantia quodammodo quale quid significet, non tamen purè ac simpliciter, quod secundæ substantię est proprium. Nam quale quid per primam substantiam significatum, ad esse materiale atq; indiuiduale contractum est. Alij putant, quale quid signi-

Marginalia: Boetius. — Caietanus. Albertus. — Tertia substantiæ proprietas. — Quid hoc aliquid. — Caietanus. Albertus. Boetius. — Obiectiōes. Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Solutiones. Primæ. — Secundæ. — Tertiæ. — Quartæ. — Aliorū sententia.

quid ſignificare, nihil aliud eſſe, quàm ſignificare ſubſtantiam communẽ, Sicut ſignificare hoc aliquid, eſt ſignificare ſubſtantiam ſingularem. Quibus ſi obijcias. Communitas ipſa accidens quoddam eſt, ſeu potius relatio in ſola ratione conſiſtens, ſed hæ voces, homo, equus, animal, nullam relationem ſignificant, igitur non ſignificant ſubſtantiam communẽ. Reſpondẽt, ꝙ quemadmodum vox Socrates dicitur ſignificare ſubſtantiam ſingularem, non ꝙ ſingularitatem ſimul cũ ipſa ſubſtãtia deſignet, ſed quia ſubſtantiã ſignificat, cui ſic ſignificatæ rectè tribuitur ſingularitatis ratio. Ita vox homo dicitur ſignificare ſubſtantiã communem, non ꝙ communitatem ipſam ſimul cum ipſa ſubſtantia, ſua ſignificatione comprehendat, ſed quia certo quodam modo ſubſtantiam ſignificat, cui ſic ſignificatæ per intellectum accommodari poteſt ipſa communitatis ratio.

Cur ſecũdæ ſubſtãtię videtur ſignificare hoc aliquid.

Sed cur ſecũdæ ſubſtantię, quę re vera quale quid ſignificãt, etiã hoc aliquid ſignificare videntur. Reſpondeo, huius duplex aſſignatur ratio iuxta duplicem interpretationem illius clauſulæ poſitæ in textu (ſub appellationis figura) Albertus putat nomina ſecundarum ſubſtantiarũ videri ſignificare hoc aliquid, ſub appellationis figura, propter ſimilem formam quam habent cum nominibus primarũ ſubſtantiarum, quæ compoſita ſunt ex nominibus ſecundarum ſubſtantiarum, & pronomine demonſtratiuo hic hæc hoc, vt hic homo, hoc animal, hęc ſubſtãtia. Iuxta quem modum neq; differentiæ neq; concreta accidentium videbuntur hoc aliquid ſignificare. Alij verò, quibus magis accedimus, tradunt ſecundas ſubſtantias videri ſignificare hoc aliquid ſub appellationis figura, quia primę ſubſtantiæ non ſolum proprijs, ſed etiam communibus ſecundarũ ſubſtantiarũ nominibus frequenter appellantur, cum quis (inquit textus) quendam hominem aut hominem aut animal appellat. Videtur enim res quælibet eo nomine ſignificari, quo appellatur. Iuxta hunc modũ fatendum erit, non tantum ſecundas ſubſtantias, ſed & differentias, & concreta accidentiũ, & breuiter, quęcunq; de primis ſubſtantijs verè & affirmatiuè prędicantur, videri ſignificare hoc aliquid. Quia (vt docet Ariſt. primo Topicorum) non ſolum appellamus primas ſubſtãtias nominibus ſecundarum ſubſtantiarum, ſed etiam nominibus accidentium. Sæpe enim præcipientes (inquit) nomine vocare aliquẽ ſedentiũ, non intelligente eo fortè, cui pręceptum facimus, transmutamus ab accidente, iubentes ſedentem vel diſputantem vocari ad nos.

Quarta ſubſtantiæ proprietas.

Quarta proprietas eſt. Non eſſe cuiq̃ contrarium, quæ eſt propria ſecundo modo, omni quidẽ ſubſtantię, ſed non ſoli competens, vt in textu oſtenditur. Agitur enim hic de contrarijs propriè & per ſe dictis, quæ in ſolo prędicamento qualitatis reperiuntur. Cæterùm quæ dicantur propriè & per ſe dicta contraria, quę verò per accidens, & alia quę ad hanc rem pertinent, ex vltimo huius libri tractatu petenda ſunt. Oſtendens autem Ariſt. hanc communitatem non ſimpliciter propriam eſſe reſpectu ſubſtantiæ, declarat eandem quantitatibus etiam omnibus conuenire. Occurrenti autem ſcrupulo de magno & paruo, multo & pauco, quæ inter ſe contraria videntur, & eſſe quantitates, Reſpondet, tametſi hoc licet ambiguum (vt ſequenti capite oſtenditur) quis admittat, teſtare tamen, vt nulla determinata definitaq; quantitas cõtrarium habeat, quod ſatis eſt ad probandum, dictã communitatem non ſolis competere ſubſtantijs.

Determinata quãtitas.

Determinata quantitas eſt, quæ certa numeri ratione deſignatur, vt bicubitum, tricubitum, milliare. Item hora, dies, menſis, annus, &c. determinatę quantitates ſunt. Licet enim primo aſpectu nullam prę ſe ferant numeri certitudinem, eam tamen latenter includũt, quum ſecundum certam portionem motus corporum cœleſtium ſumantur, vt menſis tantæ durationis tẽpus definitur, quãta ſol in zodiaci circuli vno ſigno percurrendo eſt occupatus. Dies verò tempus eſt, quo ſol integram vnam reuolutionem ad motum primi mobilis, ab oriente in occidentem abſoluit. Annus autem, trecentis & ſexaginta quinq; huiuſmodi reuolutionibus propemodum reſpondet, & ita in alijs, vt latius in aſtronomicis introductionibus ſolemus docere.

Quãtitas indeterminata.

Indeterminata verò incertaq; quantitas eſt, quæ nulla ſpecie numeri definitur, vt linea, tempus, numerus, magnitudo, paruitas, multitudo, & paucitas, ſi hęc quatuor poſteriora verę quantitates ſunt, id quod ſequenti capite diſcutietur.

Quinta ſubſtantiæ proprietas.

Quinta ſubſtantiæ proprietas (quam ad præcedentem tanq̃ effectum ſeſe habere vult Albertus) eſt, non ſuſcipere magis & minus. Quod bifariàm poteſt accipi. Suſcipere enim magis & minus nonnunq̃ eſt prędicari cum comparatiuis illis aduerbijs, magis & minus. Aliquando verò eſt ſuſcipere intenſionem & remiſſionem. Atque hoc quàm illud multò eſt ſtrictius & minus commune. Plurima enim cum illis aduerbijs prędicantur, quæ nec intenſionem nec remiſſionem ſuſcipere poſſunt. Proinde quid exigatur, vt quicq̃ cum talibus prædicetur aduerbijs, ſuo loco dicetur poſterius. Quid autem ſint intenſio & remiſſio, quomodo fiant, quibus conueniant, an ipſis formis, an potius harum ſubiectis attribuantur intendi & remitti, non præſentis,

ſed Phyſicę

sed Physicae est contemplationis. Hic igitur aduertendum est, nullam omnino rem prędicamenti substantiae intensionem recipere vel remissionem in sua natura atq; substātia, licet Auicenna & Commentator, elementorum formas ob suam imperfectionem putauerunt intensibiles esse & remissibiles. Idemq; asserit Scotus cū suis, de omnibus in vniuersum substantialibus formis, praesertim in materia subiecta extensis, sed inefficacibus argumentis suam hāc sententiam confirmant, vt alibi est ostendendum. Deinde etiam nullum substantialem terminum praedicari posse verè cum praedictis aduerbijs, vt Socrates non magis est homo q̄ Plato, nec vir q̄ puer, licet sit maior homo vel magis doctus homo. Ita quoq; homo non magis animal est, q̄ elephas. nec terra magis corpus, q̄ aer, atq; ita in cęteris. Quòd si alicubi oppositū huius apud autores dicatur, dicta aduerbia imperfectionis perfectionisq; modū aliquem, aut operationum pluralitatem, efficaciamq; maiorem & minorem indicare credenda sunt. Non est autem haec conditio non suscipiendi magis & minus, ita substantijs propria, vt non alijs cōmunicetur. Quadrat enim verissimè etiam in quantitates, vt posterius explicabitur, & alias quasdam formas accidentarias. Erit ergo propria secundo modo. In huius proprietatis declaratione, pro eo quod nonnulli codices habent (nec substantiam dicimus a substādo non suscipere magis & minus, cum dixerimus prius hoc ita esse, sed diximus quòd vnaquaeq; substantia, hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus substantia) sic habet vera lectio, quam refert Boetius. Dicimus autem non quòd substantia a substantia, nō sit magis & minus substantia. hoc enim dictum est quòd sit, sed quòd vnaquaeq; substantia hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus. Prior lectio admittit, substantiam a substando deductam, praedicari de aduerbijs magis & minus, sed ex eo negat consequi, aliquem substantialem terminum cum aduerbijs illis praedicari, aut vllam substantiam secundum naturam suam magis aut minus suscipere, quādoquidem nomen substantiae sic acceptae, non naturam seu essentiam substantiarum designat, sed relationem quandam seu habitudinem ipsarum ad accidentia & superiora, vt ante dictum est. Quare non substantialis terminus erit, sed accidentarius potius relatiuusq; censebitur. Eodem recidit & posterior lectio, cuius haec est sententia. Dicimus autē, non quòd vna substantia nō sit magis substantia, (intelligēdo quomodo ante locuti sumus de substantia, non vt generalissimum sit, sed vt relationem quandā significet) q̄ altera. Nam superius diffusè hoc declarauimus ita se habere. Sed dicimus, quòd vnaquaeq; res quae dicitur substantia, etiam a substando, secundum id quod est, hoc est, secundum se suamq; naturam & essentialia attributa, non dicitur magis vel minus. Addunt hic quidam substantiam, admonēntq; id accipiendū esse, de substantia a subsistendo deriuata, quomodo est primi praedicamenti generalissimū, non autem vt a substando deriuetur. Verùm istud fortasse non est necessariū. Quemadmodū enim Socrates, homo, animal, & quaeuis alia substantia (secundum se suamq; essentiam considerata, nō est alba neq; magna, neq; aliquid aliorum accidentium in se claudit, ita Socrates secundum se suamq; substantiam, non magis est substantia a substando quàm homo, neq; homo q̄ animal. Quòd enim haec formaliter substent, nō a seipsis sed ab ipsa substandi habitudine accipiūnt. Res igitur praedicamenti Substantiae secundum se sumptae, non praedicabuntur cum aduerbijs magis & minus, quamuis quibusdam accidentibus iunctę hoc patiantur, vt cygnus magis est album animal, quàm homo, & Cicero est magis homo doctus, quàm Varro. Indicat autem Aristot. exemplis suis, duplici ratione aliquid cum iam saepe dictis aduerbijs praedicari. Vno modo de seipso pro diuersis temporibus, vt fontes aestate q̄ hyeme sunt magis frigidi. Altero modo de diuersis etiam simul & secundum eandem temporis mensuram, vt aurum plumbo grauius est, Plato Aristotele fuit minus doctus.

Sexta substātiae proprietas.

Sextam substantiae proprietatem hunc in modum assignat Philosophus, Maximè propriū substantiae esse videtur, quum sit vnum & idem numero, esse susceptibile contrariorum, ex q̄ pro sexta proprietate sumenda est clausula (susceptibile contrariorum) quae dicitur maximè propria substantiae, quia est quarto modo propria, omni, soli, & semper conueniens. Caeterùm an susceptibile potentiā, an veram aptitudinem significet, alijs discutiendum relinquo. Illud interim constat, q̄ quemadmodum subiectum cuiusuis formae substantialis est materia prima, sic omnium formarum accidentium subiectum est substantia. Sed obijcies ex dicta similitudine. Omnis materia prima est omnium formarum substantialium susceptibilis, ergo etiam omnis substantia erit omnium contrariorum susceptibilis, id quod videtur absurdissimum. Nam substantiae incorporeae non sunt susceptiuae formarum corporalium, neq; coelestia corpora peregrinarum impressionum, vt dicitur secundo Metheororum. Respōdent quidam concedendo illatum, fatenturq; substantias incorporeas atq; corpora coelestia esse

esse susceptibilia caloris, frigoris, & quorumuis aliorum contrariorum, non quidem ratione propriæ naturæ, & quatenus talia sunt, sed inquantum sunt substantiæ. Verùm meo iudicio non rectè. Dicimus enim, omne corpus naturale aptum esse moueri aliquo motu, non tamen fatemur ipsum quouis motu esse mobile. Quis enim dicat cœlum & ignem quatenus corpora sunt, esse deorsum mobilia? Et rursus lapidem, quatenus est corpus, esse sursum mobilem? Id quod tamen ex dicta responsione manifestè sequebatur. Respondebimus igitur ad argumentum, quòd quemadmodum omne corpus naturale est aptum moueri aliquo motu confusè, non autem determinatè motu sursum, aut motu deorsum, sic omnis substantia est susceptibilis contrariorum confusè loquendo, non autem determinatè horum aut illorum, & multo minus omnium. Et in hoc differt a materia prima, quæ est susceptibilis cuiusuis formæ substantialis saltem corruptibilis. Quòd si roges, an ne substantia sit susceptibilis caloris & frigoris? Respondeo, quòd sit quidem horum susceptiua, non tamen gratia sui & primò, sed gratia sui inferioris, quod primò est horum susceptibile, quemadmodum animal risibile dicitur, & corpus aptũ moueri deorsum, non primò & per se, sed ratione sui inferioris, cui primò competit huiusmodi propria passio. Sic enim existimandum est, quòd quemadmodum substantia in genere est susceptibilis contrariorum etiam in genere & confusè, sic & substantiæ species etiam certorum contrariorum sunt ex propria natura susceptiuæ. Porrò contraria hic appellantur quęuis accidentarię formę, tam respectiuæ q̃ absolutæ, tam sensibiles q̃ insensibiles, non potentes eidem subiecto inesse simul. Dicimus accidentariæ. Nam substantialium formarum contrariarum, non sunt substantię receptiuæ, sed sola materia prima. Dicimus etiam tam respectiuæ, &c̃. ad indicandum, quòd cœlum etiam contraria ratione suarũ partium accipiat, eo quòd eadem cœli pars vicissim sit ante & retro, dextra atq; sinistra, quæ quidem positionum differentiæ sunt quodammodo contrariæ. Ita quoq; incorporales substãtiæ, quas intelligentias vocant philosophi, eiusdem rei suscipiunt vicissim scientiam & ignorãtiam, volitionem & nolitionem, quæ sunt contraria, etiam logica, licet insensibilia.

Quę hoc in loco dicãtur contraria.

Obiectio.

Sed opponet aliquis, quantitatem corpoream cuiuslibet substantiæ, esse immediatum subiectum corporalium qualitatum, vt caloris, frigoris, alboris, figuræ, & cęterarum. Item animam hominis vel eius intelligendi vim, proximum subiectum esse intellectionis, hoc est, actus intelligendi, & voluntatem virtutis ac vicij. Hæc tamen non sunt substãtiæ, ergo non videtur soli conuenire substantiæ, contrariorum esse susceptiuum.

Responsio.

Ad hoc dicendum est, nobis sermonẽ hic esse de vltimo susceptiuo seu subiecto contrariorum, quale non est quantitas, aut materia, aut forma substantialis, aut intellectus humanus, vel voluntas. Nam hæc cum insint tanq̃ accidentia, aut partes essentiales physicæ, re ipsa scilicet a totis distinctæ, non sunt vltima perfectaq; talium formarum subiecta.

Quo pacto intelligẽda est ea particula, quum vnũ & idẽ numero sit.

Reliquum est, vt particulam omissam, scilicet, Cum vnũ & idẽ numero sit, &c̃. pertractemus. Hanc pleriq; putant ab Arist. adiectã, vt declaret quibusnã cõuenit dictę aptitudinis actus. Quanq̃ enim ipsæ aptitudines, immediatè dicãtur cõpetere cõmunibus, actus tamen eorũ semper propinquius in singularia quadrare videtur. Hæc autẽ vnum & idẽ sunt numero, vt homini, priusq̃ Socrati, cõuenit risibilitas. At risus ediuerso prius Socrati inesse videt. Sed huiusmodi expositio, licet vera fortassis sit, nõ tamẽ satis est verbis literæ consona, in qua non sit mentio susceptionis contrariorũ, sed solius susceptibilitatis.

Posterior.

Aliter ergo dicamus, particulam illam hunc habere sensum, maximè proprium est substantiæ sic esse susceptibile contrariorum vicissim, vt interim ipsum idem permaneat ac inuariatum secundum essentiam vel substantiam. Id quod satis declarant exempla, vt vnus idemq; homo, &c̃. Circa quæ occurrit dubitatiuncula. Num ex actu alicubi subiecto inexistente, liceat inferre aptitudinem ad ipsum? Sic enim videtur colligere Philosophus. Quidam homo aliquando fit albus, aliquando niger, ergo quidam homo susceptibilis est albedinis atq; nigredinis. Quæ collectiones sanè non videntur firmæ esse & necessariæ. Licet namq; lapis aliquando moueatur sursum, negant tamen eum Physici sursum esse mobilem, hoc est, aptum ex natura sua vt sursum feratur. Huius autem dissolutio partim ex pręmissis, partim ex alibi dicendis est colligenda. Cum sequitur in litera (neque eadem actio) accipiunt quidam nomine actionis actionem elicitam a voluntate, quam dicunt esse impossibile de bonitate in malitiam, vel econtra transmutari. Diuus Thomas intelligit etiam eã actionem quæ exterior est, ac a voluntate dumtaxat imperata, quę eadem numero in genere moris, nequit successu temporis bona fieri & mala. Sed hoc ad Ethicen magis pertinet.

Duarũ solutionum Aristotelicarũ consensus.

Duę solutiones ad instantiam ab Aristotele propositam per eundem adductę, non repugnant aut dissident inter se. Prima namq; supponit propositionem vocalem & opinionem mentalẽ

esse con-

esse contrariorum susceptiuas, quo admisso dicit, restare adhuc quendam specialem modum suscipiendi contraria, qui sit substantiæ proprius, nempe suscipere contraria per sui realem immutationem. Id enim nequaquam competit orationi aut opinioni, quæ etsi veritatem & falsitatem suscipere concedatur; propter hoc tamen nequaquam realiter mutabitur. Veritas enim & falsitas relationes quædam sunt, eæque (sicuti plerisque videtur) rationis. Secundum relationes autem, & si reales sint, nulla fit mutatio. Secunda solutio, quod supposìtum fuerat, abnegat orationem ac opinionem esse susceptibilia contrariorum. Cum enim in se nihil reale recipiant, quando modò veræ, modò falsæ dicuntur, sed in re significata tantùm accidat mutatio realis, manifestum euadit, eas, dum de veritate in falsitatem migrat, nulla suscipere contraria, licet forsitan ipsa veritatem falsitatemque in se concedantur recipere, quemadmodum plerisque in locis indicare videtur Philosophus, alijs has relationes, non in propositione mentali seu vocali, sed in actu intellectus harum ad res significatas comparatiuo ponentibus. Non enim loquimur hic de ea contrarietate, quę fortasse reperiri possit inter entia rationis. Definitur autem veritas, conformitas esse enunciationis significantis ad rem significatam, vt ita scilicet significet oratio rem se habere, quomodo re vera sese habet. Falsitas verò est, horum ipsorum inter se difformitas, cum scilicet aliter significat oratio esse, quàm res est, vt satis indicat illud Aristotelis, Nam in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, de quo circa finem huius libri forcassis plura. Cætera quę de veritate & falsitate hoc loco prolixius disputari solent, consultò prætergredimur, eò quòd alium hæc res locum postulat. Sed iam plus satis forsitan in declaranda substantia substitimus, quare ad reliqua recto cursu properamus.

Quid veritas.

Quid falsitas.

In secundi capitis priorem partem, duas quantitatis diuisiones explicantem, Scholia.

Quantitatis, aliud cótinuũ, aliud discretum

Inter nouem accidentium prædicamenta, proximè Substantiā sequitur Quantitas, idq; nō iniuria: profectò. Nam omne absolutum, prius est relatiuo, cùm hoc in illo fundari oportet. Cætera verò prædicamenta, dempta qualitate, relatiua sunt omnia. Iam verò qualitates plurimæ, vt ferè sunt, quæ sunt tertiæ ac quartę specierum, in quantitate recipiuntur, & per hanc insunt substantiæ, vt pluribus in locis indicat Aristoteles. Itaq; si a Substantia quantitatem sustuleris, qualitatem etiam ferè omnem, & proinde quoq; actionem & passionem, cum cæteris relationibus abstulisti. Aequum ergo erat, vt id quod cæterorum accidentium primum est fundamentum & caput, primum quoq; inter ea sibi vendicaret determinationis locum. Accedit ad hoc quoq;, quòd quantitas in proprietatibus seu conditionibus suis, maximè cum substantia communicat, cum nec contrarium habeat, nec magis minusue possit suscipere, sed & contrariorum quodammodo sit receptiua, vt superius est ostensum. Aliam quandam addit rationem eodem facientem Boetius, quæ apud suum requiratur autorē. Non exorsus est Philosophus tractatū de quantitate ab eius definitione, eò forcassis quòd propriè dicta definitione careant omnia generalissima, cum non habeant genus & differentiam, ex quibus illā constare necesse est. Quòd si cui hæc ratio non satisfaciat, propterea quòd eadem ratione nec qualitas definitione explicanda fuisset, ei in omnibus huiusmodi leuiculis, & quæ arbitrio autoris potius quàm certo consilio facta videntur, facilè respondetimus quærenti causam, sit pro ratione voluntas. Licebit tamen ipsam similimodo, quo ab Aristotele est definita qualitas, hoc pácto describere. Quantitas est, secundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot. Adiecta est illa particula (vel aliqua, &c.) propter numerū, a quo nō solemus vulgò dicere res quātas, sed aliquot potius. Nam eū, qui minimum digitorū hodie amisit cæteris saluis, fatemur tantos digitos reseruasse quantos perdidit, hoc est, tam magnos, nimirū referentes significationem adiectiui (quātus) solum ad continuam quantitatem. Ex quo consequens est, quantitatem ac quantum sola voce esse denominatiua. Verùm hāc disputationem grāmaticis potius relinquamus, ne falcem in alienam messem arguamur immittere. Præter hanc quantitatis definitionem, restant & alię nonnullæ eiusdem, per suas proprietates assignandę descriptiones. Vna est, quantitas est substantię mensura, hoc est, quantitas est forma accidentaria, cui per se competit mensurare substantiam secundū extensionem, durationem, id est, successionem, aut discretionem, hoc est, multitudinem. Etenim ipse Aristoteles probans orationem quantitatē esse, meminit mensuræ. Secunda quę pręcedentis quodāmodo videri potest causa, est hęc. Quantitas est res per se diuisibilis, in partes scilicet extensas, aut duratione succedentes, aut discretas siue multas. Extensas quidem, vt linea, superficies, corpus. Harum enim solarū partibus,

Cur substātiā proximè sequat quātitas.

Boetius.

Quātitatis prima descriptio.

Secunda.

Tertia.

per se conuenit extensas esse, ac vnam consistere seorsum extra alterã, id quod numerus sanè non expostular per se suàq; natura. Nam si duos lapides deus simul in eodem posuerit loco, nihil omnino de binarij numeri ratione fuerit diminutum. Tam enim duo erunt, quàm si multis distincti forent milliarijs.

Succedẽtes.

Succedentes verò, vt tempus. Huius namq; solius partes per se atque propriè quandam durationis sibi successionem vendicant; quam cætera omnia ab ipso per accidens mutuantur, vt motus, atq; sonus. Id quod simili modo, quo numeri partes per accidens extra se inuicem collocari declarauimus, suaderi potest.

Discretæ.

Discretas, vt numerus. Alia igitur a quantitate, aut omnino indiuisibilia sint, vt substantiæ incorporeę, quę in nullas partes re ipsa sunt sectiles. Aut si diuisibilia sunt, id ipsis tantùm per accidens competet. Quòd si fortè in quasdam partes etiam per se diuidi possint, vt homo in animam & corpus, albedo quatuor graduum in suos gradus, hoc est, partes intensionis, eæ partes profectò nõ erunt per se extentæ succedẽtes, aut discretę, quod solis quantitatum particulis propriè diximus conuenire. Sunt alię duę quantitatis proprietates, scilicet per se esse æquale vel inæquale, finitum vel infinitum, a quibus etiam facilè similes formantur ipsius descriptiones.

Prior quãtitatis diuisio

Prior diuisio quantitatis apud Aristotelem sic habet. Quantitatis aliud continuum aliud discretum, quæ est generis in suas differentias diuisiuas per se, perinde atq; cum substantia in corpoream & incorpoream distribuitur. Continuũ namq; & discretũ non accipiuntur hic pro re quantitatem continuam vel discretam in se accidentaliter habẽte, quomodo lapis cõtinuus dicitur, & duo homines discreti, sed vt principaliter differentias quasdam constitutiuas quantitatis continuæ & numeri significent. accipiantur verò tantum pro ijs quibus tales differentiæ per se & essentialiter competunt, atq; ita facilè fiet, vt excludantur a membris diuidentibus substantię corporales, aliaq; quæ per accidens continua discretaq; nuncupantur. Meritò autem in diuisione præposuit continuum discreto, nam discretum non nisi per continui diuisionem prouenire solet. Quantitatis continuę definitio ex textu elicitur hæc.

Quid cõtinua quantitas cum descriptionis expositione

Continua quantitas est quantitas, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem. Per genus definiti exclusus erit motus. Quantumuis enim partes ipsius ad terminũ aliquem communem (quem in physicis mutatum esse appellant, Erasm. Rot. impetũ vocat, Chiliadis secundę primo adagio.) coniungantur, non tamen probari poterit vnq̃ esse quantitas continua, nisi ante simpliciter quantitas esse ostendatur. Dictio partes, pro partibus integralibus sumenda est. his enim solis conuenit per terminum aliquem communem ad inuicem copulari. Oportet autem hunc terminum indiuisibilem esse, ea diuisione, quę suæ competit quãtitati. Si enim terminus ipse diuisionem reciperet, jam non terminus esset & vltimum, cum haberet aliud quiddam se posterius a quo terminaretur, nempe partem extremam, hoc est, magis a medio semotam.

Terminorũ communiũ varietas.


Diximus, ea diuisione, &c̃. Nam terminorum huiusmodi, alius est simpliciter & prorsus indiuisibilis, vt lineæ terminus; quem punctum dicimus. Huius enim nulla omnino est pars, quemadmodum definiunt mathematici. Alius verò est quodãmodo diuisibilis, vt linea cum sit terminus superficiei, & proinde secũdum latitudinem insectilis. est tamen secundũ longitudinem diuidua, quæ ipsius est propria dimensio. Ita superficies quoq; in longum & latum diuisibilis, secundum profunditatem tamen siue crassitiem, quæ corporis propria est dimensio, relinquitur indiuidua. Instans verò (quod ab Eras. in mox dicto passu satis accommodè momentum appellatur) indiuisibile est quoddam secundum durationẽ, partes temporis ad inuicem continuans. Ab Aristotele in quarto de auscultatione physica libro appellatum est, nunc, eò fortassis quòd de tempore nihil integrè habemus præsens, præter iam dictum nunc, quod tamen ne particula quidem temporis esse potest. Omne enim tempus quamlibet exiguum, durationem tamen successionemq; probatur includere. Ita nec punctum pars est lineæ, neq; linea superficiei, nec item corporis superficies, sed principium materiale dumtaxat, cũ oporteat omnem integralem partem eiusdem esse cum integro naturæ & essentiæ. Harum rerũ vt specimen aliquod exhibeamus, finge animo rem atomam, longe illis puluisculis, quos in solaribus radijs volitare cernimus, subtiliorẽ, in longitudinem ex alto in decliue tendi, vel contrariò, & quod relinquitur, erit linea, sola scilicet longitudine partibilis, Iam verò hanc lineã, quanta quanta est, finge totam similiter a dextro in sinistrum produci, & quod pertransitum erit spacij; euadet in superficiem (quam plerumq; planum vocant philosophi) longitudine pariter atq; latitudine diuiduam, Quam si totam simul ab anteriori parte in posteriorem, vel contra protendi imagineris, habebitur tandẽ corpulẽtia siue crassities corpori propria, atq; tres omnino dimensiones extensionesq;, longitudinem scilicet, latitudinẽ, & profunditatem, vel si malis, altitudinem includens, quę cũ non habeat quo vlterius tendi possit,

possit, vt noua excrescat dimensio, (Nimirum deficientibus pluribus differentijs positionũ, secundum quas hæ dimensiones consyderantur) testat, vt absoluta perfectaq; magnitudo sic, corporea quãtitas, id quod pulcherrimè apud Aristot. in initio primi libri de cœlo ac mundo inuenies declaratum. Hæc est Mathematicorum de ductu siue transitu horum indiuisibiliũ, vndè magnitudines proueniunt, imaginatio, obiter a nobis declarata, quã non iniucundã spe rauimus fore lectori non omnino fastidioso. An verò huiusmodi indiuisibilia, re ipsa insint quantitatibus ab ijsq; distinguant, an in sola animi consideratione sint posita, hoc est, vtrũ in corpulentia lapidis lateant innumeræ quantitates, sola lõgitudine latitudineq; partibiles, quas superficies vocamus, & in his, lineæ, atq; in istis demum omniquaq; indiuisibiles puncti, an non, sed sola lapidis corpulentia, diuersis rationibus diuersas sortiatur nomẽclaturas, nõ est huius instituti definire, sed physicis vel potius metaphysicis relinquendum est, sicut & illa frequentibus disputationibus iam olim excussa velitataq; quæstio, an quantitas a substantia diuersa sit res, in quibus quid veri falsiue sit, physici certant, & adhuc sub iudice lis est. Liceat enim interea nobis Horatiano versu paululum immutato vti. Talium autem indiuisibilium tripartitò in vno quolibet cõtinuo, & præsertim finito & recto, inuenitur varietas. Aliud est inchoans tantum, id videlicet, vndè quasi fluit incipitq; magnitudo seu continuitas quantitatis. Aliud finiens seu terminans tantũ, in quod desinit ipsa quantitas. Et tertium inter hæc cõstitutum, quid scilicet & finis habet rationem ad priorem partem quantitatis, & initij ad sequentem. Atq; hoc terminus communis, seu indiuisibile continuans vocatur, propterea quòd duabus partibus idem communis sit finis, in quo conueniunt, seseq; proximè contingũt. Sunt hæc cum alijs nonullis, familiariter graphiceq; descripta apud Des. Erasmum, in prædicto prouerbio, festina lentè, possuntq; facilè ad oculũ demonstrari, vt patet in margine, siquidem in linea a, b, c, punctus inchoans tantum est a, finiens tantum c, terminus autem communis b. Nam totius lineæ partes, a, b, c, & b, c, ad inuicem connectit & copulat. Estq; huius quidem initium, illius verò finis. Similiter totius superficiei a, c, d, f, linea a, d, initium est tantum, & linea c, f, finis. At linea b, e, terminus communis. Eadem erit & in corpore, & in tẽpore, motuq; declarandi ratio. Diximus superius, præsertim finito & recto. Nam in omniquaq; infinito continuo non inueniretur indiuisibile finiens aut inchoans. Nec item in circulo aut sphæra hæc reperies, nisi consideratione tantum diuersa. Hactenus de termino communi, per quẽ partes continuæ quantitatis connectuntur & cohærent. Quidam hæc altius acutiusq; perscrutantes, inquirere solent, An si per dei cunctipotentiam a linea omnes puncti, a superficie lineæ, a corpore superficies, separari ponantur, (Neq; enim hoc impossibile putant, quũ sint hæc illorum non partes, sed potius quædam veluti accidentia) futuræ sint huiusmodi quantitates, etiam tunc continuæ? Quibus responsum sit, si id quod supponitur citra essentiarum iniuriam omnino fieri possit, neq; vllam implicet repugnantiam, adhuc tamen continuas relinqui huiusmodi quantitates, eo quòd essentiales differentiæ a rebus constitutis nulla prorsus virtute separabiles sunt. Continuum autem & discretum, veras quantitatis differentias posuimus. Sequitur ergo, vt in definitionibus cõtinui atq; discreti, verbum copulandi non actum debeat designare, sed potius aptitudinem. Si obijcias, definitionẽ sic sumptã duabus lineis separatis ab inuicem conuenturam, quæ tamen non sunt continuum. Respondebimus, eas per genus definiti exclusas esse, quum non sint vna quantitas, sed quantitates tantũ. Sed iã ad reliqua pergamus. Quantitatis continuæ quatuor omnino sunt species, linea, superficies, corpus, & tempus. Nam locum a superficie non esse distinguendum ostendemus. Fortasse autem rectius diuidatur quantitas continua statim in magnitudinem, hoc est, quantitatem continuã permanentẽ, & tempus. Videntur enim tres primæ illæ species, genere a tẽpore differre. Plus enim essentialiter conueniunt inter se hæc, q̃ cum ipso tempore. Et Aristoteles quoq; in initio primi de cœlo, ostendens solum corpus inter magnitudines perfectũ esse, videtur magnitudine vti tanq; quodã illarũ genere, non complectens sub ipsa tempus, vt in colo co clare conspici potest. Harum specierum quantitatis continuæ, diuersæ sunt apud philosophos descriptiones. Nã in primis in principio geometriæ, sic ab Euclide linea definiẽ. Linea est longitudo sine latitudine, hoc est, quantitas longa, in se non habens neq; præsupponens latitudinem, & proinde neq; profunditatẽ. Est enim inter has talis ordo, vt posterior priorẽ necessariò requirat, & præsupponat. Secundò a Physicis describitur. Linea est quantitas diuisibilis secundũ vnicam dimensionẽ, nempe longitudinem. Tertiò definitur linea tacitè in hoc ipso textu. Linea est quantitas continua, cuius partes copulantur ad punctum, tanquam terminum communem. Simili modo superficies definitur longitudo & latitudo sine profunditate, &

Triplex indiuisibile.
Inchoans.
Finiens.
Continuãs.

Erasmus.





Quæstio.

Solutio.

Obiectio.

Dilutio.

Quatuor cõtinuæ q̃titatis species.

Variæ descriptiones lineæ.
Prima.

Secunda.
Tertia.

Superficiei definitiones. Corporis definitiones.

quantitas secundum duas dimensiones partibilis,longitudinem scilicet atq; latitudinem. Ac tertiò,quantitas,cuius partes copulantur ad lineã.Corpus verò est longitudo cum latitudine atq; profunditate.Est quantitas diuisibilis secundum trinam dimensionem, longitudinẽ scilicet,latitudinẽ,& profunditatem,siue crassiciẽ.Est tertiò quantitas,cuius partes copulantur ad terminũ communem,qui est superficies. Non est tamen arbitrandum,quòd sola superficies terminus sit communis,per quem partes corporis continuantur,aut quòd sola linea partes superficiei possit coniungere.Nam & sola linea coniunguntur nonnunquam aliquæ partes corporis,aut etiam puncto,id quod minimè dissimulare videtur Boetij translatio,cum Græcis exemplaribus consentiens.Ea sic habet,similiter autem & in corpore habeas sumere communem terminum,lineam vel superficiem, ad quam partes corporis copulantur. Potest autem quod iam diximus,apta ratione monstrari. Intellige duo corpora perfectè triangularia ad inuicem applicari & coniungi secundum lineas terminantes, quæque angulos superficierum constituunt,& habebis integram quantitatem corpoream,sola intercedente linea, cohærentem. Rursum sume corpora duo absolutè pyramidalia,eaq; in conis ipsis siue acuminibus inuicem coniunge vt cohæreant,& euadet corpus, cuius partes duæ solò copulabuntur atomo puncto. Ita quoq; si superficies duas triquetras extremis angulis iunxeris,erit tota superficies copulata per punctũ. Verùm cum ista rarenter admodum eueniãt,sintq; semper in corpore, eoq; solo,plurimæ partes per superficiẽ connexæ,& in superficie per lineas,consequens est,rectas consentaneasq; fuisse harum definitiones tertio loco assignatæ. Pro earum autem definitionũ, quæ primo loco ponebantur, pleniore intelligentia aduertendum est, hasce voces magnitudo, lõgitudo,latitudo, & profunditas,multifariam dissimilibusq; sensibus diuersis locis apud philosophos vsurpari. Primò,vt principaliter significent quantitates continuas permanentes,sitq; magnitudo prorsus idem quod quantitas continua permanens,quomodo ipsam genus esse lineæ, superficiei, atq; corporis posuimus. longitudo quod linea,& ita in cæteris. In hac significatione sunt prædicamenti quantitatis, & sic accipiuntur ab Aristotele quinto metaphysices capite de quanto, in quo præmissis definitionibus medijs videtur addere finitum,quemadmodum eo loco exponit Aquinas. Secundò accipiuntur, vt designẽt quædam accidentia absoluta,quantitatibus hisce accidentaliter conuenientia,hoc est, ipsas dimensiones, siue extensiones,quas nonnulli probabiliter opinantur a quantitatibus re ipsa differre,diuinàq; vi ab ipsis esse separabilia,neque aliter q̃ reductione quadam ad secundum prædicamentum pertinere,sicut vnitatem & punctum. Sed hæc res alium requirit locum. An autẽ,vt qualitates continuas permanentes consequuntur istæ dimensiones, ita quoq; numero simile tribuendũ sit accidẽs quod appelletur multitudo,& tempori quod vocetur duratio,nõ est adeo certũ. Tertia acceptio est,secundum quam principaliter significant hęc nomina respectus quosdã,videlicet terminatos ad paruũ,breue,strictũ & tenue,quemadmodũ multitudo & paucitas mutuã dicunt relationem,teste Arist.in altera huius capitis parte. His duobus modis rursum accipiuntur bifariàm, vno modo abstractè pro ipsis huiusmodi relationibus. Altero modo concretè,non tamen vt de subiectis vltimis dicantur,sed proximis & immediatis,quæ sunt quantitates. Falli enim eos,quibus persuasum est,sola adiectiua esse concreta,res palam arguit. Atq; sumẽdi sunt ita in iis de quibus nunc agimus definitionibus,vt facilè diligẽs & ingeniosus lector perspexerit. Magnum autem,longum,latum,atq; profundũ,concreta sunt tam de vltimis subiectis, quàm proximis dicibilia,sicut ex ipso loquendi vsu obseruatum est.

Diuersæ acceptiones magnitudinis,longitudinis,atq; similium. Prima.

Thomas. Secunda.

Tertia.

Quid per locum sit accipiendum.

De loco autem,quonam modo loquatur hic Arist.variant eruditorum sententiæ.Certum est in primis ex quarto Physicorum,Locum re vera nihil esse aliud, quàm superficiem concauam corporis continentis,verbi gratia, concaua planicies vasis continentis vinũ, propriè est locus vini.Ipsa enim est,quæ vinum proximè amplectitur & cõtinet. Est autem triplex superficies terminans. scilicet plana,qualis est superficies mẽsæ. cõcaua,id est,introrsum rem terminãs.& conuexa,id est,superior,seu foris rẽ ipsam finiens,vt facilè ostenditur in sphęrula caua. Superficies igitur concaua,corpus aliquod complectens continensq;,locus dicitur, qua continentia si spolietur,ea vacua erit. Sed hoc fieri non posse,monstrauit ipse Arist.in Physicis. Quum igitur ad plenam loci rationem duo exigantur,superficies. & continentia actiua,quę concauitatem necessariò præsupponit, neq; ex eis vna quædam res componi queat, (Impermixtæ siquidem sunt prædicamentorum essentiæ siue naturæ) quã nomen loci principaliter significet. reliquum est, vt alterum istorũ principaliter, alterum minus principaliter & cõnotatione quadã dicatur significare. A principali autẽ significatu,sortitur & habet vnũquodq; ordinẽ locumq; in prædicamento.Itaq; quibus placet, dictam continentiam primario

præcipuéq;

præcipueq; nomine loci significatam esse, superficiem verò duntaxat secundum connotationem, (quorũ nobis videtur esse Iacobus Faber) ij locum in relatiuis numerandũ, & ad prædicamentum vbi, in quo reponitur ista continentia loco synonyma, relegandũ censent. Alij verò (quos in hac schola magis sequi solemus) tradunt, locum principalius significare superficiem ipsam, minus verò principaliter illam sæpe repetitam continentiam. Quamobrem statuendus erit locus, directè in hoc quantitatis prædicamento, neq; quicq; a superficie differet, nisi connotatione, quæ cum ad principalem significationem non pertingat, non poterit locus diuersam a superficie speciem efficere. His itaq;, quæ de loco exposita sunt, ita se habentibus, restat, (vti dicebamus) difficultas, quonam pacto Aristoteles hic de loco sit locutus. Aquinas in logices summa accipit locum pro corpore locante, hoc est, continente alterum. Quod an satis huic passui congruat, aliorum esto censura. Existimant pleriq; eruditorum, Aristot. hic, vt & in pluribus alijs Logicorum librorũ passibus loqui, non ex sua, sed vulgata recepta'q; suæ tẽpestatis veterum philosophorũ sententia. Neq; enim forsitan satis modestum ac æquum iudicabat, ea pro falsis adulterinisq; reijcere, quæ nondum solidis rationibus (id quod in Physicis atq; Metaphysicis abundè facere curauit) refutasset. Opinabuntur igitur veterum philosophorum sectæ (sicut ex quarto physicorum constat) locum esse spacium quoddam longum, latum, atq; profundum, quod corporum locandorum ita capax esset, vt illis aduenientibus non cederet, sed ab eis sese sineret penetrari traijciq;. Idque dum aliud secum recepisset admisissetq; corpus, plenũ vocabant. vbi verò secum non haberet corpus aliquod, tum vacuum appellabant. Et nescio, an indoctum vulgus hodie ita de loco & sentiat, & loquatur. Hic igitur imaginarius locus, cum corpori contento (vt illorum fert sententia) æquetur, singulasque (quemadmodum hic dicit Aristoteles) corporis partes obtineat, necesse est vt trinam omnino possideat dimensionem, non secus quàm ipsum corpus, a quo non alio quàm sola penetrabilitate (quantum ad hunc locum spectat) discrepat. Rectè ergo ad eundem terminũ communẽ, partes corporis & loci sic accepti, dicentur copulatæ. Adstipulatur huic expositioni Albertus Magnus. Temporis autẽ, hæc colligitur ex præsenti capite descriptio. Tempus est quantitas continua, cuius partes copulantur ad terminum communem, qui dicitur instans. Altera assignatur a Philosopho in quarto de auscultatione physica volumine. Tẽpus est numerus motus, secundum prius & posterius, hoc est, Tempus est mensura quædã motus secundum partem priorem & posteriorem siue succedentem. Cuius latior explicatio illo loco est requirẽda, sicut & huius ambiguitatis dissolutio, An tempus sit species specialissima, an genus subalternum. Illud satis constat, terminos hosce, hora, dies, mensis, annus, olympias seu lustrũ, sæculum, & cæteros, certã temporis durationem designantes, esse inter sese, & cum tempore, quantum ad principalem attinet significationem, synonymos, & non nisi connotatione quadam differre. Neq; enim essentialis speciei discrimen habent hora & dies, vt nec pedalis linea, & bipedalis, quum ex illis hæc componantur, sicut ex multis guttis integra aqua. Reliquas autem quantitatis continuæ species, lineam dicimus, superficiem, atq; corpus, certum est specialissimas esse, ac in inferiora diuersarum rationũ essentialium indiuisibiles. Rectum enim & curuum, concauum & conuexum, sphæricum & cubicum, & similia, accidentia sunt magnitudinum, non essentiales differentiæ. Sunt enim hæc omnia in quarta specie qualitatis ab Aristot. recẽsita. Deinde etiam certissimum esse debet, & indubitatum, non posse rem quampiam in aliam transire naturam seu speciem. At verò quomodo homo vnus idemq; permanens (vt in sexta substantiæ proprietate dicebatur) vicissim modò albus est, modò niger, modò sanus, modò æger, ita eadem linea quæ antè recta erat, nũc potest fieri curua. eadem superficies, quæ nunc est concaua, potest conuexa fieri, vt patebit, si vesicã aut crumenam inuerteris. Corpus quoq; ex sphærico fiet cubicum. Quare vt illa hominis accidentia arguimus, nimirum quod adesse & abesse valeant citra subiecti corruptionẽ. Ita & hæc dictarum quantitatum mera accidentia esse consentaneum erit. Sed de hoc satis superq;. Quũ dicitur in litera, Præsens tempus ad præteritum & futurum copulari, putant nonnulli, verbum passiuum esse pro actiuo positum, intelligentes per tempus præsens ipsum instans, vel si mauis momentum præsens, quod cum indiuisibile sit secundum durationem, verè præsens est, quum totum simul existat, quod nulli omnino tempori quãlibet exiguo potest competere. Hoc igitur indiuisibile præsens tempus, præteritum cum futuro connectit, copulatq;. Verùm huiusmodi coactis alienisq; expositionibus, neminem torqueri necesse est. Rectissime enim præsens tẽpus dicetur vno momento ad præteritum continuari, vel si mauis cõtinuatum esse, & alio ad futurum copulari, vel certè copulandũ. Vt de hodierno die respectu hesterni atq; crastini perfacilè est ostendere.

Thomas.

Albertus.

Tẽporis descriptiones.

Quo pacto præsens tempus ad præteritũ & futurũ copulatur.

Itaq; subindicat nobis Aristoteles triplex tempus, præsens scilicet, præteritum, atq; futurum. Omne autem illud tempus, præsens existimandum est, non quod totum simul nunc est, (tale enim nullum inuenitur) sed cuius aliquod momentum continuatum seu terminus communis nunc existit. Quare & hęc hora, & lux qui nunc agitur annus, tempora præsentia censebuntur, non autem dies hesternus. Neq; absurdum erit, plura esse simul tempora præsentia, quorum vnum in altero claudiitur, tanq; pars integralis. Huic omnino consentit communis loquendi modus. Quæ autē contra hæc sunt obiectiones, quia omnes ferè sophisticæ sunt, haud difficulter euitantur & repelluntur. Hactenus quantitatis continuę species, quantum huic loco satis esse putamus, explicatę sunt, quarum tres primæ, linea, superficies, & corpus, permanentes dicuntur, ob id quòd omnes sui partes simul possunt habere. quarta verò scilicet tempus, ob contrariam causam successiua, transitoria, fluxaq; vocatur, sicut & motus, cuius & illud mensuram esse statuebamus, & ferè omnium philosophorum sententia etiam sonus.

Quantitatis discretę descriptio. Quantitas discreta, tacitè describitur ab Arist. esse quantitas, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem. Quę quidem definitio satis ex pręcedentibus relinquitur manifesta. Accipienda est autem dictio (partes) vniuersaliter, vt virtute negationis sequentis distribuatur. Quam ob causam, conijcitet lector. Quantitatis autem discretę duas videtur Arist. assignauisse species, numerum, & orationem, secutus (vt nobis apparet) receptam sui sęculi philosophorum opinionem. Numeri autem, gemina tradi consueuit descriptio. Vna. Numerus est multitudo per vnum mensurata. Altera. Numerus est multitudo ex vnitatibus aggregata. Cui quinto Metaphy. capite de quanto adiungit Aristot. finita, quemadmodum & aliarum quantitatum definitionibus. Definitum (numerus) non sumitur hic pro numero numerante, qui est intellectus, vel anima rationalis, nec pro rebus numeratis, veluti duobus tribusue hominibus, aut equis, sed pro numero formali, hoc est, accidēte quopiam, a quo intrinsecus denominantur homines, duo vel tres. In definitione autem multitudo accipienda est conformiter illis nominibus, longitudo, latitudo & profunditas, in definitione lineę, superficiei, &c. positis. Sunt autem vnitates, ipsius numeri materiales quasi; partes integrales, licet non propriè dictæ (talibus enim numerus carere videtur) quum non sint eiusdem cum numero ipso essentiæ. Quare & principia numerorum rectius appellari videntur a Philosopho in alijs locis, atq; hoc voluisse crediderimus, qui numerum non nisi pręsuppositiuè (sic enim loquuntur) diuisibilem tradiderunt. Quòd si quis in numero formales partes inuestigare conetur, is nobis profectò nodum in scirpo videtur quærere. Nullæ siquidem res, præter physicas, hoc est corpora substantialia, materiam obtinent ac formam tanq; partes essentiales, re ipsa distinctas, sed tantùm cogitatione, si D. Thomam imitemur, ex partibus metaphysicis, cum materia & forma proportionem habentibus, genere inq; & differentia componuntur, nisi omnino simplicia fuerint. vti generalissima & species pędicabiles tantū. Non igitur sunt audiendi, qui vltimam vnitatem, numeri formam esse posuerunt. Hic notandum est, duplicem esse vnitatem, Quandam transcendentalem, quæ sit entis propria passio, a qua vnaquęq; res vna dicitur. Ista ab Alberto, Thoma, Egidio Romano, cęterisq; horum placita tutantibus, dicitur eadem esse realiter cum ente, tantumq; ratione differre, & negationem quandam ei solum attribuere, nempe multitudinis seu distinctionis. A Scoto verò & Scotici nominis studiosis, ponitur esse quid positiuum, ab ente distinctum ex natura rei & formaliter, quomodo etiam proprias passiones a suis subiectis volunt differre. Ex hac vnitate multiplicata nascitur & consurgit numerus qui dicitur transcendentalis; eo quòd omnia prædicamenta, sua communitate transcendat & amplectatur, a qua albedines, per se duę aut tres dicuntur, & ita de cæteris quibusq; entibus. De tali numero non est nobis hic sermo. Altera est vnitas propriè dicta, quę ad quantitatis reducitur pędicamentum, & quæ principium est eius numeri, qui sit discreta quantitas. Huiusmodi autem vnitas inest & sequitur tantùm quantitatem continuā indiuisam potissimū permanentem, quam & solā intrinsecus denominat. Ex hisce vnitatibus conflatur numerus huius prædicamēti, a quo formaliter quantitates, aut quanta continua dicuntur numerata, duo scilicet, tria, vel quatuor, & ita deinceps. Quòd si res aliquas vel aliquam ita formaliter reddere aliquot aut vnam, vocemus mensurare, seclusa intellectus operatione, conueniet mensurare intrinsecus & essentialiter numero ac vnitati. Sin autem mensurare idem sit quod facere intellectum certum, quot sint aliquæ res, in quantum quispiā per vnum aliquoties replicatum certior redditur numeri illorum quæ numerabat, conueniet mēsurare accidentaliter ipsi numero atq; vnitati. Reliqua quæ ad numerum pertinent eiusq; ampliorem cognitionem, & quomodo ipse sit vnus, non est hic declarandi locus. Sunt autem eius species,

Thomas.

Altera quodāmodo pędicamētalis

eius species, binarius, ternarius, quaternarius, centuria, chilias, & ita deinceps in infinitum vsq; augendo, quæ omnes specialissimę sunt, non subalternæ, licet istud a nonnullis in dubiũ vertatur. Quum probat Aristoteles in litera, numerum esse discretam quantitatem, admonent quidam, in exemplo eius per quinq; & tria, & septem intelligendas esse totidem vnitates, non autem numeros ipsos, quinarium, ternarium, & septenarium, propterea quòd in communitatibus vniuersalium dixit Porphyrius, speciem speciei non imponi atq; coniungi, vt gignat aliam aliquam speciem. Vnitates autem, quę omnes eisdem sunt speciei, haud difficulter vnam aliquam progignere speciem admittunt. Verùm istis ex diuerso obijci potest Aristotelicum istud, Ex duobus entibus in actu non fit quid per se & simpliciter vnum. Singulæ autem vnitates videntur esse entia actu. Quòd si hoc Aristotelis dictum (quemadmodum debet, restringendum interpretandumq; dixerint, cur non pari modo intelligendum censent illud Porphyrianum, quòd ex duabus tanq̃ partibus essentialibus atq; formalibus non fit alia species, cuius definitionem essentialem ingrediantur. Id quod sanè non accidit in numeris, si maiores ex minoribus tanq̃ materialibus quibusdam partibus seu principijs dicamus constare. Habet tamen Boetiana translatio conditionem appositam hoc modo, vt quinq; si sint partes denarij, &c̃. Indicat autem Philosophus hic obiter, duplices esse numerorum (& idem in continuis habendum est iudicium) partes, quasdam qui vocantur mensurantes seu dimetientes, alias non numerantes. Ea pars dicitur mensurans, quæ aliquoties sumpta atq; replicata totum reddit adæquatè, hoc est, neq; minus, neq; amplius, qualis est quinarius respectu denarij. bis enim quinq; sunt decem. Eiusmodi sunt j. ij. iij. respectu vj. Illa pars est non mensurans, quæ id non potest, vt iij. & vij. respectu x. Item iiij. & v. respectu vj. Ita quóq; in continuis, partes mensurantes tripedalis sunt pedale & semipedale. Non mensurans autem siue non dimetiens, bipedale. De oratione verò, cuius in textu fit mentio, tanq; cuiusdam speciei quantitatis discretæ, non satis constat inter expositores. Nonnulli prodigioso quodam & inusitato genere sermonis per orationem intelligunt numerum syllabarũ ipsius orationis. verùm prius dictum est, numerum huius prædicamenti non reperiri, nisi in magnitudinibus discretis, quare etiam talis numerus alienus est ab hoc prędicamento. Alij verò (inter quos est Faber) per numerum accipiunt quantitatem quandam discretam conflatam ex quibusdam temporibus seu morulis, productione videlicet & corruptione syllabarum ad seinuicem non cõtinuatis, quæ quid aliud sit, quàm multæ partes temporis, quibus mensurantur orationis syllabæ, ac ipsa tota oratio, non satis intelligo. Rectius igitur Boetius & Ammonius per orationem id intelligunt, quod Latini consueuerunt, nempe vocem significatiuã, cuius aliquid partium est significatiuum separatum. Nam Græcis λόγος (quo nomine vtitur hic Aristoteles) nunc orationem mentis, nunc sermonem orationẽq; vocis significat. Verùm ne quis Aristotelem (inquit Boetius) cum diceret λόγον, id est, orationem esse quantitatem discretam, de eo putaret dicere, quem quisq; λόγον, id est, rationem in propria cogitatione disponeret, hoc addidit. Dico autem illã quę fit cũ voce orationem. Verùm his adijciendũ videtur, Aristotelem hoc loco de oratione non loqui ex propria sententia, sed recitare duntaxat eorum opinionẽ, qui existimauerunt orationẽ esse quantitatẽ discretam, quia mensuratur syllaba longa & breui, sicut numerus a suis vnitatibus, vt quarto Physicorum docetur, sed falsò. Quia numerus per se mensuratur a suis vnitatibus. Oratio verò per accidens duntaxat mensuratur a suis syllabis ratione temporis, quo ipsæ syllabę mensurantur, & ideo non oportet orationẽ esse quantitatẽ sicut numerus. Hinc ipse Aristoteles quinto Metaphysicor. capit. de quanto, recensens quantitatis species, orationis ne meminit quidẽ. Nec huic expositioni fraudi esse debet vulgata editio, quæ probationẽ illam, qua ostenditur oratio esse quantitas, sic refert. mensuratur enim syllaba longa & breuis. quia aliã lectionem habet græcus codex, Ammonius, Boetius, Argyropilus, & reliqui, nẽpe hanc, mensuratur enim syllaba longa & breui, vt verbũ (mẽsuratur) ad orationem referatur, tanq̃ ad suppositum, non ad syllabã, Gręcis enim συλλαβῇ non nominatiuus est, sed datiuus, ob idque erit Latinis ablatiuus. Est ergo huius probationis sensus. Oratio quantitas est, quia mensuratur syllaba longa & breui. Sed obijcitur. Quantitatis omnis potius est mensurare q̃ mensurari, ergo oratio malè ex eo probatur esse quantitas, quia mensuratur syllaba longa & breui. Respondeo, probationem quidem inualidam esse (vt dictum est) non tamen ob causam in argumento illatã. Quia licet omni quantitati cõpetat alia mensurare, tamen peculiare est quantitati discretæ, etiam a suo principio mensurari, a quo sæpius replicato fluit & nascitur. Et quia istud orationi competere videbatur, hinc

Quo pacto intelligendũ est quinq; & quinq;.

existimasse videntur, eã esse quantitatem discretã, sed falso, vt dictum est, cum potius sit quali-
tas tertiæ speciei. Secunda diuisio quantitatis apud Arist. est hæc. Quantitatis aliud cõ-
stat ex partibus ad seinuicem positionem habentibus, aliud ex non habentibus positionẽ, quæ
dicitur esse subiecti in accidens & huius negationem diuisio. Est enim positio accidens quã-
titatis ac eius partium, diuina virtute in venerabili ac sacrosancta Eucharistia ab eis separata.

Secunda q̃n-titatis diui-sio.

Positio autem (autore Thoma) dupliciter capitur. Vno modo, vt sit ordo partium in toto, cõ-
paratione facta ad locum, in qua significatione dicit, positionem esse vnum e decem prædi-
camentis, quod alio vocabulo situs est appellatum. Secundò positio est ordo partium in to-
to absolutè, nulla ad locum facta comparatione, qui rei conueniret, etiam si extra omnem lo-
cum statueretur. Hanc positionem dicit non esse prædicamenti situs, & de ea hic loqui Ari-
stotelem, licet nonnulli reclament. Ad hanc partium in toto positionem tria solent assignari
requisita ac necessaria, ex textus declaratione collecta. Primum est partium permanentia, vt
scilicet non repugnet eis simul existere. Quomodo enim ad inuicem posita dicerentur, quæ
non permanent simul. Secundum est partiũ situs quidam, secundum quem possit demõstrari
corporaliter (vt ait Augustinus) vbi sit vna pars, & vbi altera. Dicimus autem vbi, non quo in
loco, sed quã differentiam positionis habeat in suo toto continuo. Hic ergo situs sumendus est
secundũ differentias positionum, quæ numerantur sursum & deorsum, ante & post, dextrum
& sinistrum, quibus adiungit diuus Augustinus longè & iuxta. Hoc secundum requisitum
videtur nobis vnum sufficere, imò totũ de quo agitur in se complecti. Tertium est continu-
atio atq; vnio partium ad inuicem, facta per aliquem terminum communem. Prima conditi-
one excluduntur partes temporis atq; orationis. Secunda verò partes horum & etiam nume-
ri. Est enim vnitas, quæ pars numeri dicitur, indiuisibile quoddã, existens in toto sic, vt in nul-
la eius parte sit, nullã habens per se in continuo positionẽ, quod tamen puncto omnes solent
tribuere. Quodlibet nanq; punctum aut inchoans est, aut continuans, aut terminans, ita vt
de ipso assignari valeat, nũ sursum sit an deorsum, ante an post, dextrum an sinistrum, longè
quoq; an iuxta. Tertia numeri partes excludit, & earum magnitudinem, quę non sunt inui-
cẽ continuatæ. Ordo partium (cuius in litera fit mentio) accipiendus est potissimùm secundũ
causalitatem. Prius enim ostendimus, non modò ex vnitatibus, sed ex minoribus etiam nu-
meris tanq̃ quibusdam integralibus partibus & mensuris suis, maiores numeros constare, ide-
óq; minores numeri maioribus sunt priores, quinto modo prioris. Sunt etiam secundo mo-
do priores, eo quòd ab illis non conuertitur essendi consequentia, sicut ibi est declarandum.
Porrò orationis partes ordinem prolationis, quę eis tribuitur, non habent ex se, sed tantũ qua-
tenus significationem suam volunt tueri & retinere, teste Boetio. Eadem enim est oratio in prę-
dicamento quantitatis, siue dixeris Cicero, siue Roceci. Neq; ad hanc multum pertinet, siue
syllabam quamlibet in medio, siue principio, finéve collocaueris. Si tamen seruanda erit ea-
dem vocis significatio, non licebit temerè partium confundere ordinem ac inuertere.

Positio autore Thoma dupliciter accipit.

Augustinus

Augustinus

Boetius.

Quum deinde in litera sequitur (Atq; hæc sola, &c̃.) more sophistarum non est immoran-
dum in his dictionibus quantum & quantitas. Nam & quantum adiectione illius clausulę per
se, vel propriè, pro quantitate vsurpatur. & quantitas accessione particulæ per accidens pro
quanto ponitur. Ferè enim (teste etiam Fabro) concretis denominatiuisq; huius prædicamenti
nominibus, principalium seu abstractorum loco vtimur, vt lineam quantam dicimus, quum
potius dicenda videtur linea quantitas esse. Accipiturq; hic propriè seu per se, primo modo
ab Aristotele in Posteriorum analyticorum libro assignato. Quod autem dicit, sola ea quæ su-
perius sunt enumerata, per se quantitates esse, nihil officit, quo minus bicubitum, tricubitum,
pedaneum, bipedaneum, vlna, & cætera huiusmodi quantitates propriæ sint. Significant e-
nim illæ voces (aliorum omissis opinionibus) idem principaliter, quod quantitas continua
permanens seu magnitudo, tametsi certarum mensurarum inter se discrepent connotationi-
bus. Quare non efficient diuersam ab illa speciem, sicut nec hora, dies, annus, &c̃. a tempore.
Quo modo autem accipiendum sit, quod in quinto Metaphy. Aristoteles tempus ipsum in-
ter per accidens quanta recenset, ratione videlicet continui, in quo recipitur vna cum motu,
non est huius loci declarare. Neq; enim suscepimus prouinciam, in speciem dissidentes pas-
sus in Metaphysicis & Logicis Aristotelis, ad cõcordiam reuocandi. De eo quod per accidẽs
quantum est quantitate discreta, nihil prorsus habet Philosophi declaratio, sed tantum memi-
nit quanti per accidens quantitate continua, tam successiua q̃ permanente. Huius igitur per
accidens quanti, notandi sunt aliquot modi seu distinctiones, ad multa alia intelligenda non
mediocriter vtiles. In primis igitur illud per accidens quantum dicitur, cui inhæret ipsa quan-
titas,

Notabilis ĩ litera positi explicatio.

Per accidẽs quãti conti nui modi varij.

titas, vt lapis, cui insunt quantitas corporea, superficies, & linea. Item motus, cui inest tempus, vt per hūc cœlo. Secundo modo per accidens dicitur nomen quantū de concreto quopiā, de cuius abstracto non prædicatur quantum nec quantitas. Sic musicum per accidens quantum dicitur in Metaphysica. Non enim est musica quanta, neq; quantitas. Tertiò illud dicitur per accidens quantum, cui competit extensio, aut quia inest ipsi quantitati extensæ, aut eius subiecto, habetq; partem vnam extra alteram, ratione quantitatis huiusmodi cui inest, vel cum qua eidem subiecto coinhæret. Hoc modo qualitates corporales per accidens quantæ dicuntur. Item substantiales formæ, dempta anima rationali. Sic albedo per accidens quāta dicitur in litera, nimirum ratione superficiei. Vtrum autem albedo cæteræq; qualitates corporales, immediatè in superficie tanquam subiecto inhæreant, an potius corporeæ quantitati, vel huius partibus extremis, non est hic discutiendi locus. Secunda quæstionis pars videtur nobis probabilior. Quartò aliquid per accidens quantum dicitur, quod a quantitate denominatur, quæ neq; ipsi inest, neq; ipsum quantitati, neque ambo eidem subiecto. Itaq; habet se quantitas ad illud, per modum mensuræ prorsus extraneæ. Sic motus & actio in his inferioribus, per accidens quanta dicuntur a tempore.

Secundus.

Tertius.

Sequitur tabula Prædicamenti Quantitatis.

- Quantitas
  - Continua.
    - Linea. / Superficies. — Hæc, illa.
    - Corpus. / Tempus. — Hoc, illud.
  - Discreta. Numerus.
    - Binarius. / Ternarius. / Quaternarius. / Quinarius, &c. — Hic, ille.
- Quantum
  - Continuum.
    - Lineatum. / Superficiatum / Corporeum. / Temporeum. — Hoc, illud.
  - Discretum. Numeratū.
    - Duo. / Tria. / Quatuor. / Quinq;, &c.

In secundam partem capitis de quantitate, tres quantitatis proprietates continentem, annotatio.

Quātitati nihil est cōtrariū.

PRima quantitatis proprietas vtitur contrarietate, quemadmodum accepta est in quarta proprietate substantiæ, estq; propria secundo modo, cum omni & non soli quantitati cō ueniat. Neq; obstat quod dicitur in Physicis, omnem motum esse inter contraria. Id enim de quauis contrarietate, tam logica q̄ physica est accipiendum, vt alibi declarabitur. Maior autem & minor quantitas, inter quas sunt augmentatio & diminutio, contraria quædam physica sunt. Dicet fortasse quispiam, noctem & diem, quæ quantitates sunt, cum sint quædā tempora, esse inter se contraria. Cui respondens nega assumptionem. Non enim contraria censeri debent, quæ idem principaliter significant, & sola differunt connotatione. vtrumq; autē illorum, idem quod tempus significat, sed alterum præsentiam solis supra nostrum hemisphærium, alterum eiusdem connotat absentiam. Quare priuatiuè opposita potius q̄ contraria existimanda erunt, sed non nisi imperfectè & ratione connotati. Aliquoties tamen autores die pro lumine solis vtuntur, nocte pro tenebris, vt apud Poetam, Admisitq; diem, id est, lumen solare apertis fenestris. Aliter capitur dies pro tempore xxiiij. horarum, quam diem naturalē vocare solent. Priorem verò, quæ nocti quodammodo opposita dicebatur, artificialem. ob id fortasse, quòd hæc variabilis sit secundum durationem, illa verò semper eundem durationis obseruet tenorem, sicut naturalia certā lege fiunt & semper eodem modo, non autem artificialia. Ante exemplorum enumerationem, statim post hanc proprietatem, præmittit Boetij translatio.

Diem & noctē esse sibi mutuo contraria.

translatio. In definitis autem manifestum est, quòd nihil est contrariũ, vt bicubito, &c. Quod perbellè conuenit illi, quod in quarta substantiæ proprietate dicebatur, Determinatorũ verò nullum, &c. Quia autem hic Aristoteles definitis quantitatibus adnumerare videtur superficiem, ideo Boëtius etiam aliam quandam, quam illo loco exposuimus, assignat determinatę, indeterminatæq; quantitatis acceptionem, secundum quam etiam superficies & linea, cæteraq; huiusmodi, sunt definitæ quantitates. magnum verò & paruum, multum & paucum indefinitæ. A cuius explicatione, quum non multum necessaria præsenti loco videatur, abstinendum duximus. Ex secundæ solutionis ad priorem obiectionem probatione colligenda est hæc regula. Nulli ad aliquid seu relationi aliquid est contrarium, intellige logicè & per se. In secunda obiectione literæ, per locum deorsum accipiendus est locus terræ, qui (vt etiã testatur Commentator, partim est superficies concaua aquæ, & partim aeris. Medium autẽ est centrum mundi. Per mundi autem terminos, intelligunt quidam duos cœli polos, arcticum & antarcticum. Alij superficiem concauam orbis lunaris, continentem omnia hæc inferiora, generabilia & corruptibilia, quam fortassis pluratiuo numero terminos mundi appellauit Philosophus, vt insinuaret non modò in nostro hoc hemisphærio sursum esse & deorsum, sed & in altero sub nobis posito, quod aspiciunt Antipodes. Distantia autem medij seu centri a terminis mundi, dicitur esse maxima, non quidem simpliciter, sed quæ motu naturali corporis grauis vel leuis possit pertransiri. Idem volunt qui hanc distantiam sumendam esse dicunt, secundum semidiametrum sphæræ mundi inferioris, continentis quatuor elementa cum reliquis corporibus generationi corruptioniq; subiectis. Verùm de hisce rebus latius in Physicis est disputandum. Hanc secundam obiectionem opinatur Boetius ab Arist. non esse solutam, quód verum concludat, sitq; re vera vni loco contrarius alter. Sed si quis hęc diligentius expenderit, inueniet errasse Boetium, qui hac in re dissentit a magistro suo Diuo Augustino, e cuius categorijs bonam suarum enarrationum partem etiam ad verbum frequenter desumpsit. Locus enim (vt ante declarauimus) secundum antiquos designat spacium quoddam separatum, cui nihil per se contrarium inueniri, est manifestum. Quòd si locum accipere placeat, vti verè se habet nomen loci, primò significabit superficiem ipsam, cui nihil est contrarium per se. Deinde connotabit actiuam continentiam, & fortasse etiam concauitatẽ, quarum illa cum sit relatio, non poterit habere contrarium, Hæc verò contraria est conuexitati, sed non ob id locus per se, & vt quantitas est, contrarietatem admittet. Quòd si loco adiũxeris sursum & deorsum, hæc ad aliquid sunt, & proinde nequaquam contraria. Hæc solutio ad amussim quadrat cum sententia diui Augustini. Quòd si tertiò locũ sumpseris, quatenus ipsi, vel potius corpori continenti insunt diuersæ qualitates, virtutes & influentiæ, quæ ex effectibus suis arguuntur esse contrariæ, nihil aliud obtinebis, quàm locum vnum per accidens contrarium esse alteri. Dicemus ergo, Aristotelem huic instantiæ propterea non subiecisse solutionem, aut quia naturam loci secundum veritatem non declarauerat alios secutus, aut quia hæc obiectio simili modo videbatur soluenda, quo & præcedens. Sursum nanq; & deorsum relatiua sunt, quemadmodum multum & paucum, magnum & paruum.

Quid mũdi medium. Quid mũdi termini.

Secũda quãtitatis proprietas.

Secunda quantitatis proprietas, ex quinta substantiæ, cui eadem est, omnino esse debet manifesta. Conuenit autem non soli, sed omni quantitati. Nulla enim quantitas intensionem recipit aut remissionem, neq; vnquam cum aduerbijs comparandi prædicatur, etiam si concreto nomine expressa sit. Has tamen voces longum, latum, profundum, durans, atq; multum, cum relationes quasdam significant, nihil prohibet cum dictis prædicari aduerbijs.

Tertia quãtitatis proprietas.

Tertia proprietas est, æquale vel inæquale esse. Quæ ob id maximè propria dicitur quãtitati, quòd sit quarto modo propria, omni, soli, & semper conueniens. Ne autem ei aliquid ad perfectam proprij & vniuersalis rationem pertinens desit, accipiunt nonnulli æquale vel inæquale circumlocutiuè, vt vnam quandam designet aptitudinem ad esse æquale aut inæquale, quemadmodum in numero aptitudinem ponunt ad paritatem vel imparitatem, mouentes insuper dubitationem, An præter illam vnicam generalem aptitudinem pariter æqualitatem vel inæqualitatem respicientem, ponendæ sint aliæ duæ, quarum vna singulariter ad æqualitatem, altera ad inæqualitatem referatur. Contra hanc proprietatem occurrit statim huiusmodi instantia. Etiam substantia & pleræq; qualitates corporales, sibi mutuo sunt æquales, vel inæquales, ergo non est iam dicta proprietas, quantitati propria quarto modo. Ad quam respondendo, licet fortassis dici posset, illa tametsi inter se aliquo modo æqualia sint atq; inæqualia, non habere tamen aptitudinem ad eos actus. Aliter tamen a plerisque respondetur, hanc proprietatem de his quæ immediatè & proximè eam aptitudinem obtinent,

Instantia.

Responsio.

obtinent, intelligēdam esse. Alij addunt loco illius limitationis particulam, per se. Non enim absurdum existimari debet, si id quod cuiq; proprium est, alteri per ipsum seu ratione ipsius probetur aliquo modo conuenire, vt plurimis ostendi potest exemplis. Et hæc alludere vidētur ad illam diuersam ab ea quam secuti sumus huius proprietatis assignationem. Propriū est quantitati, secundum eam quippiam æquale vel inęquale dici, sed his quæ leuicula sterilia atq; fortassis videri possint, non est immorandum. Vt autem ad explicationem actuum pręsentis proprietatis seu aptitudinis veniamus, animaduertere oportet, æqualitatem inæqualitatemq;, hoc loco non impropriè & largè sumi, quomodo eis metaphysici sępe vtuntur, vt videlicet quantitati impropriè dictæ (quā virtutis quantitatem appellant) attribuantur, sed propriè, vt tantum prius numeratis quantitatibus accommodentur. Est igitur æqualitas relatio, secundum quam formaliter æquale aliquid dicitur. Inæqualitas verò, a qua inęquale quippiam est. Quantitates autem illæ ęquales sunt, quæ cum sint eiusdem speciei, neutra tamen a reliqua superatur, vt duæ lineę pedaneæ, duæ triades, & ita in cęteris. Nam in discretis quantitatibus, quęcunq; eiusdem sunt speciei specialissimę, æquales inter se necesse est esse, non autem in continuis; cuius ratio est, quòd nullę discretæ quantitates seu numeri eiusdem speciei, sese superant multitudine. In continuis autem frequenter euenit, vt vna excedat aliam eiusdem speciei, vt linea bipedalis, lineam pedalem, annus diem, &c. Quantitates verò inæquales sunt quantitates continuæ eiusdem speciei, quarum vna alteram excedit, vel quantitates discretæ diuersarum specierum. Dico quantitates continuę eiusdem speciei, quia quantitates continuæ diuersarum specierum non sunt inter se ęquales, neq; inæquales, vt tempus non est æquale vel inęquale lineæ, neq; linea superficiei. Cuius ratio esse videtur, quòd ęqualitas & inęqualitas ijs duntaxat competant, quę omni ex parte ad se comparari queunt. Quantitates autem continuę diuersarum specierum aut nullam admittunt comparationem, vt linea & tēpus, aut non omni ex parte, vt linea & superficies. Nam lati ad non latum nulla est proportio, sicut nec puncti ad lineam. Numeri verò diuersarum specierum, quanq̄ æquales non sint, semper tamen aliquam inter se proportionem habent, & ideo dicuntur inæquales, vt binarius & ternarius.

Quid ęqualitas & inęqualitas.

In quarti capitis, quod est de prædicamento Ad aliquid, primam partem, complectentem Ad aliquid definitionem, annotatio.

Ad aliqd verò talia dicuntur.

ETsi naturæ ordine ad aliquid sequitur quantitatem & qualitatem, eo quòd in his melior relationum pars fundata est, conuenienter tamē ad doctrinæ ordinem subiecit Arist. quantitati statim determinationem ipsorum ad aliquid, seu relatiuorum, propterea quòd in vltima præcedentis capitis parte de ad aliquid nonnulla habita est mentio disputatioq;. Antequàm ad explicationem definitionis in initio literæ positæ veniamus, paucis quædam sunt præmittenda. Vnum est, quòd hęc tria vocabula, relatio, relatiuum, & ad aliquid, autore Boetio ferè eadem esse solent, pręcipuè cum de terminis agitur. Quòd si hęc rebus tribuātur, erit relatio nomen abstractum, cætera verò duo, concreta magis. Porrò vocabuli πρός τι, quod latinè ad verbum redditur ad aliquid, primus autor (testibus Porphyrio & Alexandro) fuisse traditur diuinus ille Plato, quo clarissimè relationis exprimeret naturam, id quod certè assequutus est. Quum enim relatio nihil sit aliud, quàm duorum inter se mutua habitudo, quorum alterum fundamentum, alterum dicitur terminus, atq; ita non ideo tantum, quia in alio esse habeat, sed & quia ad aliud habet esse, existat, conuenientissimè eā oportet vocabulo ad aliquid significari. Deindè præmittenda est varia huius nominis ad aliquid apud philosophos acceptio seu vsurpatio. In primis enim (vt ex ante dictis licet colligere) aliquando terminis seu signis, frequentius verò ipsis rebus tribuitur. Ad aliquid terminus attributum nihil est aliud, q̄ vocabulum relationem quampiam significans. Quòd si hanc principaliter significauerit, dicitur ad aliquid secundum esse, vt pater, filius, dominus, magnus, similis, calefacere, & sic de alijs. Sin autem minus principaliter relationem connotauerit, tum ad aliquid secundum dici solet appellari. Vt sunt hæc nomina, caput, manus, locus, scientia, virtus, & in vniuersum omnes comparatiui. Hæc enim omnia, præter principale significatum, quandam connotant relationem, id quod partim quidem satis est manifestum, partim verò ex sequentibus declarabitur. Ex his patet, ad aliquid secundum esse & secundum dici, propriè in terminos ipsos, relationem aliquam principaliter vel minus principaliter designantes, competere. Cuius sententiæ etiam est Caietanus. Nihilominus non absurdè hæc eadem, rebus seu relationibus ipsis, in quantum sic vel sic nominibus relatiuis significantur, possent accommodari.

Quo modo cōueniāt relatio, relatiuū, atq; ad aliquid.

Porphyrius. Alexander.

Ad aliquid variè acceptum.

Quæ sunt ad aliqd secundū esse & secundū dici.

Caietanus.

Quomodo erit eadem relatio, diuersis rationibus ad aliquid secūdum esse, & secundum dici;

vt relatio

vt relatio partis, ad aliquid secundum esse est, quatenus significatur hoc nomine pars. Est ve
rò ad aliquid secundum dici, quatenus significatur his nominibus caput & manus, idem est
iudicium de continentia, quatenus his vocabulis, continens, & locus significatur. Quare dilu
cidum relinquitur, hoc non in res ipsas, nisi vt nominibus relatiuis designantur, quadrare.

Adaliqd diuersę acceptiones.

Porrò ad aliquid rebus attributum, nunc abstractim sumitur (licet rarius) pro relatione ali
qua, seu mutua aliquorum ad inuicem habitudine, quæ alio nomine etiam respectus dici cõ
sueuit. nunc autem concretim, pro re huiusmodi relationem in se habente, ab eaq; denomina
ta. Ad aliquid abstractè sumptum siue relatio (& idem habendum est iudicium si concretim
accipiatur) dupliciter diuiditur. Vno modo, relationum quędam est realis, cuius scilicet exi
stentia aut conseruatio non dependet ab intellectus operatione. Vt sunt, paternitas, similitu
do, calefactio, sessio. Hæc non competit nisi entibus realibus, actuq; existentibus. Altera est
rationis, cuius existentia conseruatioq; ab intellectus operatione necessariò dependet, vt sunt
relationes generis, speciei, æquiuoci, nominis, verbi, oppositio priuatiua inter cæcitatem & vi
sum, identitas naturalis qua Ioannes dicitur sibi idem, & ita de alijs. Non est enim realis rela
tio, nisi inter res distinctas. Secundò, relationũ quędam est intrinsecus adueniẽs, alia verò ex
trinsecus. Relatio intrinsecus aduenire dicitur, quę necessariò est, positis fundamento & termi
no, hoc est, positis ijs rebus, quæ natę sunt esse primum fundamentum & terminus, vt pater-
nitas & filiatio (vt ita loqui liceat) Existentibus enim duobus hominibus, quorum alter genui
t, & alter ab eo est genitus, non possunt nõ in illis consurgere iam dictę relationes. Ita quóq;
existentibus duabus albedinibus, necessariò nascitur inter eas similitudo, quare & similitudo
erit relatio intrinsecus adueniens. Diximus primum fundamentum, &c. Nam ipsa subiecta
duarum albedinum, aliquo modo dicuntur fundamẽtum & terminus similitudinis, sed remo
ta. quare nihil obstat, si hęc sine mutua similitudine possit cõsistere. Extrinsecus adueniens re
latio est, quæ non necessariò extat positis fundamento atq; termino, vt actio, passio, continẽ-
tia localis, tunicatio. Possunt nanq; eæ res, quarum vna in alteram agit, sine tali esse actione, si
videlicet ab inuicem longè separentur, & ita de alijs similibus est declarandum. Fundamen
tum relationis dicitur, quod secundum eam ad aliud comparatur, atq; hoc relationem ipsam
in se habet, ab eaq; denominatur intrinsecus, vt fundamentum paternitatis est is homo qui ge
nuit, hunc enim patrem appellamus. Terminus verò relationis est ea res, ad quam fit alterius
comparatio, vt homo genitus ab altero, est terminus paternitatis; eius nanq; respectu alterũ
dicimus patrem. Hanc posteriorem diuisionem eò tradidimus, quòd secundum ipsam suma-
tur huius prædicamenti a sex vltimis differentia, atque distinctio. Nam quum illud cõstet,
tria tantùm esse prædicamenta rerum absolutarum, nempe substantiam, quantitatem, & qua
litatem, cętera verò septem relationes tantummodo continere. inuenire conati sunt aliquã
diuersitatis notam, qua hoc prædicamentum ad aliquid, a reliquis dissepararent. Hæc au-
tem nõ videbatur aliter posse accommodatius, quàm per intrinsecus & extrinsecus aduenire,
assignari. Quare adaliquid, vt est huius ordinis generalissimum, definiêrunt relationem intrin
secus aduenientem, qua sanè finitione, extranea omnia sese arbitrati sunt exclusisse, omni-
bus tamen quæ huc pertinere debent admissis & comprehensis. Verùm alij emerserunt, qui
hanc talẽ præsentis seriei ab alijs relationũ ordinibus distinctionem segregationẽq;, multis ra
tionibus conuulsam, labefactatã, claudicantem, & insufficientem existimantes, cum meliorem
inuenire & assequi non possent, qua positiua, affirmatiuaq; quapiam proprietate hæc ipsa in-
ter se distinguerent, duxerunt ad aliquid, vt esset speciale prędicamentum, non aliter q̃ per ali
orum relatiuorum prædicamentorũ abnegationem definiendum esse, vt sit relatio quæ neq;
est actio, neq; passio, neq; vbi, neq; quando, neq; situs, neq; habitus. Fuerunt & tertij, qui ad ali
quid a cæteris relatiuis prædicamentis, non tanq̃ disparatum quoddam & repugnans putâ-
rũt differre, sed vt verũ superius, & proinde secundum rei veritatem, tantũ quatuor constituen
da esse prædicamenta, substantiam, quantitatem, qualitatem, & adaliquid seu relationem.
Quòd verò alia sex adiecerint philosophi, hoc factũ esse docendi causa. Nam cum penè infini-
ta multitudo sit relationum, maluerunt (vt dicunt isti) plures classes facere, ne si omnia talia
nomina in vnam aliquam includerent, multitudine perturbarentur addiscentes. Cæterùm
quid in hac cõtrouersia potius sit amplectendũ, nõ est præsentis loci prolixius disputare. Ter
tiò præmittitur ipsius adaliquid, secundum quod huius classis generalissimũ ponitur, vulga-
ris diuisio vsq; ad nonnulla ipsius specialissima. Nam omnia enumerare, longum foret in tãta
relationũ multitudine varietateq;. Secatur ergo primũ ad aliquid in duo subalterna genera,
quæ a plerisq; adaliquid æquiparantiæ, & ad aliquid disquiparantiæ. ab alijs verò adaliquid
æqualiter

Prima adaliquid siue relationis diuisio.

Ratio realis

Vndè, secundum quorũdã opinionẽ, sumatur distictio huius prædicamẽti ab alijs respectibus.

Aliorum de eadẽ re sententia.

Tertia de eadem re opinio.

Partitio ad aliquid quatenus est generalissimũ.

æqualiter comparatum,& inæqualiter comparatum vocantur. Sed de nomine non est operę precium contendere, vbi de re satis constiterit. Adaliquid æquiparantiæ dicitur, quod ad suum correlatiuum sub eodem refertur nomine, vel potius quod habet relatiuum eiusdem secũ speciei, Vt similitudo, fraternitas, &c̃. Dicitur nãq; simili simile, & frater fratris frater, & ita de alijs eiusmodi. Est quoq; similitudo alicuius qualitatis, eiusdẽ speciei cũ ea similitudine quę sibi in suo termino respõdet, & ita de fraternitate. An autẽ similitudo duarũ albedinũ inter se & duarũ nigredinũ mutua similitudo, specie inter se discrimẽ habeãt, alijs relinquo discutiendũ. Certum est tamen, hoc genere subalterno non tantùm specialissimas species comprehensas esse. Adaliquid disquiparantiæ seu inæqualiter relatum, est relatio, quæ ad suum correlatiuum a quo etiam specie differt, sub diuerso refertur nomine, vt pater, Non enim dicitur pater patris pater, sed filij, discrepatq; paternitas indubiè specie, ab ea relatione, secundum quã qui ab illo genitus est, dicitur filius. Hoc autem genus in duo subalterna rursus diuiditur. Quidam adaliquid correlatiuo dignius & indignius correlatiuo appellant. Alij adaliquid superpositionis & suppositionis. Sub priore continentur quæcunq; fundamentum suum in quãtum tale dignius constituunt, quàm sit correlatiui fundamentum, vt pater, causa. Est enim semper pater, vt talis, dignior filio. & causa effectu. Sub posteriore verò, quæ oppositum illius efficiunt, vt filius, causatum seu effectus, & sic de alijs.

Coordinatio prædicamenti Adaliquid.

- Ad aliquid
  - Aequiparantiæ,
    - Discipulus.
    - Simile.
    - Dissimile.
    - Aequale.
    - Inæquale
    - Cognatus.
      - Sobrinus.
      - Patruelis.
    - Socius.
  - Disquiparantiæ.
    - Dignius correlatiuo.
      - Magister.
      - Pater.
      - Duplum.
      - Causa.
        - Materia.
        - Forma.
        - Efficiens.
        - Finis.
      - Totum.
      - Dux.
    - Indignius correlatiuo
      - Discipulus.
      - Filius.
      - Dimidium.
      - Effectus.
        - Effectus materiæ.
        - Formatum.
        - Effectum seu productum.
        - Medium causæ finalis.
      - Pars.
      - Miles.

Ad aliquid definitionis explicatio.

His pręgustatis, ad definitionem in principio huius capitis assignatam accedimus, ea sic habet. Adaliquid talia dicũtur, quęcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur, vel quomodo libet aliter ad aliud. quæ licet de terminis relatis, id est, relationem quampiam, cuiuscunq; fuerit ordinis prædicamentalis, vel principaliter vel connotatione sola significantibus, interpretari soleat. syncerius tamẽ magisq; ad sequẽtia appositè, de rebus ipsis, tales relationes in se habẽtibus, exponẽda videtur. Accipiatur ergo definitũ pro eiuscemodi rebus, quæ habitudinẽ aliquã ad seinuicẽ induerunt, siue eæ correlatiua sint, hoc est, ad se mutuò referantur, siue non. Diuersa enim sunt nõnihil, adaliquid seu relatiua, & correlatiua. Siquidẽ pater & dominus relatiua sunt, non correlatiua. similiter virtus & viciũ, vt ex prima cõmunitate adaliquid patebit. Interdũ tamen hoc discrimen cõfunditur. Particula, hoc ipsum quod sunt (græcè pluraliter legitur, hęc ipsa quæ sunt) determinans verbum dicuntur, cum sit imperfecta, mutilaq;, complenda est adiectione pręposítionis secundum, aut similis, vt valeat idem quod secundum suã naturam seu essentiam, in quantum sunt talia, qualia per voces esse significantur, vel connotantur. Pater enim propter suam paternitatem, quæ dat ipsi formaliter vt sit pater, refertur ad filium, & sic de alijs adaliquid. Dici autem siue referri, hic nihil est aliud, q̃ ipsum adiunctũ suo correlatiuo in obliquo designato, de semet verè & vniuersaliter prędicari, vt pater dicitur filij, seu refertur ad filium, quia verum est, omnẽ patrem esse filij patrem. Absoluimus

Quid dici, siue referri.

hic hu-

hic huiusmodi terminos a genere, vt sub patre etiam mater, & sub filio comprehendatur filia. Ideo vas non rectè refertur ad vinum, nec bos ad agricolam. quia non est verum, omne vas esse vini vas, nec omnem bouem esse agricolæ bouem. Sed vas quidem ad contentū refertur, aut si mauis, aliud fingas iuxta Aristotelis doctrinam, & bos vt est possessus ad possessorem, non autem inquantum bos. Non enim significat nomē bouis huiuscemodi relationem. Quare nec albedo ad album refertur tanquam ad correlatiuum, néque grammatica ad grammaticum. Quia licet naturaliter omnis albedo sit albi albedo tanq̃ forma sui subiecti, & similiter grammatica grammatici grammatica, illæ tamen relationes, huiusmodi nominibus non indicantur. Quod licet a nonnullis negatum iri sciamus, facit tamen vt ausimus affirmare, ipse Aristot. in fine capitis de qualitate, ponens scientiam ad aliquid, non autem grammaticam aut musicam. Quod autem postremo loco in definitione disiunctim habetur, dicuntur aliorum vel quomodolibet, &c̃. solito more diuisionem quandam atq; multiplicitatem indicat eorum quę continentur sub definito. Pro qua aduertendum, quod (teste etiā Boetio) relatiuorum quædam nata sunt sub alicuius casus habitudine, absq; interuentu vllius præpositionis ad inuicem referri, vt pater, simile, percutiens, maius, &c̃. Dicitur enim pater filij pater, simile simili simile, percutiens percutit percussum, maius minore maius. Nominatiuus autem casus atq; vocatiuus, huiusmodi relationibus nequaq̃ seruire & idonei esse possunt, cum in his oporteat quandam explicari transitionem, quæ dictis casibus nequit conuenienter exprimi. Quę igitur huiusmodi sunt relatiua, vt citra præpositionis vsum ad sua correlatiua sub habitudine genitiui casus referantur, aliorum dicuntur, & sub priore continentur membro, siue correlatiua ipsorum reciprocè secundum eundem casum referri nata fuerint, siue non, vt patet de scientia & scibili, Nam scientia scibilis scientia dicitur, scibile verò scientia scibile, non scientiæ. Alia sunt adaliquid, quæ non nisi præpositione quapiam interiecta licet referre, vt magnum, multum, agens, patiens. Dicitur enim magnum, ad paruum, magnū, multum ad paucum multum, & ediuersò. Agens quoq; in patiens agit, patiens verò ab agente patitur. Hæc autem, vnà cum omnibus alijs, quæ secundum alios casus q̃ genitiuos referūtur, sub posteriore definitionis membro conclusa sunt, quorum ibi incipit textus referre exempla, Mons verò magnus, &c̃. Neq; huic expositioni quicquam officit, quod statim a definitione subiecit Aristoteles, vt maius id quod est alterius dicitur. aliquo enim maius dicitur. Ex quo nimirum apparet maius sub secunda parte potiori iure comprehendi, quum in ablatiuo referatur. Istud inquam nihil nobis obstat, eo quòd Aristot. exemplum suum græco sermoni accommodauerit, secundum quem maius genitiuum regit, nō ablatiuum, qui casus Latinus dictus est, & Græcis ignotus, Non est ergo hoc conueniens prioris mēbri exemplū secundum latinum idioma, sed græcum quo vsus est Arist. Ex dictis palam est, eadem relatiua diuersis rationibus sub vtrâq; contineri parte, vt sunt simile, amicus, &c̃. Nā simile dicitur simili simile, & similis simile, Amicus quoq; amici amicus dicitur, & amico amicus, vt illic substantiuum sit nomē, hic adiectiuū. Sed hæc grāmaticis relinquamus. Quum sequitur in litera (Sunt & hæc adaliquid, &c. declaratur non modò adaliquid secundū esse, verùm etiā (quę vocant) secundum dici, præmissa definitione comprehensa fuisse. Sunt enim ista quinq; hic enumerata (dempto vltimo) adaliquid secundū dici tantùm, ad qualitatis prędicamentum attinentia. Habitus quidem & affectus seu (vt Boetius legit) dispositio & disciplina, vel (quod in idem redit) scientia propter respectus per huiusmodi vocabula connotatos (quia plerisq; ponuntur respectus mensurationis passiuæ) referuntur ad sua obiecta, id est, materias circa quas versantur tales qualitates, licet fortasse non sint correlatiuis semper propria simpliciaq; imposita nomina, quo euentu secundum Aristotelis doctrinam, fingere nomen, vel oratione circumloqui erit necesse. Sensus verò, hoc est, sentiendi potentia, quatenus hoc nomine sensus, respectum immutationis passiuæ connotante significatur, ad suum sensibile, cui competit actiua immutatio, referendus est. Horum latior declaratio, ex altioribus petenda est disciplinis. Secundò ex eadem parte textus colligendum est, adaliquid non vt est huius seriei prædicamentalis generalissimum, hic esse definitum, quum etiam positioni, quæ ad penultimam pertinet seriem, data definitio conueniat. Tertiò non modò quę nominibus relatiuis concrerè designantur, hoc est, ea quæ in se relationem aliquam habent, definita fuisse, sed & ipsas quoq; relationes, quatenus abstractis nominibus exprimuntur, licet non soleat secundum abstracta huiusmodi fieri relatiuorum adinuicem relatio. Neq; enim ita dixerimus, paternitatem esse filiationis paternitatem, filiationem quoq; paternitatis filiationem, vt patrem filij patrem, & filium patris filium, & ita de alijs. Inter quinq; autem ibi recēsita nomina, vnum dumtaxat est, quod in

Quę dicant aliorum, aut quomodolibet aliter.

quod in quantum adaliquid, sit abstractum, nempe positio. Caetera enim quatuor, tametsi qualitatem quampiam abstractim exprimant, non tamen ipsam relationem, quum non de relatione, sed eius dicantur fundamento. Positio verò relationem a subiecto abstrahit. Quare in fine textus dicitur, quòd iacere & stare vel sedere non sunt positiones, sed a dictis positionibus denominatiuè dicuntur, id est, sunt denominatiua voce & significatione simul, respectu dictarum positionum. Sicut album & nigrum non sunt qualitates, sed sunt denominatiua voce & significatione simul respectu qualitatum. Verùm instabit aliquis. Iacere est tātum denominatiuum significatione respectu accubitus, ergo non rectè interpretati sumus dici denominatiuè .i. esse denominatiuū voce & significatione simul. Cui respōsum sit, qꝫ licet interpres Latinus sic inconsideratè reddiderit exemplum latinū, tamen vox graeca (ἀνακεῖσθαι) in cuius locū successit verbum (iacere,) est verum denominatiuū voce & significatione simul respectu abstracti ἀνάκλισις, in cuius locum successit accubitus. Dico inconsideratè, quia non temerè confundendum esse censeo (dici denominatiuè) cum (dici quomodolibet aliter) eo qꝫ Aristoteles in textu de qualibus haec diligentissimè a se separet, vt ibi videtur, & ideo puto, exemplum ab interprete aliter fuisse reddendum.

Inest autē cōtrarietas relationi.

Annotatio in secundam partem, continentem adaliquid communitates & proprietates, cum ampla prolixaqꝫ ipsarum declaratione, adiectis ad secundam proprietatem duabus obiectionibus.

Assignantur in hac secunda parte, adaliquid duae cōmunitates cum duabus (vt recepta habet opinio) proprietatibus. Prima communitas est, habere contrarium. Quae icirco communitas dicitur & non proprietas, quòd nec omnibus nec solis conuenit adaliquid, non quidem solis, cum etiam albedini & nigredini conueniat, quae ad aliquid minimè sunt. Non etiam omni, eo quòd nullis adaliquid secundum esse competat, vt in praedicamento quātitatis dicebatur. Quare restat, vt eis tantum quae secundum dici adaliquid vocantur possit conuenire. Sed nec his omnibus competit, sed ijs dumtaxat, quae sunt qualitates contrariae, vt sunt scientia & ignorantia, virtus & vitium, & si qua sunt talia plura. Non autem capiti, manui, vel loco, &c̄. Patet ergo, hanc communitatem, quae de contrarietate propriè dicta, est intelligenda, non ipsis adaliquid vt ad aliquid sunt competere, sed vt res quaedam absolutae sunt, nempe tales qualitates. Neqꝫ te moueat, quod in initio literae dicitur in vulgatis exemplaribus, Inest autem contrarietas relationi. Nam pro eo habet translatio Boetiana, Inest autem contrarietas ijs quae sunt adaliquid, &c̄. Circa exempla autem Aristotelica aduertendum est, virtutem & vitium, scientiam & ignorantiam, relatiua quidem esse, non tamen correlatiua. Prius autem haec duo differre dicebamus. Neqꝫ enim illa ad seinuicem referuntur, vti constat. Sed refertur virtus ad studiosum, non quidem virtutis subiectum, vt hominem, sed obiectū seu materiam. Similiter vitiū ad vitiosum, quemadmodū & scientia ad scibile, & ignorantia ad ignorabile. Ignorantia autē non hic negatiuè aut priuatiuè est accipienda, quo modo idiotas dicimus ignorantes, sed positiuè pro errore contrario scientiae, hoc est, quo quis assentitur opposito conclusionis scibilis, quemadmodum de ignorantia loquitur Philosophus, in primo Posteriorum analyticorum. Sed insurgit hic dubitatio, eo quòd non videntur virtus & vitiū, scientia & ignorantia, verè inter se contraria esse, quum eidem simul insint. Nam sciens vnam conclusionem, frequenter ignorat alterā. Similiter nihil obstare videtur, quin sobrius sit superbus, & iustus quispiam prodigus sit, licet hoc inficiarentur illi, qui connexionem virtutum inter se astruūt, de qua re latius in Ethica & Theologia disputatur. Cui respondendum est, ea quae hic assignat Philosophus, tantum generalia esse contraria, & ratione suorum inferiorum, quibus satis est si vnius aliquod inferius propriè contrarium fuerit alicui inferiori alterius, sicut patet etiam de naturali potentia & impotentia. Alij respondent, ista tantum contraria dici respectu eiusdem obiecti. Verùm haec eodem recidere videntur. Non attulit autem Aristoteles, quae propriè & immediatè ratione sui essent contraria, quandoquidem talia nulla adaliquid sunt, vt patebit ex fine tertiae partis de qualitate.

Prima communitas ad aliquid.

Obiectio.

Dilutio.

Secunda cōmunitas (quā non satis conuenienter videtur Albertus dicere praecedentis esse effectum, quū multo latius se extēdat q̄ illa) est suscipere magis & minus, hoc est, praedicari tanq̄ signatum cum eiusmodi comparatiuis aduerbijs. Nam termini praedicantur vt significantes, res verò vt significatae. Non enim hic agendū est de intensione vel remissione. Quandoquidē simile & dissimile, & aequale, & inaequale, quae magis ac minus suscipere ait Aristot. intensionē remissionemqꝫ suscipere non possunt. Iure autem hanc communitatem vocamus, non proprietatem, quum non solis competat adaliquid, sed etiā albo, nigro, dulci, &c̄. Neqꝫ etiam omnibus, vt

Secunda ad aliquid cōmunitas.

Albertus

 ipse fa-

intelligatur, nonnullam etiam significat relationem seu habitudinem, vt scias, relationibus etiam ipsis, non absurdè inter se mutuo quandam esse relationem. Ea dicit Boetius Augustinum secutus esse simul natura, quæ simul sunt ortu atque occasu. Alij, & ipse Boetius alio in loco, dicunt, ea esse simul natura, quæ sunt simul naturali intelligentia, vt eorum non possit alterum sine reliquo intelligi. Verùm cum Aristoteles ipse, in postprædicamentis, quæ simul natura sint, luculenter definiuerit, non est hic quod ambigamus, Natura (inquit) simul sunt, quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam, & neutrum est causa alteri vt sit. Consequentiam essendi vocamus, cū ex esse seu existentia vnius, infertur esse alterius. Hæc duplex est. Vna couertibilis, ex cuius scilicet cōsequente licet vicissim inferre antecedens. Tales sunt hæ, pater est, ergo filius est. homo est, ergo disciplinæ capax est. rationale est, ergo homo est. Sequitur enim ediuersò, filius est, ergo pater est. disciplinæ capax existit, ergo homo. homo est, ergo rationale est. Altera est essendi consequentia nō recurrens seu non conuertibilis, ex cuius consequente non iterum sequitur antecedens, vt homo est, ergo animal est. duo sunt, ergo vnum est. Non enim ediuersò sequitur, animal est, ergo homo est. vnum est, ergo duo sunt. Patet ergo, ea secundum essendi consequentiam conuerti, quæ posita, se mutuò ponunt, & interempta se interimunt. Ob defectum huius prioris conditionis non sunt homo & animal simul natura, neque pater & dominus, neque etiam pater & hic filius. Per secundam autem definitionis partem, quæ de quouis causæ genere intelligenda est, excluduntur homo & rationale, homo & risibile, & quæcunque similiter se habent. Est enim rationale causa formalis hominis, homo verò efficiens risibilis. & vniuersaliter omne subiectum suæ propriæ passionis efficiens causa est. Hactenus sensum proprietatis executi sumus. Restat, vt quomodo propria sit, dispiciamus. Docent plærique recentiores, eam esse propriam primo modo, solis quidē ad aliquid, sed non omnibus competens. Quòd enim non omnibus cōueniat, dicunt apertis rationibus Arist. conuicisse in litera, dū ostendit, scibile atque scientiam, sensibile & sensum nō conuerti secundū essendi consequentiā. & idem ostendi posset de alijs nonnullis etiā ad aliquid secundū esse, vt priore ac posteriore. Non enim (vt apparet) si prius est, posterius est. neque si posterius est, prius oportet esse. Neque terret huius sententiæ assertores, quòd omnia relatiua testatus sit Aristot. ad conuertentia dici, quasi ex hoc consequatur, omnia etiam simul esse natura cum suis conuertentibus. Negant enim hanc consequentiam. Si prius est posteriore prius, & posterius priore posterius est, ergo si prius est, posterius est, eo quòd propter ampliandi vim nomen illud prius quando prædicatur, facit subiectum etiam pro præteritis significatis accipi, & posterius pro futuris etiā, non solū præsentibus, quam sanè ampliandi virtutem constat non habere verbum substantiuum præsentis temporis. Sicut igitur manifestum est non sequi, futurum est futurum. ergo futurum est, ita neque sequitur, posterius est priore posterius, ergo posterius est, & sic de priore quoque est iudicandū. Et cum eis obijciuntur risibile & flebile, quibus (cum non sunt ad aliquid) adamussim tamen videtur eorum quę natura simul sunt cōpetere definitio (Nam & conuertuntur secundum essendi consequentiam, & neutrum est alteri causa vt sit, id quod satis quidem apparet manifestum) Respondent, prædictam definitionem eorū quæ natura simul sunt, complendam esse adiectione huius particulæ (neque ambo sunt effectus eiusdem tertij) qua satis excluduntur illa duo, & quævis similia, quum sint eiusdem subiecti passiones, & per consequens effectus. Cæterùm hoc quàm conuenienter dicatur, nolumus nunc verbosius discutere. Nobis magis placet aliorum solutio, dicentium, illam conuertibilitatem secundum consequentiam essendi, cuius in prædicta definitione fit mentio, debere ijs quæ simul natura sunt propter seipsam, & non ratione alterius cuiuspiā tertij competere, vt conuenit risibili atque flebili ratione communis subiecti, nempe hominis. Est alia opinio apud Caietanū (quę ferè veterū est interpretum) tradens, hanc proprietatē, omnibus in vniuersum relatiuis, modò conuenienter assignata fuerint ad sua conuertentia, cōuenire. Neque huius oppositum concludere Aristotelicas instantias de scibili & scientia, sensuque & sensibili. quum hæc (vt ait) non sic congruenter assignantur. Id quod plurimis verbis prosequitur, sed quia hæc sententia captum puerorum excedit, ideo præterimus. Illud literæ (Nam in pluribus rebus, &c.) talem habet sententiam. De plerisque rebus accipiuntur scientiæ, quū ipsæ iā existant, & aliquandiu substiterint. In paucis verò vel omnino nullis hoc cōtingit, vt mox simul cum existentia, de ipsis acquiratur scientia, quum oporteat intellectū ex præuijs quibusdā circa rem eiusque proprietates speculationibus, tandem ad scientiam eius peruenire, ex quo sanè apertissimè sequitur, scibile & scientiā, non simul esse & non esse, & per consequens non esse simul natura. Cæterùm sciremus circulum quadrare, si dato quocunque circulo,

Quę essendi consequentia, & quotuplex sit.

Obiectio.

Dissolutio.

Caietanus.

certam cognoſceremus artem ac regulam, qua illi æqualis continentiæ deſignaremus quadratum. Id quod ſemper habitum eſt difficillimum, neq; tempore Ariſtotelis demonſtratum erat, licet plures id eſſent conati. Verùm de hoc apud geometras amplius. Scientiam autē videtur Fabro Ariſtoteles hic & in ſuperioribus accipere pro certa quadam actuali cognitione, quam mens adhibitis ſenſibus exercet, quæ profectò ſublato animali deperit, non autem pro ſcientifico habitu qui in intellectu ſuſcipitur, aut certa quauis cognitione, etiam quę actu ſit, quæ anima a corpore ſeparata, ſine ſenſuum functione perageretur. Nam (vt ait) ſcientificus habitus, ſcibili etiam non exiſtente, eſſe poteſt. Vt ſcientia de tonitruo, de niue, de grandine, de deliquijs & huiuſmodi, pariter & certa actu cognitio, quę ſenſuum adminiſtratione non eget, vt quòd tonitruum ſonus ſit, qui ex colliſione nubium & exhalationis naſcitur. Deinde etiam ſic non verum erit, animali ſublato, ſcientiam tolli. Nam animæ, quę huiuſcemodi ſcientiarum receptrices ſunt, ſunt immortales, ſeiugeſq; a corpore degunt, animali corrupto. hæc ferè ille. Qui tamen cum veteribus ſcientiam accipiunt pro ſcientifico habitu, dicunt, ſcibile ſublatum ſimul auferre ſcientiam, non quia nulla ſcientia ſine ſuo ſcibili eſſe poſſit, ſed quia nullo exiſtente ſcibili, conſequens ſit nullam quoq; eſſe ſcientiam. Si enim ſcientia ſit, & ipſa, & eius ſubiectum quædam erunt ſcibilia. Ad poſteriorem autem rationem reſpondent, Ariſtotelem loqui, de animali non tantum ſecundum ſe, ſed etiam ſecundum omnes ſui partes ſublato ſiue corrupto, quemadmodum etiam ſuperius interpretati ſumus illud, Non exiſtentibus primis ſubiectis, &c̄.

Dubiū eſt, vtrū nulla ſubſtantia dicatur adaliquid,

Sequitur annotatio in tertiam partem de adaliquid, dubium vnum pertractantem.

SVperius inter adaliquid numerabantur quædam ſubſtantię, Vt ala alatum, caput capitatum, &c̄. Dictum eſt autem in anteprę/dicamentis, generum non ſubalternatim poſitorum diuerſas eſſe ſpecies, propter hanc cauſam conatur iam Ariſtot. ſeparare ea quæ verè ad aliquid ſunt, ab iſs quæ non propriè inter relatiua numerari ſolent, oſtendens nullam ſubſtantiam eſſe adaliquid, ſi hoc rectè definiatur, quanq̄ neceſſe erat, oppoſitum dicere Platonē, prioris definitionis ad aliquid autorem, qui rerum diuerſitatem videtur aut ignoraſſe, aut certè non curauiſſe. Simile quiddam in fine ſequentis capitis de qualitatibus inter adaliquid enumeratis dicetur. Per primas & ſecundas ſubſtantias in textu intelligendæ ſunt ipſæ res prædicamenti ſubſtantiæ ſingulares & communes, quæ ſunt totæ vel partes, in quantum ſignificantur nominibus ſubſtantialibus in litera poſitis, vel ſimilibus. Conſtat enim manifeſtè ex ſequentibus, non de vocibus, ſed de rebus ipſis loqui Ariſtotelem. Quod autem habet textus, quandam manum non dici alicuius quandam manum, ſed alicuius manum, & bouem non dici alicuius bouem, aut lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſionem, & ita in aliſs ſimilibus, non eſt ſic accipiendum, quaſi illæ orationes, aut falſæ ſint, aut incongruæ. Nam & veras & latinas eſſe conſtat. Sed ſolum vult Ariſtot. huiuſmodi relationes non fieri propter reſpectus per prædicata talium propoſitionum ſignificatos, aut connotatos, licet fiant ratione reſpectuum inuentorum de rebus ipſis, pro quibus eiuſmodi prædicata & obliqui adiuncti accipiuntur. Quare nec tales termini, nec res quatenus illis ſignificantur, erunt vllo pacto ad aliquid. Cur autem hæc vocabula, manus, caput, poſſeſſio, &c̄. ſignificent vel connotent reſpectum, non autem hęc manus, hoc caput, homo, bos, lignum, &c̄. ſolum pendet ex vocum impoſitione & vſu. Nam nomina ad placitum ſignificant. Ex his colligere licet errorem eorum, qui hoc diſcrimen inter adaliquid ſecundum eſſe, & ſecundum dici tantùm, ponunt, quòd illa relationes ipſas, ſeu res vt relationibus indutæ ſunt, ſignificent, hęc verò nullas ſignificent relationes, aut res quatenus in ſe relationes habent, ſed tamen res huiuſmodi deſignent, quibus mutua quędam competit habitudo. Nam ſic euenit profectò, vt etiam hoc caput, & hoc capitatum, item bos & homo adaliquid ſint ſecundum dici, quod Ariſtot. pernegat. Sed iam Ariſtotelicam definitionem, quâ ea ſola quę propriè & ſecundū eſſe adaliquid ſunt, definiuit, excluſis eis quæ tantum ſecundum dici ſunt adaliquid, videamus. Ea ſic habet.

Secūda adaliqd deſcriptio, & ipſius explicatio.

Adaliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſſe, eſt adaliquid quodammodo ſe habere. Cuius definitum (vti diximus) complectitur tantum adaliquid ſecundum eſſe, hoc eſt, ipſas rerum habitudines mutuas ſeu relationes, & res a relationibus denominatas, quatenus relatiuis vocabulis principaliter ſignificantur, vt ſunt paternitas, dominatio, &c̄. & res quæ eſt pater vel dominus, quatenus eſt talis. Antecedens relatiui quibus, eſt entia. Ipſum eſſe, ſumitur pro quiditate ſeu eſſentia relatiuorum. Habere autem ſe ad aliquid, ſumitur abſtractè pro habitudine adaliquid tanq̄ terminū habitudinis, ſiue is re ipſa a fundamento diſtinctus ſit, ſiue non. Non enim

videmus

videmus iustam rationem, quamobrem relationes rationis ab hac definitione reiecerit Diuus Thomas. Non arbitramur hic esse necessarium, vt admoneamus, sub singulari numero pluralem esse intelligendum. Nam huiusmodi facilia leuiaq;, non opus habent, vt vbiq; in culcentur. Roget hic nos fortasse quispiam, cur Arist. non sic suam aptauerit definitionem, vt solis ijs conueniret adaliquid, quæ ad hanc pertinent classem prædicamentalem, præsertim cum hoc libro exactam diuersitatem coordinationum prędicamentalium moliatur tradere. Facere profectò multum videtur hæc ratio ad eorum sententiæ probabilitatem, qui ad aliquid vnum commune genus omnium relationum esse affirmant, subsequentesq; relatiuorũ classes ad hanc, veluti particulares ad communem quandam vniuersalemq; pertinere. Nihilo minus alij haud absurdè respondere possunt, id factum esse ob impendiò difficilem talium relationum ab alijs, quæ sequentium sunt ordinum, distinctionem, de qua fortasse Aristotelis tempore, nondum quicq; a veteribus certi traditum fuerat. Cuius signum est, quòd in metaphysicis nihil prorsus meminerit Arist. vsquam, de huiusmodi diuersitatis causa, vel modo: Et sanè difficillimum est, tales minimę entitatis seu essentiæ reculas, quales sunt relationes, exactis certisq; ab inuicem discriminibus dispescere. Quod mox a definitione subdit textus, Prior verò definitio sequitur, &c̃.) significat illam Platonicam definitionẽ, licet omnibus quæ verè relatiua sunt conueniat, non tamen eorum naturam quiditatemq; in quantum relatiua sunt indicare, vt facit posterior, sed solum conditionem quandam seu proprietatem ipsorum, nempe referri, seu dici ad aliud, quæ (vt ante est a nobis dictum) non conuenit adaliquid, nisi quatenus significatiuis dictionibus, cognitionibusq; subiacent. Corollarium autem ex secunda hac definitione illatum (quod a nonnullis tertia proprietas adaliquid vocatur) intelligunt Auerrois, Albertus, & Thomas, de notitia definitiua, hoc est, qua quid res sit cognoscitur exactè. Nam cum essentia relatiui in hoc consistit, vt aliquid respiciat, impossibile est (vt dicunt) relationem definiri sine correlatiuo ad quod est. Alioqui enim definitio non foret conformis naturæ definiti, neq; eam explicaret secundum propriam essendi rationem. Quare necesse erit, si vnum relatiuorum sit definitè notum, reliquum quoq; simili modo innotuisse. Boetius verò, quem hodie in hoc plerìq; sequuntur, refert idem corollarium ad cognitionem certam exactamq; actualis existentiæ, siue quod quippiam sit, & rectè quidem. Nam nemo certus est esse patrem, nisi in genere sciat certò filium esse. Nemo quoq; firmiter cognoscit hũc patrem existere, nisi & hunc filium existere habeat compertum. Atq; huc omnino spectare ipsius literæ declaratio videtur, inferens tandem apertam in principio motæ dubitationis solutionem, vt patet inspicienti. Conuenit autem prædictum corollarium ijs tantum, quæ per se relatiua sunt. Cum ergo ea quæ secundum dici adaliquid vocantur, vt caput, manus, &c̃. non per se sint relatiua, nihil mirandum, si de his nequaq; contineat veritatem. Sententia autem illa celeberrima in calce præsentis capitis posita, Dubitare de singulis non est inutile, potissimum habet locum, in ijs quæ per se nota sunt minimè, & multum inuoluunt perplexæ obscuritatis, in quibus ad vtramq; partem argumentari potentes, facilè verum assequuntur, vti dicitur in primo Topicorum. Non inutile est ergo in talibus vtrinq; ambiguis dubitare, neutri parti omnino firmiter adhærendo. Nam (vt vulgari iactatum est prouerbio) qui nihil scit, nihil dubitat. Huiusmodi autem ambigua, occurrunt plurima circa accuratam relatiuorum cõsyderationem, vt tamen non sit satis ad perfectam relatiui vnius notitiam, cognitum esse terminum eius, hoc est, rem ipsam ad quam dicitur: an ad perfectam cognitionem actualem relatiui, satis sit correlatiuum, habitu non autem actu notum esse. An melius & peius, vera sint correlatiua secundum esse, vt textus supponit. An relatio omnis a suo fundamento distinguatur realiter, & ita de alijs innumeris, quorum solutiones aliundè sunt petendæ.

Thomas. Quæstio. Solutio. Auerrois. Albertus. Thomas. Boetius.

Sequitur caput de qualitate, Cuius prima pars de qualitatis speciebus pertractat.

Qualitatẽ autẽ dico, secũdũ quã quales quidam dicũtur

Ordinis ratio, cur scilicet qualitas, quarto loco explicetur, quantũ quidem ad præcedẽtia tria attinet prędicamenta, patuit superius: quantum verò ad sequentia attinet, assignari consueuit, quòd qualitas actionem & passionem natura præcedit, non enim erit calefactio & frigefactio, nisi sit calor atq; frigus, & sic de alijs. Nobis tamen in huiusmodi quæ non adeo magni sunt momenti, pro ratione voluntas erit autoris. Deinde quam ob causam huic capiti titulum præfixerit Aristoteles, de quali & qualitate, (cuius rei meminerunt Alexander, D. Augustini Boetius, & posteriores) non decreuimus hic discutere. Illud palam est, Aristo. vti quali & qualitate tanq; primo diuersis, & prius definiuisse qualitatem per quale, posterius verò

Ordo determinationis qlitatis ad cætera prædicamenta.

verò quale per qualitatem. Definitio qualitatis, quã ideo putamus ab Arist. assignatam, vt per eam tanq̃ regulam certissimam, agnoscere possemus plurima ad hoc prædicamentum attinẽtia, & quia ea in progressu huius capitis erat vsurus, est hæc. Qualitas est, secundum quã

Qualitatis descriptio,

quales quidam dicuntur (Addit Boetius esse) sed id facilè subauditur. Thomas cum plerisq; legit dicimur. Verùm siue dicimur legas, siue quidam dicuntur, adnotat Albertus, id ad homines propriè referendum esse, non quod nulla alia præter hominem sint qualia, sed quia soli homines secundum omne genus qualitatis quales sunt. Substantiæ siquidè incorporeæ, qualitates tantum suscipiunt spirituales, non corporales. Reliquæ verò substantiæ, homine excepto, ediuersò corporales dumtaxat, non autem spirituales, Homo vtrasq; recipit, spirituales quidem secundum eam sui partem quæ spiritualis est, animam videlicet rationalem, Corporales verò, secundum corpus. Ob hanc quoq; causam reducenda erit data descriptio, aut si magis libuerit, quædam notificatio, ad huiusmodi descriptionem paucioribus obnoxiam cauillationibus. Qualitas est, secundum quam aliquid dicitur quale, vt albedo, nigredo, scientia, ignorantia, visus, auditus, rectitudo, curuitas, &c̃.

Quomodo sumi definitũ qualitas.

Definitum qualitas, sumendum est pro omni atq; sola forma accidentaria huius prædicamenti, a qua quidpiam quale dicitur simpliciter ac absolutè. A differentia enim substantiali, aliquid quale dicitur (vt tradidit Porph.) nõ simpliciter & nudè, sed quale quid. Diuersas ergo atq; varias qualitatis acceptiones in præsentiarum enumerare nõ opus est. Huic loco sit satis, qualitatem sumi (vt diximus) pro omni forma accidentali huius quartæ seriei.

Duplex qualitatis acceptio.

Nomen qualitatis sic acceptum bifariam sumitur,

Vna.

Vno modo generatim pro omni forma accidentaria huius prædicamenti, siue facilè a subiecto mobilis sit, siue difficilè.

Altera.

Altero modo tantum pro huiusmodi forma, omnino, aut certè difficilè a subiecto separabili. In hac secunda acceptione atq; significatione sumitur qualitas in tertia specie, dum discrimen atq; diuersitas redditur, inter passibiles qualitates & passiones.

Explicatio descriptionis qualitatis.

Arbitrantur nonnulli, concreta qualitates designantia, præsertim quibus competere possit diuturnum esse, atq; permanens, solum prædicari, de ijs subiectis, quæ huiusmodi qualitates in se retinent permanenter, quibus satis fauet locus iam ab Aristotele allatus. ob id quoq; hi contendunt, definitum qualitas accipiendum esse secundo modo. Verùm nostro iudicio parui refert, vtro modo in data descriptione accipiamus qualitatem. Si enim secundo modo sumatur qualitas, ab ea aliquid erit quale simpliciter, absolutè, atq; permanenter. Si verò priori modo accipiatur, per quale intelligemus id quod simpliciter est quale, hoc est, intensè atq; fixè, & id etiam quod quale est secundum quid, id est, secundum partem aut transitoriè. Antecedẽs relatiui quam, forma est accidentalis, qua quidem particula excludere poteris, quæcunq; non sunt accidentariæ formæ, vtpote substantiales differentias atq; partes, faciem, dentes, caput, & id genus alia. Consueuimus enim dicere, hunc rubeum esse, illum verò pallidũ secundũ faciem, Aethiopem esse album secundum dentes, animal secundum cor calidum, & hominem secundũ cerebrum omniũ animalium maximè humidũ. quæ omnia substantiæ sunt, nõ autem formæ accidentariæ, quare neq; qualitates erunt. Præpositio (secundũ) causæ formalis indicans habitudinẽ, insinuat eã tantum formã accidentalem qualitatẽ esse, a qua tanq̃ causa formali aliquid dicitur quale. Hinc facilè excludes lineã, superficiem, quantitatem corporeã, ac numerum, secundum quæ nonnunq̃ admittitur aliquid esse albũ, nigrum, rectum, curuũ, triangulare, circulare, sphæricũ, orbiculare, pyramidale, par, impar. Dictionem aliquid, solẽt accipere pro prima substantia, non quasi solæ primæ substantiæ a qualitate denominationem sortirentur, ac essent quales (Nam & substantiæ secundæ, item & nonnulla accidentia passim apud Arist. atq; alios autores qualia dici reperiuntur) sed quia ipsæ primæ substantię subiecta sunt vltima principaliaq; accidentium, & in illis reliqua consistunt omnia, atq; ab eis dependent, quemadmodum prius declaratum est. Si quis autem contentiosior esse volet pro re nihili, pro aliquid accipiat, quicquid est qualitate affectum, siue id prima aut secunda sit substantia, siue aliquod accidentium, huic vel illi qualitati subiectum. Verbum dicuntur, reperimus a pluribus accipi, vt idem valeat quod denominantur, argumento sumpto ex qualium descriptione in proxima parte posita, in qua eodem verbo in eadem significatione vtitur Philosophus. Neq; desunt, qui hac particula sic explicita atq; sumpta arbitrẽt ab hac descriptione reijci substantiales differentias. Nam per huiusmodi differentias non denominantur constitutę species, perinde ac species ipsæ suis differentijs priores erunt, quum potius ex ipsis differentijs ceu prioribus constituantur species. Vocula quale, sumitur vt concretum sit, qualitati prorsus (quantum licet) respondens, hoc est, principaliter idem quod qualitas significans, & ab ipla (vti solent a suis abstractis concreta) connotato solo discrepans. Id enim

quale est

quale est hoc loco, quod aliqua qualitate affectum est ac informatum.

Sunt & aliæ ipsius qualis acceptiones, ac variæ, a quibus enumerandis impræsentiarum abstinendum est. Erit igitur qualitas forma accidentaria, a qua tanquam causa formali aliquid denominatur esse quale, aut simpliciter ac absolutè, aut certè secundum quid. Quòd si cui placuerit magis, priori modo de qualitate dictam intelligere descriptionem, ex iam dictis colliget facillimè, quibus suam tueatur interpretationem. Quid autem sit obseruandum, vt forma subiecto aduentitia, ipsam absolutè denominet ac simpliciter, peculiariter requirendum est in initio secundi libri Topicorum. Porrò hæc qualitatis explicatio, neque verè est definitio, quam necesse est genere & differentia constare, quibus caret quicquid est generalissimum. neque propriè descriptio, quum non conflectur ex genere & proprio aliquo, aut accidente huius vicem supplente. sed potius definitio quidem causalis, naturā qualitatis abstractim designatæ, tanquam rei cuiusdam simplicis, quæ causa sit, explicans per quale, quod quidam qualitatis est effectus, & ea magis compositum. Solent autem nobis notiora esse, quæ compositiora sunt, & effectuum rationem subeunt, suis causis & simplicioribus, tanquam ea quæ prius sub sensum & in intellectum nata sunt cadere. Quòd si ediuersò concretum per suum abstractum definias, descriptio quidem erit, non secundum nos, sed secundum naturam, cui notiora sunt ea quæ sunt simplicia ac causæ. Verùm de hoc definiendi modo, postea fortasse latius a nobis tractabitur. Id vnum ex hoc Aristotelis loco intelligemus, concretum & abstractum respondentia, rectè describi nonnunquam per se inuicem, præsertim vbi nobis aut non licet aliam assignare definitionem, aut talis non occurrit. Diuiditur autem rectè a Philosopho qualitas in quatuor genera subalterna immediatè sub se contenta. Neque enim necessarium esse putamus, omnem generis diuisionem in suas species per differentias primas & immediatas oportere dumtaxat esse bimembrem, vt est nonnullis persuasum. de qua re alibi latius. Quod ergo in initio habet textus (qualitatem dici multipliciter) de multiplicitate seu diuersitate suppositorum, hoc est, inferiorum, non autem significationum est accipiendum. Alioqui enim qualitas, non verum genus foret harum quatuor specierum, sed potius æquiuocum. Huiusmodi autem generibus seu speciebus, non sunt nomina imposita, sed quibusdam complexis ea circumloquimur. Vna atque prima species qualitatis est, habitus & dispositio, complexo hoc circumloquutiuè sumpto, vt sub se complectatur quæcunque verè atque per se ad hanc primam pertinent speciem. Huius nihilominus partes separatæ in textus deductione significatiuè tenentur, id quod & in aliis orationibus acceptis circũlocutiuè vsu venire solet. Habitus autem atque dispositio seorsum sumpta, iuxta communem atque receptam opinionem, specie essentiali non differunt, sed tantum accidentali, hoc est, quadam perfectione & imperfectione, eadem permanente interim substantia atque essentia, & ob hanc rem dicuntur illa, vna qualitatis species, atque ab Arist. iuncta esse copulatiua coniunctione, non autem disiunctiua, cuius aliquoties est officium, essentialem eorum quæ coniungit indicare differentiam, quod fieri asserunt in secundæ speciei assignatione, quæ est naturalis potentia vel impotentia. Nomina habitus & dispositio dupliciter dicuntur accipi. Primò, vt idem principaliter designent, & nihil peculiariter connotent. In qua acceptione (quæ rarius competit habitui) hæc prorsus synonyma sunt. Neque enim in hoc loco statuimus sequi Aquinatem, opinantem, habitum atque dispositionem essentialiter a seinuicem separata esse. Altero modo sumuntur, vt tantum conuocato fine diuersa, dicaturque habitus, tātum qualitas firmiter in subiecto radicata, a quo admodū difficilè separari possit. Ediuersò dispositio sit ea qualitas, quæ in subiecto debiliter est radicata, quæque a subiecto facilè possit dimoueri. Neque magni refert, an hæc vocabula secundariò designent hanc a subiecto separationem facilem & difficilem, an non. prius enim ostendimus, hæc eadem aliunde atque ob aliam connotationem dicta esse adaliquid secundum dici. Cæterùm prætermissis ob sui difficultatē iis descriptionibus, quas quinto Metaphysices tradit Philosophus de habitu & dispositione, alias assignabimus huic loco commodiores & intellectu faciliores. Quæ enim ab Alberto, Aquinate, ac Caietano narrantur de natura atque distinctione harum specierum qualitatis, adeò in vmbra (quod dici solet) disputata videntur, vt vix comprehēdi possint, vel ab his qui probè sunt in philosophicis instituti. Est ergo habitus hoc modo definiendus, definitione ex diuersis apud Arist. locis, præsertim secundo libro Ethicorum collecta. Habitus est qualitas animi vel corporis, consuetudine agendi parta. Aut habitus qualitas est insensibilis, ex actu vel actibus acquisita, non facilè mobilis a subiecto. Posita est particula insensibilis, ad differentiam qualitatum tertiæ & quartæ speciei, quæ sunt sensibiles, hoc est, aliquo exteriorum sensuum perceptibiles, Quales sunt calor, frigus, rectitudo, curuitas,

Qualitatis diuisio i quatuor species subalternas.

Quo pacto qualitas dicat multipliciter.

Prima qualitatis species est, habitus & dispositio

Albertus. Aquinas. Caietanus.

Quid habitus, & eius definitionis explicatio.

triangulus, &c. Habitus verò & dispositiones, siue ad animam spectent, siue ad corpus, deprehendi nequeunt aliquo sensu exteriori. Secundo loco subiectum est (ex actibus acquisita) hoc est, proprijs operationibus, ad distinctionem qualitatum secundę speciei, quæ subiectis ipsis ab initio insunt, & non parantur labore, Vt a natiuitate omnibus hominibus inest sensus, appetitus, mens, voluntas, atq; aliç huiusmodi potentiæ naturales vel impotentiæ. Ex nostris autem operationibus ipsi acquirimus scientiam, artem, prudentiam, virtutem, habitũ currendi, citharizandi, &c. Tertio loco dictum (a subiecto difficile mobilis) quod quidem vnà cum eo quod nunc diximus, indicat prior definitio, dum dicit (ex consuetudine parta) vt ostendatur, quo inter se discrepent habitus & dispositio separatim & propriè sumpta. Data habitus descriptio explicat tantùm naturam eorũ habituum, qui modo naturali acquiruntur, quosque naturali ratione deprehendimus inesse subiecto. Sunt enim alij quidam habitus, a solo deo infusi, quiq; acquiri nequeunt ex prioribus operationibus, quales sunt habitus scientiarum atq; virtutum, substantijs incorporeis concreati. Item tres illę virtutes theologicæ, fides, spes, & charitas, quas Deus optimus gratis donat baptisma suscipientibus. Quòd si quis desideret descriptionem vnam habitibus omnibus communem, hanc aut aliam similem accipiat. Habitus est qualitas, a qua quippiam redditur promptum & habile ad aliquid operandũ promptè, facilè, atq; cũ delectatione. Id enim habitui omni, siue acquisito, siue concreato, aut infuso competit. Porrò quomodo habitus ex dispositione nascatur, quomodo ex operationibus prauijs, An nonnunq̃ ex vnico actu procreari possit, Quid sit subiectum ipsius habitus, quæ necessitas asserendi hos habitus, quo modo augeantur atq; minuantur, vndè ipsorũ proueniat corruptio, & id genus alia, omnia missa hoc loco sunt facienda. Nam hęc potius ad secundum Ethicorum, & secundum de anima videntur pertinere. Huic loco sit satis, in solis rebus anima sensitiua aut rationali animatis, non per naturam determinatis ad aliquam certam operationem, primo ex operationibus fieri dispositiones, deinde habitus, ad promptè, facilè ac delectabiliter agendum atq; operandum. Cuius declarationem alijs relinquimus.

Habitus partitio. Secatur autem habitus, in habitum corporis & animæ. Habitus corporis est, qui immediatè *Habitus corporis.* recipitur in corpore toto, aut corporis parte aliqua, vt habitus citharizandi, suendi, sarciendi, in manu ac digitis, In toto autem corpore habitus saliendi, currendi, & similium. Omnes hi habitus secundarij dicuntur esse, eo quod alij quibus correspondent tanq̃ pręcipuis, in anima sint, vel animæ potentia. Pręter enim habitũ citharizandi, qui est in digitis citharœdi, est & alius citharizãdi habitus in anima, quorum vterq; sine altero potest permanere, & ita in alijs *Hieronym⁹ Hangestus.* similibus. Quibusdam nihilominus placet, nullos esse veros in corpore habitus, sed tantum per frequentes huiusmodi operationes tolli quædam corporis impedimenta exercendarum talium operationum. Verùm id quod priori loco diximus, magis est receptum, & Aristoteli consonum. Tales etiam in ipsis brutis reperiuntur, simeis videlicet, canibus, equis, & alijs, quę *Thomas.* vtcunq; sunt disciplinabilia. Pręter hos habitus, qui operationes respiciunt, assignat Thomas alios naturam spectantes. Quales sunt sanitas, pulchritudo, & eiusmodi, quæ Aristot. quibusdam in locis habitibus connumerat. Nos autem eos sequimur, qui hęc dicunt non attinere *Animę habitus.* ad primam qualitatis speciem. Porrò habitus animæ est, qui immediatè animę inest, aut eius potentiæ. Hic duplex est, prętermisso etiam eo, qui ad potentiam sensitiuam pertinet. Vnus *Habitus intellectualis, & moralis.* intellectualis, qui est in intellectu, Et alter moralis, qui in appetitu sensitiuo aut rationali. Intellectiuus habitus sub se comprehendit habitum semper verum, habitum semper falsum, & *Quinq; habitus perpetuo veridici* eum qui modò verus est, modò falsus. Habitus semper veridici assignantur quinq;, sapientia, intellectus, scientia, ars, & prudentia. Sapientia est habitus, quo intellectus promptus est ad as*Sapientia.* sentiendum propositionibus altissimis, siue ex præmissæ sint, siue exclusiones. Ex propositiones dicuntur altissimæ, quę de rebus tradunrur diuinis, vt deus est incorporeus. vnicum est primum principium omnium rerum, creaturarum. vnus omnium gubernator atq; conseruator, *Intellectus.* &c. Intellectus est habitus principiorum non altissimorum. Qualia sunt hæc. Omne totum est maius sua parte, Si ab ęqualibus ęqualia demas, quę restant, erunt æqualia. Contradictoria de eodem dici est impossibile. Contraria contrarijs curantur. Omne corpus ex materia & for*Scientia & eius species.* ma constans, est mobile, &c. Scientia est habitus conclusionis demonstratę. Hæc sub se continet, grammaticam, dalecticam, rhetoricam, arithmeticam, musicam, geometriã, astronomiã, scientiam naturalem, medicinam, atq; alias disciplinas, quæ ad has aliquo modo reducuntur. Grammatica est scientia rectè loquendi. Dialectica, definiendi, diuidendi, atq; colligendi. Rhetorica, dicendi seu eloquendi. Arithmetica, numerandi. Musica, canrandi. Geometria, mensurandi. Astronomia, sciẽtia est considerans cœlestium corporum magnitudines atq; motus. Physica

Physica seu naturalis, cognitio est rerum naturalium. Medicina verò, scientia sanandi humana corpora. Ars propriè accepta, est ratio rerum a nobis factibilium, hoc est, habitus cognitiuus, atque directiuus eorum quæ a nobis efficiuntur. Factibile opus est, quod ferè permanet, cessante nostra operatione, vt domus, gladius, pannus, &c. De artis autẽ diuisione, & quę sint eius species, in hoc loco nihil est a nobis dicendum. Sunt enim artes vel quę mechanicę nuncupantur innumeræ, quanquam omnes has ad septem solent reducere. Prudentia est recta ratio rerum a nobis agibilium, seu habitus directiuus & cognitiuus rerum a nobis agendarum, docens rectè deliberare, iudicare, atque tandem imperare. Sub hac arbitrantur nonnulli, rectè collocari scientias morales, ethicen, politicẽ, & œconomicam facultatem, atque iuris prudentiam. de qua re alibi exactius est agendum. Prudentiæ insuper nõnulli annumerãt has tres species, εὐβουλίαν, σύνεσιν, & γνώμην, hoc est, vt græca latinè reddantur, bonam consultationem, sagacitatem, atque sententiam. Habitus semper falsi sunt quinque, prioribus oppositi, Vt insipientia, ignorantia, inertia, & imprudentia. Habitui autem semper falso, qui intellectui principiorum opponitur, fortasse non est nomen impositum. Qui autem modò veri modò falsi existunt, sunt opinio, suspitio, & credulitas. Hæc ideo hoc loco breuiter perstrinximus, quòd solent in initio logices, de huiusmodi plura intempestiuè tradi. Reliqua etiã, quæ ibi exigi solẽt de scientijs ipsis, quę speculatiuę sint, quę practicæ, quæ reales, & quæ rationales, in vniuersum omittimus, eo quod horum omnium declaratio ad primũ Metaphysicæ videtur pertinere. De virtute autem, vitio, eorũ speciebus & definitionibus, iudicamus omnino nobis esse silendum. Spectant enim hæc ad moralem philosophiam, neque eorum definitiones ac diuisiones possemus breuiter complecti, quemadmodum de prioribus factum est. Redeuntes igitur ad ea, quæ nostri sunt instituti, dicimus in primis ad hanc primam qualitatis speciem rectè pertinere omnes habitus, siue sint cõcreati, cõgeniti, vel infusi, siue acquisiti. Item & omnes dispositiones, his omnibus habitibus respondẽtes. Præterea secundò in eadem specie a nonnullis reponitur omnes species intelligibiles & sensibiles. Dicitur autem in hoc loco species quædam obiecti similitudo, quę dum est in cognitiua potẽtia, aut cũ ea, aut in ipsa, nata est producere actualẽ cognitionem talis obiecti. Diximus, aut cum ipsa, aut in ipsa, propter variã multiplicemque de producenda cognitione opinionem. Inficiantur enim quidam, cognoscitiuam potestatem atque vim, aliquo modo cognitionem efficere, sed aliunde productam dumtaxat suscipere aiunt. Alij contra asseuerãt, quamlibet cognoscendi potentiã vel exteriorem, oportere esse notionis suæ producendę causam, & si non totã ac integrã. Verùm fusior huiusce dubitationis discussio examinatiòue, peculiariter attinet ad secundum & tertiũ de anima libros. Tertiò his annumerant potentiarum cognoscitiuarũ animæ omnes actus. Item omnes actus seu operationes & affectus passionesve appetitus rationalis, quæ est voluntas. Quales sunt sensatio, visio, auditio, imaginatio, æstimatio, reminiscentia, intellectio, volitio, nolitio, tristitia, voluntatis gaudium, & huiusmodi. Asserunt enim, hæc maximè esse vicina ipsis habitibus. Hi de quibus loquimur, arbitrãtur omnes ad hanc etiã pertinere speciẽ, & passiones quę sunt appetitus sensitiui, vt sunt dolor, verecundia, iracundia, spes, desperatio, & eiusmodi similia. Quod autem in tertia specie dicitur. Similiter autem & in anima dicuntur passibiles qualitates, atque passiones, putant intelligendum esse per quandã similitudinem, quemadmodum & in prima specie similitudine quadam dicuntur esse habitus & dispositiones, calor, frigus, sanitas, & ægritudo. An hæc ita sese habeant, aliorum esto iudicium. Illud nihilominus aduertendum est, quòd si hæc quæ re vera non sunt habitus & dispositiones secundum descriptiones prius traditas, verè ad hanc speciem attineant, accipiendum est complexum illud voce tantum (habitus & dispositio) vt genus sit ac superius habitus & dispositionis seorsim acceptorũ, atque aliorum in hac specie contentorum. Neque necessarium erit, complexum circumlocutiuè sumptum, conuertibile esse cum se ipso complexè accepto. Circumloquendi enim causa, frequentius neque omnibus neque solis conuenire solet, quibus attribuitur complexum complexè sumptum. De ordine autem atque differentia huius speciei ad reliquas, fortassis in huius partis calce dicetur. quanquàm prius meminimus, in huiusmodi rebus nos non nimium oportere esse anxios. Quia verò huius prædicamenti coordinatio fœcundior est, latiusque sua extendit pomeria, quàm vt vnius paginæ amplitudine capi posset, decreuimus singulas eius species seorsim in tabula spectandas exhibere. Esto ergo primæ speciei distributio talis.

Ars.

Sequitur tabula de prima specie qualitatis.

- Habitus & dispositio.
  - Habitus corporis
    - Habitus dimicandi.
    - Habitus sphæra ludendi.
    - Habitus pulsandi fides, &c.
      - Hic & ille.
  - Habitus animæ.
    - Infusus.
      - Intellectualis.
        - Fides.
        - Spes.
          - Hæc illâve.
      - Non intellectualis secundum quosdam.
        - Gratia.
        - Charitas.
          - Hæc vel illa.
    - Acquisitus.
      - Intellectualis.
        - Semper verus.
          - Sapientia.
            - Theologia.
            - Metaphysica.
          - Intellectus, & hic quoq; variè diuiditur.
          - Sciētia.
            - Sermocinalis
              - Grammatica.
              - Rhetorica.
              - Dialectica, &c.
            - Mathematica.
              - Arithmetica.
              - Musica.
              - Astrologia, &c.
            - Physica.
              - Medicina.
              - Scientia de anima, &c.
            - Ethica.
              - Politica
              - Oeconomica.
                - Ius ciuile.
                - Ius canonicum.
          - Ars
            - Aedificatoria.
            - Agricultura.
          - Prudentia.
        - Semper falsus.
          - Ignorantia, quæ in tam varias secatur species, q̃ scientia.
          - Inertia, quæ etiam in multas species diuiditur, vt ars.
        - Aliquñ verus.
          - Opinio.
          - Suspitio.
            - Et hæc variè pro obiectorum diuersitate possunt diuidi.
      - Moralis
        - Virtus.
          - Fortitudo.
          - Iustitia, quæ rursum variè secatur.
        - Vitium
          - Superabundantia.
            - Temeritas.
            - Prodigalitas, &c.
          - Defectus
            - Auaritia.
            - Timiditas.
            - Indulgentia, &c.

Omissæ sunt operationes, seu actus horum habituum & potentiarum, quia & ipsi simili modo sunt diuidēdi. Insuper & species tam intelligibiles, q̃ sensibiles, pro obiectorum suorum varietate diuersissimæ. Secundam qualitatis speciem, quam veteres (si Alberto credimus) aptitudinem nuncupabant, circumloquitur Aristoteles hoc complexo Naturalis potentia vel impotentia. Cur autem duo hæc, naturalis potentia & impotentia iunxerit disiunctiua cōiunctione, prius est indicatum. Nam sunt hæc duo diuersæ species immediatè contentæ sub secunda specie subalterna qualitatis, dicto complexo designata. Horum trium descriptiones ex ipsius textus initio licet has sumere. Naturalis potentia vel impotentia est qualitas, secundum quam quippiam est naturaliter potens vel impotens. Naturalis potentia est, secundum quam quippiam est naturaliter potens. Naturalis verò impotentia est, secundum quam aliquid naturaliter est impotēs. Quæ descriptiones nullam cauillationem possunt pati, modò rectè intel-

Secūda qualitatis species.

Albertus.

recte intelligantur iuxta eum sensum, qui ante redditus est de qualitatis definitione. Ex declaratione autem ab Aristot. postea subiuncta poterimus has descriptiones priorum declarationum elicere. Naturalis potētia est, qua aliquid est naturaliter potens ad quippiam faciendū, aut nihil facilè patiendum, hoc est, alicui resistendū. Duplex enim est naturalis potētia. Vna ad faciendum atq; operandum, quæ aliquando simplicibus competit corporibus. Est enim ignis potens calefacere, aqua potens frigefacere, sol potens & illuminare & calefacere: Aliquando corporibus mixtis, tam inanimatis q̃ animatis, vt sunt potentiæ, nutritiua, augmentatiua, pugillandi, currendi, saltandi, & similes, quæ habitibus corporis respondent: Insuper intellectus & voluntas iuxta vulgarem opinionem, quibus insunt artes, scientiæ, virtutes, atq; vitia moralia. Potentijs enim naturalibus, & si non omnibus (vtputa his quæ ad vnam certam determinatæ sunt operationem) respondent quidam habitus, aut animæ aut corporis. Altera est potentia naturalis, qua aliquid facilè ac fortiter resistit illis, quæ contraria sunt ei, quod secundum naturam competit subiecto talem potentiam habenti, vt salubritas in animalis corpore, & duricies in eo quod durum est. Addunt quidam tertiam, qua id quod potens est, etiam si nihil operetur, recipit illud quod sibi natura competit. Verùm huiusmodi potentia videtur longè alterius esse rationis, q̃ sint naturales potentiæ, vt potentia materiæ ad suscipiendas quaslibet formas, potentia perspicui ad suscipiendas species visibiles.

Quid naturalis potētia

Potentia naturalis duplex.

Vna ad operandum.

Altera ad resistendum.

Contra, naturalis impotentia est qualitas, qua aliquid naturaliter est impotens, ad quippiam faciendū, alicui resistendum. Nomen enim impotentiæ nō negatiuè sumendū est, aut priuatiuè. (Negationi namq; aut priuationi nō conuenit esse alicuius speciem) sed positiuè, quemadmodum dici solet de alijs pluribus consimilibus. Impotentia naturalis duplex est. Quædā ad quitq̃ operandum, vt impotentia pugillandi, impotentia currendi, in eo qui breuioribus est cruribus, & multa carne oppressus. Altera qua non facilè resistitur ijs quę cōtraria sunt ac nociua, ac corruptiua, vt salubritas, mollicies. Has duas species solent describere, prioribus definitionibus, maioris declarationis gratia aliqua adijciendo in hunc modū. Naturalis potentia est qualitas insensibilis, innata, a qua subiectum naturaliter est potens, ad quiddā agendū, aut alicui resistendū. Naturalis impotentia est qualitas insensibilis, innata, a qua aliquid naturaliter est impotens ad quippiā agendū, &c. Dicitur in primis (qualitas insensibilis) ad excludendas qualitates tertiæ & quartæ speciei, quæ ferè sunt aliquo sensu exteriori perceptibiles. Naturales autem potentias exteriori sensu non valemus dignoscere, sed tantum eas deprehendimus, ex quibusdam signis atq; effectibus. Tertio loco subiungitur (innata) ad differentiam habituum, & omnium eorum quæ ad primam qualitatis speciem pertinent. Nō sunt enim habitus innati, sed (vt diximus) acquiruntur ex operationibus iteratis & nostro labore, nisi diuinitus infundantur. Potentiæ autem & impotentiæ naturales, in nobis fiunt naturaliter, nullo nostro labore, nullisq; actibus præuijs, sed sponte sua in nobis generantur ex principijs naturalibus, dum nascimur, & a principio natiuitatis ferè insunt, ob idq; vocātur naturales. Si enim formæ substantiali, in materiam præparatam introductæ, plenè atq; omnino materia subijciatur, talem formam sequitur naturalis potētia ad agendum, &c. tanquam quędam proprietas ipsius formæ perfectiua, ac quoddam instrumentum agendi. Si verò ipsi formæ, non perfectæ subijciatur materia ob naturæ defectum aliquem, consequitur naturalis impotentia. Diximus (ferè) quia huiusmodi potentiæ & impotentiæ nonnunquam fiunt, atq; subiectis adueniunt post natiuitatem, quemadmodum catulis post nouem dies a partu aduenit visus. Et medicorum iudicio contingit aliquem ex vna complexione in aliā transmutari, vt ex sanguineo fieri cholericum. Similiter ex salubri accidit quempiam fieri insalubrē. Et ediuersò ex insalubri salubrem. Ex duro etiam fit frequenter molle, & econtra. Et libri septimi naturalis historię quarto capite scribit Plinius, ex fœminis mutari in mares, non esse fabulosum. Inuenimus (inquit) in annalibus, Licinio C. Cassio Longino COSS. Cassini puerū factum ex virgine sub parentibus, iussuq; aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremq; duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Cossinum ciuem Tisdritanum. De Tiresia autem sic fabulatur Ouidius iij. Metamorph.

Quid naturalis impotentia.

Duplex impotentia naturalis.

Ad operādū

Ad nō facilè resistēdū.

Mutatio vnius sexus in alterum.

Duo magnorum viridi coeuntia sylua
Corpora serpentum baculi violauerat ictu,
Deq; viro factus (mirabile) fœmina, septem
Egerat autumnos, octauo rursus eosdem

I Vidit,

- Naturalis potẽtia vel impotẽtia.
  - Naturalis potentia.
    - Corporis.
      - Durities.
      - Salubritas.
      - Vis attractiua ferri,&c̃.
    - Animæ
      - Potẽtia vegetatiua.
        - Nutritiua.
        - Augmentatiua.
        - Sui similis generatiua.
          - Mascula.
          - Fœminina.
      - Potẽtia sensitiua vel appetitiua.
        - Sensus.
          - Exterior.
            - Visus.
            - Auditus.
            - Olfactus.
            - Gustus
            - Tactus.
          - Interior.
            - Sensus communis
            - Phantasia.
            - Memoria,&c̃.
        - Appetitus.
          - Exterior.
            - Visiuus.
            - Auditiuus.
            - Olfactiuus,&c̃.
          - Interior.
            - Irascibilis.
            - Concupiscibilis.
      - Progressiua.
        - Ambulatiua.
        - Volatiua.
        - Natatiua.
      - Potentia rationalis
        - Intellectus.
        - Voluntas.
  - Naturalis impotentia, quæ ad eundem ferè modum cum potentia naturali diuidenda est.
    - Mollicies.
    - Insalubritas.
    - Impotentia currendi.
    - Impotentia generandi.
    - Impotentia scribendi,&c̃.

Tertia qualitatis species seu genus, nomen simplex non habet positum, quo propriè significetur, quemadmodum nec priora, sed eam circumloquitur Aristoteles hoc cõplexo (passibilis qualitas & passio) quæ duo seorsim sumpta principali nõ differunt significatu, sed tantum cõnotatione discrepant. Nã passibilis qualitas exigit, vt permanentior sit, atq; difficilè a subiecto dimobilis. Passio è diuersò, connotat facilem a suo subiecto separationẽ, & moræ inhærendi breuitatem. Hanc asserunt autores, qualitatem esse secundum essentiam, non autem secundum modum denominandi. Solentque hæc ita describere. Passibilis qualitas est qualitas, vnico exteriore sensu perceptibilis, difficilè a suo subiecto mobilis, atq; permanens. Passio qualitas est, vnico sensu exteriori perceptibilis, facile a subiecto separabilis, atque transitoria. Posterior harum descriptionum pars, planè ab ipso Arist. traditur. prior verò ex exemplis in initio huius speciei redditis (vti opinamur) est collecta. Posteriori parte explicatur, in quo a se mutuò dissident, passibilis qualitas, & passio. Priori autem pulchrè separantur hæc a reliquis speciebus. Nam habitus & dispositio, naturalis potẽtia & impotentia, qualitates sunt omnino insensibiles. Quartæ autem speciei qualitates, sensibiles quidem sunt, sed pluribus exterioribus sensibus. Has definitiones dicũt non esse traditas vniuersaliter, seu (vt loquuntur) a toto genere, eo quòd multæ sunt huius tertiæ speciei qualitates, quæ nequeant aliquo exteriore sensu percipi. Atq; ob hanc causam, harum conuertibiles descriptiones assignant, per reliquarũ specierum negationẽ in hunc modum. Passibilis qualitas est qualitas, quę neq; est dispositio habitusue, neq; naturalis potentia vel impotentia, neq; forma, aut circa aliquid constãs figura, difficilè a subiecto mobilis. Simili modo de passione est iudicandũ. In hac re ac alijs huiusmodi, rectissimè quadrare locumq; habere videtur illud prius ab Aristot. in adaliquid

Tertia q̃litatis species.

Quid discriminis sit inter passibilẽ q̃litatẽ & passionem.

Quid passio & passibilis q̃litas.

prædica-

Huius tertiæ speciei Tabula.

- Passio & passibilis qualitas.
  - Obiectum sensibile.
    - Color.
      - Albedo.
      - Rubedo.
      - Lumen, &c.
    - Sonus.
      - Vox.
        - Vox hominis.
        - Mugitus.
        - Latratus, &c.
      - Strepitus.
      - Fragor.
    - Odor.
      - Dulcis.
      - Austerus.
      - Ponticus, &c.
    - Sapor.
      - Dulcedo.
      - Amaritudo.
      - Austeritas, &c.
    - Qualitas tangibilis.
      - Calor.
      - Frigus.
      - Humiditas.
      - Siccitas.
      - Grauitas.
      - Leuitas.
  - Animæ affectio.
    - Interior, quæ est in appetitu sensitiuo interiore.
      - Circa bonum.
        - Circa bonum simpliciter.
          - Amor.
          - Persecutio, &c.
        - De bono arduo.
          - Audacia.
          - Spes.
      - De malo.
        - De malo simpliciter.
          - Fuga.
          - Tristitia.
        - De malo arduo.
          - Timor.
          - Desperatio.
          - Ira, nō habens contrarium.
    - Exterior.
      - Passio visus.
      - Auditus.
      - Tactus.
      - Olfactus.
      - Gustus, hoc est, delectatio vel tristitia sensus exterioris.

Quarta qualitatis species (quam veteres compositionem vocabant) apud Arist. innominata est, neq; eā aliquo cōplexo circūloqui videtur Aristoteles, cum de ea tractat, sed potius indicat, quæ sub quarta specie continentur, dum meminit figuræ, formæ, rectitudinis, curuitatis, & aliarum qualitatū his assimilium. Quòd si quis contentiosius agat, Aristotelem hanc quartā speciem circūloqui hoc complexo (forma & circa aliquid constans figura) aut hoc (forma vel figura) aut isto cōplexo circumloquendū esse (qualitas pluribus sensibus exterioribus perceptibilis) facilè cedemus, eò quòd in hisce non magnum ad eruditionem positum est momentum. Reperimus apud veteres nonnullos commentatores, hanc quartam speciem assignari figuram & formā, omissis alijs quæ in textu sunt adiuncta. Figura & forma, penè ab omnibus dicuntur idem significare, soloq; differre connotato, & ob eam rem hæc duo copulatiua coniunctione coniūcta esse, vti superius de alijs est dictum. Opinātur nonnulli, figuram formā esse communiorē, quòd hæc solis cōpetat rebus naturalibus, prælertim viuentibus, figura autē quibuslibet. Alij figuram solis inanimatis tribuunt, vt diuus Augustinus in suis categorijs. Alij formā, numeris per suas vnitates descriptis, figurā autem cōtinuis quantitatibus. Verùm huiusmodi discrimina non sunt perpetua, neq; obseruantur exactè, sed frequenter vnum loco alterius reperitur positum, vt ex lectione probatorum autorum facilè constat. Huic loco

 satis fue-

satis fuerit, vt inter hæc ea sit distinctio, secundum quam forma rebus naturalibus tribuatur, præsertim animatis, quæ & in se, & in suis partibus determinatam atq; peculiarem requirunt quantitatem, secundum substantialis formæ exigentiam. Figura verò, magis propriè rebus artificialibus, iuxta illud vulgare, Formam viuentis, picti dic esse figuram. Albertus vtrumq; & formam & figuram etiam rebus naturalibus tributum opinatur, tantùm connotato, nō autem re, ab altero differre. Dicitur enim secundum eum forma, cum ad ipsam substantialem formam refertur, quæ est ratio cur toti hæc figura competat, membris autem ista vel illa. Figura verò dicitur, factâ ad qualitatem relatione, quæ aut nullis concluditur angulis, aut pluribus. Verùm de hac re, fortassè a nobis longius sermo protractus est, q̄ opus fuerat. Huius autem quartæ speciei qualitates, quantitatibus continuis peculiariter attribuuntur, vel discretis permanentibus. Neminem enim repperimus, qui huiusmodi qualitatem asserat successiuè quantitati competere. Inter qualitates autem cōtinuas permanentes primo loco occurrit linea, cui competūt immediatè, & reliquis hac mediante, rectitudo & curuitas, quam apparet Albertus compositam & mixtam dicere, ex quadā conuexitate, & concauitate. Linea recta est ab vno puncto ad aliud breuissima extensio. Aut (quemadmodum dicebat Plato) cuius extrema ita regunt media, vt hæc non possint videri, si directè oculorum aciebus illa opponantur. Secundum locum inter quantitates habent ipsæ superficies, quibus propriè conuenit concauitas, cōuexitas, planicies, angulus, hoc est, quædam figura, vel potius figuræ pars, nascens in superficie clausa ex linearum concursu. Hæc quæ nunc dicta sunt vnà cum rectitudine atq; curuitate, vocantur figuræ imperfectę, non autem simpliciter figuræ, eo quòd figura a geometris definitur, quæ termino clauditur, vel terminis, quod illis minimè conuenire manifestum est.

Quibus tribuendę sint qualitates quartæ speciei.

Deinde secundò superficiebus ipsis eæ figuræ conueniunt, quæ planæ dicuntur, sumpta denominatione a superficie, quæ aliquando ab Arist. & alijs vocatur planum, vt patet in capite de quātitate. Tales sunt figuræ, circularis, triāgularis, quadrangularis, pentagona, hexagona, & reliquæ, quas neq; hic opus est enumerare, neq; definire. Huiusmodi autem figuræ superficiebus insunt, non autem lineis superficiem terminantibus. Quare externa prædicatione dicetur linea circularis, denominatione scilicet sumpta ab ipsa superficie quam ambit. Tertio loco inter qualitates enumerantur corpus, seu corporea quantitas, quam sequuntur in primis quædam imperfectæ figuræ, anguli videlicet corporei. Deinde perfectæ, vt pyramidalis, sphęrica, oualis, lenticularis, atq; aliæ, de quibus agunt geometræ. Figuram atq; formam, omisso cōnotato, de quo (vt antè diximus) grauiter solent decertare, hoc modo definitas reperimus. Figura est modus protractionis linearum & superficierum. linearum quidem, vt figura plana, superficierum verò, vt figura corporea, quam solidam vocant. Vndè hæc descriptio petita sit, non satis constat, nisi ab arte depingendi aliquo modo videatur accepta esse. Euclides autem hoc supradicto modo figuram describit. Figura est, quæ termino vel terminis clauditur. Termino vno circularis clauditur superficies, puta linea circulari, & sphærica figura, vna superficie circundante. Termino continentur omnes aliæ, tam planæ q̄ solidæ. Planæ quidem triangulares, lineis, vt triangulus, quadratum, altera parte longius, pentagonum, &c̄. Superficiebus autem figuræ solidę, vt pyramis, cubus, tessera, orbis, &c̄. Postremò quantitati discretæ, numero videlicet, primò tribuuntur paritas, imparitas, abundantia, diminutio, perfectio, & si qua sunt id genus alia. Deinde secundò transumptione quadam, eidem conueniunt hæ figuræ, quæ quantitatibus continuis attributæ sunt. Numeri enim per suas descripti vnitates, illarum figurarum, quę propriè magnitudinibus competunt, sortiuntur nomina, vt licet apud geometras, & arithmeticos inspicere, a quibus eorum quę hic recēnsita sunt descriptiones sunt requirēdæ. Hęc ergo quæ adnumerauimus, constat in hac quarta qualitatis specie collocari, An autem extensio, longitudo, latitudo, profunditas, accepta vt quædam absoluta sunt, ipsas quantitates continuas sequentia, & duratio, quam plures ex tempore ipso putant emanare (quę omnia prius ex quorundam sententia dicebamus reductiuè spectare ad quantitatis prædicamentum) re vera pertineant ad hanc speciem, aliorum sit iudicium. Nobis satis fuerit indicasse & tradidisse, quæ apud alios scripta inuénimus. Quatuor qualitatis specierum distinctionem, huiusq; numeri causam explicuissemus exactius, nisi hanc reperissemus longè diuersissimam apud commentatores, inter quos vix vnum reperias, qui sibijpsi, nedum alijs constet, & consideter ac intrepidè de hac re pronunciet, nihilominus ex his quæ superius tradita sunt de numero specierum qualitatis, hāc licebit colligere. Omnis qualitas aut insensibilis est, aut sensibilis. Si insensibilis sit, aut est ex operationibus parta, & quadam consuetudine, quod habitui & dispositioni cōpetit, sicq; prima erit qualitatis species, Aut est inata, & sic est naturalis

potentia

potẽtia vel impotentia. Quòd si sensibilis fuerit, aut vnico exteriori sensu est perceptibilis, q̃d tertiæ speciei conuenit, aut pluribus exterioribus sensibus percipitur, atq; ita habebitur quarta qualitatis species. Hæc autem non vniuersaliter, sed secundum potiorem partem sunt accipienda, quemadmodum fusius declaratum est, cum speciatim de his speciebus ageretur.

Tabula quartæ speciei.

- Forma & figura.
  - Sequens quantitatem discretam.
    - Paritas.
    - Imparitas.
    - Perfectio.
    - Abundantia.
  - Sequens quantitatem continuam.
    - Imperfecta.
      - Rectitudo.
      - Curuitas.
      - Concauitas.
      - Angulus, &c.
    - Plana seu superficialis.
      - Circulus.
      - Triangulus.
        - Isopleurus.
        - Isosceles.
        - Scalenon.
      - Quadrangulus.
        - Quadratum.
        - Altera parte longius.
        - Rhombus, &c.
      - Quinquangulus, &c.
    - Solida.
      - Sphærica.
      - Pyramis.
      - Cubus.
      - Columnaris figura.

Nunc quæ Aristoteles de qualitate disseruit, paucis sunt explicãda, sicubi obscuritatis quippiam videbuntur habere. Ponit ergo in principio duas inter habitum & dispositionem differẽtias, secundam ibi, Sunt autem habitus, &c̃. In quibus a nonnullis expositoribus accipitur dispositio æquiuocè. In priore quidem specialiter (vt a nobis descripta est) pro ad aliquid agendum promptitudine, vno vel pluribus actibus parta, sed facilè a subiecto mobili. In posteriore verò generalius, vt a tali connotatione facilis mobilitatis absoluatur, pro omni acquisita huiusmodi promptitudine seu facultate, siue facilè fuerit mobilis, siue difficulter. Quomodo constat verum esse, quòd omnis habitus sit dispositio, & non contra. Alij accipiunt dispositionem vtrobiq; vniuocè, vt contra habitum distinguatur, intelligentes posteriorem differentiam, non secundum sensum formalem, id est, quem ipsa verborum forma compositioq; propriè significat, & primo aspectu præ se fert. sed secundum sensum causalem, vt dicat Aristoteles, omnem habitum ex aliquot dispositionibus fieri seu constare, non autem dispositionem ex habitu. Cæterùm inter hos quæstio subagitatur. Num habitus verè ex his dispositionibus, tanq̃ partibus integralibus secundum intensionem acceptis, componatur. An solum tãquam quibusdam præuijs in eodem subiecto, quæ adueniẽte habitu recedant. Diuus Thomas dicit, dispositionem ab habitu essentialiter differre. Nobis oppositum est probabilius. Sunt & alij, qui dispositionem generaliter accipiunt in vtraq; differentia, intelligentes tantum particulariter quod dicitur, dispositiones esse facilè mobiles. Illud autem hoc loco adnotandũ est, intensionem & remissionem qualitatis non esse semper causam difficilis & facilis a subiecto mobilitatis. Nam humiditas aeris naturaliter dispositi summa est secũdum intensionem, quæ tamen ab aere facilè separatur. Remissior est aquæ humditas, quæ ab ea penitus inseparabilis est, & sic in alijs nonnullis vsu venit. Quam autem ob causam, idem accidens secundũ speciem ab vno subiecto facilè sit separabile, & ab altero difficilè, non est negocij logici, sed physici, vel potius medici. Cæteris tamen paribus, intensior qualitas difficilius aufertur, q̃ remissior, eo quòd ipsa vehementius ac diutius resistere valeat contrario corrumpenti. Quòd si ergo eadem in specie & intensionis gradu qualitas, respectu diuersorum subiectorum sit facilè & difficilè mobilis, haud grauatè fatebimur, eam vnius habitum, alterius verò esse dispositionem. Scientia mediocriter sumi intelligitur, quando non multum intensa est, aut quæ

Quid intersit inter habitũ & dispositionem.

Sciẽtia mediocriter sumpta.

 breuiter

breuiter modoq; introductorio est percepta;per pauca scilicet media,siue probabilia,siue necessaria,omissis illis quę in plena perfectaq; scientia diffusius declarantur. Non solum autē scientia mediocriter sumpta,sed etiam perfectè accepta,facilè mobilis est a subiecto,non quidem simpliciter,sed in casu,nempe grandi quapiam facta corporis humani alteratione permutationeq; violenta,vel ab ægritudine graui. vt febri,phrenesi,vel apoplexia,aut alio huiusmodi intraneo vel extraneo,fortuito vel naturaliter eueniente,vt sunt continua ebrietas(teste Cōmentatore) & amor,& timor vehemens. Vidimus ipsi,quendam artis ferrariæ peritum,qui per nimium amorem,non solum artis suæ fuerit oblitus,sed & famens & sitiens,ab assidentibus neq; cibū petiuerit neq; potum. Tale quiddam describit Marcus Antonius Sabellicus, memorabilium exemplorum libro decimo, capite nono, de memoriæ iactura agens, in hæc verba.Cæterùm quo res hæc (memoriam intelligit) preciosior, eo magis iniuriæ est obnoxia. Nam preterq̄ quòd tentat interdum seipsam relinquere,ictus lapide quidam literas prorsus oblitus est,Alium tecto præcipitatū,matris & propinquorū cepit obliuio. Messalæ Coruino oratori grauiter ægroto,seruorum & sui ipsius nomen excidit.Sic ille. Causæ horum ad alias attinet sententias. logici est huiusmodi supponere,tanq̄ per experientiam vel aliundè cognita. Propter illam textus particulam(vt calor,frigus,&c̄.)magna surrexit inter Aristotelis cōmentatores,dubiaq; controuersia,super distinctione quatuor specierum qualitatis. An scilicet essentialiter inter se differant,nec ne.propterea quòd Aristoteles hic calorem & frigus dispositiones appellat,quæ tamen posterius in tertia specie enumerauit. Quibusdam enim videtur, omnem qualitatem facilè a subiecto separabilem,cuiuscunq; speciei fuerit, Aristoteli dispositionem esse.difficilè verò mobilem,habitum. quomodo hæc non erunt veræ & essentiales qualitatis species. Nihilque absurdi erit,eandem numero qualitatem,in alia & alia quapiam specie,diuersis rationibus comprehendi. Pro his facere videntur verba literæ. Alij dictas quatuor species, ab Aristotele essentiali discrimine separatas esse sustinentes,tradunt dictiunculam(vt)non veritatem exemplorum,sed similitudinem quandam in textu denotare. Quum autē sequitur (nam his aliquo modo homo disponitur) dicunt impropriè dispositionē vsurpari,pro qualitate facilè mobili,& huius insinuandi gratia,adiectam esse particulam aliquo modo, tanq̄ dicat Aristoteles,his quę iam enumerata sunt,non propriè disponitur homo, sed tantum perinde sese habet quo ad separabilitatem sui accidentis,atq; ij,qui propriè dictā dispositionem habent. Ibi autem(nisi fortè per temporis longitudinem,&c̄.)referendum est pronomen his,ad veras,proprieq; dictas dispositiones.Quòd si (vt pleriq; faciunt) ad ea quæ prius enumerabantur referre libeat,accipiendus erit habitus impropriè atq; largè, vti ante diximus.Pertinent enim illa ad aliam speciem.Calor quidem & frigiditas(sicut ex Aristotele cōstat)ad tertiam, Sanitas verò & ægritudo, quorundam sententiā ad secundam. quod verum est,si his pro salubritate & insalubritate abutantur.Plerisq; probabilius apparet, hæc ad tertiam speciem attinere. Sequuntur namq; sanitas & ægritudo debitam & indebitam quatuor qualitatum primarum, caloris,frigoris,humiditatis,& siccitatis proportionem in corpore animato,etiam nobis inuitis,non tanq̄ potentiæ naturales. Sunt enim (teste Boetio) complures salubres qui egrotant,& sani qui sunt insalubres. Dispositio quæ naturæ corruptiua est,in naturam dicitur versa,quando tam altè (vt ita dicamus) radices egit, vt naturæ iam veluti domestica & familiaris facta sit,perindeq; habeatur,ac si naturalis foret, vt non contendat iam amplius natura eādem corrumpere atq; expellere. Vt febris quæ a diuturnitate moræ ethica nominatur,morbus elephanticus,& alopecius,quæ species sunt malæ scabiei,ab elephanto & vulpe sic dictæ. Neq; putanda est temporis diuturnitas causa esse permanentiæ seu immobilitatis huiuscemodi accidentium,sed aliud quiddam in tempore existens atq; eueniens;quod cum plerunq; ignoretur,fit vt vulgò tempori ipsi talis adscribatur causalitas, vt dicit Arist. quarto Physicorum, voceturq; a poetis tempus edax rerum. In assignatione secundi generis qualitatis aduertendum est,naturalem potentiam vel impotentiam esse causam formalē remotam, a qua dicimur salubres vel insalubres. adæquatam verò,a qua naturaliter potentes vel impotentes. Hinc dicit textus, & simpliciter naturaliter potentes vel impotentes. Quum sequitur,Sed quia naturalem potentiam vel impotentiam habet,facilè aliquid faciendi vel non patiendi(sic enim germana habet lectio)duæ illę particulę faciendi & non patiendi,ad vtrunq; & potentiam naturalem,& impotentiam naturalem referri debent. Exemplū naturalis potentiæ faciendi,hoc est,exercendi aliquem actum,assignat Philosophus potentiam cursoris,& pugilatoris,tacito exemplo de naturali impotentia facilè aliquid faciendi. Salubre dicit naturalem potentiam non facilè patiendi,id est, qua subiectum potest defendere

Messala Coruinus

De diuersitate specierū qualitat.

sese, & resistere contrarijs morbum inferentibus. Insalubre verò significat naturalem impotentiam non facilè patiendi seu resistendi talibus nocumentis. Tales valetudinarios etiam Hermolaus appellat. Si tamen aliquoties apud Boetium, aut alibi legas, insalubritatem potentiã esse facilè & cito patiendi, memento illo sermonis genere, nõ aliud q̃ meram significari impotentiam, non autem aliquam veram potentiam. Potentia namq; ad patiendum noxia, re vera impotentia existit. Inter pugillatorem & pugilem hoc discriminis ponit Boetius, quòd pugil sit, qui artis pugna concertandi peritia instructus iam est. Pugillator verò, qui a natura ad hoc certamen est compositus & potens. De duro & molli, quę etiam ad inanimata pertinent, quum pręcedentia omnia solis competant animatis, notantum est, ea præter hanc acceptionem, qua naturalem potentiam & impotentiam significant, aliam habere, qua designãt quasdam tangibiles qualitates, sequentes determinatam proportionem humidi & sicci, vt dicitur quarto Meteorologicorum capite quarto. In qua significatione pertinent ad tertiã speciem, cum suis principijs, humiditate & siccitate. Addunt nonnulli & aliam acceptionem, secundum quam designant qualitates quasdam pluribus sensibus perceptibiles, & sic in quarta specie collocanda essent. In tertia specie qualitatis primò enumerat Aristoteles qualitates gustabiles, dulcedinem & amaritudinem, quæ inter se contrariæ sunt, atq; austeritatem, hoc est, acerbitatem inter illas mediam, sub quibus comprehendes odores, qui ab ipsis saporibus sua sortiuntur nomina, eisq; omnino sunt vicini, quemadmodum dicitur secundo libro de anima. Deinde secundò recensentur tangibiles qualitates, calor & frigiditas, & tertiò qualitates visibiles, albedo & nigredo, sub quibus sonos subintelliges, quos ideo non enumeratos suspicatur Albertus, quòd non producantur ex mutua primarum qualitatum actiuarum & passiuarum actione, quemadmodum qualitates visibiles, gustabiles, & odorabiles. Cur autẽ hę iam recensitæ qualitates dicantur passiuæ seu passibiles, diuersa ab Aristotele redditur ratio. Qualitates enim gustabiles (sub quibus, vti diximus, comprehendendi sunt odores) atque tangibiles, dicuntur passibiles, non quia subiecta ipsas suscipientia aliquid patiantur ab ipsis, aut a quopiam extraneo, sed quia quælibet ipsarum per sensum in appetitu huic respondente, effectiua est alicuius passionis, a qua quidem passione, denominationẽ accipit passiuæ, seu passibilis qualitatis. Visibiles autem qualitates, non ob eandem causam passibiles dicuntur, hoc est, quia eorum vnaquæq; est alicuius passionis effectiua, sed potius quòd a passionibus nata sit fieri, ita vt colores passionum sint effectus, passionesq; vtcunq; causæ colorum efficiẽtes. Aliarum verò gustabilium & tangibilium effectus, sunt passiones & quodammodo causæ finales, denominatione (teste D. Thoma) sumpta ab eodem, diuerso modo sese habente atq; cõsyderato. Accipitur autem passio in hac textus declaratione, præsertim vbi effectiuum esse, facere, factum esse, fieri, & similibus mentio incidit, Item & affectio ibi (Quæ enim affectio, &c.) non pro proprietate generis aut speciei essentialia propria sequente, vt alibi, neq; pro respectu quo quippiam patitur, aut motu illi coexistẽte, qua quidem passione patitur mel, quum dulce efficitur, & aloe atq; absynthiũ, quum reddũtur amara, sed pro animi perturbatione (gręci [illegible] vocant) quam in hunc modum describit Damascenus. Passio seu affectio est sensualis motio appetitiuę virtutis, ob imaginationem boni vel mali. Vel passio est irrationalis motus, ob boni aut mali opinionem, hoc est, passio est actus appetitus sensitiui, sequens apprehensionem obiecti conuenientis aut disconuenientis, vt sunt amor, concupiscentia, delectatio circa bonum simpliciter sumptum. odium, fuga, circa malum. quæ omnia sunt in appetitu sensitiuo concupiscibili. Spes & desperatio circa bonum arduum. Timor, audacia, & ira circa arduũ malum, quæ in potentia sunt irascibili. Et verecundia, quæ quidem timor est ex expectatione conuicij, propter turpe perpetrãdum. Et erubescentia, quæ talis timor est, ob rem turpem perpetratam. Quum autem in homine sit verecundia & erubescentia, anima ipsa in exteriores corporis partes ac faciem, mittit multam copiam sanguinis, tanq̃ delictum ipsum tecturi, & ita fit in facie rubor ex sanguinis progressione, & in apertum profusione. Anima autem metu perculsa nimio, ad cordis interiora confugit, eamq; mox sanguis insequitur, adeò vt corpus quod in conspectu est, desertum a sanguine albescat & pallescat. Porrò quum passio in sequẽtibus cõtra passibilem qualitatem diuiditur, accipienda est pro qualitate tertię speciei a subiecto facilè mobili, siue animę conueniat, siue corpori, vt est antè dictum. Dictum est in initio (per sensum in appetitu respondente effectiua est passionis) quia huiusmodi passio non est ipsius sensus obiectum conueniens vel disconueniens percipientis, sed potius ipsius appetitus sensui apprehendenti correspondentis. Neq; habet Boetij translatio, græcum codicem sequens, in gustu & in tactu, sed secundum gustum & secundum tactum. Quinque sunt autem sensus exteriores

Cur gustabiles qualitates dicãtur passibiles q̃litates, similiter & colores.

Quid passio

Cur erubescẽtes rubicũdi, & timentes pallẽtes.

exteriores a natura ordinari, ad sensibiles qualitates percipiendas, quibus respondent quinque exteriores potentiæ appetitiuæ, obiectorum sensibilium si conuenientia sint, delectationem percipientes. si verò disconuenientia, tristitiam. Atque hæ solæ duæ passiones ad sensus exteriores spectant, non autem reliquæ, quæ vnà cum his, etiam ad appetitum sensitiuum interiorem concupiscibilem vel irascibilem pertinent, verùm de his fortassis latius egimus q̃ par sit. Ab huiusmodi igitur passionibus tanq̃ suis effectibus, passibiles qualitates dicuntur hæ quæ gustabiles sunt, & tangibiles, & ab ijsdem tanq̃ causis quibusdam, ipsi colores. Neque te moueat, quòd colores non semper ex talibus fiant passionibus, vt ij qui sunt in inanimatis corporibus, plantis, & brutis pluribus, imò neque omnes, qui in ipsis sunt hominibus. Non enim id sentit Aristoteles, sed vult, colores ideo dictas esse atque nũcupatas passibiles qualitates, quòd frequenter in hominibus aut fiunt aut nati sunt fieri (nisi quid obstet) ex his quæ verè sunt passiones & affectiones animę. Neque hic reddit Aristoteles passibilis qualitatis descriptionem, etiam si ambo coniungas, de quibus nunc agetur, fieri inque ex passionibus & efficere passionem. sed tantùm causam explicat, ob quam dictæ qualitates sint primitùs nuncupatæ passibiles. Atqui non necessarium est, causam impositionis factæ alicui vocabulo, omnibus & solis illis competere, ad quæ significanda ipsum nomen est impositum, sicut in plerisque alijs declaratu est facillimum. Hinc facilè illam excludes obiectionem, quæ assumit, colores non solum ex hisce fieri passionibus, sed etiam eas efficere in visiua potentia. Delectant enim visum pulchri colores, atque insignes picturæ. Contristant quoque nimia albedo, & nimis intensa nigredo, & huiusmodi. Nam nõ hos negat Aristoteles visum aut delectare aut tristitia afficere, seu quasdam producere passiones, sed ipsos asserit non esse dictas passibiles qualitates, ob eam causam, sed aliam, quia videlicet a passionibus causantur, atque nati sunt prodire. Quòd si cui quæ modò diximus non placeant, aliorum sententiam licet amplectatur, inter quos nonnulli colores asserunt non similiter dici passibiles qualitates cum gustabilibus & tangibilibus, quia hæ qualitates tantũ vnicam habẽt rationem, ob quã tales dicantur, vtputa quia passionem secundũ sensum efficiunt, non autem ex passionibus proueniunt. Animalis enim sapor, aut nunq̃ aut rarissimè etiam debiliter ex diuersis passionibus transmutari potest. Colores verò duplici causa passibiles qualitates dicuntur, nempe & quia ipsi quasdam producunt atque efficiunt passiones secundum sensum, vtpote visum, & quia ex passionibus oriuntur. Alijs placet, colores non ideo efficere secundum sensum passiones, quia hę aut paruę sunt, aut non fiunt per se, cũ sensus immutatione secundum qualitatem corporalem, aut in specie similem, aut aliam, sed tantùm secundum spiritualem qualitatem. Oculus enim dum videt, colorem non recipit, sed tantùm coloris speciem. At verò qualitates tangibiles & gustabiles, insigniores efficiunt passiones, atque sensum gustus & tactus immutant quadam corporali qualitate eiusdem vel alterius speciei. Calor & frigus, tactus instrumentum reddunt calidum atque frigidum, sapor linguam sapidam, aut humidam, de qua re latius est agendum in secundo libro de anima. Addit quidam non mediocriter doctus, qualitates tangibiles & gustabiles ideo dici qualitates passibiles, quòd in omnibus animalibus effectiuę sint alicuius passionis, delectationis scilicet vel tristitiæ. Has enim qualitates percipit omne animal. Colores autem non id faciunt in cunctis animalibus, quum plura sint quæ visu careant, vt sunt conchæ, ostrea, vermiculi, & huiusmodi. Et multa, quæ quamuis visu sint prædita, colores tamen non percipiunt ob impedimentum, vt fortassè talpæ, aut tantùm excellentissimos percipiunt colores, vt cancri, locustæ, & reliqua id genus animalia, quæ ab Aristotele duros habere dicuntur oculos. Aliquam autem dictarum passionum quis naturaliter patitur, quando eam patitur, in naturali constitutione ex suis complexionalibus principijs, & (vt Boetij verbis vtamur) antequam sit natus. Nam fœtus in vtero materno, cum tunc ipsius matris sit aliquid, passionibus similibus est obnoxius, quibus afficitur mater. Et tempore conceptionis, vehemens & fortis imaginatio matris, ipsius fœtus corpus transmutat, varijsque aliquando coloribus afficit, quemadmodum apud Quintilianum licet reperire, de quadam nobili matrona Romana, quæ ob vehementem imaginationem Aethiopis tempore conceptionis, quem in tabula prope cubile depictum habebat, filium peperit Aethiopem, ob quod adulterij fuerat accusata. Idem obseruauit sagaciter Patriarcha Iacob, qui virgas partim decorticatas, partim virides, ante oculos gregum posuit in canalibus, vndè bibituri erant, vt in ipso calore coitus oues intuentes huiusmodi versicolores virgas, procrearent fœtus maculosos, & varijs adspersos coloribus, quod & factum est, sicut traditur Geneseos capite xxx. Aliqui per huiusmodi passionem & affectionem, mutationem intelligunt corporalem, illi similem, quæ tali animæ passioni consueuit

Quid sit pati naturaliter passionẽ.
Boetius.

consueuit adesse, quanquam non nunc illi adsit. Aestus sanguinem in superficie vultus percoquit, & rubor sanguinis perusti reddit nigredinis speciem, atque hinc nigriciem quidam hominum contrahunt. Duplices indicat Philosophus esse passibiles qualitates & passiones. Quaedam corporales sunt, vt sapores, odores, qualitates tangibiles, & huiusmodi. Aliae sunt animales, quae tantùm animae conueniunt aut eius potentijs. Hae prius dictae sunt animi perturbationes. Fiunt autem huiusmodi passiones ac perturbationes, nonnunquam ex complexionalibus principijs a natiuitate. Vt in his qui natura sunt tristes, iracundi, timidi, &c. Neque semper necessarium videtur, passionem aliam ante natiuitatem adfuisse, quae huius fuerit causa, licet ita crebrius solet accidere. Vidimus quandam puellam dementem factam a natiuitate, ex vehementi timore matri incusso, dum illam in vtero gestaret. Alterum etiam dementem ex amore nimio. Ex tristitia quoque nascitur ira, ex ira aperta insania & odium. De hac re alibi exactius est agendum. Amentia propriè videtur non esse qualitas, sed potius rationis vsus priuatio in homine, qui ad eam peruênit aetatem, in qua iuxta naturae cursum, posset ratione vti. Non enim pueros dicere consueuimus, aut dementes, aut amentes. Erit igitur amentia seu dementia exemplum non verè ad hanc speciem pertinens. Passio animae, ex complexione & naturali constitutione, vel altera passione proueniens, dicitur hic difficilè mobilis, non quia semper secundum se a suo subiecto dimoueatur, sed quia ipsa aut secundum se aut suam causam est talis. Nam qui natura iracundi sunt, frequenter ab actuali ira (vt ita dixerimus) abstinent, & ita in alijs experimur.

In quarta specie qualitatis, habet Boetij translatio verbis transpositis, Quartum autem genus qualitatis est, figura & circa vnumquodque constans forma, quanquam parui referat, vtrum legatur. Huius orationis sensum eum magis probamus, secundum quem quartum genus sub qualitate contentum, sub se dicitur complecti figuram, formam, rectitudinem, curuitatem, & alia quae his sunt similia. Nomen (constans) accipiendum est, non vt accusatiuus sit, construendus cum dictione vnumquodque vel aliquid, quem sensum explicat Caietanus, sed vt nominatiuus sit, iungendus dictioni forma vel figura. Fortasse non inconuenienter quispiam dixerit, latenter hac dictione indicasse Aristotelem, duplicem formam esse atque figuram, Vnam, quae sit a subiecto facilè mobilis, vt sunt rerum liquidarum figurae & fluxibilium, quae facillimè ex vna figura in alteram transmutantur, secundum continentium diuersitatem, Alteram, quae est constans & difficilè mobilis, vt rerum siccarum figura atque durarum, quas dicit physicus proprio termino terminatas. Vtraque harum essentialiter est qualitas. Sed de denominatione ab ipsis sumenda, eodem modo iudicandum videtur, quo a nobis prius est dictum de passibili qualitate & passione. Potest etiam satis aptè eadem dictio accipi pro inexistente, vt indicet Aristoteles, figuram & formam determinatum habere subiectum. Particula addita (circa vnumquodque vel aliquid) imprimis insinuat, formam & figuram quaedam extranea esse ab ipsa quantitate vel substantia. Quod enim circa quippiam fit, non est de illius substantia, sed potius extra essentiam, atque illi accidentale. Quemadmodum ergo passiones & passibiles qualitates, habitus & dispositiones, sunt qualitates, omnium sententia reuera a suis subiectis distinctae, sic & figura & forma realiter a quantitate & substantia distinguuntur, tanquam horum accidentia, principaliter & primò ipsis qualitatibus conuenientia. Nam quinto metaphysicae capite de priori dicit Arist. leuitatem (quam alio nomine planiciem vocamus) per se esse passionem superficiei, vt rectitudo est ipsius lineae. Secundò eadem particula indicat Aristoteles, subiectum & causam ipsius figurae & formae, quantitatem videlicet singularem. Est enim quantitas siue discreta siue continua, subiectum immediatum penè omnium rerum, quae in hac quarta specie collocantur, substantia autem mediatum. Quantitas continua immediatè recipit rectitudinem, curuitatem, figuram & formam. Discreta, paritatem & imparitatem. Praeterea quoque huiusmodi formae & figurae, ex quantitatibus non communibus, sed singularibus, immediatè nascuntur & oriûtur. Operationes enim sunt singularium, ac ob id non malè putamus, a quibusdam hanc speciem sic assignari, forma, & circa hoc aliquid constans figura. Quae de spisso, raro, & duobus reliquis, dicuntur ab Aristotele, dupliciter reperimus esse exposita. Diuus Augustinus in suis categorijs, opinatur haec quatuor re vera ad qualitatê pertinere, spissumque & rarum, &c. verè & essentialiter qualia esse. Descriptiones autem horum in textu assignatas non attinere ad vocabuli interpretationem, sed potius ad ipsius rei explicationem, Cui quidem expositioni consonum est illud, quod prius ex quinto metaphysicae de leuitate est allatum. Boetius tamen, Commentator, Albertus, & alij plures asserunt, haec primò quasdam partium positiones significare, & ad positionis seu situs classem spectare, secundariò autem

Figurae reuera distinctae.

Boetius. Auerrois. Albertus.

autem designare quasdam qualitates,& descriptiones ex textu allatas,explicare primum ipsorum vocabulorum significatum,Idq; ipsi textui magis consonum est,quanq; non possit fortassis clarè conuinci.In huiusmodi descriptionibus,per partes accipiendæ sunt partes integrales,inreriores quidē & exteriores in spisso & raro. exteriores verò tantū,in leui & aspero.Spissum & rarum,reperimus duobus modis esse accepta. Boetius diuum Augustinū secutus,per rarum,id intelligit quod perosum est,cuius partes ita a se separatæ distent,vt inter eas alterius generis corpus possit admitti.Quales sunt spongiæ & pumices,in quorum cauernis succulus,vel aliud quid,immitti potest.Spissum contra.i.cuius partes ita sibi vicinæ sunt, atq; ita ad seinuicē strictæ,vt inter eas nullū corpus possit incidere,vt ferrū & adamas. Alij spissum dicunt id,quod sub eadē materiæ portione,habet minorē quantitatē,hoc est,partes extremas a seinuicē minus distātes. Rarum autē quod sub eadē materiæ portione,minori subest quātitati,extremasq; partes habet a seinuicem distantiores, vt terra, aqua est spissior,& hæc aere & igni. Et lac calefactū atq; bulliens,rarius est seipso frigefacto.Eos autē parum admodū probamus,qui per spissum,opacum accipiunt,per rarū diaphanū & perspicuum,inter quos videtur Albertus esse.Alia enim opaci ratio est,alia spissi,alia perspicui, alia rari. quamuis hæc frequentius sese sequantur. Ex fine literæ,Et fortasse,&c̄.colligunt quidam,inter quos est Boetius,plures esse qualitatis species,q̄ hic ab Aristotele sunt enumeratæ. Contrarium autem habet communis omnium ferè expositorum opinio, omnes videlicet qualitatis species proximas rectè & sufficienter hic ab Aristotele esse recensitas, neq; vllam esse veram qualitatem,quæ non sub aliquo dictorum quatuor generum comprehensa sit. Nam primus modus qualitatis,ab Aristotele in quinto metaphysices positus,secundum quem substantialis differentia qualitas dicitur,non est vera qualitatis(vt est huius prædicamenti generalissimū)species,sed tantum nominis ipsius alia quædam acceptio. Quòd autem dubitandi aduerbio hic vsus est,ex more suo fecit,qui nihil non manifesta ostensum ratione libenter solet asserere,præsertim alijs in contrarium nitentibus.

Boetius. Augustinus

Rarum.

Albertus

Boetius.

Qualia verò sūt,quę secūdū hæc denoīatiuę dicūtur.

In secundam partem capitis de qualitate,explicantem quid sit quale, annotatio.

IN hac secunda parte,vt ostendat Philosophus,qualitatem non tantùm abstractè intelligi atq; significari,sicut antè de ea locuti sumus,sed etiam concretè,simulq; vt indicaret cōcreta aliorum generalissimorum,vt quantum,agens,&c̄. similiter esse definienda, describis nobis bimembri quadam definitione quæ sint qualia,ad hunc modum.Qualia sunt,quę secundum hęc denominatiuè dicuntur,vel quomodolibet aliter ab his.Definitum accipitur pro concretis huius prædicamenti,vel potius pro rebus per huiusmodi concreta significatis. Nā sermo de rebus videtur esse plausibilior & ad popularem intelligentiam accommodatior, quanq̄ pro pueris facilior sit de vocibus. Nec omnino alienus ab vsu loquendi Aristotelis, qui nomina substantiarum in tertia proprietate substantiæ etiā substantias vocat. & meo iudicio pluribus in locis apud Arist.de signo & signato idem prorsus habendum est iudicium, adeo vt ridiculum esse putē,subinde contendere,vtrum de vocibus an de rebus exponendus sit textus,cum vterq; sensus in eandem prorsus recidat sententiā,licet interdum alter dicendi modus videatur paulo mollius sonare apud vulgus, cuius tamen iudicium non tāti est faciendum,vt alter dicendi modus recipi nequeat, si fortè facilior aut vtilior esse videatur.

Definitio qualium.

Pronomen (hæc)in definitione sumitur pro qualitatibus enumeratis atq; similibus: & sub plurali numero intelligendus est singularis,maximè si de vocibus agatur, quia ab eadem qualitate possunt plura denominatiuè dici,vt ab albedine,albus, alba, album. Dici denominatiuè secundum qualitatem, est esse denominatiuum voce & significatione simul,respectu alicuius qualitatis tanq̄ denominantis,vel significari huiusmodi denominatiuo,vt a grammatica grāmaticus,a fortitudine fortis,siue de voce,siue de re per vocē primò significata agatur. Dici verò quomodolibet aliter ab his,est esse denominatiuū significatione tantū respectu alicuius dictarū qualitatū,vel huiusmodi denominatiuo significari,vt studiosus a virtute. Quòd si roges,An homo,equus,lapis,& similia contineantur sub definitione qualium. Respondendū, q loquendo de vocibus facillima est responsio quòd non,quia non sunt aliquomodo denominatiua qualitatū. Sed loquendo de rebus dicendū est, q huiusmodi res possunt duobus modis considerari.Priore secundum quod his nominibus exprimuntur,homo,equus,lapis,& sic non continentur sub hac definitione,quia non significantur denominatiuis qualitatum. Altero verò modo considerantur secundum quod sunt alba aut nigra,& secundum quod huiusmodi nominibus appellant,& sic sunt qualia sub hac definitione cōtenta. Sed vrgebis,petens absolutè

Dici denominatiuè.

An lapis & similia sint qualia.

absolutè responderi ad hanc quæstionem, vtrum lapis sit hoc loco qualis, an non. Cui respondeo affirmatiuè quòd sit, sed in sensu per accidens, in quo sensu etiam admittendum erit quòd significetur nomine album, quod est denominatiuum huius prædicamenti, quanquam etiam dicere liceat, quòd tam definitum, quàm definitio ijs tantum tribuantur, quæ sunt per se qualia, & sic neq; definitum neq; definitio de his verè prædicabitur. Quòd si cauilleris, etiam albedinem significari, nomine denominatiuo album. Dicendum est, eam non significari concretiuè tanquàm rem quandam per se subsistentem & in recto, sed tanq̃ rem alteri adiacentem & in obliquo. nam album .i. habens albedinem, quæ significatio huic ioco non conuenit.

Incest aute propetas q̃litati.

In tertiam partem, qualitatis proprietates continentem, scholia.

POstremo loco assignat Arist. more suo quasdam qualitatis proprietates. Prima est, contrarietas, quæ si propriè accipiatur pro sola contrarietate logica & per se, vt sumebatur superius ab Aristotele in declaratione primæ proprietatis quantitatis, propria dicetur qualitati esse primo modo. Soli enim ita conueniet. Nam alijs, vt substantijs & quantitatibus per accidens dumtaxat. Actionibus verò, passionibus, & mutationibus, non nisi ratione terminorum qui sunt qualitates, competere creduntur. Adaliquid autem quæ prius dicta sunt esse contraria, qualitates sunt omnia. Quòd autem huic nihil obsiet qualibus etiam cõtrarietatem attribui, vt alibi dictis relinquitur manifestum. Non autem omni competit qualitati talis contrarietas, quia non rubedini & pallori (teste Aristotele) aut similibus qualitatibus medijs, hoc est, vtriusq; extremi contrarij naturam sapientibus, quę a quibusdam contraria secundum quid appellantur, nempe secundum participationem extremorum. Neq; etiã triangulo, circulo, aut alij cuipiam figurę perfectę. Itẽ non speciebus intelligibilibus aut sensibilibus, etiam si earum obiecta fuerint contraria, & alijs innumeris. Non est tamen vlla quatuor principalium specierum qualitatis, in qua non hæc reperiatur contrarietas. In prima enim sunt virtutes & vitia contraria, scientiæ & ignorantiæ cum alijs pluribus. In secunda, mollicies atq; durities, salubritas atq; insalubritas, &c̃. In tertia, albedo & nigredo, dulcedo & amaritudo, calor frigus, humiditas & siccitas, &c̃. In quarta, rectitudo & curuitas, paritas & imparitas, &c̃. Alij de contrarietate multò largius ac generalius loquentes, tradunt, hanc non veram esse qualitatum proprietatem, sed communitatem magis. Adnotant non nulli, Aristotelem potius in assignandis exẽplis, iustitia atq; iniustitia esse vsum, q̃ alia quapiã virtute ac vitio, q iustitia virtus sit, nõ media inter duo vicia, quemadmodum aliæ, sed tanquam vnum extremũ, alteri nempe iniustitię, opponatur, quod ad contrarietatem exigitur. An autem talis media aliarum virturum collocatio, inter duo vitia vtrimq; opposita, efficiat quo minus virtutes ipsæ, huiusmodi vitijs contrariæ dici debeant, alibi discutiendum est.

Prima q̃litatis, pprietas, eiusq; explicatio.

Secunda est. Suscipere magis & minus. Quod dupliciter exponitur. Vno modo, vt sit intentionem & remissionem admittere, quomodo propria erit primo modo respectu qualitatis soli cõueniens, & non omni. Soli quidem, Nam non substantijs, vt satis locuples testis est nobis Aristoteles, & proinde nec substantialibus formis, licet quidam reclament. Neq; etiã quantitatibus, quarum partes simul esse, seseq; penetrare non possunt, Neq; relationibus vllis, cũ hæ omnes partibus careant. Neq; etiam motibus, ob eorum velocitatem & tarditatem, Nam hæ aliunde spectantur, quemadmodũ declarandum est in physicis. Non autem omni conuenit, quia non triãgulo aut circulo, & alijs multis. Altero modo suscipere maius aut minus est cum aduerbijs cõparatiuis prædicari posse. Quomodo respectu qualitatis eiusq; cõcretim designatæ, cõmunitas erit verius, q̃ proprietas. Quòd enim non omni cõpetat, manifestũ est ex litera, & quòd non soli, patuit in secunda cõmunitate adaliquid. nisi fortè restrictione quadam ipsam limitare velimus, ad hunc modum explicantes. Prædicari cũ dictis aduerbijs, gratia suæ intensionis aut remissionis, quomodo non alijs conuenturam, ex prædictis palam est. Quòd autem non omnibus qualibus, siue (quod in idem redit) qualitatibus, concretim significatis cõueniat magis minusq; suscipere, declarat Aristoteles primùm apparenter secundum nonnullorum philosophorum non satis philosophicam ratiocinationem, qui id propterea asseruerunt, quia iustitia vna non dicitalia magis aut minus iustitia, neq; sanitas sanitate, & ita de cęteris similibus. Verùm hos peruersa huius proprietatis intelligẽtia videtur fefellisse, quæ nõ qualitates ipsas secundum se, & vt a subiectis abstrahunt acceptas, magis & minus ponit suscipere, sed tantũ quatenus concretis nominibus, qualia ipsa denominantibus sunt designatæ, atq; hoc est quod ipsos redarguens ait Aristot. quæ autẽ secundum hæc dicuntur, &c̃. Alij priorẽ hanc probationem iuxta Stoicorum placita ab Aristotele inductam censent, arbitrantium

Secunda q̃litatis proprietas.

Dupliciter sumit suscipere magis & minus. Primò.

Secundò.



Æqlaterus





Isosceles.





Scalenon.







Quadratũ.



Altera parte longius.



Rhombus.



Rhõboides



nonnullos habituum magis & minus suscipere posse, vt artes, Alios verò minimè, vt virtutes, quas in puncto seu indiuisibili quodam aiebant consistere. Secunda ratio, ad idem probandum efficaciter, subiungitur ibi, triangulus verò, &c. Quæ de eiusmodi figuris etiã concretè significatis est accipiẽda, si roboris quiddã atq; momẽti debeat obtinere, alioqui nihil amplius q̃ præcedens, cõcludere poterit. Et sanè non infrequens est autoribus, circulo, triãgulo, & huiusmodi concretè vti, sicut ex eorũ diligenti obseruare licet lectione. Quod autem ibidẽ additur, nec aliquæ aliarum figurarum, an de figuris propriè dictis, id est, quæ termino vel terminis clauduntur, tantùm sit intelligendum, pendet ex eo, vtrum curuitatem, & si aliqua est similis imperfecta figura, magis & minus suscipere statuamus, nec ne, vt an minoris circuli portio curuior obliquiorq; sit, quàm maioris atque amplioris. Cuius penes alios esto censura. Ratio seu definitio circuli (cuius in litera fit mentio) hæc est. Circulus est figura plana; vna quidem linea contenta, quę circunferentia vocatur, in cuius medio punctũ est, a quo omnes lineę rectæ ad circunferentiam ductæ, sibi inuicem sunt æquales. Punctum autem quod mediũ est circuli centrum appellatur. Triangulus est figura plana, tribus lineis rectis contenta. Atq; huius species tres numero sunt, triangulus isopleurus, hoc est, latinè æquilaterus, constãs tribus æqualibus lineis. Isosceles, id est, æquicrurus, obtinẽs duas tantũ æquales, & tertiam inæqualem illis. Et scalenos, hoc est, gradatus, constans tribus lineis inęqualibus. Quadrãgulus figura est plana, constãs quatuor lineis rectis, quatuor angulos faciẽtibus. Cuius species sunt, quadratum, quod constat quatuor æqualibus lineis, rectos constituentibus angulos. Altera parte longior, figura constans quatuor angulis rectis, sed inæqualibus lineis. Rhombus, quadrilatera figura, æqualibus quidẽ lineis, sed angulis nõ rectis comprehensa. Rhõboides, quę in contrariũ collocatas lineas atq; angulos habet æquales, non tamen rectis angulis, aut æquis lateribus cõtinetur. Pręter has autẽ omnes quadrilaterę figurę trapezia, id est, mensulæ nuncupantur. Quum sequitur, similia verò & dissimilia, &c̃.) Indicat Aristot. tertiam qualitatis proprietatem, vbi præpositio (secundum) dicit circunstantiã seu habitudinem non causæ formalis (sic namq; similia & dissimilia dicuntur tantum secundum similitudinem atq; dissimilitudinem) sed fundamenti, seu causæ fundamentalis. Sunt enim solæ qualitates, sibi & alijs omnibus rationes, cur similia dissimiliaq; dicantur. Similitudo autem (teste Boetio) est rerum diuersarũ eadem qualitas. Dissimilitudo verò diuersa, hoc est. Similitudo est relatio nascens inter plures qualitates eiusdẽ speciei, in diuersis subiectis positas. Dissimilitudo verò, inter diuersas secundũ speciem, vt duo cygni, similes sunt ratione suarũ albedinũ, siue hę albedines æqualiter fuerint intensæ, siue non. Neq; enim hic de tam exacta, absolutaq; similitudine agitur, q̃ in libro de generatione, vbi negat simile posse agere in simile. Coruus autẽ & cygnus, homo auarus & alter prodigus, dissimiles sunt, atq; ita de alijs. Alibi autem largius magisq; impropriè de similitudine ac dissimilitudine loquuntur philosophi, vt cum dicunt, omnia indiuidua alicuius speciei similia esse secundum illam speciem. & species, secundum suũ cõmune genus. quæ acceptio non est pręsentis loci, vbi omnis similitudo & dissimilitudo ex qualitatibus spectatur, quę est harum propria significatio, iuxta illud ex quinto Metaphysic. huc adduci solitũ. Vnũ in substantia efficit identitatẽ, in quantitate æqualitatẽ, in qualitate verò similitudinẽ. e diuersò autem, Diuersum in substantia facit distinctionẽ, in quantitate inęqualitatẽ, in qualitate dissimilitudinẽ. Quod quo pacto sit intelligendum, vt meram veritatẽ contineat, alterius est negocij discutere. Hanc autem proprietatẽ qualitatis, quę assignatur simile vel dissimile, tradunt circumlocutiuè, vt significet aptitudinem ad actualem similitudinem vel dissimilitudinẽ, accipi debere, si verè erit propria quarto modo, omni, soli, & semper cõueniẽs. Simile quiddã superius dictũ est, de tertia quãtitatis proprietate. Circa finẽ autẽ textus, mouet Philosophus scrupulũ quendã, quẽ & mox tollit dissoluitq; duplici (vt plerisq; visum est) adhibita solutione. Verùm nobis q̃d priore loco ponitur non tã solutio scrupuli taciteq; obiectionis, q̃ rei ita se habentis, declaratio esse videtur. Quod autem ibi dicitur, genera ferè omnia primæ speciei ad aliquid esse, singularium verò, id est, inferiorum quæ species sunt specialissimę, nihil: intelligunt quidam de generibus huiusmodi æquiuocè sumptis, & non tã significatione q̃ voce illorum superioribus, perinde quasi dixerit quispiã, genus animalis, nẽpe corpus quantitatẽ esse, propterea q̃ ea vox quę secundũ vnam significationẽ genus est animalis, secundũ aliã species sit quãtitatis. Attamen hęc expositio, licet supposita huiusmodi æquiuocatione nihil dubitationis haberet, nõ tamẽ videret multũ huic loco dictisq; Aristotelicis congruere, præcipueq; illi, sed forsitan secundum genus, &c̃. Ideo alij, iuxta ea quæ superius habita sunt, disciplinã, & talia genera, dicunt per se qualitates esse, & tantum ad aliquid secundum

dici,

dici, quatenus eiusmodi genericis nominibus designantur, non autem quatenus specificis. Nihil autem prohibet quin eadem res alio modo considerata, ad diuersa quodãmodo pertineat prædicamenta, idemq́ue vocabulum alterius sit ordinis prædicamentalis, si principale significatum spectetur, quàm si connotatum. Non enim est hoc, naturas prædicamentorum permiscere confunderéq́ue, sed accuratis rationibus consyderationibusq́ue ab inuicem distinguere, quemadmodum ipse Aristoteles prius monstrauit, dum ostenderet, nullam prorsus substantiam re vera esse adaliquid.

Trapezion.



Suscipiũt aũt agere & pati cõtrarietatem.

In sextum caput, quod est de actione & passione, annotatiuncula.

SEx postrema prædicamenta, paucissimis, & quasi cursim absoluit Arist. eò fortassis, q̃ sufficiens horũ cognitio quantũ logico opus est, ex præcedentibus probè intellectis habeatur, vel q̃ hęc ad alias pertineant magis disciplinas. De actione siquidẽ & passione, disserit physicus in libro de generatione & corruptione: de vbi & quãdo, vtcunq́ue in quarto physicorũ, cum agitur de loco & tẽpore. Reliquorũ autem duorũ non videmus magnũ vsum in vlla disciplina, nisi fortassè quis dixerit, ea pertinere ad aliquas artes mechanicas. Miramur autẽ, quam obrem dicat Boetius, hæc prędicamenta vltima exactius tractari ab Arist. in metaphysicis, cũ quinto metaphysicæ solum enumerentur acceptiones diuersæ talium nominum, nulla prorsus habita ratione diuersitatis horum generalissimorum. Nobis verisimilè fit, hanc decem prędicamentorum positionem, eorumq́ue inter se distinctionem tanq̃ vulgò receptam ab Aristo. assignari, licet nõ vsq́ue adeo solidis suffultam rationibus. Quare nec hac tempestate desunt, qui sex vltima prædicamenta tanq̃ quasdã species dicunt cõprehendi sub adaliquid seu relatione, ponentes proinde tantùm quatuor prædicamẽta, veraq́ue generalissima, vt alibi quoq́ue a nobis est indicatum. Inter hæc sex prædicamenta, primo loco sese offert actio. Hanc a quodã Gilberto Porretano, qui q̃ breui tractatu postrema illa genera explicare conatus sit, dictus est Autor sex principiorũ, sic definitã inuenimus. Actio est, secundum quã in id quod subijcitur, agere dicimur. Quam ita interpretamur. Actio est forma quędam respectiua seu relatio, secundũ quã tanq̃ causam formalẽ aliquid agit in passum, quod minoris est virtutis in resistẽdo, q̃ sit agens in agendo. Est enim hic sermo de subiectione non secundũ locũ aut sitũ, sed potius secundum virtutem, secundum quam oportet patiens inferius esse ac vinci ab agẽte. Alioqui nulla omnino consurget actio, iuxta illud physicũ, A proportione æqualitatis, vel minoris inęqualitatis, actio nõ prouenit. Et quia non omne passum resistit agenti, sed quãdoq́ue vim etiam aliquã confert ei, vel indifferenter se habet. ideo sub vltima particula intelligenda est hæc, vel nullius resistentiæ. Ex dicta interpretatione facilè constat, quo pacto aliena quæq́ue, ab hac definitione sint excludenda, vt manus, pes, gladius, calor, lumen, & huiusmodi, quæ aut non sunt formę, aut secundum eas non dicitur quippiã formaliter agere. A calore namq́ue formaliter dicitur aliquid calidum, non calefaciens. sed a calefactione actiua dicitur formaliter calefaciens, & a frigefactione frigefaciens, & ita de alijs. Nihil est ergo hic aliud actio, q̃ quædam agentis ad patiens relatio. & ediuersò, passio, patientis ad agens quædã habitudo. Vndè patet, multum interesse, inter actionẽ passionemq́ue, productionem actiuam atq́ue passiuam, licet hæc inuicem ferè sint connexa. Nam actio respicit ipsum patiens. Productio verò actiua, effectum in patiente productum. Verbi gratia, dum ignis aquam calefacit, habitudo ignis ad aquã est quędã actio, nempe calefactio actiua. & contra, relatio aquæ calefactæ ad ignẽ est passio, quę dicitur passiua calefactio. Habitudo verò ignis ad calorem in aquã productum, est productio actiua seu effectio, pertinens ad prædicamentum adaliquid, sub genere quod est causa. & habitudo caloris producti ad ignem ipsum, dicitur productio passiua. Dicimus namq́ue ignem producere calorem, non aquam, & in aquam agere, non in calorem. & ediuersò calorem ab igni produci, aquam verò ab igni pati, eo q̃ ab ipso illi quippiam ingeneretur. Non autem dicitur actiua productio, aut passiua, quasi ad actionis passionisve attineat prædicamentum, sed quia actiuis verbis exprimitur, vel passiuis. Et sunt hę tam varię relationes, omnem ferè motum (qui res quædam est absoluta, non respectiua) cõcomitari solitæ, subtili atq́ue attenta consideratione distinguendę a logico. quibus etiam addi possunt duæ alię, secundũ quas formam dicimus a subiecto recipi, & subiectũ recipere formam. Diuiditur autẽ actio a prædicto Gilberto in actionem corporis & animæ, hoc est, corporalem & incorpoream. Nomine enim animæ, intelligitur quæuis incorporea substantia. Actionẽ corporis dicit eam esse, quę necessariò est cũ motu agentis, vt sectio, quæ exigit motum localem secantis. Actio autem animæ idipsum non requirit. Verùm talem actionis corporalis descriptionem,

Gilbertus. Porretanus Quid sit actio, eiusq́ue definitionis explicatio.

Quo modo differãt actio o passioq́ue, & productio actiua & passiua.

tanq; falsam, minusq; rectè positam reijcit Aquinas. Magnes enim immotus manens, actione corporali attrahit ferrũ. & sol immotus & quiescens, non minus illuminaret atq; calefaceret aerem, q̃ nunc cũ mouetur. Nos igitur, varijs harũ actionũ descriptionibus prætermissis, dicemus, eã actionem animę esse, quã anima ipsa exequitur, vt est digestio actiua, nutritio, sensatio, & intellectio actiua. Eã verò corporis, quæ immediatè congruit corpori, vel accidenti corporali, vt sectio actiua, percussio, calefactio. Hæ duplices actiones, ponuntur genere diuersę, quemadmodũ in prima qualitatis specie, habitus animæ & corporis distincta creãt genera. Altera est diuisio actionum, in actionem immanentem (qua agens aliquid, effectum in se ipsum producit, vt nutritio actiua. Nam homo, ratione animæ seipsum nutrire dicitur. Item frigefactio, qua aqua seipsam frigefacit. Intellectio quoq; actiua, qua intellectus in sese producit rei cuiuspiam speciem intelligibilem, aut agnitionem seu conceptum, & ita de sensatione quadam actiua.) Et transeuntem qua agens, in id quod extraneum est, & a se separatum dicitur agere, vt calefactio ignis calefacientis aquam propinquam, motio actiua, qua angelus cœlum mouet. Hæc posterior actionum diuisio non essentiale, sed accidentarium dumtaxat inducit discrimen, reperiturq; vtrumq; huius membrum, in vtrumlibet alterius præcedentis incidere, vt patet scrutanti. Neq; enim nobis vacat in his esse prolixis.

- Actio
  - Animæ.
    - Animæ vegetatiuæ. { Nutritio. Augmentato. Generatio. } Actiua.
    - Sensitiuæ { Visio. Auditio. Tactio. } Actiua.
    - Intellectiuæ { Intellectio. Volitio. Nolitio. } Actiua.
  - Corporis.
    - Percussio.
    - Aedificatio. { Dealbatio
    - Coloratio { Rubefactio } Actiua.
    - Calefactio. { Denigratio }
    - Exsiccare.

Quid passio

Definitionis explicatio.

PAssionem autem idem Porretanus ad hunc modum descriptam reliquit. Passio est effectus illatioq; actionis, secundum quam hæc patiuntur, illa verò minimè. Vltimam partem ferè relinquunt tanq̃ superuacaneam. Indicat tamen passiones determinatis certisq; congruere subiectis, & non promiscuè quaslibet quibuslibet. Definitum autẽ aiunt solum pro passione creata accipi, id est, quæ respiciat agens creatum. non autem increata, quę ad deum creatorem ipsum refertur tanq̃ terminum, vt est passio, qua materia ritè præparata dispositaq; patitur recipiendo animam rationalem, a solo Deo Optimo Maximo corpori inditam. Tales enim passiones non videntur ex actionibus propriè dictis inferri, cũ in deo nulla insit huiusmodi actio. Nomen effectus in definitione, non potest propriè sumi pro eo quod manat producíturq; a causa efficiente, vel alia. Neq; enim causatur ab actione passio, cũ sint hæc natura simul, quorũ oportet neutrum esse alterius causam. Sumatur ergo vt idem polleat quod illatio, sitq; subsequens particula pręcedentis declaratrix. Aquinas autẽ arbitratur, ideo passionem dici actionis effectũ, quia necessariò actio & passio ordine quodam fiant ab agente. Prius nanq; (vt ait) intelligimus quippiam agere, quàm aliud ab ipso pati. Quod an verum sit, iudicet alius. Illatio autem capitur pro re illata in consequentia, non quauis, sed essendi, idq; tanquàm correlatiua ipsius actionis. Nam & vulnus sequitur secundũ essendi consequentiam ad vulnerationem actiuam, & calor ad actiuam calefactionem, non tamen sunt vulnus & calor passiones. Est ergo passio quædam forma respectiua, quæ infertur ex actione tanq̃ sibi correlatiua. Multo simplicius apertiusque poterat sic definiri. Passio est, secundum quam ab eo quod viribus superius est, quid patitur. Et diuidenda est passio, ad eundem modum, quo ante diuisa est actio. Quare non opus est, superuacanea eiusdem rei inculcatione chartas implere, cum ex præscripta actionum coordinatione, facilè habeatur series huius prædicamenti, nimirum passiuè acceptis vocabulis, quæ ibi actiuam obtinebant significationẽ. Nam in abstractis nominibus ferè consentiunt hæc duo prædicamenta, differunt autem concretis apertissimè.

Quare

Quare tollédę ambiguitatis gratia, abstractis illis verbalibus addi consueuerunt hę adiectiuæ determinationes, actiua, & passiua, vt cum dicimus, calefactio actiua, frigefactio actiua, intellectio actiua, &c. ad prædicamentum actionis attinent. Quū verò calefactio passiua, frigefactio passiua, & intellectio passiua, huius septimi sunt ordinis. Sed nequaq̄ dissimulandum arbitramur, eadem abstracta verbalia in 10 præter hasce duas acceptiones, tertiam frequenter possidere, neq; actiuam, neq; passiuam, sed neutram. Vt nomen intellectio, præter actiuam intellectionem atq; passiuam, significat etiam nonnunq̄ actum intelligendi, seu conceptum actualem, quæ est qualitas quædam secundum plærosq; primæ speciei, vitaliter immutans intelligendi potentiam. Similiter verbale sensatio, aliquando significat relationem rei obiectę sensum immutantis, quæ est prædicamenti actionis, diciturq; sensatio actiua, denominās intrinsecus tale obiectū. Aliquando verò significat habitudinem sentientis ad obiectum a quo immutatur, vocaturq; sensatio passiua, intrinsecus denominans rem sentientem. Et tertiò nonnūquam designant quandam qualitatem primæ speciei, quam vocant sensationem neutram, hoc est, non actiuam neq; passiuam, sed ipsius sensus actum, seu operationem, intrinsecus talem sensum & eius subiectum denominantem, extrinsecus autem ipsum obiectum. Sunt alia quæ præter actiuam passiuamq; significationem, non actum aliquem animæ quæ qualitas sit, designare solent, sed motum. Cuiusmodi sunt calefactio, frigefactio, dealbatio, atratio, generatio, & huius formæ alia. Iam de concretis horum prædicamentorum, quæ ferè verba sunt aut participia, illud admonendum duximus, non semper earum significationem generi, quod ex terminatione potissimùm spectatur, congruentem esse & assimilem. Quædā enim eorum quæ actiui generis sunt, ad prędicamentū videntur passionis attinere, vt video, audio, intelligo. Et ediuerso quæ passiui sunt generis, ad actionis classem referūtur, vt videor, audior, intelligor. Nā quod videt, audit, quod intelligit, patitur aliquid recipiens. Quod verò videtur, aut audit, aut intelligitur, quodāmodo agere solet, potentiæ cognitiuæ sui imprimens imaginem. Nonnulla etiam neutri generis verba passionem significant, vt vapulo, veneo, fio, &c. Item deponentaliū quædam actionē, vt loquor, vescor, ordior. Alia designant passionem, vt patior. Cōmunia verò ad vtrunq; referuntur ordinem, sed æquiuocè, vt osculor, complector, veneror. Neq; tamen putandum est, omnia verba ad alterū horum duorū prædicamentorum attinere. Sunt enim aliquot aliorū ordinum verba, vt possideo possideor, produco producor, contineo contineor, iaceo, sedeo, sto, & similia. Hęc autē, caleo, frigeo, tepeo, sicceo, albeo, nigreo, rubeo, &c. ad tertiam attinent qualitatis specię. Insuper cresco, ambulo, volo, nato, repo, progredior, & similia nonnulla, motus quosdam designant, in nullo (iuxta receptam sententiam) directè collocatos prædicamento. Video quoq;, audio, intelligo, & id genus reliqua, dū animę quosdā actus principaliter significant, deq; potentijs ipsis, & earū subiectis intrinsecus prædicantur, ad primum attinent qualitatis genus. Sed nos opinione longius, in hisce diligentius explicandis euagati sumus. Quare ad Aristot. reuertamur. Is autem in initio statim præsentis capituli, duas pariter proponit actionis passionisq; communitates. Priorem hoc pacto. Suscipiunt agere & pati contrarietatem. Quę non est ita accipienda, quasi dicat, actionem passioni, aut ediuerso, hanc illi aliquo modo contrariā esse, sed intendit, nonnullas actiones inter se mutua dissidere contrarietate. & item passiones inter se quoq;, vt satis ostendunt exempla literę. Intelligenda est præterea hæc cōmunitas, de contrarietate logica per accidens attributa actioni & passioni, ratione motus cuiuspiā concurrentis, aut potius formæ productæ per agens in ipsum passum. Nā si talis forma fuerit per se contraria logicæ, erit actio atq; passio contraria per accidens, non per se, eo quòd relationi per se contrarium nihil sit, sicut superius attestatus est Arist. Et quia non omnes huiusmodi formæ ab agente productę contrariæ sunt, vt pallor, rubedo, quantitas tripedalis, & alię plæraeq;. Neq; hęc cōtrarietas per accidens solis cōpetit actionibus aut passionibus, vti cōstat. Ideo rectè cōmunitas dicta est, & non proprietas. Discrimen autem est inter actiones & passiones, quantum attinet ad contrarietatis modū. Nam actiones quę dicūtur contrarię, simpliciter in eodē sese permittunt, sed non respectu eiusdē omnino patientis, vt sol calore luminis sui indurat lutū, & emollit cerā. Luna lumine suo calefacit, & alia quadā naturali sua virtute frigefacit, redditq; membra nuda exposita paralysi obnoxia. Item eadem res vnū delectat, alterū contristat, vt patet de lumine solari respectu aquilę & noctuę. Ita quoq; insignia gesta, laudesq; alicuius, vehementi gaudio perfundunt amicum. inimicum verò & inuidum magna afficiunt tristitia. Passiones autem contrariæ, non sese vllo pacto cōpatiuntur in eodem subiecto, secundum partem eandem. Licet namq; idem agens concedatur posse simul producere formas contrarias in diuersa passa, idem tamen patiens nō recipit

Prior actionis & passionis communitas.

vnq̃ contrarias formas secundum eandem partem, neq; ab eodem agente, neq; a diuersis. Neq;
obstat, quòd idem homo simul tempore gaudeat aliquando & mœreat ob diuersas causas, vel
propter eandem etiam causam lætetur secundum voluntatem, dolear autem & tristetur secun
dum appetitum sensitiuum. Nam nulla est contrarietas talium passionum, nisi sint respectu
eiusdem penitus obiecti, & in eadem potentia. Solet tamen dici, quòd multum vehemens tri
stitia, non solum excludat lætitiam contrariam, sed etiam aliam quamlibet alienam. & ita
de alijs quoq; iudicandum est, cuius causa aliundè petatur. Altera horum duorum genera-
lissimorum communitas est, suscipere magis & minus. Non quòd actiones aut passiones inten
sionem patiantur aut remissionem, (sunt enim relationes, & proinde partibus integralibus se-
cundum quas illæ accidunr carentes) sed quia concretis vocabulis expressæ, adsciscunt sibi
in prædicando hæc aduerbia magis & minus. Atq; hoc non omnibus conuenit, sed ijs tantũ
quæ comitantur formas quasdam, inrensionem & remissionem, aur incrementum, decremen
tumq; extensionis admittentes, vt sunr, dealbatio, atratio, calefactio, contrifratio, eruditio,
augmentatio, diminutio, seu contractio, & huiusmodi, tam actiuæ q̃ passiuæ. Alijs verò mini-
mè, vt generationi, circulationi, duplationi, subduplationi, triplationi, &c̃. Præter has Ari-
stotelicas communitates, assignat Autor sex principiorum duas proprietates, ambabus actio
ni, inquam, & passioni congruentes, quarum prior est, Actionem & passionem semper esse in
motu, hoc est, cõsequi perpetuò aliquem motum. Posterior verò, quòd actio infert passionem,
& hæc illam. His non est consilium diutius immorari, neq; quid senserit prolixius excutere,
cum non in Porretanum, sed Stagiritam paremus commentarios.

Posterior actionis & passionis proprietas.

Porretanus

De septimo prędicamento quod est vbi.

An relationes vltimorũ p̃dicamẽtorũ habeãt correlatiua

Vna opinio

Secunda.

Tertia.

Quarta.

SEptimi prędicamenti generalissimum, ab Aristotele vocatur Vbi, accepto scilicet aduer
bio loco nominis. Anteaquam autem ad huius breuem declarationẽ procedamus, admo-
nendus est nobis lector, varias de his postremis prædicamentis esse philosophorum opinio-
nes. Plurimi enim purant, relationes horum quatuor vltimorum ordinum non habere sibi
correlatiuas relationes. Et inter hos nonnulli (in quibus est Aquinas) perhibẽt, hasce relatio
nes extrinsecus denominare ea, de quibus prædicantur, vt vbi esse, respectu loci ad corpus cõ
tentum, secundum quem tale corpus dicitur esse in loco. Quando esse relationem temporis
mensurantis secundum durationem, ad rem temporalem mensuratam, a qua huiusmodi res
denominantur esse in tempore, &c̃. Ea autem opinio, quæ tradit, locũ, tempus, & res habitas,
quatenus denominant rem locatam, temporariam, & habentem, esse vbi, quando, & habitũ,
a doctioribus tanquam cruda & indigesta peneq; friuola reijcitur. Alij probabilius has rela
tiones ponunt in rebus locatis, temporalibusq; atq; habentibus, licet secundum eos correlati-
uis destituantur. Multò his omnibus rectius sentire videntur, qui horum prædicamentorũ
habitudinibus suas tribuunt relationes correlatiuas. Si enim est aliqua habirudo locati ad lo
cum, rei temporalis ad tempus, ipsiusq; habentis ad rem habitam. Cur non etiam sit in loco
quædam ad locatum ipsum relatio, in tempore ad rem temporalem, in re habita ad rem ha
bentem? Horum autem correlatiuorum dicunt non meminisse vsquam Porretanum, nec vl-
lum ferè posteriorum, vel quia ea fortè ignorabant, vel quia vno relatiuorum cognito, haud
difficulter agnoscitur reliquum. Diuiditur ergo ab illis vbi, in actiuum & passiuum. Acti-
uum est, secundum quod locus formaliter continet suum locatum, quod nonnunq̃ continẽ-
tia actiua vocatur, hoc est, a quo formaliter quippiam cõtinere dicimus seu plenum esse. Pas-
siuum verò, secundum quod locatum dicitur a loco contineri, quod appellant continentiam
passiuam. Cur autem vbi actiuum & passiuum, eiusdem ponantur prædicamenti, cum tamen
actio & passio diuersas constituant classes, non est huius loci anxiè perquirere. Supponatur
hic, talem prędicamentorum distinctionem non sine ratione, multis retro seculis vnanimi phi
losophorum consensu receptam esse, nisi in illorum descendere placear sententiam, qui om-
nia hæc sub adaliquid collocant. Vtrumq; autem vbi, tam actiuum q̃ passiuum, diuiditur in
compositum & simplex seu indiuisibile. Compositum est, quod consistit inter locatum & cor-
pus aliquod loco contentum. Sunt enim corpora diuisibiliter & circumscriptiuè in loco, quod
est, totum locatum sic esse in loco, vt vna eius pars in vna parte loci sit, & altera pars in altera
parte loci, ita vt partes locati faciant latera continentis ab inuicem distare atq; seiungi. Hoc
modo quantitates corporeę, & substantiæ his inductæ, sunt in loco, atq; istud vocant loco circũ
scribi seu ambiri. Vbi simplex est, secundum quod rem indiuisibilem a loco indiuisibili dici-
mus contineri, vel certè hunc illam continere, vt relatio secundum quam angelus est in lo-
co punctali. Solent species vbi compositi hoc modo assignari, esse in aere, esse in aqua, sed nõ

Vbi compositum,

Vbi simplex

satis exactè, quia per accidens duntaxat dicitur aliquid esse in aere aut aqua, per se autem in loco sursum aut deorsum. Porrò diuersitas specifica ab eo sumitur, quod rei per se competit. Rectius igitur sic assignabuntur, esse in loco sursum, esse deorsum. Nam quemadmodum metimur diuersitatem specificam motuum localium ex huiusmodi locorum diuersitate, sic & ipsorum vbi metiri debemus. Sed obijcitur. relatio ipsius vbi compositi per se & immediatè sequitur locum & quantitatem corpoream loco conclusam, quorum vtrunq; est species specialissima. Ergo etiam vbi compositum erit species specialissima. Responsio. Locus est species specialissima ex principali significato, quia principaliter idem significat quod superficies, iuxta cõmunem sententiã. Sed si consideretur tota eius significatio, vel saltẽ minus principalis, genus est, multas sub se species continens, vt locũ sursum, locum deorsum, a dextris, a sinistris, ante, & retro. Ex quibus sicut sumitur diuersitas specifica motuum localium, sic etiam sumenda est diuersitas ipsorum vbi. Imò si omnia vbi composita eiusdem essent speciei, sequeretur pari ratione, omnes motus locales, saltem rectos, esse eiusdem speciei, quia omnes eundem specie terminum habent, videlicet vbi compositum, quod q̃ sit absurdum apud Aristotelem, nemo est qui ignoret. Neque imaginandum est, locum esse terminum ipsius vbi, solum ratione principalis significati, & ipsius superficiei continentis, sed ratione totius suæ significationis.

Definitiones Porretani, quia plus difficultatis inuoluerent, quàm adferrent lucis, certo consilio omissæ sunt. Subijcit is duas proprietates vbi. Prior est, vbi nihil est contrarium, quod intellige de proprietate logica & per se. Cum enim ad ipsum vbi sit motus localis, omnis autem motus sit inter contraria, oportet vbi aliquo modo contrarietatem recipere. Posterior est, vbi non suscipit magis aut minus. Non enim vna res magis dicitur inesse in loco, q̃ alia. Vtraq; harum tantum est propria secundo modo.

Duo vbi proprietates.

Coordinatio prædicamenti Vbi, secundum eius verè essentialem diuisionem.

Vbi
- Actiuum
  - Compositum.
  - Simplex.
- Passiuum
  - Compositum.
    - Esse in loco sursum.
      - Hoc.
    - Esse in loco deorsum.
      - Illud.
  - Simplex.

QVia octauum prædicamentum, quod appellatur Quando, nihil aliud est, quàm actiua passiuaq; secundum durationem mensuratio, non abs re fuerit, si paucis adnotemus talium mensurarum discrimen varietatemq;. Solet ergo assignari quadruplex mensura durationis rerum diuersarum. Vna dicitur æternitas, quæ est mensura durationis diuinæ, nullo modo nisi cogitatione a deo differens. Et ab hac nullus sumitur respectus huius prædicamenti, vt nec ex præsentia illa, qua Deus omni loco, reiq; secundum essentiam suam præsens est, consequitur aliquod vbi deo competens. Secundam vocant æuum, siue æuiternitatem, quæ est mensura durationis substantiarum incorporearum motui & quieti non subiectarum. Tertia est tempus, quo nos præcipuè vtimur, & de quo frequentior philosophis sermo est. Hoc autem est ens quoddam successiuum, secundum durationem metiens motum & quietem, aliasq; res vt his subiacent, vt hora, annus, lustrum, de quo antè satis dictum est in prædicamento quantitatis. Quarta est instans, vel si malis, momentum, estq; indiuisibile quoddam in tempore, sicut punctum in linea, vt alibi quoq; dictum est. Ab his autem rebus posterioribus mensuris, omissa illa prima diuisione in actiuum & passiuum, sicut de vbi dictum est prius, triplex sumitur quando, quamuis duorum tantum posteriorum meminerit Porretanus, quę nobis sunt vsitatiora, & maximè (vti mox dicebamus) tertium. Quod an species sit specialissima, an non, sed in varias distinguatur species, pro diuersis temporum durationibus (vt recepta habet opinio) parum refert. Quidam sic colligunt. Dies & annus sunt eiusdem speciei, ergo esse in die & esse in anno etiam erunt eiusdem speciei. Verùm hæc collectio valde infirma est, & leui fundamento fabricata, cum ad diuersitatem specificam ipsorum vbi sufficere videatur alia & alia temporis determinatio, quæ per diuersas numerorum species constituitur, vt annus est tempus xij. mensium, dies verò xxiiij. horarum, & sic de cæteris. Quod autem secundum, differentiam præsentis temporis, præteriti, & futuri, diuersas species ipsius quando ponere solent, nobis haudquaquam probatur, qui in decem prædicamentis non entia rationis, sed realia duntaxat agnoscimus. Relatio autem rei cuiuspiam, ad tempus præteritum vel futurum quod non est, quomodo poterit esse realis, & non secundum considerationem tantum? Quòd si quis obiecerit nobis Aristotelem, qui assignãs huius prædicamenti exemplum ait, quando, vt heri,

De octauo prædicamento, quod est quando.

Quadruplex durationis mẽsura

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

 Dicemus

Dicemus, illud heri non relationẽ quampiam, quę nunc ad hesternum diem referatur significare. talis enim nulla est in rerũ numero, sed illã quę heri ad hesternũ diem habebatur, vt qua hesternus motus solis, ab hesterno die mensurabatur, quę vtiq; realis erat. Et idẽ de relatione ad futurum tempus erit iudicium. Nam habent verba pręteriti atq; futuri tẽporis vim quandã ampliandi acceptionem suã, quę non necessariò permutat ipsam significationem principalẽ, vt patet in his, amo, amaui, amabo, quæ omnia eandem rem principaliter designant, nempe amorẽ. Præter eas duas proprietates, quas prędicamento vbi assignauerat Porretanus, assignatur ab eodẽ huic generalissimo hæc tertia. Quando est in omni eo, quod capit esse in tempore.

Coordinatio prædicamenti Quando.

- Quando.
  - Passiuum
    - Esse in æuo.
    - Esse in instanti.
    - Esse in tẽpore.
      - Esse in anno.
      - Esse in die.
  - Actiuum. Et hoc similiter diuiditur.

De nono prædicamento quod est positio siue situs.

Situs naturalis.

SItus seu positio (sunt enim hæc polyonyma) est ordo quidam partium in toto vel loco. Hic duplex est, Quidam naturalis, Alter accidẽtalis. Situs naturalis est ordo partium in toto, nulla habita cõsideratione loci, cõpetens illis a natura, siue ex naturæ præscripto. Vt situs secundũ quem naturaliter caput dicitur sursum in ordine ad alia membra, etiã si fortè homo in caput suũ steterit, pedibus in cœlum porrectis. Situs brachiorũ in vtroq; latere, auriũ in tẽporibus, & ita de similibus. Accidentalis situs, est ordo quidã partium ad inuicẽ, quatenus sunt in loco, non necessariò cõpetens eis a natura. Vt statio, sessio, accubitus, positio manuũ super caput, læuitas, asperitas, &c̃. Huiusmodi situs, licet immediatè partibus competat ad inuicem, frequentius tamen tota ipsa denominare solet. Potius enim dicimus hominẽ sedere, stare, aut tacere, quàm has aut illas partes. Ex his autem patet, si homo erectus stet in pedes, caput ipsius vtrunq; situm sursum ad reliquas partes habere, tam accidentalem, qui attenditur secundum locum, quàm naturalem, qui secundum naturam totius spectatur. Duæ primæ proprietates situs eædem sunt apud Porretanum, quę prius attributæ sunt vbi, & quando. His tertiam subiecit hoc pacto, Magis proprium videtur esse positioni, proximę assistere substantiæ, omnibus quidem alijs formis extrinsecus accidentibus. Quę vtrum congruens haberi debeat & vera, & quomodo interpretanda sit, non est operæprecium hic dissertare.

Coordinatio prædicamenti Situs.

- Situs
  - Naturalis
    - Pedum deorsum.
    - Ventris in medio.
    - Capitis sursum.
    - } Hic, ille.
  - Accidentalis.
    - Sessio.
    - Statio.
    - Accubitus.
    - Situs pedum sursum.

DEcimum & vltimum prædicamentum est habitus, qui a Porretano satis luculenter finitur, corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia, secundum quam hæc quidem haberi, illa verò habere dicuntur. Vndè constat, habitum nihil esse aliud, quàm habitudinem siue respectum quendã corporis, & potissimùm humani, ad ea quibus indutum est vel instructum, aut ediuersò horum ad illud. Quare & hoc prædicamentum, sicut superiorũ nonnulla in actiuum & passiuũ primò diducitur. Diximus, & potissimùm humani. Nã (teste Philosopho) natura cæteris animantibus prouidit de vestimẽtis ac armis. Quibusdam enim sunt pro vestibus pili, hirsutiq; villi, Alijs dura cutis, aut simile quippiam, aduersus violentas aliorum animalium inuasiones. Nonnulla pro armis habent dentes, vt canes & lupi. Alia cornua, vt boues, arietes, capri. Iuxta illud Virgilij. Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Alijs natura vngues tribuit, aut aliud huiusmodi, Vt leonibus, tigribus, miluis. Alijs cursus velocitate salutem quærere dedit. Nihil talium homini a natura concessum est, sed pro omnibus his (quod multò est præstantius) dotatus est ingenio seu intellectu, & manibus, quibus sibi parare queat, quæcunq; corporis sui tuendæ saluti necessaria sint munimenta, a quibus

præsentis

præsentis prædicamenti relationes proueniunt. Nihilominus bruta quoque animalia, nonnunquam ab hominibus eiusmodi vel ornantur, vel armantur indumentis. Vt equi phaleris & babbatis, simiæ tunicellis, cercopitheci bardocucullis, canes torquibus, &c. Diuidi autem consueuit habitus in habitum ornamenti, quo quippiam habere dicitur ornatum quendam, quomodo plurima habent mulierculæ & diuites, præsertim aulici, qui (vt inquit quidã poeta) sua caudato vestigia syrmate verrunt, Et indumẽti, quo quid habet indumentum aliquot, ad conseruationem defensionemve corporis ab extraneis nocumentis ordinatũ. Atque hic in domesticum, & militarem seu bellicũ distrahitur. Exempla patent in tabula huius seriei. Porretanus habitũ diuidit, in habitum secundum partem, qualis est pileatio, calceatio. Et secundum totũ corpus, vt sunt vestitio, armatio, &c. Exactius autem disquirere, an essentialiter inter se tales habitus differant, & alia quædam eodem spectantia, nihil aut perparum vtilitatis potest adferre logicis. Ex superioribus ergo satis manifestum est, non esse habitum hic idẽ quod possessionem, quomodo domini vestes cistis inclusas etiam habent, sed relationem quandam ad vestes aut arma, vel ornamenta certis suis modis corpori applicata, accõmodataque, etiamsi non propria sint ipsius habentis. Neque enim minus aut ornat, aut calefacit vestis aliena, quàm propria, secundum illud Satyrici de duobus causidicis. Conducta Paulus agebat Sardonichę, atque ideo pluris q̃ Cossus agebat, Neque calceatum quempiam dixeris, si calceos sub lecto repositos habeat, aut manibus eos deferat, interim nudipes incedens. Inter modos ergo habẽdi posterius ab Arist. assignatos, cum diuo Thoma tantum tertium & quartum in hanc classem recipimus, reliquis alias sibi sedes quæsitum missis. Tres ponuntur a Porretano habitus proprietates. Prima est, habitui nihil est contrarium. Secunda, habitus suscipit magis & minus. Equitem enim armatum, plus dicimus armatum esse, q̃ peditem armatum. Addit tamen, hanc non conuenire vestitioni. Quòd q̃ sit consentaneum, non vacat nunc examinare, sicut nec tertiam eius proprietatem. Proprium est habitui, in pluribus esse.

Habitus proprietates.

Coordinatio prædicamenti Habitus.

- Habitus
  - Ornamentum.
    - Annulatio.
    - Coronatio.
    - Redimitio mitræ.
  - Indumentum
    - Domesticum
      - Pileatio.
      - Tunicatio.
      - Indusiatura.
      - Calceatio.
    - Militare.
      - Loricatio.
      - Galeatio.
      - Gladij accinctio.

In tertij tractatus libri prædicamentorum primi capitis primam partem, considerantem de quadruplici rerum aut terminorum oppositione, scholia.

Quoties aũt alterũ alteri dicit̃ opponi.

Tertio tractatu huius libri tradit Aristoteles notitiam quorundam, quæ appellantur postprædicamenta. Licet enim Andronicus (teste Boetio) opinatus fuerit, hanc partem Aristotelis non esse, Porphyrius tamen cum reliquis veteribus, in opposita est sententia, a quibus leuiter dissentire, vanitatis magis aut insaniæ extremæ, q̃ inscitiæ videtur esse. Et sanè ad pręsentis operis complementum consummationemque desiderabatur, vt sicut ante prędicamentorum doctrinam viam struxerat, breuiter propositis ijs, quę veluti principia & fundamenta quædam erant iacienda, & postea singula ferè genera cum suis speciebus & proprietatibus recensuit. ita postremò nonnulla, quæ omnia vel multa prædicamenta consequũtur, exponeret. Ea præcipuè sunt quinque. Oppositio, prius, simul, motus, & habere, quibus plura alia addere, nullum nefas putauerimus, sed nostri instituti non est, aliorum præter hæc quę ab Aristotele sunt posita, declarationem persequi. Vt igitur ab oppositione auspicemur, in primis cum Arist. monendum duximus, non esse nobis hic sermonem de ea oppositione, quæ inter propositiones consistit, de qua in primo Peri Herm. sed tantum de oppositione incõplexorum simpliciumque, siue rerum, siue signorum. Nam quod cauillãtur quidã recentiorsi, hanc propositionem (non oppositum est oppositum) non esse concedendam, nisi subiecto materialiter sumpto pro voce, non autem significatiuè pro ipsa re, ne fateri cogantur, rem hoc infinito nomine significatam oppositam esse & non oppositam, friuolum est ac sophisticum, illudẽs nobis

Postprędicamentorũ numerus.

nobis in diuersa acceptione huius vocis (non oppositum) Nam cum dicitur, nõ oppositum esse oppositum, subiectum simpliciter sumitur pro re primò significata, eo modo quo dicimus animal esse genus. In qua acceptione, sicut fatendum est, quòd non oppositum sit oppositum, sic rursus negandum est, quòd non oppositum sit non oppositum. Nam licet videatur idem enunciari de seipso, enunciatio tamen falsa est, quia subiectum simpliciter sumitur pro re primò significata, Prædicatum verò personaliter pro denominatis, si quæ tamen habeat.

Oppositio quadruplex

Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, Relatiuè, Contrariè, Priuatiuè, Contradictoriè, vt pater & filius, album & nigrum, visus & cæcitas, homo & non homo. Cæterùm an hæc quatuor genera vniuocè dicantur opposita, disputant commentatores. Albertus & eius discipulus B. Thomas arbitrantur, oppositionem analogicè de his quatuor generibus dici, ob id vel maximè, quòd Aristoteles non definitiuè aut descriptiuè, sed diuisiuè incipit de oppositis tractare, dicens. Quotiens alterum alteri dicatur opponi, &c. Illud enim quoties ad multiplicitatem aiunt pertinere æquiuocationis. Atq; primum quidem & principale oppositionis significatum ponunt contradictionem ipsam, eo quòd eius extrema in nullo penitus conueniant, summéq; diuersa sint: secundo loco priuatiuam oppositionem statuunt, tertiò contrariam, & quartò relatiuam. Vndè & rationem ordinis, quo ab Aristotele tractatę sunt, assignant, quòd ab imperfecta minimaq; oppositione, gradatim ad summam & maximã progredi intenderit, vt latius declaratum inuenies apud Caietanum. Aduersam sententiam cum plurimis alijs fouet Seuerinus Boetius, qui proposita hac ipsa quæstione, & præmissa adducta aliorum ratione, sic tandem suam ipse profert censuram. Sed qui melius (inquit) iudicauère, oppositionis nomen generis loco dicunt poni debere, idcirco quòd quum nomen oppositionis de subiectis quatuor oppositionibus prædicetur, ab his quoq; definitio non aberret. Sunt enim opposita, quæ in eodem, secundum idem, in eodem tempore, circa vnam eandémq; rem, simul esse non possunt. Quod per singula quæq; pergentibus, in singulis oppositis inuenitur. Namq; album & nigrum, quæ sunt contraria, vno eodemq; tempore, circa vnum idemq; corpus, partemque corporis simul esse non possunt. Nec seruus atq; dominus, eiusdẽ, eodem tempore, idem seruus idem dominus est. Nec habitus & priuatio. Quis enim dicat in eodem oculo, vna eodemq; tempore, & visum posse esse & cæcitatem? Iam verò affirmatio & negatio, q̃ repugnantes sint, quamq; in eodem simul esse non possunt, nulli dubium. Quare si ea quæ sub oppositione ponuntur, oppositionis nomen definitionemq; suscipiunt, quid est dubium, oppositionem non æquiuocè prædicari? Hactenus ille. In cuius sententiã omnes Neoterici ferè descendunt, excepto quòd non eodem modo quo ille, opposita putant esse definienda. Illius enim definitio latius patere videtur, q̃ hic accipiuntur opposita, conueniens etiã homini ac equo, albo & rubro, & similibus quibusdam, nullo oppositionis genere comprehensis, quæ disparata vulgò vocantur, quasi dicas dissepara ta, siue (vt Rodolphus Agricola primo libro Inuentionis dialecticæ appellat) differentia, quæ licet repugnare inuicem dicuntur, non tamen opponi. Neq; enim omnino idem sunt, repugnantia & oppositio (teste eodẽ Rodolpho) sed hæc, illa minus est communis. Repugnant enim quęcunq; de eodem singulari simul prædicari nequeunt, vt homo & equus, album & nigrum. Opponuntur verò ea sola, quę maximè distant, id est, quæ propria quadam & peculiari ratione inter se pugnant, sic vt neutrum ipsorum æquè vel magis repugnet alicui tertio eiusdem rationis cum eo, cui repugnare dicitur, vt pater & filius, albedo & nigredo, visus & cæcitas, homo & non homo.

Rodolphus Agricola.

Repugnãtia

Opposita.

Dixi (eiusdem rationis) quia fieri potest, vt alterum oppositorum æquè vel magis repugnet alicui tertio alterius rationis, vt album magis repugnat non albo, q̃ nigro, sed non albũ non est eiusdem rationis cum nigro. quia alterum est finitum & absolutum, alterum verò infinitum. Similiter etiam scientia non minus fortè repugnat ignorantiæ quàm scibili, sed ignorantia nõ eadem ratione comparatur scientiæ, qua scibile. quia alterum comparatur vt correlatiuum, alterum verò vt absolutum. Sed obijcitur. Pater & filius sunt opposita, & tamen non repugnant inter se, quia dicuntur in eodem homine, ergo non oportet omnia opposita inter se repugnare. Secundò, hæc albedo huic nigredini opponitur (est enim ei cõtraria) & tamen eodem modo quo huic, etiam illi nigredini repugnat, ergo oppositorum definitio non videtur rectè tradita. Ad priorem obiectionem, iuxta sententiam Alberti & Thomæ, videtur respondendum, concedendo illatum, quia hi putant, oppositionem relatiuam consistere non in repugnantia circa idem subiectum, sed in mutua ipsorum relatione ad se inuicem, siue de eodem dicantur siue non. Iuxta Boetium verò dicendum est, non oportere omnia opposita simpliciter & absolutè inter se repugnare, sed sufficit, vt quæ absoluta sunt, absolutè

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Ad priorem obiectionẽ.

absolutè repugnent, ac nullo modo de eodē simul dicantur. Quę verò relatiua, relatiuè, id est, sic vt non dicantur de eodē respectu eiusdem & eadē ratione. Ad alterā obiectionē respondendū est. Definitionem aliā assignari de ijs dūtaxat, quibus primò & immediatè cōpetit oppositio, qualia nō sunt hęc albedo & hæc nigredo, sed horū species albedo & nigredo. Aut si omnibus accōmodanda est definitio, addere oportebit hoc aut simile supplementū, vel quæ sub talibus cōtinentur, &c. Er eodē modo soluenda est obiectio de virtutibus, quæ diuersis vtrinq; vicijs opponi dicuntur contrariè. Item de quibusdā generibus, quæ ratione suarū specierum dūtaxat opponuntur, vt virtus & vitium, scientia & ignorantia, naturalis potentia & impotentia, sensibilitas & insensibilitas apud Arist. lj. Topicor. Quę autem non habent repugnantiam tantam, vt singulari quodā & proprio dissideant discrimine, sed vtrumq; eorum, aut alterum cum alio quopiam tertio eiusdem rationis æquè vel magis repugnet, dicuntur disparata, vt homo & equus, albedo & viror. tam enim homo repugnat boui quàm equo, & albedo rubori quàm virori. Vndè & definiri solent disparata esse, quæ cum nullo oppositionis genere opponantur, de eodem tamen prædicari nequeunt. Oppositio autem (vt verbis Rodolphi vtamur) certioris cuiusdam & acrioris pugnantiæ est nomen. Sed iam ad singulas oppositionum species veniamus. In primis ergo relatiuè oppositorum hanc tradit Arist. descriptionē. Relatiuè opposita sunt, quæ ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad ea. Quæ satis manifesta est ex priore definitione adaliquid superius interpretata, cui prorsus eadem est, dempto quod loco aliorum, dicitur hic oppositorum. Pro huius oppositionis intellectu notandum est, duplicem esse de natura seu ratione relatiuę oppositionis inter philosophos opinionē. Caietanus sequens vestigia magistri sui Aquinatis, ponētis oppositionem analogam esse ad quatuor oppositionis genera (vt superius dictum est) tradit relatiuam oppositionem in hoc consistere, quòd ad seinuicem referuntur, siue q̃ vnum ex aduerso respicit alterum, non quia de eodem simul nequeant prædicari, vt pater dicitur relatiuè oppositus filio, & ediuersò filius patri, quia contra inuicem sunt posita, sic vt inuicem necessariò respiciant, non autem quia eidem respectu eiusdem conuenire non possunt. Hoc enim nō sequitur per se, naturam relatiuæ oppositionis, sed tantum per accidens, quatenus contradictione nonnihil participat, ad quam tanq̃ principale analogi significatum, cætera opposita quādam habent reductionem atq; proportionem. Declarat ergo secundum hos ista descriptio, quam hic protulit Arist. optimè naturam relatiuè oppositorum, in quantum talia sunt. quoniam explicitè dicit, in quo consistat eorum relatiua oppositio, nempe in hoc, quòd ad seinuicem referuntur. His consonant duo singularia discrimina, quibus secundum Aquinatem in septima quæstione de potentia Dei, articulo octauo, separantur relatiuè opposita a reliquis. Prius est, quòd cæterorum oppositorum semper alterum ideo oppositi rationem habet, quia alterius negatio est, vel negationem secum trahit. Negatio autem omnis per affirmationē innotescit. Contradictoriè quidem & priuatiuè oppositorum alterum, negatio est. Contrariorum verò alterum est vt priuatio, sicut dicitur quinto metaphysicæ. Sed oppositorum relatiuè, vt talia sunt, neutrum alterius est destructio, quin potius ex hoc quòd opponuntur, sese mutuò ponunt, non tollunt. Quare etiam non absolutè & simpliciter opposita, sed relatiuè opposita dicenda sunt. Alterum est, quòd cæterorum oppositorum alterum se habet vt imperfectum respectu alterius, vt patet intuendo singula. Relatiuè autem oppositorum vt huiusmodi sunt, neutrum altero perfectius esse oportet, quoniam in quantum res aliqua ad aliud est, nec perfecti nec imperfecti (vt ille ait) rationem habet. Alij autem Boetium, autorē vniuocationis ipsius oppositionis, imitantes, putant relatiuè opposita ex hoc habere oppositionem, quia non compatiuntur seinuicem in eodem respectu eiusdem. Nō temerè enim factum esse ab Aristotele credunt, quòd quum in definitione adaliquid positum sit, dicuntur aliorū, hic mutato nomine & significatu posuerit, dicuntur oppositorum. Impossibile est siquidem, eundem esse patrem & filium eiusdem, aut duplum & dimidium, & sic de alijs relatiuè oppositis. Nam agens & patiens, intelligens & intellectum, & alia similia, licet eidem respectu eiusdem simul conuenire possunt, non tamen secundum idem, id est, secundum eandem partē immediatè, & eadem ratione. Alia est enim in eo quod in se agit, vel seipsum intelligit, agendi ratio, alia patiendi. Secundum hos ergo præsens Aristotelica descriptio non declarat, in quo consistit relatiuè opponi, sed est potius regula quædam vtilis ad cognoscendum relatiuè opposita, docens ea semper esse correlatiua ad inuicem. Talia enim sola sunt opposita, quæ nō permittunt se simul in eodem, & cæt. Est ergo potius notificatio quædam, ostendens quę nam sint ea quę relatiuè opponuntur, quàm definitio, explicans, quid sint, in quantum huiusmodi.

Ad secundā obiectionē.

Disparata.

Quę relatiuè opposita

Duplex de relatiuè oppositorū natura opinio. Vna.

Secūda opinio, quę est Boeth. & sequacium.

Atq; hi

Atq; hi more Aristotelis aliorumq; ferè omnium doctissimorum, relatiuè opposita assignant communiter atq; simpliciter patrem & filium, duplum & dimidium, amicum & amicum, & sic de alijs, nulla adhibita determinatione huius vel illius, ad quorum repugnantiam satis esse dicunt, si non dicantur simul de eodem respectu eiusdem. Quum sequitur in litera, contraria verò, ea ipsa quidem, &c. separat Philosophus ea quæ sunt cōtraria, a relatiuè oppositis, dicens illa secundum ea ipsa quæ sunt, siue per se, non referri adinuicē, hoc est, sub proprijs nominibus, sed tantū per accidens sub nomine contrarietatis. Sicut Achilles & Hector non referūtur secundum se adinuicem, sed sub nomine hostium. Non enim dicitur Achilles Hectoris Achilles, aut e diuersò, sed sui inuicem dicuntur hostes. Quum ergo relatiuè opposita, sui ipsorum gratia, siue sub proprijs vocabulis eorum naturam significantibus, oporteat ad inuicem referri secundum habitudinem alicuius casus, manifestum est, contraria a relatiuè oppositis differre. Similiter autem & priuatiue opposita & contradictoria, a relatiuè oppositis separāda sunt. Cautè autem adiecit Aristoteles, ea quæ contraria sunt per se, non referri adinuicē. Nam ad alia nonnunq; referūtur, vt virtus & vitium quæ sunt contraria, quum sint etiam ad aliquid secundum dici, necesse est ipsa, ad aliqua correlatiua referri posse. Verùm non protinus adinuicem dicentur, sed virtus quidem ad studiosum, vitium autem ad vitiosum. Idem quoq; euenit in scientia seu disciplina (quæ exempli gratia in textu allata est) & ignorantia.

Boni maliq; acceptiones De bono autem ac malo, quæ hic & alibi nonnunquam assignantur tanquam quædam contraria. Notandum est obiter, ipsa propriè accepta magis esse priuatiuè opposita. Significat enim bonum perfectionem quandam, malum verò eiusdem priuationem. Sed quum pro cōtrarijs ponuntur, accipienda sunt, vt eadem prorsus sint cum virtute & vitio, aut operatione studiosa & praua, aut intelligendus est Arist. loqui ex sententia Pythagoricorum, qui hæc asserebant esse prima contraria. Secundum oppositionis genus est, contrarietas. Non definiuit autem Aristo. continua descriptione quænam sint contraria, sed ex multis eius in diuersis passibus dictis, veluti frustulamentis quibusdam consarcinatis, conficitur hæc contrariorum definitio.

Cōtrariorū descriptio. Contraria sunt opposita, quę posita sub eodem genere, maximè ab inuicem distant, eidem subiecto susceptibili insunt vicissim, a quo mutuò se expellunt, nisi alterum insit a natura. Definitum sumendum est propriè, pro ijs quæ per se cōtraria sunt contrarietate logica. De physicis enim contrarijs largè aut strictè sumptis, quæ frequenter aut disparata sunt, aut priuatiuè opposita, nihil hic agitur. Per genus definiti exclusa sunt a definitione omnia disparata, & quæcunq; eadem sunt, seu de eodem prædicantur, vt homo & equus, homo & animal. Secunda definitionis particula (quæ sub eodem genere, &c.) intelligēda est de genere logico proximo aut remoto, siue id fuerit prædicamentale siue non. Inprimis enim, quædam contraria impossibile est contineri sub eodem genere moris bono aut malo, sed oportet ea contineri sub diuersis generibus moralibus, vt sunt iustitia & iniustitia, temperantia & intemperantia, &c. vel ipsa esse diuersa genera moralia, Vt sunt virtus & vitium, de quo latius in sequentibus. Hæc autem omnia sub eodem genere sunt logico, vt pote habitu & qualitate. Deinde contrariorum quædam ponuntur sub eodem genere proximo, vt calor frigus, humiditas siccitas, sub qualitate tangibili, albedo & nigredo sub colore, dulcedo & amaritudo sub sapore. Alia verò etiam quæ non sunt moralia, sed naturalia, tantum sunt sub eodem genere remoto, vt salubritas & duricies videntur immediatè contineri sub naturali potentia, insalubritas & mollicies, quę illis contrariantur, immediatè sub naturali impotentia, quibus mediantibus continentur sub naturali potentia vel impotentia, tanquam vno genere remotiori. Deinde tertiò contrariorum quædam sunt prędicamentalia, hoc est, directè attinentia ad aliquod prædicamentorum, vt sunt omnia ea quæ iam enumerauimus. Alia sunt non prædicamentalia, vt motus ignis sursum, motus terræ deorsum, calefactio & frigefactio, generatio & corruptio, & alij huiusmodi motus, qui ponuntur sub eodem genere non prædicamentali, motu videlicet locali, alteratione, & motu ad substantiam, iuxta vulgarem opinionem. Quòd si quis contenderit secundum ea quæ prius diximus in prima proprietate qualitatis, hosce motus tantum esse contrarios contrarietate logica per accidens, non autem per se, accipi poterit genus tantum pro genere prædicamentali. Hac parte definitionis, quæ desumpta est ex Aristotele circa primam proprietatem qualitatis, secluduntur in primis omnia contradictoriè & priuatiuè opposita, eo quòd horum alterum perpetuò fit nō ens, aut simpliciter, aut secundum quid, quod non potest contineri sub aliquo genere. Sub nullo igitur eodem genere continebuntur priuatiuè, & contradictoriè opposita. Reducuntur tamen quodammodo & priuationes & negationes ad ea prædicamenta, quorum sunt habitus

& res

& res negatę sibi respondētes. Insuper secundò eadē particula excludit differentias & formas substantiales, vt rationalitatē & irrationalitatem, sensibilitatē, & insensibilitatem, formā aquæ & ignis, quæ conceduntur esse species prædicabiles tantùm, sub nullo genere contentæ, & contrariari sibi mutuò cōtrarietate physica. Si autem aliquæ formæ substātiales concedātur sub eodē genere contineri, vt forma equi, & forma leonis, sub anima sensitiua, tales facilè excludētur per genus definiti. Non enim inter eas est certa illa & peculiaris repugnantia quā requirūt opposita. Sequens autē definitionis particula (maximè ab inuicem distant) quem sensum habeat, & cur superlatiuus ille (maximè) affirmatiuè sit exponendus, satis colligi potest ex ijs quæ circa definitionem oppositorum sunt dicta. Nam negatiuè loquendo possent plura eiusdē rationis ab eodē maximè distare. Sed hic obseruandum est, distantiam de qua est sermo non esse localem, id est, secundum locum aut situm sumendam, sed secundum repugnantiam propriæ naturæ. Hinc excluduntur loca maximè sursum & maximè deorsum, quæ ratione propriæ naturæ, hoc est, inquantum sunt superficies corpora continentes, nō repugnant. Hinc etiam constat, calorem remissum & frigus remissum esse contraria, quemadmodum calor intensissimus & frigus summū, quia hęc ab alijs tantùm differunt intēsione maiore, non autem natura specifica. Contra hanc particulā occurrit obiectio. Quòd virtutes penè omnes collocātur tanquam media quędā inter duo vitia extrema, quorū vtrilque virtutes mediæ contrariæ dicuntur, vt liberalitas media ęst inter prodigalitatem & auaritiam, vtrique tamen contraria dicitur. Id autem quod medium est, non maximè distat ab extremis, sed extremorum inter se est maxima distantia, vt docet Aristot. cap. 8. secundi Ethicorum. Imò & ipsum medium ferè longius distat ab vno extremo q̄ a reliquo, vt eodem loco docetur. Ad hanc obiectionem respondendum est. Duplicia esse contraria, quædam primaria & adæquata, & album & nigrum, liberalitas & illiberalitas, prodigalitas & auaritia, quæ proprijssimè sunt contraria, de quibus 10. Metaphysicæ dicitur, quod vnum vni est contrariū, & hæc necesse est maximè a se distare, sicut ibi ostenditur. Alia verò esse secundaria & minus propriè dicta, quæ ob id duntaxat contraria dicuntur, quia ad prima reducuntur. Et hæc reperiuntur in triplici genere. Nam quędam sunt genera continentia sub se species contrarias, vt virtus & vitium, scientia & ignorantia, naturalis potentia & impotentia, quæ ratione sui quidē non sunt contraria, cum simul de eodē subiecto prædicentur, sed ratione suorum inferiorum, liberalitatis & illiberalitatis, grammaticæ & ignorantię grammatices, salubritatis & insalubritatis, quæ sunt primò & per se contraria. Alia verò sunt inferiora contrariorum, vt hæc albedo, & hæc nigredo, de quibus supra. Et tertiò sunt quædam, quorum alterum est extremum, alterum verò inferius sub reliquo extremo contentum, vt liberalitas dicitur auaritiæ contraria, quia est primò & per se contraria illiberalitati, tanquam extremo sub quo continetur auaritia. Perinde ac si quis dicat, albedinem huic nigredini esse contrariam, quia primò & per se contraria est nigredini sub qua continetur hæc nigredo. Quòd si roges, vndè constet liberalitatem & illiberalitatē potius esse extrema maximè a se distātia, q̄ liberalitatem & auaritiā. Respondendū est, id hoc indicio maximè deprehendi. Nam si a liberalitate recedas, necesse est vt illiberalitati vicinior fias, & contra. non autem auaritiæ. cùm simul a liberalitate & auaritia recedere liceat, accedendo ad prodigalitatem, quæ est alterum extremum auaritiæ oppositum. Porrò, licet hæc tria genera non sint primò & per se contraria, nec sub definitione contineantur, nisi fortè supplementum addere velis ex eorum declaratione conflatum, tamen passim ab Aristotele recensentur inter cōtraria, vt ex sequentibus patebit, Estque de ipsis longè alia ratio habenda, q̄ de contrarijs per accidēs, quę in duplici potissimum genere reperiūtur. Nam quædam dicuntur contraria per accidens, quia ipsis accidunt contraria per se, vt ignis & aqua, superficies alba & superficies nigra. Quædam verò, quia ipsis mediantibus acquiruntur ea quæ verè contraria sunt, vt calefactio & frigefactio, siue actiones, siue passiones, siue etiam motus designent. Penultima pars (a quo se mutuò expellunt) significat tantum contraria nō admittere sese simul in eodem secundum eandem partem, præsertim in gradibus intensis. Nō enim omnibus contrarijs inest quædam vis, qua vnum tanq̄ quædam qualitas actiua, pellat alterum e subiecto susceptibili, ac corrumpat. sed id competit ijs solum, quæ actiua passiuaque ad inuicem a physicis appellantur, vt sunt calor & frigus, humiditas & siccitas, quæ vocantur primæ qualitates, & fortasse quædam etiam aliæ, iuxta illud Nasonis.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Cæteris autem id non conuenit, vt albedini & nigredini, vel dulcedini & amaritudini, &c.

Obiectio.

Responsio. Duplicia cōtraria.

Triplicia cōtraria minùs propriè dicta.

Dicunt tamen nonnulli, omnia contraria ab eodem ſubiecto actiuè ſeinuicem expellere, ſecundum ſe, vel ſecundum ſuas cauſas. Verùm id quod priori loco dictum eſt, congruentius apparet Ariſtoteli. Hęc definitionis pars a contrarijs ſeparabit pleraq; relatiuè oppoſita, ſecundū duas priores de his opiniones, vt patrem & filium, duplū & dimidium, & ſimilia. Quòd ſi qua reſtabunt, quę hac particula non ſatis videbuntur excluſa, vt maritus & vxor, dominus & ſeruus, creator & creatura, eā per pręcedentem excludere licebit, quia non inſunt eidē ſuſceptibili viciſſim. Neq; eſt quòd confugias ad exceptionem in fine adiectam, niſi alterum, &c. quia in primis conſtat, eā in marito & vxore, dominoq; & ſeruo, locum non habere. Sed nec in reliquis duobus habet locū, quia nulla relatio a natura cuiq; ineſt, eo ꝙ in relationibus nudis, nihil perfectionis poſitū ſit (vt antè ex ſentētia Thomæ dictum eſt) quare nullum ſubiectū ad eas naturaliter eſt inclinatum. Nam quòd corpora grauia deorſum mouentur ſecundū inclinationem naturę, non iā eſt propter relationem, quæ ponitur terminus per ſe motus localis, ſcilicet vbi paſſiuum, quàm virtutem conſeruatricem ipſorum grauium, a cœleſtibus illis corporibus in infima orbis parte productam. Qui nolet ſe his difficultatibus immergere, dicat, per genus in definitione contrariorum intelligi, non quodlibet genus, ſed tantùm quod abſolutum eſt. Sub tale enim nunq̃ inuenientur relatiuè oppoſita, in quantum huiuſmodi. Id verò quod vltimò ponitur, niſi alterum, &c. referendum eſt, non ad penultimam particulam immediatè præcedentē, ſed antepenultimam. Omnia namq; contraria ſine vlla exceptione ſeſe mutuò expellunt modo prædicto. Verùm non omnia viciſſim inſunt eidem, ſed tum ſolum, quando neutrum a natura, hoc eſt, naturaliter & inſeparabiliter ineſt ſubiecto. Quare nō oportet, calorem atq; frigus viciſſim ineſſe igni, quum horum alterum igni inſeparabili quodam naturæ nexu inhęreſcat. Similiter iudicandum eſt, de paritate & imparitate reſpectu numerorum, quas Ariſtoteles in contrarijs numerauit, licet quidam dubitent, an vera germanaq; contraria exiſtant, quæ non alicui ſaltem ſubiecto viciſſim ineſſe deprehenduntur.

Cōtrariorū diuiſio ī immediata atq; mediata.

Quę ſunt īmediata.

Definitionis cōtrariorū immediatorū explicatio.

Diuiſio contrariorum, quam latenter inſinuat textus, hæc eſt, Contrariorum alia immediata ſunt, alia mediata. Immediatorum hæc eſt definitio. Contraria immediata ſunt contraria, quorum in quibus nata ſunt fieri, vel de quibus prædicantur, alterum ineſſe eſt neceſſarium. exempla ſunt in litera. Antecedens relatiui (quibus) intelligendum eſt vniuerſaliter accipi, vt ſit ſenſus, in quibus nata ſunt, & cæt. id eſt, in quibuſcunq;, &c. vel potius in quocunq;, mutato plurali in ſingularem numerum. Nam alioqui definitio competeret calori & frigori. Horum enim neceſſè eſt alterum ineſſe aliquibus, in quibus nata ſunt fieri, vt igni & glaciei vel niui, ſi hęc ſpecie differant ab aqua. Particulæ illæ duæ, in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicantur, idem pollent, niſi quis priorem dixerit poſterioris cauſam explicare, & illam quidem formis contrarijs abſtractim, hanc verò concretim ſignificatis congruere, ad quod nobis videtur Faber in ſuis annotationibus alludere. Addimus, ꝙ ſecunda priorem quodam modo videtur reſtringere. Nonnullis enim ſubiectis inſunt formę, de quibus tamen non protinus prædicātur, vt patebit in initio ſecundi Topicorum. Quare melius in Boetiano codice copulatiua coniunctione connexa videbuntur, oſtenderetq; ſecunda particula calorē & frigus, licet fortaſſè omni ſubiecto alterius ſuſceptiuo inſint, (vt eſt eorū ſententia, qui teporem non veram qualitatem mediam inter frigus & calorem ponunt, ſed quoddā ex his remiſſis aggregatū) non tamen eſſe contraria immediata, quia non de omni ſubiecto ſuſceptibili, alterum ipſorum prædicatur. Aquam enim, cū tepida eſt, neq; calidam neq; frigidam dici cōſtar, ſed de his fortaſſè plus ſatis. Vt autem contraria duo, in aliquibus ſubiectis fieri dicantur, non neceſſarium eſt, vtrunq; eorum, vnicuiq; talium ſubiectorum poſſe ineſſe, ſed ſufficit, vnum in vno ſubiectorum, & alterum in altero recipi poſſe. Id quod manifeſtum eſt ex pari & impari, quæ in exempla adducuntur ab Ariſtotele. Accuſatiuus (alterum) accipitur non determinatè, ſed confuſè, ſiue id fiat virtute modi (neceſſarium) qui vniuerſalem quandam vim obtinere dicitur, ſiue ratione diſtributionis, latenter cōtentæ in illa particula In quibus, &c. id eſt, in quibuſcunq;, ſicut mox dicebatur, aut vtriuſq; ratione. Hinc non eſt exigendum certū quoddam idemq; contrarium immediatum, quod neceſſariò inſit ſubiecto ſuſceptibili. Verùm talia aliorſum ſpectant. Iſta autem neceſſitas, de qua nunc loquimur, intelligenda eſt, tantum ſuppoſita exiſtentia ſubiecti ſuſceptibilis, non autem ſimpliciter & abſolutè, vt perſpicuum eſt rem expendenti, & ab Ariſtotele in ſequenti textu indicatur. Quòd ad exempla literæ attinet, notandum eſt, ſanitatem ab omnibus definiri, conuenientem proportionem quatuor qualitatum primarum, vel quatuor humorum in corpore animalis, ita vt animal ipſum habile ſit & promptum, ad ſibi naturales exequendum operationes. Quæ quidem

Faber.

Boetius.

Quid ſanitas.

definitio

definitio secundum causalem prædicationem, non autem formalem intelligi debet, sicut cum dicunt, iram ebullitionem esse sanguinis circa cor. Aegritudo autem dupliciter sumitur. Primò pro quantumlibet exigua talium qualitatum in corpore animalis disproportione, seu intemperie. Secundò pro insigniori magisque perceptibili earundem qualitatum disproportione, seu mala crasi, manifestam scilicet læsionem, atque dolorificum sensum faciente in animali. Priori modo sumit Aristoteles ægritudinem, quum dicit, ipsam atque sanitatem esse contraria immediata. Posteriore modo de ea loquuntur medici, dicentes inter sanitatem & ægritudinem mediū intercidere, quod appellant neutrum, quū videlicet animalis qualitates naturales, humores, aut huiusmodi aliqua, lapsa sunt ac desecerunt, sed apertā manifestāq; non præferunt læsionem, quam neutralem dispositionem, si sequetur morbus, ea (vt inquit Faber) assimulatur vicino nocti crepusculo, si sequetur infirmitas, affini diei crepusculo. Neq; ergo Aristoteli medicos repugnare dicemus, Neq; medicis Aristotelē, qui & ipse summus fuit medicus, & medici Nicomachi filius, sed alia significatione vocis vsum, q̄ plerosq; aliorum medicorū.

Ægritudinis duæ acceptiones.

Faber.

Par numerus ab Arithmeticis definitur, qui in duo æqua diuidi potest, vt 2.4.6.10. Impar verò, qui non potest diuidi in duo æqua, vt 3.5.7.9.11.13. Abundans & perfectum, quæ in nonnullis leguntur exēplaribus, non habet Boetij trāslatio, aut græcus codex, neq; eorum hic meminit Commentator. Quia tamen alibi nonnunq̄ apud Aristotelem eorum mentio solet incidere, non grauabimur paucis aperire quidnam sint. Albertus itaq; sumere videtur perfectū & abundans pro pari & impari, licet ratione hæc ipsa fortassis discerneret. Dicitur namq; numerus impar (secundum eum) abundans, eo quòd diuisus in duas partes æquales, vnitatē habet interiacentem, quod numero pari certum est non conuenire. Alij accipiunt abundans & perfectū, vt significēt qualitates quasdam quartæ speciei numeris cōpetentes, sumaturq; abundans loco, sui superioris, scilicet imperfecti, vt etiam sub se comprehendat diminutum. Est enim omnis numerus perfectus aut imperfectus. Imperfectus autē vel abundans vel diminutus est. Numerus perfectus dicitur, cuius omnes partes mensurantes simul sumptæ, ipsum adæquatè reddunt seu efficiunt, vt 6. & 28. & 496. Senarij quidē partes metientes sunt, 1.3.2. quæ simul iuncta senarium absoluunt. Ea pars mensurare dicitur totum, quæ aliquoties accepta ipsum totū adæquatè constituit, vt 3. mensurant 6. nā bis 3. sunt 6. 7. mensurant 14. quia bis 7. sunt 14. Item 7. metiuntur 21. quia ter 7. sunt 21. & ita de reliquis. Vndè patet, quòd omnis numerus mensuratur vnitate, & solus ac omnis par numerus binario. Numerus abundans est, cuius partes metientes simul sumptæ reddunt maiorem numerum suo toto, vt 12.20.24. Sunt enim omnes hæ partes metientes duodenarij 1.2.3.4.6. quæ simul collecta efficiunt numerum 16. maiorem indubiè duodenario. Ille diminutus est, quem omnes suæ partes mensurantes simul acceptæ non possunt reddere, sed minorem creant numerum, vt 2.3.5.7.11.13. hos enim sola metitur vnitas. Item 4.8.9.15. &c. quos licet non sola mensuret vnitas, vniuersæ tamen eorum partes mensurantes, non valent ipsos adæquatè reddere. Mediata autem cōtraria sunt, quorum non est necesse alterū inesse ijs omnibus, in quibus nata sunt fieri, vel de quibus prædicantur. Quæ definitio satis manifesta est ex supradictis. Ex quibus patet, mediata cōtraria appellari, eo quòd inter ipsa aliquod subiectum susceptibile mediū reperitur, de quo neutrum prædicetur, vt inter album & nigrum, medium est lignum viride: inter calorem & frigus, aqua tepida. siue tepor ipse forma quędā sit media inter illa, siue quoddā ex illis aggregatū. Inter iustum & iniustū, puer aut stolidus homo. Talis nāq; neq; iustus est, neq; iniustus, capiendo iniustū non negatiuè, sed positiuè atq; cōtrariè. Proinde parum nobis probatur, quod hoc loco affirmat Caietanus, sermonem esse de medio per participationem, non autem per abnegationem, quoniam (vt ipse ait) inter omnia contraria inuenitur medium per abnegationem. Hoc enim constat falsum esse, loquendo de subiecto susceptibili, quomodo euidens est Aristo. hic loqui. Id quod habet textus, (Prauum & studiosum circa hominē fieri, & circa alia multa) referunt quidā ad Angelos, quorū aliqui boni sunt, & aliqui mali. Faber accipit (studiosum) vt significet sedulitatem quandā, vigilemq; diligentiā in peragendis suis munijs, seu operationibus. Prauum verò, vt ignauiam atq; tarditatem contrariam designet, quomodo apes studiosas dicimus & formicas, bombicesq;, & similia nonnulla, Asinos autem & fucos prauos. Forsasse dixit id Aristoteles, secundū opinionem Platonicorum, ponentium omnes deos bonos esse, superq; globum lunarem habitare. dæmonum verò quosdam bonos, quosdam malos, quos collocabant infra globum lunarem in aere, aut alibi. Diuisio contrariorum mediatorum satis aperta est in litera. Ea quę neq; bona sunt, neq; mala, sunt pueri & homines amētes, & quidam etiam adulti, neq; vitio, neq; virtute vlla prædīti, quū tamen horum capaces sint

Quis numerus par, & quis impar.

Abundās & perfectum.

Numerus perfectus.

Numerus abundans.

Diminutus numerus.

Cōtrariorū mediatorū descriptio.

Caietanus.

Faber.

Stoici.

ſecundum naturã ſeu ſpeciem ſuã. Hinc nihil obſtat Ariſt. quòd Stoici inter bonum & malum, quatenus obiectis aut operationibus attribuuntur, poſuerint mediũ quod indifferens appellabant, vt diuitias, formã, ambulationem, &c. Imò & ſi eodem modo, quo hi, de bono malóque loquutus fuiſſet, nihil indè immineret periculi, quũ hoc nominis eius ſæculo ignotum adhuc fuerit, & hominum auribus inauditum, a poſterioribus autem (vt Boetius ait) inuentum.

Boetius.

De tertia oppoſitionis ſpecie.

Tertia ſpecies oppoſitionis eſt oppoſitio priuatiua, quam non definit Ariſt. neq; etiam priuatiuè oppoſita, ſed aſſignat duas conditiones habitus & priuationis, & aliquo modo deſcribit quid ſit priuatũ. Excerpitur autem ex iis quæ hoc loco & in poſterioribus tradidit Ariſto. hæc priuatiuè oppoſitorũ definitio, Priuatiuè oppoſita ſunt, quæ habent fieri circa idem aliquid, ordine irregreſſibili, tempore a natura determinato. Prima particula ex hoc loco ſumpta eſt, Secunda ex textu ſequenti, Tertia ex vtroq;. Definitũ priuatiuè oppoſita (quẽadmodũ habitus & priuatio, quæ ſimul ſumpta illi æquipollẽt, interq; ſe correlatiua ſunt, vt patet ex initio textus ſequentis) bifariàm accipi inuenitur. Eſt enim habitus cum priuationi opponitur, idem quod forma quædam poſitiua, ſiue ea ſubſtantialis fuerit, ſiue accidentaria, reparabilis vel irreparabilis. Hinc patet, nec materiam primam, nec hominem, aut aliam ſubſtantiam vllam, priuatiuè opponi, quum hæc nullo modo ſint formæ in ſubiecto quopiam exiſtentes. Priuatio verò aliquando eſt cuiuslibet talis formę negatio in ſubiecto quod aptũ eſt eam habere vbi & quando eã aptum eſt habere. Vt negatio viſus in homine, eſt priuatio quę dicit̃ cęcitas, non autẽ in lapide, nec in catulo antè nonũ diem. Nã tunc nondũ aptus eſt viſum recipere, &c. Similiter nec negatio motus in terra ſuo naturali loco contẽta, priuatio propriè dicit̃, quia non eſt apta ibi moueri, ſed potius immota manere. Non ergo huiuſmodi terra propriè quieſcit, hoc eſt, priuatur ſuo naturali motu, ſicut etiã patet ex definitione quietis, in quinto Phyſicorum declaranda. Quies eſt priuatio motus in corpore, quando, vbi, & quomodo natũ eſt moueri. Similiter fortaſſè neq; aer, terræ cauernis incluſus, quo non poſſunt neq; ſolent pertingere radij ſolares, dicit̃ propriè priuatus lumine, quia non aptus eſt ibi lumine illuſtrari, vt quidã dicunt. Non negauerimus tamen, interim talia ſubiecta nonnunq̃ priuata dici ſolere, etiamſi non fuerint in loco aut tempore quo eiuſmodi habitus recipere nata ſint. Vt catulum ante nonum diem viſu carere ſeu priuari, terram in medio mundi quieſcere, aerem ſubterraneum tenebroſum eſſe & obſcurum. Sed de eo quod magis propriè apteq; dicitur ſermo erat, & Ariſtoteles ipſe in quinto Metaphyſicorum, varias tradit priuationis acceptiones.

Priuatiuè oppoſitorũ deſcriptio.

Eiuſdem deſcriptionis expoſitio.

Habitus priuationi expoſitus qd ſit.

Priuationis vna acceptio.

Obiectio.

At opponet quiſpiam. Id quod aptum eſt ſecundum naturam ſuam quippiam habere, ſemper quamdiu exiſtit, illud aptum eſt habere. Ex commentarijs enim in Iſagogen Porphyrij, & ipſo quoq; Porphyrio didicimus, aptitudinem naturalẽ perpetuò & inſeparabiliter ſuo ſubiecto adeſſe. Hic profectò fallacia accidit ſecundũ compoſitionẽ & diuiſionẽ eiuſdẽ orationis, de qua latius agitur in primo libro Elenchorũ. Nam in huiuſmodi orationibus, habitus non ineſt quando aptus eſt ineſſe, ante nonũ diem catulus nõ eſt aptus viſum habere, & ſimilibus, non referabamus aduerbiũ (quando) & particulã (ante nonum diẽ) ad nomen aptus, ſed ad verbum ineſſe vel habere. Altero modo accipitur priuatio, vt ſit tantùm negatio formæ poſitiuæ, in eodẽ ſubiecto naturaliter irrecuperabilis, quando, & vbi ſubiectũ natum eſt eã habere. Huiuſmodi priuationes ſunt, cæcitas, ſurditas, & ſimiles, quæ potentiam aliquam, ſecundũ naturã irreparabilem abnegant a ſuſceptibili, non autem quæ actum ipſum, vel aliud accidẽs recuperabile ſecundum ſpeciem, vt ſunt tenebræ, ignorãtia priuatiua, quies, priuatio albedinis, priuatio formæ ignis reſpectu materiæ primæ, aliæq; his conſimiles. Suprapoſita ergo definitione definiuntur tantùm priuatiuè oppoſita, propriè & ſpecialiter accepta, pro habitu & eius priuatione ſecũdo modo ſumpta. Cętera enim excluduntur per illã particulã, ordine irregreſſibili. Nã in eis ſæpe ex priuatione fit regreſſus ad habitum, ſicut ab habitu ad priuationẽ peruenitur. A pleriſq; inter priuatiuè oppoſita propriè accepta, quorum non poteſt eſſe ordo reciprocus, numerantur mors & vita, ſed noſtro iudicio non ſatis conſideratè, præſertim ſi vnicam dumtaxat ponamus formam ſubſtantialem in vnoquoq; corpore naturali. Si namq; illa ad ſubſtantiam ipſam corpoream contuleris, non inerunt viciſſim eidem. Si autem ad materiam primam, iam non eſt inter ea irregreſſibilis ordo, vt conſtat ex Phyſicis. Per genus definiti, quod antecedens eſt relatiui, reijciuntur a definitione quæcunque non ſunt oppoſita. Proximè ſequens particula (quæ habent fieri circa idem aliquid) intelligi ſolet de ſubiecto eodem ſecundum numerum aut ſpeciem. Qui enim nunc videns eſt, idem numero permanẽs fieri poteſt cæcus. At qui a natiuitate cæcus fuit, ipſe quidem non poteſt viſum habere, neq; vnquam habuit, ſed alius quiſpiam illi idem ſecundũ ſpeciem. Addunt nonnulli, aut ſecundũ

Diluțio.

Altera priuationis ſignificatio.

genus

genus, fortassè propter dictum Aristotelis quinto metaphysicæ. Tradens enim ibi secundam acceptionem priuationis sic inquit. Alio modo, si cum aut ipsum aut genus eius habere natum sit, non tamen habeat, vtputa aliter cæcus homo visu priuatur, aliter talpa. Hæc quidem secũdum genus, ille verò secundum se. Et sanè habet peruulgata hominum sententia, talpas esse cæcas. Vndè & Virgilius cecinit, Talpæ oculis capti. In secundo tamen de anima libro asserit Aristoteles, talpas & oculos & visum habere, quamuis videre non queant, propter crassiusculam quandam pelliculam oculis earum obductam. Intelligenda quoq; est eadem particula cum hac exceptione, nisi habitus insit subiecto a natura, vel restringendum est definitum, ad habitum & priuationem potentes subiecto inesse vicissim. Idq; propter intellectum & suã priuationem respectu animæ rationalis. Item tactum & priuationem tactus respectu animalis, & si qua sunt similia. Eadem limitatio adhibenda est illi quod in litera dicitur, vniuersaliter autem in quo aptus est fieri habitus, circa id, &c. Vbi antiqua translatio adiectam habet hãc clausulam, quodam ordine, vt indicetur, non posse cuiq; subiecto inesse priuationem, qualis hic describitur, cui non prius infuerit habitus oppositus, nisi fortè causæ habitus productiuæ in ipso primordio impeditæ essent. Licet namq; cæcus a natiuitate non antè visum habuerit q̃ fieret cæcus, prius tamen erat visum recepturus q̃ cæcitatem, si non generatiua vis aliquo modo defecisset vel fuisset impedita. Alia definitionis pars, vtputa ordine irregressibili, excludit reliqua opposita, & priuatiuè largè dicta. Hæc enim cuncta contingit, saltem aliquibus subiectis, ordine regressibili vicissim inesse, vt facilè fuerit declarare in singulis. Nã & visus ipse & visus negatio (de quibus minimè videbatur) regressibili ordine inesse possunt eidẽ catulo, qui ante nonum diem non videns, postea visu recepto potest excæcari & iteratò non videns effici. Id autem in priuatiuè oppositis propriè dictis non accidit, eo quòd ex priuatione nequit naturaliter in habitum fieri transitus circa vllum susceptibile proximũ. De hoc enim inpræsentiarum sermo nobis est. Cuius causa (vt generatim dicamus) est, quia ea quę priuationem huiusmodi inducunt in subiecto quopiam, aut omnino tollunt, aut impediunt causas productiuas ipsius habitus, ita vt nullius agentis naturalis virtute reparari valeãt hæ causæ, aut impedimenta tolli. Istud autem particulariter & in singulis exactè declarare, non logici est, sed physici vel medici. Quum dicitur in litera, Atq; priuatum tunc, &c. explicat Aristoteles quod prius dicebamus, ad priuationem requiri tempus a natura definitum habitui suscipiendo, sub quo similiter intelligendus est locus, in quo subiectum natum est habitum recipere, & aliquot fortassis præter has aliæ circunstantiæ. Penitius autem scrutari, quodnam tempus natura in diuersis rebus diuersorum habituum susceptionibus determinauerit atq; pręfixerit, difficillimum est, & ab hoc negotio prorsus alienum. Non pigebit tamen paucula quædam de ijs, quæ in exempla ab Aristotele proferuntur, annotare. Ac primũ quidem ipse Aristoteles libro septimo de historia animalium capite decimo, in hunc modum scribit. Quum cætera animalia nascãtur cum dentibus, pueri septimo mense dentire incipiunt. Primũ edunt primores, alij quidẽ superiores prius, alij inferiores. Deniq; omnes maturius dentiunt, quorum nutrices lac habent calidius. Et lib. secundo cap. quarto. Homini nouissimi maxillares, quos genuinos vocamus, circiter vigesimum annum gignuntur viris ac mulieribus. Iam verò quibusdam mulieribus, anno etiam octuagesimo maxillares illi nouissimi non sine dolore exierunt. Viris quoq; idem euenisse accepimus, quod certè ijs accidit, quibus in iuuentute ipsi genuini nati non fuerint. Et sexto libro cap. vigesimo, agens de canibus, hæc habet. Sunt quæ parte quinta anni vterum ferant, hoc est, duobus & sexaginta diebus, quarum catelli duodecim diebus luce carent. Nonnullæ quarta parte anni, hoc est, tribus mensibus ferunt, quarũ catelli diebus septendecim luce carent. De his eisdem ita scribit Plinius, libro octauo naturalis historiæ, cap. quadragesimo. Gerunt in vtero sexagenis diebus, gignũt cæcos, & quo lacte aluntur largiore, eo visum accipiunt tardiorem, non tamen vnq̃ vltra vigesimumprimum diem, nec antè septimum. Quidam tradunt, si vnus gignatur, nono die cernere: si gemini, decimo. idq; in singulos adijci, totidemq; esse tarditatis ad lucem dies. Et ab ea quæ fœmina sit, ex primipera genita citius cerni. Optimus in fœtu, qui nouissimus cernere incipit, aut quem primum in cubile fert fœta, Hæc ille. Furunculum (quod genus est mustelæ syluestris, qua in cauernis cuniculi capiuntur) dicit Albertus, non habere visum antè quadragesimum diem.

Aristo. 7. li. de historia animalium.

Plinius de catulorũ visu.

Albertus

Porrò in quæstionẽ vertitur, sint ne edentulum & dentatũ verè & propriè opposita priuatiuè hoc est, habitus ac priuatio, & eadẽ est habenda ratio de caluo & comato, & si qua sunt talia plura. Quibusdam enim adulterina exempla esse videntur, sed pro veris supposita, eo quòd dentatum & comatum, quemadmodum capitatum, nasutum, & similia, primò significare

An edẽtulũ & dẽtatum priuatiuè sint opposita.

videntur substantias quasdam, quæ non sunt habitus. Oportet enim habitum esse formam. Hoc autem in substantias minimè quadrat. At quia huiusmodi partiales substantiæ, quodantenus imitantur formas in aliquo receptas, ideo similitudine quadam & impropriè dicuntur talia priuatiuè opponi. Alij arbitrantur dentatum & comatum (vt hic sumuntur) significare potentias naturales emittendi conseruandive dētes & comam, & proinde propria germanaq; exempla esse ab Aristot. posita. Ibi, priuari autem & habere habitum non est, &c. accipiuntur priuari & habere habitum, pro re priuata & habitum habente, quas constat alias esse ab ipsa priuatione & habitu. Sicut enim album & nigrum aliæ res sunt ab albedine atq; nigredine, ita cæcum & videns seu potius visiuum, a cæcitate & visu ipso distinguuntur. Quidam hic discernunt cæcum a cæcum esse, & videns a videntem esse, putantes Aristotelem de posterioribus hisce loqui, quæ diuersa esse dicit a visu & cæcitate, non autem cæcum & vidēs. Verùm huic discrimini non congruit secunda textus probatio (præterea si idem essent, &c.) vbi patet, Aristotelem distinguere cæcitatem a cæco, cum tamē ante dixerit cæcū esse, quasi inter talia nullam agnoscat differentiam. Sicut nec Porphyrius ponens indiscriminatim medicum esse pro medico, & ediuersò. Nihil ergo singulare hoc loco de hisce dixit Aristot. quod non alijs etiam denominatis ac denominantibus per æquè competat. Neq; ob id protinus superflua existimari debet eius sollicitudo (vt alij perhibent) quia in hanc partē magis fortassè illa tempestate peccabatur, præsertim a Platonicis, priuationem suo subiecto eandem prorsus esse constituentibus. Vltimum, atq; adeo pugnātissimum, oppositionis genus est contradictio, Cicero aientia & negantia vocat, quę nos cum Boetio contradictoria. Potestq; hęc oppositio (sicut supra dictum est) vel terminis, vel rebus vt & cæterę accommodari. Res quidē contradictorię sunt, ens aliquod præsertim positiuum, & eius pura nudaq; negatio, seu ea quibus hęc suo insunt modo atque competunt. Diximus præsertim positiuum, quia priuationem aut negationem ipsarum non solent autores alias facere negationes, licet quidam ex recentioribus id attentauerint, apud quos reperies, non cęcum, non non hominē, &c. quorum secundum quodammodo æquiualere aiunt homini. Si autem de terminis agamus, contradictorij erunt terminus finitus & infinitus oppositi. Finitus terminus est, qui rem quampiam significat, vt homo. Infinitus est aggregatum ex termino finito & negatione præposita, quam vocant infinitantem, vt non homo, de quibus copiosius in libro Peri Hermenias. Significant autem hi, puras negationes rerum per terminos finitos designatarum, licet non pro negationibus eiusmodi accipiantur, sed pro rebus in quas eiusmodi negationes competunt, vt nō homo est equus, aut lapis, vel aliud quiduis quod non est homo, & sic de alijs. Vndè patet, quòd licet albū & albedo se habeant adinuicem tanquam concretum ad suum abstractum, nequaquam tamen ita sese habere non album & non albedinem. Id igitur quod hoc loco habet Aristot. (Non est autem quod affirmationi & negationi subiacet, &c. referunt nonnulli ad terminos contradictoriè oppositos, siue verbales fuerint, siue nominales. Nos cum veteribus, malumus illud ipsum de rebus interpretari quæ dicuntur affirmationi & negationi subiacere, quatenus per affirmationem ac negationem, in est, affirmatiuam & negatiuam propositionem significātur, certo modo se habere. Vt Socrates quatenus sedens, subiacet huic affirmationi Socrates sedet: & idem quatenus vel est, vel intelligitur non sedens, subiacet illi negationi Socrates nō sedet. Hunc ergo quatenus duabus hisce propositionibus significatur, dicit Aristoteles eodem modo, hoc est, simili & eodem nomine appellata specie oppositionis opponi, quo opponūtur ipsæmet propositiones, nempe contradictoriè. Hoc autem nihil aliud est, q̄ rem sedentem & nō sedentem in quantum huiusmodi, contradictoriè opponi contradictione incomplexa, siue non propositionali, quum propositiones complexa contradictione opponantur, de qua in libro Peri Herm. futurus est sermo. Cuius etiam in primo libro Posteriorum tradidit Arist. definitionem, hoc loco incomplexæ contradictioni nō omnino absurdè applicari solitam. Ea est hęc. Contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se, hoc est, Contradictoria sunt opposita, quibus ex natura suæ mutuę oppositionis conuenit, nullum omnino inter se medium admittere. Medium autem aliquorum dicitur hoc loco singularis res subsistens, de qua ambo vel affirmantur vel negantur, vt inter album & dulce, medium est hoc lac & hoc fel, quorum istud quidem medium negationis, illud verò appellatum est medium affirmationis. Omnibus ergo oppositis commune est, non habere mediū affirmationis, saltem respectu eiusdem, sed solis contradictorijs proprium est, secūdum se nullum omnino, nec affirmationis nec negationis pati medium. Nam aliquid est, quod non est videns neq; cæcum. Aliquid, quod neq; album est neq; nigrum, Aliquid etiam quod neq; sanum sit neq; ægrū. Non enim dicitur

De quarto oppositionis genere.

Quis finitus termin? & infinitus.

Quo pacto sit intelligē dū, ea quę affirmationi & negationi subiacēt, cōtradictoriè opponi.

Quid cōtradictio.

Quid medium.

contraria

contraria immediata,quaſi nullū penitus mediū habeāt,ſed quia nullū mediū alterius eorum ſuſceptibile patiunt. Rurſus quippiā inuenias,quod nō ſit pater nec filius,nec moueat nec qui eſcat. Sed nihil prorſus exiſtit, q̄d neq; currat,neq; nō currat,aut quod neq; ſit homo,neq; nō homo,& ita de cæteris contradicētibus,ſiue verbaliter,ſiue nominaliter exprimantur. Nā q̄d de chimęra a nonnullis ambigitur,vtrum ſit non homo,ſimiliter de Antichriſto,vtrū(nō ab ſoluta copula a tempore)homo,an non homo eſſe dicendus ſit,nihil poteſt officere,quum hu iuſmodi minimè ſint res exiſtentes.Sed de hoc aliàs oportunius dicetur, Particulam(ſecundū ſe)adiectam crediderimus,ad excludendum hominem & non rationale,ſubſtantiam & accidens,creatorem & creaturam,aliaq; eius farraginis,quæ aut oppoſita non ſunt,ſed diſparata tantùm. aut non ſecundum ſe propriæq; oppoſitionis gratia,omne medium reſpuunt. Alteram eamq; germanam eiuſdem definitionis interpretationem, ſecundum quam de ipſarum enunciationum ſeu propoſitionum contradictione intelligitur, ſuo loco dabimus.

Manifeſtū eſt,priuatiuè oppoſita nō opponi vt relatiuè

In ſecundam partem,in qua ad ſeinuicem comparantur oppoſita,adnotamentum.

Poſteaquam ſuperiori huius capitis parte vtcunq; declarauit Ariſt. quidnam eſſet vnūquodq; oppoſitionis genus,in hac ſecunda parte comparat inter ſe diuerſa oppoſita, & ab inuicem ſeparat quibuſdam differentijs,quæ quum ex ſuperioribus ſatis poſſint eſſe manifeſtę,non ſunt a nobis ſingulariter nunc explicandæ,niſi vbi obſcurius quiddam, & adnotatione dignum inciderit. exemplorum etiam,quum ad alias attineant diſciplinas, declarationibus accuratioribus breuitatis cauſa prætermiſſis. Diſtinxit autem Ariſtot. vnumquodq; oppoſitorum genus ab alio quolibet,vt patet diligenter expendenti. Primùm ergo ſeparantur priuatiuè oppoſita a relatiuè oppoſitis,eodem prorſus diſcrimine,quo prius hæc a contrarijs ſunt diſtincta,qua etiam ratione peræquè a contradictorijs diſtingui poſſunt. Secundò ſeparantur priuatiuè oppoſita a contrarijs per duas differentias, quarum poſterior aſſignatur ibi,Præterea in contrarijs,&c̄. In qua meminiſſe oportet ſermonem eſſe de priuatiuè oppoſitis ſpecialiter acceptis,de quibus toto hoc capite egit Ariſt. Tertiò ibi,Quæcunq; verò contradictoria,&c̄. Ponitur diſcrimen contradictoriè oppoſitorum a reliquis omnibus. Et initio quidem de contradictorijs complexis,hoc eſt,propoſitionibus contradicentibus,loquitur Philoſophus,quarum dicit neceſſariò alteram veram,& alteram falſam eſſe,quod minimè conuenit relatiuis,aut contrarijs,aut priuatiuis, quum hæc omnia ſint incomplexa. Eorum autem quæ ſine complexione efferuntur,nullum verum eſt aut falſum.Sed quum hæc diſcretio non ſatis conueniens exiſtat,vt quæ difformi vtitur iſtorum oppoſitorum ad contradictoria comparatione,ideo ibi,verùm neq; in contrarijs complexis, &c̄. abſoluit eam & perficit Ariſtot. oſtendens,quòd neq; in contrarijs, neq; priuatiuè , aut relatiuè oppoſitis complexis,hoc eſt, enūciationibus taliter oppoſita habentibus prædicata,alterum verum & alterum falſum ſemper eſſe neceſſum ſit.Ex his ergo licebit hanc colligere contradictorię oppoſitorum incomplexorum,ſeu non propoſitionalium,a reliquis etiam oppoſitis incomplexis differentiam,quòd contradictoriorum ſemper neceſſe eſt alterum de quolibet ſuo modo verificari, ſiue ipſum fuerit ſuperſtes,ſiue non,maximè cum contradictoria ipſa verbis finitis & infinitis exprimuntur. In cæteris autem id minimè neceſſarium eſſe conſtat. Diximus,maximè quum contradictoria,&c. quia controuerſia inter dialecticos extat,an contradictoriè oppoſitorum nomina lium ſemper alterum de quauis re tam non exiſtente,quàm exiſtente verè dicatur. Verbi gratia,an Socrate mortuo,verum ſit Socratem eſſe non iuſtum, Socratem eſſe non hominem, & ſic de alijs. Nonnulli ſanè partem affirmatiuam amplectuntur, dicentes nomen infinitum nihil omnino ponere in re,de qua affirmatur. Quare non minus fatentur hanc veram, Argus eſt non dormiens,q̄ iſtam, Argus non dormit,quas pro omnino æquiualentibus habent. Pro his facere videtur hic paſſus literæ, in quo alioqui non traderetur vniuerſalis omnium contradictoriorum incomplexorum a cæteris oppoſitis differentia,ſed tantum quorundam vtpu ta verbalium. Poſſet etiam nonnihil quod hos iuuet,ex quinti Topicorum iij.cap.elici. Regulam ergo illam communem, Omnis affirmatiua enunciatio, cuius alterum extremum non ſupponit,eſt falſa,quæ ex hoc ipſo textu trahitur,aiunt in infinitis nominibus pati exceptionem. Aliorum ſententia contraria confirmatur ex initio ij. Peri Her. & apertius primi Priorum capitis vltimi priore parte,vbi manifeſtè & de induſtria aſtruit Ariſtot. non æquiualere negatiuam de prædicato finito,affirmatiuę de prædicato infinito. Secundum hos ergo falſum eſt, Socratem eſſe non hominem, ſi Socrates non ſit. Nam ſignificatur Socratem eſſe

Dubitatio.

Aliquorū ſolutio.

Aliorū opinio.

rem quampiam,quæ non est homo,vt liceat inferre,Socrates est non homo,ergo Socrates est. Differentiam autem contradictoriorum incomplexorum a cæteris oppositis,licet hoc loco nō plenè tradatur,satis tamen patere dicunt,ex prædeclarata definitione contradictionis.

Bono de necessitate cōtrariatur malum

In tertiam partem,contrariorum proprietates complectentem,scholia.

QVia inter quadruplicia opposita prius enumerata frequentior est vsus contrariorum, ideo Arist.in hac parte tradit quinque proprietates seu conditiones, vt plenius habeatur eorum cognitio. Antequàm autem primæ proprietatis seu contrariorum conditionis sensum explicemus,enucleanda sunt prius nomina,quibus vtitur, vtputa bonum & malum. In prima parte huius capitis,diximus hæc accipi nonnunquam pro virtute ac vicio,in qua significatione re vera sunt contraria,saltem generalia, pertinentia ad primam speciem qualitatis. Verùm huic loco non seruit ea acceptio. Non enim sunt sanitas & languor seu ægritudo, virtus & vitium. Propria horum acceptio erit,si sumantur relatiuè,vt bonum significet qualitatem per se appetibilem,non ex conditione subiecti tantùm,sed quia ipsa qualitas ex sua specie ac definitione appetibilis est,etiam ab omni subiecto cui inesse potest,vt scientię, virtutes,sanitas,pulchritudo,& potentiæ naturales. Malum verò significat qualitatem per se fugiendam,etiam ab omni subiecto cui inesse potest,vt vitia, ignorantiæ, languor, turpitudo, impotentiæ naturales,& similia. Cæteræ verò qualitates, quæ pro diuersa subiectorum conditione quibusdam secundum naturam,quibusdam verò contra naturam competunt, neque bonæ neque malæ simpliciter sunt dicendæ, sed alicui bonæ,alicui malæ: ex sua specie autem indifferentes,vt calor & frigus,albedo & nigredo. Huius ergo proprietatis duæ sunt partes. Prior est. Bono de necessitate contrariatur malum,vel(vt apertius dicatur)Quicquid contrarium est bono,illud est malum.Non autem omni bono aliquid est contrarium, vt visus & intellectus bona quidem sunt,quibus(vt creditur)nihil est contrarium. Et quemadmodum non omni bono aliquid est contrarium,sic nec omni malo,maximè si malum etiam ad potentiarum priuationes extendamus, cuiusmodi sunt cæcitas,surditas,& similia. Altera pars est, malo aliquando bonum,aliquando malum est contrarium,hoc est,non omne id quod malo est contrarium est bonū,sed eidem malo aliquando contrarium est vnū,quod bonum est, & alterum quod est malū. Per defectum in textu accipiendum est vitium, recedens ob defectū a medio rectæ rationis. Quales sunt timiditas, insensibilitas, auaritia, pusillitas, pusillanimitas, honoris vacuitas,iræ vacuitas,contentio,dissimulatio,rusticitas,inimicitia, stupor, & maleuolentia.Superabundantia vitium est,a medio rectæ rationis recedens per excessum,vt sunt audacia,intemperantia, prodigalitas,circa decorum ruditas,lentitudo,ambitio,inuidia,adulatio,arrogantia,scurrilitas,indulgentia,inuerecundia,& iracundia. Porrò per mediocritatem intelligenda est virtus,quæ consistit in medio rectæ rationis, a quo nō recedit,neque ipsum excedit.Huiusmodi mediocritates sunt,fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas,modestia,mansuetudo,affabilitas,veritas,comitas,amicitia, verecundia,& indignatio.Dat enim liberalis vbi oportet,quando,& quantum oportet.Auarus non tribuit quantum & quando oportet. Illiberalis seu prodigus dat plus quàm oportet,quibus non oportet, & ita de reliquis prius enumeratis iudicandum est, de quibus exactius agunt morales philosophi. Audaciæ igitur, quæ est mala, contraria est timiditas, quæ etiam mala est, & fortitudo, quæ est mediocritas & virtus,atque bona. In reliquis idem licet declarare. Et quia in his solis, qualia enumerata sunt,reperitur malo contrarium esse malum,pluraque sunt alia contraria,quàm quæ modò recensuimus,ideo dicitur ab Aristot.sed in paucis hoc reperitur. In pluribus verò,&c. Aduersus secundam huius proprietatis partem obijci solet illud Aristot.in physicis dictum,& sæpius repetitum in metaphysicis, Tantum vnum vni est contrarium. Cui non incōgruè responderi videtur,secundum opinionem de contrarietate virtutum ac vitiorum,quod intelligendum est de contrarijs primarijs,hoc est,secundum se & immediatè contrarietatē habentibus,non autem secundarijs. Sicut enim vni albedini,manifestum est plures esse nigredines contrarias,non per se quidem,sed secundariò tantum & ratione ipsarum specierum, ita nihil prohibere videtur, vni virtuti plura vitia contraria esse secundariò & ratione generis cōmunis sub quo comprehensa sunt,quod illi virtuti primò sit contrarium. Secunda cōtrariorum proprietas est,Non est necesse,si vnum contrariorum sit,reliquum est. Quę satis declaratur in litera. Quod autem in secundo de cœlo & mundo habet Arist.Si vnum contrariorum est,necesse est esse alterum,de contrarijs per accidens, quæ sunt simplicia corpora ad vniuersi perfectionē requisita,intelligitur. Vt sunt ignis & aqua, aer & terra,sicut ibidē manifestè declaratur.

Boni atque mali acceptiones.

Secūda pars eiusdē proprietatis exponitur.

Instantia.

Dilutio.

Secūda contrariorū proprietas.

declaratur. Hic autem de contrarijs per se sermo est, vt exēplis quoq; potest constare. Contra declarationem autem, quum dicitur, similiter si sint omnia alba, &c. Instaret fortassè quispiam, supposita illa opinione, quæ ponit, accidentia contraria in gradibus remissis, se inuicem in eodem subiecto permittere, iuxta illud Porphyrij in communitatibus vniuersalium, Differentiæ contrariæ sunt impermixtæ, accidentia verò contraria aliquando permiscentur. Poterit enim ita fieri, vt omnia alba sint, & tantum exiguum quiddam nigredinis in nonnullis reperiatur subiectis. Sed id facilè euitatur diluiturq;, restringendo antecedens in hunc modū. Si omnia sint alba intensissimè, quo posito, impossibile est aliquid inuenire nigredinis, quia cū summo gradu alboris nigriciei nihil potest constare. Tertia est, impossibile est vtrumq; cō trariorum eidem simul inesse. Quæ est contrariorum cum reliquis oppositorum generibus communis conditio. Limitari autem solet adiectione harum particularum, naturaliter, secundum eandem partem, ac in gradibus intensioribus. Quarta est hæc. Contraria apta sunt fieri circa idem specie aut genere, hoc est, Omnia contraria, aut tantum versantur circa subiecta vnius eiusdemq; speciei, aut tantum circa eiusdē generis. Quod intellige de subiectis eiusdem ordinis, id est, de subiectis immediatis, vel æquè mediatis, non autem partim his & partim illis. Nam immediatum subiectum alicuius accidentis cum remoto, nec specie nec genere solet conuenire. Alij hunc sensum dant. Omnia contraria disiunctim sumpta, subijciuntur verè vniuersaliter & affirmatiuè alicui speciei vel generi, vt omne iustum vel iniustum est homo, loquendo de subiecto remoto atq; completo, omne quod est sanum vel ægrum est animal, omne album vel nigrum est corpus, idq; opacum, vt docet Aristoteles in libro de sensu & sensato. Quicquid etiam immediatè par vel impar est numerus, & sic de cæteris. Hoc autem veritatem nequaq̄ habet, de subiecto eodem secundum numerum. Nulla enim contraria vni indiuiduo sunt addicta. Quare nō videtur hæc proprietas eadem esse illi, quod in Physicis frequenter inculcat Philosophus, Eadem est materia contrariorum: siquidem istud de idētitate secundum numerum intelligitur maximè. Vltima proprietas innuens diuersitatem quandā contrariorum inter se, est ista. Omnia contraria vel in eodem esse, vel in contrarijs generibus, vel ipsa esse genera, necessarium est. Accipitur autem hic præpositio in, quarto modo pro sub. Quæ quidem membra non sunt repugnantia, nisi cum exclusione intellecta fuerint. Et primum quidem contrarijs naturalibus solent attribuere, duo verò posteriora moralibus. Sed hoc exiguam rationem habere, probari facilè potest. Tertium autem membrum volūt de genere morali solum esse interpretandum. Bonum namq; & malum, quando vera contraria sunt, accipi debent pro virtute & vitio, atq; ita sub genere continentur qualitate, non tamen sub genere morali. Verùm nihil opus erit tali anxietate, si membra ista non pugnare dicamus. Nonnulli arbitrantur, hanc vltimam proprietatem datam ab Aristot. esse secundum Pythagoricorum sententiam tunc receptam, qui tantum ponebant duas entium series seu coordinationes, vnam bonorum, & alteram malorum, in quibus summa genera erant bonum & malum, quod mihi verisimilius apparet.

Instāda.

Dilutio.

Tertia contrariorū ꝓprietas.

Quarta.

Quinta.

Sequitur secundum caput, modos & significationes prioris continens.

Prius alter ą̄ alte ro dicitē quadru pliciter

INter postprædicamenta secundum locum obtinet Prius, Cuius modi seu acceptiones ponuntur in hoc capite quinq;, quatuor quidem priscis cogniti, & quintus ab Aristotele ipso adiectus est, priscis autem philosophis ignotus. Sunt & alij prioris modi, quinto Metaphysices assignati capite de priore, nempe prius secundum spacium & locum, secundum motum, &c. quos ideo fortassis hic omisit Aristot. quia nihil videntur conferre ad intelligentiā prædicamentorū. In textus initio indicat, prius analogum esse, ad hos quinq; modos, primoq; & principaliter significare id quod tempore est prius, reliquos autem modos per quandā similitudinem ad istū acceptos esse. Est ergo primus modus prioris, secundum quem id prius dicitur, quod præcedit tempore, siue fiat comparatio temporis præteriti ad præsens aut futurum, siue præsentis ad futurū, siue præteriti remotioris ad præteritum vicinius, siue futuri propinquioris ad futurum remotius ab hoc instanti, iuxta doctrinam Aristotelis in loco supra dicto. Accipiunt autē (licet fortè præter mentē autoris) tempus, pro cuiusuis rei qualibet mensura secundum durationem, vt scilicet sub se comprehendat æternitatem, æuum, tempus propriè dictum, & instans, de quibus nonnihil antè attigimus. Hoc primo modo Deus prior est omnibus rebus creatis, generatio Socratis generatione Aristotelis, & ipse Socrates Aristotele. Bellum Troianum Thebano, & nostro sæculo deditio Rhodi expugnatione vrbis Romę. De discrimine inter antiquius & senius (cuius loco nostra translatio habet vetustius) diuersa est legere

Prius ad suos modos analogū est.

Primus prioris modus

est legere apud Boetium circa hunc ipsum passum, & Laurentium Vallensem quarti libri elegantiarum capite quinto. Vtilis est hic primus modus ad cognoscendum ordinem praedicamentorum substantiae & accidentium ad inuicem. Sunt enim substantiae ferè priores tempore accidentibus, vt ostendere licet per inductionem. Item pleraeque species priores sunt singulis suis indiuiduis atque singularibus, quum genera & species dicantur ingenerabilia & incorruptibilia ab Aristotele, Indiuidua verò, propemodum omnia, generationi atque corruptioni sunt obnoxia. Sequentem modum definit Aristot. Secundum quem illud prius altero dicitur, a quo non conuertitur essendi consequentia. Quid autem sit consequentia essendi, & quando dicatur conuerti, superius est a nobis expeditum. Hic notandum est, cum dicitur, a quo non conuertitur, &c. in negatione eius quod sequi potest, latenter insinuari affirmationem illius, quod necessariò praerequiritur. Id quod in familiari vsu sermonis frequentissimè solet vsuuenire. Negantes enim, aliquem a foro redijsse, occasionem praebemus intelligendi, quòd is forū accesserit. Ita quoque cum dicit Aristoteles, prius esse, a quo non recurrit consequentia existendi, subaudiendum relinquit, modò ad ipsum eiusmodi consequentia ritè processerit ab altero. Quare non erit homo prior secundo modo boue aut albo, vel eiusmodi, quòd neque illum rectè infert secundum consequentiam essendi, neque ex eo infertur. Et addere solent huic limitationem hoc pacto, modò ad ipsum ab alio consequentia essendi ritè procedat per locum aliquē dialecticum, seu propter connexionem certam ipsorum adinuicem, vt reijciantur illa, quę tantùm inferuntur ab alijs ob antecedētium impossibilitatem, aut necessitatem consequentium, vt est homo respectu chimerae, & coelum respectu Ioannis. Secundus hic modus prioris ferè conuenit omnibus superioribus respectu singulorum suorum inferiorum, vt substantiae respectu corporis, corpori respectu animalis, colori respectu albedinis, & sic de alijs. Diximus ferè, quia numerus non est hoc modo prior binario. Vt enim sequitur, binarius est, ergo numerus est. ita ediuersò sequitur. Neque enim potest esse vllus numerus, nisi sit saltem binarius. Idem cōtingit in sensu respectu tactus & pauculis talibus. Neque tamen solis superioribus comparatione inferiorum, idem hic modus applicabilis est, sed & alijs etiam disparatis, a quibus necessariò alia quaedam dependent, & non econtrariò, vt Deus prior est homine, fundamentum domo, vnitas numero, & omnis numerus minor maiore, tactus visu, &c. Quum ergo dicitur in litera, vt vnum prius est duobus (iuxta Boetij sententiam) accipere licebit haec abstractè, pro ipsa vnitate atque binario, a qua quidem vnitate non conuertitur essendi consequentia ad binarium. Nam si binarius sit, inferre licet vnitatem esse, quod quidem consequens est secundum illationem, non autem secundum naturam rerum ipsarum seu numerorum. Nam existentia vnitatis, re vera non sequitur binarij existentiam, sed potius econtrariò. Alij arbitrantur, haec sumenda esse concretè aliquo addito, vt homine, animali, lapide, aut alio simili. Nam manifestum est sequi, duo homines sunt, ergo vnus homo est. & non contra, vnus homo est, ergo duo homines existunt, & sic de alijs similibus. Secus autem, si simpliciter haec sumamus & sine addito. Videtur enim etiā recurrere consequētia essendi. Vnum est, ergo duo sunt. Si enim vnum est, oportet vnitatem ipsam esse, & eius subiectum. Hęc autem duo esse videtur. Nos autem putamus rectè dici sic se habere haec, etiam concretè accepta, nullo prorsus addito. Non enim oportet, si vnum sit, duo esse, propter vnitatem ipsam & vnitatis subiectum. Nam vnitas solum est vnitas, non autem vna, vt nec albedo alba. Subiectum verò tantum vnum est. Sed de his satis. Tertius modus est, secundum quem id est prius, quod praecedit alterum ordine quodam, scilicet, ad disciplinam pertinente. In qualibet enim parte atque scientia, quaedam prius, quaedam posterius sunt discenda. Quis autem sit disciplinae ordo, aliquousque dictum est in commentarijs Isagoges. Quum autem haec praedicamentorum scientia quaedam sit disciplina, constat & hunc modum facere ad ipsorum pleniorem notitiam, vt videantur singula conuenienti ordine ac loco esse tractata, vt ex praecedentibus licebit colligere. Per disciplinas ergo intelligit Philosophus quasuis scientias & artes, inter quas quaedā peculiariter demonstratiuae dici videntur, ob hoc forsitan, quòd penè vtantur sola demonstratione, quales sunt scientiae mathematicae, inter quas vna est geometria, considerans quantitatem continuam sine motu. In qua principia sunt puncta, lineae, superficies, angulus, figura, circulus, diameter, triangulus, &c. ac horum definitiones. Item ea quae vocantur petitiones seu postulata. Similiter & communes animi conceptiones, hoc est, communes sententiae. Illa autem quae describuntur, sunt ea, de quibus dantur propositiones geometricae, quae ex illis prioribus, tanquam posteriora dependent & demonstrantur. qualia sunt, Triangulum aequilaterum supra datam lineam rectam collocare, A dato puncto, cuilibet lineae rectae proposite, aequam

Secūdus prioris modus

Quibus cōuenit secundus prioris modus.

Quomodo vnū duobus sit prius.

Tertius prioris modus

æquam lineã rectam ducere,&c. Petitiones his respondentes sunt, A quolibet puncto in quẽlibet punctum rectam lineam ducere, Omnes rectos angulos sibi inuicem esse æquales. Cõmunes animi conceptiones sunt, Quæ vni & eidem sunt æqualia,& sibi inuicem esse æqualia. Si æqualia æqualibus addantur, tota quoq; fieri æqualia,& alia id genus. Per orationes intelligendæ sint orationes rhetoricæ,in quibus proœmium seu exordium prius est narratione.

Quot autem,& quæ orationis huiusmodi sint partes, non est huius loci declarare. Huic modo tradit philosophus in quinto Metaphysicæ respondentem modum magis generalem, secundum quem vnum prius est altero cognitione. quem deinde in prius cognitum secundum rationem,hoc est, intellectum,& in prius cognitum secundum sensum subdiuisit. Quartus prioris modus est, secundum quem id prius est, quod est melius,perfectius,& honorabilius. Quo modo sol prior est luna,anima corpore,rex duce atq; comite,magistratus plebe,præceptor discipulo,theologus iurisperito,& sic de cæteris. Competit etiam hic modus,substantiæ ad accidentia collatæ.Omnis enim substantia,quantulacunq; fuerit,omni accidente est perfectior,& qualitas quantitate,& omne absolutum ens omni relatiuo. Quum autem sequitur in litera,plærīq; etiam honorabiles,&c.non est accipiendum id,tanquam aliquid diuersum a præcedente,sed potius tanq̃ probatio sumpta a iudicio plurimorum,quorum sententia nõ potest esse in totum falsa. Hic autem modus dicitur esse alienissimus, aut quia non semper est modus prioris acceptus secundum rei naturam, ipsamq; veritatem, sed potius frequenter iuxta opinionem hominum, Aut (vt habet Boetius) quia illi potius ac magis propriè dicuntur meliores & honorabiliores,impropriè verò priores. Quintus ab Aristotele ipso superadditus est,secundum quem,eorum quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam,illud est prius,quod alterius aliquo modo est causa,idq; vel principalis vel instrumentalis,propinqua vel remota, positiua vel priuatiua,propriè dicta aut sine qua non, etiam in quouis causarum genere. De quibus omnibus in physicis amplius est differendum. Hoc modo cœlum prius est suo motu circulari, sol lumine suo:rationale,homine:homo,risibili & flebili. Et vniuersaliter omnis differentia cum suo constituto conuertibilis,prior est illo,Et omne subiectũ propria passione cum qua conuertitur. Et quia huiusmodi causa, secundum essendi consequentiam cum suo effectu conuertibilis, minus videtur esse prior tali effectu, per locum a minore licet inferre,eam etiam causam,quę non sic conuertitur cum effectu,sed ipsum tempore præcedit,aut fortassè sequitur(id quod in solis finalibus causis forsitan vsuuenit) priorem esse secundum eundem hunc modum. Aristoteles enim id tantum explicuit, quod minus apparebat.Exempla sunt in promptu. Ex his quinq; modis seu acceptionibus prioris iam enarratis, totidem colligendi sunt modi posterioris iuxta regulam. Tot modis dicitur vnum oppositorum,quot reliquum.Quam intellige,modò secundum omnes modos maneãt opposita. Quinto autem modo nouissimè exposito,accidit idem prius esse & posterius,non tantùm comparatione diuersorum,sed etiam eiusdem,diuersis tamen rationibus,vt facilè fuerit declarare in ambulatione & sanitate,quæ sibi mutuò causæ sunt & effectus in diuersis causarũ generibus. Neq; etiam absurdum foret, idem esse prius aut posterius secundum omnes,vel saltem complures modos,aut respectu diuersorum aut eiusdem,qualis forsan est Deus Opti.Max.respectu creaturæ,& animal hominis comparatione. Conuenit etiam hic vltimus modus ipsis substantijs comparatione accidentium. Substantię namq; causę sunt accidentium,& cum aliquibus conuertuntur secundũ essendi consequentiam,cũ alijs verò minimè. Aristo.in litera obscurius quoddam exemplũ huius modi assignauit,quod est,esse hominẽ respectu orationis veræ de ipso,hoc est,ipse homo existens,comparatione veritatis huius orationis,homo est.Conuertuntur enim hæc quodammodo secundum essendi consequentiam,quia si veritas talis orationis est,ergo homo est.Et si homo est,veritas illius orationis existit, quod posterius intellige,dummodo ipsa oratio sit.Posset enim homo esse,vt nulla prorsus esset oratio,quare nec vera oratio.Et ideo addebamus quodammodo,vt indicaremus,exemplum istud non esse omnino proprium,ac omnibus numeris absolutum.Quòd verò alterum horum sit causa alterius, id ostenditur ibi,ex eo namq;,&c. In qua quidem sententia Philosophi, quid nomine rei existentis & non existentis accipiendum sit,variè definiunt logici. Sed nos omissis nugis,quibus circa complexè significabilia occupari solent sophistæ, paucis dicimus, per rem intelligi hoc loco,significatum propositionis. Id autem non est aliud,q̃ aggregatum ex significatis terminorum ipsius propositionis, hoc est, subiecti atque prædicati,quæ denotantur certo quodam modo inter se componi,vel ab inuicem separari. Nam de categoricis præcipuè hic agitur,ex quibus facilè colligetur,quid de hypotheticis propositionibus sit censendum. Si ergo res per

Quart⁹ modus prioris.

Quĩtus prioris modus eiusq; explicatio.

Quĩq; Posterioris modi

Idẽ quinto prioris modo cõparatione eiusdẽ est prius & posterius.

enunciationem significata sit, hoc est, ita se habeat, qualiter se habere significatur per ipsam, siue affirmatiua fuerit, siue negatiua, vera erit enunciatio. Et si res talis minimè sit, id est, non sic habeat vt significatur, falsa erit. Verbi gratia, hæ enunciationes veræ sunt, homo est albus, omnis homo est animal, nullus homo est arbor, quia res ipsæ sunt .i. coniunguntur re ipsa, vel separantur, quo modo ibi denotantur coniungi vel separari. Hæ verò sunt falsæ, omnis homo est albus, aliquis homo non est animal, aliquis homo est arbor, eo quòd res non sunt modò ex positæ. In verbis ergo Arist. particula illa (vera dicitur) referenda est solum ad rem esse, & (falsa) ad rem non esse. Et monent quidā, sub præsenti tempore alia quoq; esse subaudienda. Constare potest tandem ex his, qualisnam causa sit res iam interpretata respectu veritatis ipsius orationis, nimirum efficiens, quia omnis relatio a suo fundamento atq; termino efficitur, res verò ita se habens vt oratio significat, terminus est ipsius veritatis, Facilè autem patebunt ex dictis sequentes definitiones, quas licet alio loco ponere solent, congruè tamen videmur nobis hic eas breuiter exhibituri. Enunciatio vera est, quæ ita significat rem esse, vti est. Falsa, quæ secus quàm res habet significat. Possibilis quæ ita significat, vti, res potest habere, vt Deus est, homo est albus. Impossibilis, quę contra significat, quàm res esse potest, vt homo est equus. Cur non finiuerimus possibilem, quæ potest esse vera, & impossibilem quæ potest esse falsa, coniectent ingeniosi. Necessaria est, quæ sic significat, vt rem se habere oportet, vt Deus est, cœlū mouetur. Contingens propriè est, quæ ita significat, vti res potest esse & potest non esse, vt homo est albus, sol oritur. Sed de hac alibi copiosius.

Quid vera enunciatio, quid'q; falsa, possibilis, impossibilis, necessaria, & contingens.

Propriissimè & simpliciter dicū t simul

In tertium caput, continens modos simul, annotatio.

MOdi seu significationes Simul, assignantur hoc capite tres a Philosopho (nisi cum nonnullis tertium sub secundo concludamus) non quòd non plures sint, sed quia hi vtiliores sunt ad prædicamentorum notitiam, & alij facillimè ex prædeclaratis modis prioris possunt intelligi. Primus est, secundum quem ea propriissimè & simpliciter, hoc est, absolutè & sine addito dicuntur esse simul, quorum generatio est in eodem tempore, siue diuisibili siue indiuisibili, hoc est, quorum productiones sunt vel fuerunt in eadem mensura durationis & adæquata. Rerum enim diuersarum quæ simul tempore dicuntur, non est eadem generatio secūdum numerum, neq; frequenter secundum speciem. Quid autem intersit inter generationem & productionem, alibi est declarandum. Secundò indicauimus, per tempus accipiendum esse, non solum tempus diuisibile, sed etiam indiuisibile, quod prius vocatum est instans, Imò & æuum & æternitatem. Non enim minus simul natura sunt hoc modo substantiæ separatæ & incorporeę, q̄ corporeæ productæ in eodem tempore, aut diuisibili aut indiuisibili. Deinde tertiò non necesse est eorum quæ simul sunt, simpliciter generationes nunc esse, sed satis est eas fuisse in eodem tempore, dummodo ipsa genera existant. Deinde autem generationē aliquorum esse in eodem tempore, dupliciter potest intelligi. Primò, vt non solum ipsorum generatio fiat in eodem tempore adæquato (siue ea compleatur in vtero materno, dum forma primò coniungitur materiæ. siue ea sit, qua fœtus in vtero nascitur. De his enim anxiè disputare friuolum est) sed etiam generatorum conseruatio (quam sub generatione intelligendā subticuit Aristo.) sit in eodem tempore, seu mensuratur eodem tempore adæquatè, quemadmodū contingit in subiecto & eius propria passione, differentia specifica conuertibili, & specie cōstituta, relationibus correlatiuis, & alijs similibus. Hæc propriissimè sunt simul, de quibus intelligit Albertus primi modi descriptionem, cui satis fauet probatio dicens, Neutrum enim eorum neq; prius est, neq; posterius, nulla addita restrictione. Secundo modo dicitur generatio aliquorum esse in eodem tempore adæquato, etiam si ipsarum conseruatio non mensuretur omnino eodem tempore. In qua significatione duos natos in eodem tempore aut instāti, dicimus esse vel fuisse simul, & coæuos, atq; eiusdem ætatis, licet vita vnius prolixior fuerit vita alterius. Hunc sensum sequitur cōmunior autorum expositio. Talium enim non est vnus altero antiquior, aut minus antiquus. Præter hunc modum essendi simul secundum tempus, est & alter, secundum quem ea dicuntur esse simul tempore, quę sunt in eodem tempore, siue eorum generatio vel productio facta fuerit eodem tempore siue non. Vt quum dicimus aliquos esse contemporaneos, & simul tempore esse vel fuisse, quorum etiam vnus prius natus est, & alter posterius, dūmodo in eodem tempore vixerint aut viuant. Diximus enim Platonem & Aristotelē simul fuisse, quorum ortus constat fuisse diuersis temporibus. De hoc autem modo nihil attigit Aristoteles, quia prior magis est proprius, licet hic fortasse vsu sit frequentior. Secundus modus est, secundum quem aliqua sunt simul natura, eo quòd conuertūtur secundum essendi consequentiam, & neutrum est causa alteri vt sit in vllo genere causæ.

Primus modus eorum quę sunt simul, & eius expositio.

Generationē aliq̄rū esse in eodē tēpore, duplicē habet sensum.

Prior est.

Albertus.

Posterior,

Alter mod9 primo adiectus.

Secūdus modus, qui est, esse simul natura.

de qua

de qua re, quia sufficienter actum est in secunda proprietate adaliquid, nihil amplius hic dicendum putamus. Tertius modus est, secundum quem ea dicuntur esse simul naturâ, quæ sub eodem genere contra se posita, immediatè a se inuicē diuiduntur, id est, distinguuntur, hoc est, quæ tanq̃ distincta sumuntur in eadem diuisione, explicātè immediatè generis potestatem ac amplitudinem. Vt simul naturâ sunt hoc modo, homo & brutum, relata ad animal genus suum, & ita in reliquis speciebus. Quæ enim dicuntur hic, malumus applicare ad species, q̃ ad differentias. Commētator in hoc loco specierū meminit, neq; opus est ad id adducere multas rationes. Huiusmodi species immediatè diuidentes idem genus (sic enim loqui solent) ideò dicuntur simul esse natura, quia genere existente vno, necesse est plures esse species tales, vti dictum est in prædicabilibus, quę quidem species ex æquo diuidunt ipsum genus, non autē vna mediante altera. Verùm quia non necesse est, semper vna specie existente, alteram esse. & inter species potissimùm absolutas eiusdem generis, reperitur prioritas & posteritas perfectionis, quorum neutrum competit formis relatiuis. ideò esse simul natura propriè attribuitur relatiuis, & secundariò speciebus, e regione immediatè idem genus diuidentibus, seu immediatè sub eodem genere contentis. & a seinuicem diuisis seu distinctis. Conserunt hi modi simul ad ea quæ prius dicta sunt perfectius cognoscenda. Tertius quidē ad omnem diuisionē generis in suas species sub se immediatè contentas. Secundus, ad secundā proprietatē adaliquid. Hic enim explicatur quæ proprię sint simul natura. Primus quidem ad cognoscendum quòd ea quę multa sunt atq; diuersa, siue eiusdem prædicamenti fuerint, siue diuersorum, non ita repugnāt, quin possint simul esse tempore. Quum dicuntur in litera, gressibile, volatile, & aquatile, id est, natatile, esse simul natura, accipiunt nonnulli hęc, vt idem polleant quod animal gressibile, animal volatile, animal aquatile, quæ saltem secundum opinionem veterum species sunt, proximè sub animali contentæ. Alij arbitrantur, hæc esse sumenda, vt sint animalis differentiæ, aut re vera, aut secundum opinionem antiquorum, eo quòd hic tertius modus simul, æquè possit competere differentijs per se diuisiuis, quemadmodum & speciebus sub eodem genere contentis immediatè. Priori illi sensui satis consonat illud quod sequitur, & singulum horum rursus in species diuiditur. Diuisio enim in species, potius pertinet ad genus, q̃ ad differentiam. Diuiditur autem animal gressibile in hominem & equum. Animal volatile, in aquilam & vespertilionem, quorum vni sunt alæ ex membrana, alteri sunt alę pennatę. Animal aquatile diuiditur in ea quę natant pinnis, & in ea quæ natant motu pedum, quales sunt ranæ & anates. Post verba nunc producta, sic habet Boetij translatio, vt volatile animal, aliud gressibile, aliud aquatile. Inter volatilia autem animalia seu aues, gressibilia sunt, gallus, gallina, columba, & huiusmodi. Aues aquatiles sunt, olor, anser, & cæteræ latipedes. Sed huiusmodi diuisiones exactè discutere, alienum a nostro instituto est.

Tertius.

Cōmētator

Horum modorum commoditas.

In quartum caput, quod tractat de motus speciebus, adnotamentum.

NOn absurdè suspicari videntur quidam, Arist. ideò motum ipsum ad postprædicamenta reiecisse, vt indicaret ad nullū prędicamentorum directè attinere. Quod autē alij perhibent vocabulum motus æquiuocè acceptum, modò actionē significare, modò passionem, q̃ sit consentaneum vero, facilè dijudicauerit quiuis, vel mediocriter in physica re institutus.

Sunt autem motus seu mutationis (Nam inter ea hic nullum discrimen est faciendum) species sex in litera enumeratæ, quarum definitiones placuit breuiter & strictim hoc loco proferre.

Motus sex species.

Generatio igitur est progressio, a nō esse ad esse, hoc est, mutatio progrediens a priuatione substantialis formæ, ad ipsam formam substantialem, Vt motus, quo materia seu corpus acquirit animam rationalē, dicitur generatio hominis. Corruptio, econtrariò, est progressio ab esse ad non esse, id est, a forma substantiali ad eius priuationem, Vt mutatio illa qua corpus animam amittit. Augmentatio est mutatio e minore quantitate ad maiorem. Diminutio verò, a maiori ad minorem quantitatem. Alteratio propriè est, ex vna qualitate in alterā repugnantem mutatio, vt calefactio, id est, acquisitio caloris in subiecto antè frigido vel tepido. Item denigratio, dealbatio, &c̃. Impropriè verò alteratio dicit, omnis e qualitate, vel ad qualitatem mutatio, etiā si alter terminus fuerit priuatiuus, Vt aeris illuminatio atq; obtenebratio. Mutatio secundū locū, seu motus localis, vel (vt simplici nomine extulit Arist. in physicis) latio, est migratio ex vno loco in alterū, vt volatus, deambulatio, cursus. Cætera quę ad exactam motus specierum, eiusq; notitiā spectant, Vt quæ sint motus acceptiones, Et an secundum receptam sententiam, vniuocus sit ad mox recensitas sex species, quas quidem subalternas esse constat, non specialissimas, Et vtrum hic senarius specierum eius numerus

Generatio.

Corruptio.

Augmentatio.


Diminutio.


Alteratio propriè dicta.

Impropriè dicta.

Mutatio secundū locū.

sufficiens sit,& quæ sit huius causa. Et an motus res quædã a subiecto suo atq; termino ad quẽ est,distincta existat. Aliaq; eius generis plurima,nõ a logico,sed physico sunt exigenda. Quare nos,illis prætermissis,tantùm literæ declarationem aliquam in pauculis,vbi ea opus videbitur,subnectemus. Probatio ergo,qua ostendit Aristo.alteratione a reliquis mutationibus diuersam esse,ibi posita,Nam pene secundũ omnes passiones,&c. desumpta est ex loco a cõiugatis,vbi vsus est fortassè magis passionibus q̃ passibilibus qualitatibus,eo q̃ hæ, q̃ illæ permanentiores sint in subiectis suis,& proinde difficilius ac rarius alterationem admittant. Dicitur autem penè,forsitan quòd secundũ raritatem & densitatẽ,quæ qualitates sunt tertiæ speciei,aliquando etiã facilè mobiles,non fit alteratio sine augmentatione(vel vt quidã aiũt) quia circa animæ passiones nõ fit propriè dicta alteratio,de qua in Physicis. Augmentatio ea,qua augetur quadratum circũposito gnomone,non est propriè dicta,qualis fit per rarefactionem, eàdem omnino manente materia,aut physica,solis conueniẽs animatis, quæ fit per conuersionem alimenti in substantiã aliti. sed vulgariter, vt id augeri dicatur,ex quo secundũ se prorsus immutato,per additionem alterius,maius aliquid euadit. Sic aquã crescere dicimus, cui aliquid affunditur. Gnomon autẽ(vt eo geometræ vtuntur) definitur figura constãs ex duobus parallelogrãmi supplementis,cum altero minorum parallelogrammorũ,circa diagonum seu diametrum quadrati maioris circunstantium. Quid sit quadratum,superius fuit indicatum. Parallelogrãmum autem dicitur superficies æquidistantium laterum. Diagonus quadrati,& linea in quadrato longissima,ab angulo vno in oppositum angulum protensa. Supplementum parallelogrammi est partiale parallelogrammum, quod diagonus per medium nõ diuidit,tractis quidem duabus lineis ex opposito, quæ quadrati lateribus æquidistant,sese in aliquo diagoni puncto intersecantes. Parallelogrammum circa diagonum constare dicitur, quod duabus æquidistantibus tractis modo prędicto lineis agonus per medium diuidit. Hæc ex Stapulensi mutuati sumus,quæ in adiectis figuris patere possunt ad oculum.







e a i g.	Quadratum quod circumposito gnomone auctum est,& non alteratum, quia semper quadratum remanet.
a b c d.	Quadratum quod & maximum parallelogrammum.
e b i h.	Supplementum primum.
g i c f.	Supplementum secundum.
a e g i.	Parallelogrammum primum circa diagonum constans.
i h f d.	Secundum,& eadem sunt quadrata.
e b f d g h c d.	Primus gnomo,& de hoc loquitur Aristoteles.
a b g h a c c f.	Secundus.
a d.	Diagonus.

In quintum & vltimum caput, octo habendi modos complectens,annotatiuncula.

Habere multis dicitur modis.

Distinguuntur hic octo modi,hoc est,significationes verbi Habere,inter quos non indicauit Arist.quis sit præcipuus & principalis,vt antè de priore & simul fecit,sed tantùm expressit,quis eorum alienissimus sit. Putant nonnulli secundũ & quartum esse principales, alij septimum. Primus modus habendi est, secundum quem subiectum dicitur habere qualitatem,sub qua comprehendere solent in vniuersum omne accidens, quod non est quantitas. Secundus est,quo quantitas habetur,& vniuersaliter quicquid ad quantitatis prædicamentum est reducibile, qualia sunt vnitas, punctum, & huiusmodi. Tertius est, secundum quem quis habet aliquid circa corpus tanq̃ indumentum vel munimentum. Quartus, secundum quem habetur aliquid circa partem corporis,præsertim tanq̃ ornamentum.Et hi duo modi constituunt prædicamentum habitus, alij verò aliorsum sunt relegandi. Quintus est, secundũ quem aliquid habere dicitur partem, qualis qualis ea fuerit. Sextus, quo continens habet contentum. Septimus, secundum quem possidens habere dicitur rem possessam, mobilem,aut immobilem. Octauus & vltimus,secundum quem vir habet vxorem,& vxor virum. quẽ quidem habendi modum dicit Arist. omnium esse alienissimũ,maximeq; improprium. Cuius causam reddit Augustinus in suis categorijs,quia is qui habet hoc modo, etiam habetur,quod in alijs enumeratis non accidit. Videtur autem Aristoteles & aliam huius rationem subiunxisse dicens. Nihil enim aliud,dicendo virum habere vxorẽ,significamus, quàm virum vxori cohabitare. nimirum ad actus ciuiles & œconomicos vnà perficiendos. Sed hæc fortassis non a præcedẽte diuersa. Eo enim ipso contractu,quo quis sic habet alteram, continuè

Primus habẽdi modus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octauus.

continuè habetur etiã ab eadẽ. Alij habendi modi, ex quinto Metaphysicę haud difficulter petentur. Cæterùm de talibus modis non conuenit hic esse anxios, vtrum non in eandem aliquam communem rationem aliquot ipsorum coincidant, & ad quas pertineant classes prædicamentales, & an ne simili quodam modo, quo maritus vxorem, pater habeat filium, & filius patrem, & item fratrem frater, &c̃. Vltimum prędicamentũ satis videtur declarare, quod tertius & quartus in eodem conueniant genere.

Prædicamentorum libri Finis.

Tractatus breuis de diuisionibvs et definitionibvs.

ASOLVTIS vtcunq; his, quæ ad Prædicamentorum cognitionem videbantur pertinere, vtilissimum ac congruẽtissimum nostro iudicio fuerit, si ante librũ Peri hermenias ea tradere aggrediamur, quæ necessaria sunt cognitu, ad assequẽdam artem definitionum & diuisionum. Sunt etenim hæc (præsertim definitio) quodammodo media, inter incomplexa, ad quorum cognitionem traditus est liber prædicamentorum, & ipsam enunciationẽ, de qua agitur in sequẽti lib. Peri Her. Est enim omnis definitio imperfecta oratio. Neq; verò hoc diuisionum & definitionum negociũ atq; cura, quid in vniuersum sit definitio, & q̃ pacto sit definiendum, quid itẽ genus, pertinent ad eã scientiam, quæ prima rerũ principia tractat, quã Metaphysicen dicunt, a qua dialectice omnia hæc mutuaret, vti visum est Rodolpho cap. ij. libri de Inuentione dialect. sed horũ omnium consideratio propria est logicæ, id q̃d plures philosophorũ apertissimè attestãtur. Nam Plato eam describit esse definiendi, diuidẽdi, & colligendi artẽ. Cic. quoq; in Bruto, Dialectica (inquit) ars est, quę docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explanare definiendo, obscurã explanare interpretando, ambigua primùm videre, deinde distinguere, postremò habere regulam, quâ vera & falsa iudicantur, & quæ quibus proposita sint, quæq; non sint sequentia. Et Augustinus in libro de ordine, loquẽs de dialectica, Scientia (ait) argumentandi, diuidendi, definiendi, nõ ab hominibus pro arbitrio instituta est, sed in rerum ratione comperta est. Sed neq; vllus est locus in Metaphysicis apud Arist. in quo tradat definiendi artem, cognoscendiq; quid genus, quid species, &c. Sed eam potius in primo Posteriorum, atq; Topicorum sexto libro monstrauit. Quare & diuisionũ & definitionum consideratio, quemadmodum & quinq; vniuersalium (vti fatentur omnes) peculiariter ad dialecticũ pertinebit. An tamen res ipsę, quibus horum rationes tribuuntur, atq; accõmodantur, tales reuera sint, nec ne, rectius fortassè diceret esse negocij Metaphysici.

Ars definiẽdi atq; diuidendi ad dialecticen pertinet.

De vtilitate autem diuisionis in hunc modum breuiter scribit idem Rodolphus. Perquam vtilis est diuidendi ratio, tũ ad rei quæ diuiditur naturã demonstrandam (Proximum enim est, vt quum quid sit vnumquodq; dixeris, deinde quotuplex sit ostendas) tũ ad definiendum. Definire nãq; non aliud videtur, q̃ ex genere per differentias diuiso, in speciem descendere. Præcipuè verò ad disserendi orationisq; copiam, vt vnum aliquid, quod multa ambitu suo complectitur, in partes spargas. Latè enim funditur, quemadmodum multa, si in vnum colligas, in angustum aguntur. Ad hæc quemadmodũ absq; demõstratione, nulla scientia ritè cõparari potest, ita absq; his duabus partibus, diuisione inq̃, & definitione, non scientiã solùm, sed nec vllã artem assequi quis poterit. Ipsa namq; diuisio aditũ ad artes omnes & disciplinas præparat, seu diligens quædã exploratrix, quantum videlicet ars se vnaquæq; extendat. Definitio verò pręparata tã atq; explorata, veluti lumine adhibito, illustrat. & illustrata tanq̃ necessaria demonstrationi subministrat. Hactenus ille. Quamobrem nos Boetium imitati, instituimus priori loco tradere, quæ ad naturam diuisionum spectant, posteriori subiungere ea, quæ cognoscẽdis definitionibus videbuntur accõmoda.

Diuisionũ vtilitas.

Multiplex igitur est diuisio. Alia enim est generis in species aut differentias, Alia totius in partes, Alia cum vox multa significans, in suas diuiditur significationes, Alia secundum accidens. Genus diuidimus in species aut differentias, cum dicimus, Animalium aliud homo, aliud brutum, aliud rationale, aliud irrationale. Totum autem in partes diuiditur, quoties in ea resoluitur, ex quibus est compositum, vt cum dicimus, Domus, aliud est tectum, aliud paries. Vocis autem in significationes

Quadruplex diuisio

proprias fit diuisio, cum aperitur q̃ multa significet vox aliqua æquiuoca, vt cum dico, quod vox canis tres habet significationes, significat enim animal quadrupes latrabile, piscem marinum qui in immoderatam corporis magnitudinem crescens ceruleus appellatur, & cœleste signum quod ad Orionis pedem morbidū micat. Diuisio verò quę secundum accidēs dicit, tribus fit modis. Primus est, cū subiectū in accidētia separamus, vt hominū, alius bonus, alius malus: alius liber, alius seruus. Secundus est, cum accidens in subiecta diuidimus, vt bonorum quæ expetuntur, alia sunt corporis, alia animæ. Nam hæc bona sunt accidentia corporis aut animæ. Tertius modus est, cum accidens in accidentia separamus, vt candidorū alia dura, alia liquentia seu mollia. Nam diuisum & membra diuidentia iisdem accidunt subiectis. Porrò in diuisionibus duo præcipiuntur obseruanda. Prius est, vt quicquid comprehenditur sub diuiso, etiam comprehendatur sub aliquo membro diuidente, & contra, quicquid sub aliquo membro continetur, etiam contineatur sub diuiso. Alterum verò est, vt sit quædam oppositio inter membra diuidentia, vt corporum aliud animatum, aliud inanimatum. Neq; enim sic rectè corpus diuiseris, corporum aliud inanimatum, aliud rationale. quia mēbra nullam oppositionis speciem præ se ferunt. Verùm hæ conditiones in diuisionibus generis potissimum obseruantur. In reliquis verò non adeò scrupulosè. Et hęc de diuisionibus. Iam de definitionibus pauca subijciamus.

Diuisio secū dū accidens est triplex.

Duo obseruāda in diuisionibus.

De Definitionibus.

Duplex est definitionum genus. Alia enim est definitio quid nominis, altera quid rei. Definitio quid nominis (quæ alio nomine Etymologia aut interpretatio dicitur) nihil aliud est, q̃ oratio, simplicis nominis significationem explicans, vt magnanimus est, qui magnum habet animum. Vacuum est locus carens corpore. Infinitum, quod terminum seu finem non habet. Et hęc definitio tam nominibus rem fictam seu impossibilem, q̃ veram & existentem significantibus assignatur, quia ad hoc duntaxat adhibetur, vt nominis significationem explicet, siue res per ipsum significata existat, siue non. habetq; vim quandam ampliandi definitum in subiecto positum. Vndè nec sequitur, vacuum est locus carens corpore, ergo vacuum est. Definitio verò quid rei est oratio conuertibiliter explicans rem per nomen significatam, cuius definitum semper rem veram significat, quia res quæ non est, explicari non potest. Est autē huiusmodi definitio triplex. Quędam essentialis, quædam causalis, (sub qua cōplēctere illā, quæ per effectum datur) & quędā accidentaria. Definitio essentialis seu substantialis (quę sola veræ ac proprię definitionis appellationem recipere meretur) ab Arist. 5. Topi. in hunc modum describitur sub nomine termini. Terminus est oratio, quid est esse significans. Cic. in suis Topicis sic descripsit, sed in eandē sententiā. Definitio est oratio, quę id quod definitur explicat quid sit. Et alio in loco. Definitio est oratio, quę quid sit id, de quo ambigitur ostendit q̃ breuissimè. vt animal rationale, est definitio hominis, substantia corporea ipsius corporis. Vulgò tamen abutimur nomine definitionis, appellantes definitionem totā enunciationem, in qua prædicatur definitio de definito, vt homo est animal rationale. Explicare quid est esse, est exprimere rei definiendę totam essentiā per partes, & nihil amplius. Rei essentia tum exprimitur, cum enumerantur omnia eius principia essentialia, quæ sunt genera & differētię constitutiuæ. Tradit Boetius, omnem definitionē substantialem constitui debere ex duabus tantum partibus, genere proximo, atq; differentia cum re definienda conuertibili, quod rectissimè dictum esse videtur, vbi speciei definiendæ genus proximū & ipsius differētia specifica nobis cognita fuerint. Cæterùm hic definiendi modus rarissimè in vsum venit, eo q; rei definiendæ differētia specifica & conuertibilis, aut genus ipsum immediatum non satis est notum. Hinc Porphyrius (qui arbitrabat, rationale etiā dijs competere) hominē hunc in modū definiuit, Homo est animal rationale mortale, sumens duas differentias, quæ singulæ seorsim sumptæ hominem quidem excederent, sed simul sumptæ cū homine conuerterentur. Verùm an hic definiendi modus proprius sit & exactus, alibi est declarandū. Ea definitio causalis est, quę componitur ex rei definiendæ causis, aut (vt alij dicunt) quæ essentiæ rei causam explicat. Hæc autem dupliciter reddi solet. Vno modo, vt causa in recto de suo effectu prędicet, vt dum dicitur, Lunæ eclipsis est directa interpositio terræ inter solem & lunā, in capite aut cauda draconis positā. Tonitruum est extinctio ignis in nube. Aequalitas est rerum differentium eadem qualitas, &c̃. Altero modo, vt causa in obliquo casu designata de effectu dicat, vt eclipsis lunæ est priuatio luminis in luna, proueniens ex interpositione terrę, &c̃. Tonitruum est quidam sonus factus ab extinctione ignis in nube, &c̃. Aequalitas est relatio causata, &c̃. & in alijs

Definitio qd nominis

Definitio quid rei.

Quid causalis finitio.

& in alijs ſimili modo. Hæc cauſalis definitio, iuxta quadruplex cauſarum genus, quadrifariã eſt diuidenda. Vna enim cauſa eſt materialis, ex qua tanq̃ informi quopiam ſecundum ſe, aliquid fit. Vt ligna & lapides materia ſunt domus: æs, ſtatuæ æreæ: corpus humanum, hominis. Altera eſt cauſa formalis, quę dat rei eſſe, ſiue per quã res eſt, hoc eſt, quę adueniẽs materię, eſſentiã rei abſoluit, vt anima rationalis forma eſt hominis. & figura, ipſius ſtatuæ. Tertia eſt efficiens, a qua aliud producitur, vt ſol lumen efficit. ignis calorem. ſutor calceum, &c̃.

Quarta eſt cauſa finalis, gratia cuius ſeu propter quam aliquid fit, vt ſanitas finis eſt potionis amaræ, deãbulationis, &c̃. Itẽ beatitudo, cauſa eſt finalis hominis. Ex hiſce cauſis aut ſingulis, aut pluribus, aut etiã omnibus, fiunt definitiones cauſales. Definitiones per cauſam materialem redditæ, ſunt hæ & ſimiles. Zithus, eſt vinum ex ordeo factum, Aut Zithum eſt potus ex aqua, ordeo, & lupulo confectus. Anima eſt actus corporis naturalis, potentia vitam habẽtis. Sed hic aſſignatur materia in qua, quæ impropriè cauſa materialis dicitur, Illic materia ex qua. Ad hanc definitionis ſpeciẽ atq; modũ arbitramur pertinere eã definitionem, quã Tullius in Topicis ſuis partitionem vocat, quũ videlicet res ea quę propoſita eſt, quaſi in mẽbra diſcerpit, cuius exemplum eſt. Ius ciuile eſt, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorũ autoritate, ædictis magiſtratuũ, more, & ęquitate cõſiſtit. Hanc nuncupat Boetius in commentarijs ſuis definitionem per partium enumerationem. Cuius exemplum eſt. Domus eſt, quæ fundamento, parietibus, tectoq; conſiſtit. Tales ſunt & hæ. Pœna quæ legibus ſancita eſt, eſt quę vno ex iſtis octo modis fit, nẽpe aut dãno, aut vinculis, aut verberibus, aut talione, aut ignominia, aut exilio, aut ſeruitute, aut morte. Mũdus eſt ex cœlo terraq;, nec non ex naturis, quę intra hęc includuntur, conſtitutio. Corpus humanum eſt, quod ex capite, pectore, manibus, ventre, & pedibus conſtat. Philoſophia eſt artiũ dicendi, phyſiologię, & præceptorũ de moribus cognitio tanta, quantã aſſequi ratio humana poteſt. Nam partes integrales reducit Philoſophus ij. Phyſicorum ad genus cauſæ materialis. Hæ autem definitiones formam cõtinent. Homo eſt animal ex anima rationali conſtans, Animal eſt corpus animatum anima ſenſitiua conſiſtẽs, &c̃. Et ad hunc modũ attinent, quęcunq; definitiones de concretis aſſignantur per ſua abſtracta. Vt qualium definitio per qualitatem. albi per albedinem, & ita in reliquis. Sunt enim qualitas atq; albedo, formales cauſæ albi & qualis, ipſis natura priores, atq; notiores. Hicq; definiendi modus natura quidem notior eſt, nobis autem ignotior, qui compoſitiora & poſteriora facilius cognoſcimus, vt antè diximus in quodam loco. Per cauſam efficientem redditæ ſunt hę. Eclypſis eſt interpoſitio, &c̃. Ira eſt (vt inquit Damaſcenus) efferueſcentia ſanguinis circa cor, ex euaporatione exulcerationéve bilis proueniens. Dies eſt latio ſolis ſupra terram. Nox eſt latio ſolis ſub terra, &c̃. Hæ autem ex cauſa finali conſtant. Domus eſt tegumentũ, quod prohibere propulſareq; poteſt incõmoditates eas, quę tum a ventis, tum ab imbribus, tũ ab æſtu fieri euenireq; ſolent. Ira eſt appetitio, doloris viciſſim aduerſario inferẽdi. Aut ira, eſt deſideriũ appetituſq; vindictę. Homo animal eſt ad perceptionem ſummi boni deſtinatum, &c̃. Hęc definitio plures cauſas explicat. Homo eſt animal ex corpore & anima rationali conſtans, natũ ad perpetuam fœlicitatẽ. Eclypſis lunæ, eſt luminis lunaris priuatio, ex interpoſitione terrę, &c̃. proueniẽs. Ira eſt appetitus vindictæ, ex ebullitione ſanguinis circa cor procedens, &c̃. Ediuerſò hę ex effectis componuntur. Timor eſt irrationalis contractio. Acedia, ira eſt, taciturnitatem defectionemq; vocis inducens. Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Iuſtitia eſt, quę ſuum cuiq; tribuit. Sol eſt autor diurnę lucis. Homo eſt animal quod loqui poteſt. & ita in reliquis. Neq; pro abſurdo habebitur, eandem eſſe definitionem cauſalem, & per effectum datam, vbi res ipſę ſibi mutuò cauſę eſſe poſſunt, ad hunc definiendi modum pertinent penè omnium virtutũ atq; vitiorum definitiones. Similiter & eæ, quę abſtracta explicant per ſua concreta, qualis erat definitio qualitatis ab Ariſt. aſſignata, aliæq; huic ſimiles. Vt motus eſt actus mobilis, quatenus eſt mobile, &c̃. Sunt enim concreta, ſeu res quatenus nominibus concretis deſignantur, quodammodo effectus cauſę formalis atq; magis compoſitæ formis per abſtracta ſignificatis, & nobis notiores, quibus primo intuitu ſeſe offerunt cognoſcenda ea quę compoſitiora ſunt. Vt prius cognoſcimus rem calidam, dulcem, &c̃. q̃ caliditatẽ, & dulcedinem, quã a ſubiecto abſtractam concipimus. Ob id quoq; hic definiendi modus nobis eſt familiarior eo, quo concretũ per ſuum abſtractum definitur. De his hactenus a nobis ſit dictum in ſumma. Nam in ſingulis diſciplinis exactius explicandę ſunt huiuſmodi definitiones. Tertio loco collocauimus definitionem accidentariam, quæ non quid ſit id de quo agitur, ſed quale aut quantum ſit explicat. Hæc in duo genera diuiditur ſecundum geminam accidentis diuiſionem. Accidentium enim aliud proprium, aliud accidens commune dicitur.

Definitiones ex cauſa materiali conſtantur.

Definitiões ex forma.

Ex cauſa efficiẽte finitiones.

Definitiones cauſam finalẽ complectentes.

Ex effectib⁹ definitiões.

Vna igitur definitio accidentis est, oratio constans ex genere & proprio rei definiendæ, quæ qualis sit ipsa res, conuertibiliter explicat, vt animal risibile respectu hominis. hanc veteres ferè descriptionem nuncupant. Altera verò ex genere & communibus accidentibus, præsertim definito peculiaribus est collecta, vt cœlum est corpus simplex, quod circumagitur. Ignis elementum est leuissimũ. Terra elementum est grauissimũ. Similiter herbarum, plantarũ, atque lapidum definitiones, quas solent autores tradere. Porrò quæ de his tribus definitionũ generibus diximus, nõ sic accipienda sunt, quasi semper reipsa sint a se mutuò separata. Etenim frequenter eadem definitio diuersorum generum rationem induit, aliter & aliter considerata. Nam omnis definitio essentialis etiam est causalis, quatenus genus ipsum materiæ rationem habet, differentia verò formæ. Aristot. autem huiusmodi definitiones datas per genus & differentiam in ij. Physicorum ad causæ formalis genus reuocat. Præterea descriptiones, quæ genere constant & proprio, per effectus dantur, talesque sunt plurimæ, quæ accidentia communia accipiunt, vti facilè licet colligere ex exemplis prius datis. His ita constitutis superest, vt quàm breuissimè annotemus quæ sunt obseruanda in omni definitione quid rei. hæc autem præcipuè duo sunt. Prius est, vt definitio neque pluribus, neque paucioribus competat, quàm definitum. sed conuersim de eo prædicetur, vt quicquid est homo, est etiam animal rationale. & cõtra, quicquid est animal rationale, est homo. Animal sensibile verò non est conueniens hominis definitio, quia pluribus conuenit quàm definitum homo. Posterius est, vt vnaquæque definitio suo modo explicet naturam rei definiedæ. vndè inepta erit definitio, si obscura fuerit propter aliquod multiplex in ea positum, nisi indicetur in qua significatione sumatur. si secundũ trãslationem detur, aut ignotis & inusitatis vtatur nominibus, aut si detur per ignotiora quàm sit definitum, Item si partem aliquam contineat, quæ nihil ad rem faciat, neque naturam definiti explicet, sed planè superflua sit. Dixi hæc duo obseruanda esse in definitione quid rei, quia etymologia, quæ sub definitione quid nominis comprehenditur, frequenter neque conuertibilis est cum nomine cuius etymologia est, neque naturam rei significatæ per nomen explicat.

Duo obseruanda in definitione qd rei.

Et hæc de diuisionibus atque definitionibus pro pueris compendio dicta sufficiant. Si quis fortè plura inquirat, legat Boetium & alios, qui hæc copiosius sunt executi.

Tractatuli de diuisionibus & definitionibus, finis.

In librum Peri Hermenias

PROOEMIVM.

Explicat ratio ordinis huius libri Peri Hermenias ad cæteros logices libros.

INTER Dialectices munia, præcipuum est illud, quo ex notò in cognitionem ignoti deducimur. Ignotum autem duplex est, complexum & incomplexum. Dubitamus enim quid sit homo, & an homo sit rationalis. In incomplexi cognitionem non possumus pertingere, nisi sciamus eius definitionem, qualisqualis fuerit, siue sumatur huiusmodi definitio diuisione quadã, siue alia quapiam via. Ad talem autem incomplexi propositi definitionẽ sumendam, vtilissimus fuit liber prædicamentorum, in quo singula capita, singulique ordines rerum simplicium sunt assignati, sine quibus difficillimum est, aut omnino impossibile, reddere notam rem aliquam simplicem. Ars autem definitionum ac diuisionum, vt superius meminimus, nec ab Aristotele tradita est, nec ab aliquo veteri philosopho, quanquàm tradenda fuerat continuò post prædicamentorũ doctrinam, vt a nobis est factum. Omnia ergo quæ diximus, simplicia videlicet, eorum definitiones & diuisiones, hoc est, ea quæ sub eodem communiori contenta a se distinguuntur, spectant ad primam operationem intellectus, quæ vocatur simplicium apprehensio, sicut antè indicauimus. In his enim nulla est compositio, nulla diuisio. Deinde verò complexum incognitum, non potest notum reddi, nisi quodam discursu atque argumentatione pertinente ad tertiam intellectus operationem, qua vnum ex altero infertur. Argumentationis verò partes præcipuæ sunt enunciationes, vna inferens, altera illata, quæ quidem enunciationes ex dictionibus simplicibus compositæ, veluti quædam media, sese habent inter simplices voces & argumentationes, eo quòd in ipsis primò reperiatur compositio vel diuisio, quę est secunda mediaque intellectus operatio. Quare ex his perspicere licebit, hũc librum optimo ordine postpositum scientiæ prędicamentorum, præcedere reliquas logicæ partes,

partes, in quibus de ipsa argumentatione differitur. Huius scientiæ vtilitatem maximā facile percipiet, quisquis legerit ea quæ sunt tradita in hoc libro, Cuius quidem libri omnes constanter asserunt Arist. esse autorem, excepto vnico Andronico, quemadmodū refert Boetius, qui ob frigidam ratiunculam acceptam ex vocabulo passionis, quo vtitur Aristot. in proœmio, id ausus est pernegare. Porrò materia, circa quam hæc doctrina præcipuè versatur, iudicio omnium est enunciatio siue oratio enunciatiua. Addit Boetius simplex, nostroq; iudicio rectè. Hanc enim disciplinam tradidit Philosophus tanq̃ prorsus necessariā, ad eos syllogismos intelligēdos, de quibus acturus est in sequētibus libris, qui quidē syllogismi simplices sunt & categorici, nō hypothetici, hoc est, ex simplicibus constāt enunciationibus tanq̃ præmissis, nō autē ex compositis seu hypotheticis. Neq; Arist. vllo loco huius libri quicq̃ tradit de cōpositis enunciationibus, vnico dempto, in quo obiter strictimq; indicat, quid sit enunciatio cōposita, quum prius enunciationem definiuisset, vt vtranq; enunciationem sub se comprehēderet, & simplicem & compositam. Addit diuus Thomas & aliam rationem huius rei, quam breuitatis causa prætermittimus. Est igitur huius præcipua materia, enunciatio simplex, cuius partes subiectiuæ sunt affirmatio & negatio. Ipsius autem passio seu proprium accidens, est opponibile, quod propriè competit enunciationi simplici. Cuius definitio postea assignabitur ab Aristotele. Huius libri inscriptio est, Aristotelis Peri hermenias, hoc est, liber Aristotelis de interpretatione. Non enim vna est dictio Peri Hermenias, vt indocti finxerunt, sed oratio composita ex præpositione græca περὶ & genitiuo ἑρμηνείας. Græcis verbū ἑρμηνεύω, idem est quod interpreror, & ἑρμηνεία, idem quod interpretatio. Est autem interpretatio (si credamus Seuerino Boetio in vtraq; æditione) vox articulata per se significatiua, siue simplex sit siue complexa. Huiusmodi enim voce interpretamur & exponimus, quid mente conceperimus. Iuxta illud Horatij in arte poetica. Post efferr animi motus, interprere lingua. Soni ergo non voces, vt campanæ sonitus, tussis, singultus, & voces non significatiuæ, etiam dearticulatę, aut rocice, bilictri. Preterea consignificatiuæ secundum se sumptę, similiter & voces naturaliter significantes, non dicuntur hic interpretationes. Posterioribus autem Alberto, Thomę, & sequacibus, nomen interpretationis dicitur propriè conuenire soli enunciationi. Is enim propriè mentem seu cogitationem suam interpretari videtur, qui exponit aliquid verum aut falsum. Sed nihili referre putamus, vtro modo acceperis interpretationem. Nam si priori illo modo sumatur, erit huius libri inscriptio desumpta ab omni eo, quod in hac scientia tractatur, siue primò & principaliter, siue secundariò. Nam hoc ab eo, circa quod præcipuè ipsa versatur, quem admodum planè fatetur Boetius. Possunt enim plurima contineri sub eo, a quo sumitur libri inscriptio, de quibus (eodem teste) nihil principaliter agitur aut traditur in ipsa disciplina. Quòd si quis posteriorum opinionem sequens, relicta Boetij sententia, per interpretationem intellexerit ipsam enunciationem, præsertim simplicem, huius libri inscriptio sumpta erit ab ipsius proprio subiecto. Verùm in hisce rebus fortassè longius, q̃ par erat, sumus immorati. Quare ad textum literæ veniamus.

Huius libri autor. *Boetius.* *Huius libri materia.* *Quid interpretatio.*

Primū oportet cōstituere, qd sit nomen.

In primi tractatus primum caput, quod proœmialem propositionem continet, pertractatq; de signis & signatis, adnotatio.

Exactissimus in tradendis disciplinis artifex Aristoteles, vt paratiorem faciat intellectū lectoris, in ipso statim opusculi sui ingressu, summatim breuiterq; recenset, de quibus in hoc libro sit determinaturus, licet ordine in nonnullis conuerso. Cuius rei rationem si quis diffusè & eleganter discussam disputatamq; requirit, Boetij in hunc passum adeat commentarios secundò ęditos. Nobis enim non licet esse tam prolixis, & alioqui fortassis res ipsa cognita parum conferret ad erudionem momenti. Verbum (oportet) in litera sumendum est & interpretandum eodem modo, quo necessarium in principio proœmij Porphyriani. Eorum enim quę hic recensentur cognitio, vtilis est, & quodammodo necessaria, ad perfectē scilicet intelligendum, quę in libris Priorum Analyticorum, sequentibusq; alijs continentur. Videtur autē Aristoteles in hisce recensendis ordinem eum sequutus, secundum quem partes anteeunt sua tota. Siquidem nomen & verbum partes sunt integrales affirmationis & negationis, atq; adeo ipsius enunciationis, cuius hæ partes sunt subiectiuæ. Oratio verò pars essentialis, vtputa genus. Meminit autem potius nominis & verbi, q̃ cæterarum partium orationis, ex quibus etiā nonnunq; constare liquet enunciationes, propterea q̃ illa duntaxat necessaria sunt conficiēdis simplicibus pronunciatis (vulgò categoricas appellamus propositiones) vel certè pręcipua in eis munia obeant, prædicati inq̃ & subiecti, ex quibus solis tanq̃ præmissis fieri possunt syllogismi ca-

gismi categorici, quos in sequētibus est tractaturus. Nominibus propinqua sunt aduerbia plurima, quę scilicet aliquid significāt, & interiectiones (teste Boetio) atq; pronomina, quanq̄ hæc postrema fortassis vera nomina sunt apud logicum, neq; a definitione bono iure queāt excludi. Non autem obstat (autore eodē) quòd casibus illorum quędā flecti non possunt. Sunt enim nomina nonnulla, quę monoptota vocātur. Participia autem verbis cognata sunt in temporis significatione. nominibus verò, in eo quòd accessione verbi absoluant verā orationem aut falsam. Coniunctiones autem & præpositiones, addimus etiam pleraq; aduerbia, nihil significant, sed tamen alijs coniuncta, faciunt ipsa diuerso quodā modo sua significata designare. Proposuit igitur Aristot. initio præcipuas enunciationis partes, sub quibus reliquæ non magno negocio poterunt intelligi. Cur autem negationem præmiserit affirmationi, variæ redduntur a cōmentatoribus causæ, a quibus (vti antè dicebamus) abstinendū nobis est, breuitatis potissimū gratia. Ex tertio modo simul, in post prędicamētis assignato, didicimus species sub eodem genere æquè propinquè contentas, simul esse natura, neq; vnā altera esse priorem. cuius rei insinuandę gratia, fortassis præposuit Philosophus eam, quę minus præponenda videbatur. In eandem sententiam descendere videtur ipse Boetius, in priore æditione. Hactenus de proœmio, post quod continuè, anteq; nominis aut verbi, cęterorumq; mox dictorū determinationem aggrediatur, prudēter pręmittit Arist. nonnulla scitu necessaria, vt plenè illa penitusq; possint intelligi. Quoniā enim inferius dicturus est, ea esse voces significatiuas, & tunc temporis magna super significatione vocum, scripturarum, atq; conceptuum animi, esset controuersia, quidnam propriè & primùm per nomina atq; verba & orationes significaretur, voluit ipse paucis de hac re suam aperire sententiam, complexus eam tribus suppositionibus, hoc est, non omnino per se notis propositionibus seu principijs.

Boetius.

Prima suppositio est. Ea quę sunt in voce, sunt notę earum passionum, quę in anima sunt. Et ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. Cuius quidem suppositionis neutra pars vniuersaliter est accipienda, aut cum exclusione, quū non de omnibus vocibus & scripturis, neq; solis veritatem contineat quod hic dicitur. Sunt enim multę scripturæ & voces non significatiuæ, Et scripturæ quoq; animi passiones (licet non primùm) denunciant. Prior quidem pars vera est de nominibus omnibus atq; verbis vocalibus, quæ ideo in voce esse dicuntur, quòd in vocali proferantur oratione. quemadmodum indicat Boetius. Per passiones animę non intelligimus hoc loco animę perturbationes seu affectus, vt sunt ira, odium, amor, &c̄. de quibus in secunda specie qualitatis, sed animi conceptus seu notiones, quę nihil aliud sunt q̄ actuales intellectiones seu cognitiones rerum, quas quidem in se creat efformatq; anima, ex ipsarū rerum intuitu vel signo quopiam percepto, vt cognitio seu conceptus lapidis, conceptus quo cognoscitur iustitia, & sic de cęteris, quæ ob id passiones animæ non absurdè vocantur, quia anima eas in se recipiens quodammodo patitur, non quidem corruptiua passione, sed magis perfectiua: quemadmodum cera per sigilli impressionem pati dicitur, nouam recipiendo figuram. Hinc manifestarius est error Andronici, qui (vt apud Boetium narratur) contendit, ex hoc probari, hunc librum Aristotelis non esse, quod de huiusmodi affectionibus, vt sunt tristitia, gaudium, cupiditas, &c̄. nihil in libro de anima tractauerit, non intelligens, in hoc loco Aristotelem passiones animę non pro affectionibus, sed pro intellectibus posuisse, de quibus in tertio de anima tractat. Notam autem (græcè est symbolon) accipiunt commentarores pro signo seu indicio ad placitum significante, vt dicat Aristoteles, voces significare ipsos conceptus animæ, & scripturas ea quę sunt in voce. Sunt enim hic quatuor præcipuè attendenda, quorum in textu fit mentio, nempe res, passiones animæ, voces, atq; scripturæ. Inter quæ in quantum huiusmodi, res ipsæ tantum sunt significatæ, scripturæ verò tantum significātes, vocibus autem & animæ passionibus vtrunq; & significare & significari attribuitur. Passiones enim res ipsas proximè nobis repręsentant. Et quidem si homo naturaliter animal esset solitarium, satis illi forent animæ passiones seu conceptus, quibus res obiectas contemplaretur. Sed quum homo suapte natura ciuilis sit atq; socialis, magis q̄ vllum gregarium animal (vt dicit Philosophus capite secundo, primi Polyticorum) neq; possit alter alterius intueri animum, datæ sunt ei a natura voces, velut signa quędam & instrumenta ad interpretandum animi cōceptiones, alijsq; communicandum, quibus tamen pręter admodum paucas, significatio ipsa non nisi ex ipso hominum instituto competit. At verò quia ad absentes longeq; a nobis remotos, & eos etiā qui futuris seculis nos secuturi sunt, vocibus vti non licet, quippe quæ ad eos nō possunt pertingere. Inuentæ sunt postea ab ingeniosis hominibus scripturę, quibus mentis suę cogitata ad posteros seu absentes transmitterent. Vndè Lucanus in tertio Pharsaliæ.

Quę animę passiones.

Quid nota.

Hęc sunt cōsiderāda diligenter.

Phœnices

> Phœnices primi(famæ si creditur)ausi
> Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Quod nonnulli ad ἱερογλύφικα, id est, sacra quędã monumenta referunt, quibus pristinis secu lis vtebantur, non literis, sed sculptis rerum animaliumq; figuris, significantia. Vt per leonem significabant fortitudinem: per asinum, tarditatem: per muscam, imprudentiam, & sic de cęte ris, de quibus Orus Apollo librum conscripsit. Hinc ergo palam euadit, q; voces primò pro ximeq; designant nobis conceptus seu notiones animi, eius præsertim, quo cum sermonẽ mis cemus, hoc est, proferentis. Scripturæ verò primò significant, ac repręsentant vocem scripto- ris, quam si præsens nobis esset eloqueretur. Vtrarumq; tamen principalis & vltima significa tio, a qua prędicamentalem seriem sortiuntur, ad res ipsas spectat. Neq; enim aut voces signifi cant animi passiones, aut scripturæ voces, quatenus res quædam sunt, aut tales qualitates, sed in quantum instrumenta sunt significandarum rerum. Nihil autem obstat prædictis, quòd fre quęnter audita voce quapiam, non ad conceptum correspondentem intelligendum conuerti mus animum. Similiter quòd lecta scriptura, non semper de vocibus quibus illa effertur cogi tamus, sed statim & immediatè in rem ipsam significatam ferimur. Item quòd nonnunq̃ etiam voces, scripturas significant, vt quum quis alteri scribendum quid dictat. Nam nos de prima ria tantũ significatione, & cuius gratia primùm inuentæ ac institutæ sunt voces atq; scripturę, hic agimus, non negantes quin secus his etiam vti contingat. Ea autem est, quã hoc loco tra- didit Aristoteles. Doctè & peracutè admonet Boetius, contrarium esse illorum quatuor, de quibus hic disseritur, ordinem apud dicentem, seu is doceat seu interroget, q̃ audientem, siue hic discat, siue interrogetur. Illi enim primo succurrunt res, secundo loco passiones, deinde vo ces, & quartò scripturæ, si cũ absente negotiũ agatur. Huic verò, si absens sit, primò obijcitur scriptura, deinde voces, mox conceptus, postremò autẽ res ipsæ. Secunda suppositio, (quæ scripturas & voces a passionibus separat,) sic habet. Quemadmodum nec literæ eædem om nibus sunt, sic nec eædem voces, Quarum autem hæ primùm notæ sunt, eædem omnibus pas siones animæ, Et quarum hæ similitudines, res etiam eędem. Cuius sensus est. Quemadmodum literæ, quibus eadem vox scribitur, non sunt eædem specie apud omnes, (Nam vox homo a- lijs literis apud Græcos, & alijs apud Latinos scribitur) sic & voces quibus eadem significatur cogitatio, non sunt eædem specie apud omnes. Alia enim voce Græcus significat hominis co gitationẽ, alia verò Latinus aut Hæbreus, Sed passiones animæ, quæ primò & immediatè vo cibus significantur, si de eodem sint obiecto, apud omnes eiusdẽ sunt speciei, vt cogitatio qua Latinus hominem cogitat, eiusdem est speciei cum ea, qua Gręcus aut Hæbreus eandem rẽ co gitat. Similiter etiam necessè est, omnes passiones, quæ eiusdem sunt speciei, eiusdem omnino rei atq; obiecti numero esse similitudinem. Siquidem definiuntur cogitationes eiusdem speci ei, quę idem numero obiectum formaliter habent. Quare necessè est, vt & quęcunq; passiones idem habent obiectum, eiusdem sint speciei. & contra, quæcunq; sunt eiusdem speciei, idem nu mero obiectum habeant. Sed obijcitur. Hę duę voces, Ensis & gladius, licet inter se diuersis- simę sint, tamen apud Aristot. in Topicis eędem numero dicuntur, quia rem numero eandem significant, ergo literę quibus diuersæ gentes eandem scribunt vocem, & voces quibus eandẽ exprimunt cogitationem, non erunt specie distinctæ, sed potius eædem numero, quia idem nu mero significant. Responsio. De vocibus duobus modis loquimur. Altero secundum quod sunt signa, & sic eis multa tribuimus gratia rerum quas significant. Dicimus enim vocem(ani mal)ad prędicamentum substantiæ pertinere, quia res eius significata substantia est, licet alio qui omnis vox in se considerata ad tertiam qualitatis speciem pertineat. Simili modo ensis & gladius ratione rei significatę dicuntur numero eadem, sed si considerentur in quantũ sunt voces quædam pertinentes ad qualitatem, non habita ratione rei significatę, sic inter se spe- cie differunt. Et eodem modo dicendum est de scripturis, quę ad quartam qualitatis speciẽ per tinent, quòd licet idem significent, differunt tamen specie si in se considerentur ratione rei significatę, sicut & alię figurę, & sic hoc loco considerantur, Ex hac secunda suppositione li- quet, scripturas & voces ad placitum duntaxat significare, Passiones verò naturaliter. Nam literarum atq; vocum diuersitas ex arbitrio hominum nata est, qui voces atq; scripturas sibi ad significandum composuerunt, alius quidem sic, alius verò aliter. Cogitationes autẽ no- bis indidit natura, quę sicut in omnibus est eadem, sic identitatis atq; similitudinis principiũ est. Proposita vocum significatione, subiungit Aristoteles earundem inter ipsas diuersita- tem, cum primis cognitu necessariam ad ea, quæ posterius traduntur, declarans eam ex diuer sitate conceptuũ animi, tanq̃ illa priori. Vt enim vocibus significatio non cõpetit, nisi gratia conceptuum

Obiectionũ dilutio.

Secũda suppositio.

Quę passiones sint eędem.

conceptuum animi, ita neq; significationum varietas, quæ in complexione multiplici, & incomplexione consistit. Omittit autem hoc libro & sequentibus scripturas, eo quòd de vocibus solis præcipua logico cura est, quę maximè idonea ac familiaria sunt instrumenta disserendi, & quia nomen & verbum atq; orationem, cæteraq; omnia vocalia est definiturus. Est ergo tertia suppositio. Quemadmodum in anima interdum est conceptus sine vero & falso, interdum autem cum altero horum, sic & in voce esse videtur. Hoc est. Sicut animi conceptus aliqui, neq; cum veritate, neq; cum falsitate coniuncti sunt, hoc est, neq; veri sunt, neq; falsi, alios autem semper alterum horum coniunctum habere necesse est. ita & inter voces, quædam necessariò sunt veræ aut falsę, aliæ verò minimè. Quum sequitur Circa compositionem enim, &c. ostendit quinā sunt illi conceptus, quos semper veritas aut falsitas comitatur. Per compositionem intelligens propositionem categoricam mentalem affirmatiuam, quia eius termini cōponuntur, hoc est, significantur in idem conuenire. Per diuisionem verò huiusmodi negatiuam enunciationem, quòd in ea termini ab inuicem diuidantur atq; separentur. Circa autem has solas primò est veritas atq; falsitas. Compositarum namq; enunciationum veritatē & falsitatem, illarum veritate falsitateq; metimur. Ibi verò, Nomina igitur & verba, &c. ostendit quæ voces assimilentur conceptibus neq; veris, neq; falsis, enumerans præsertim nomina & verba, de quibus mox est acturus, licet & aliæ eiusmodi complures facilè deprehendantur. Probatio autem, quam subiungit, sumpta ex loco a maiore, vtitur nomine compositæ figuræ, hircoceruus, Græcè τραγέλαφος dicitur. Significat autem id nomen rem impossibilem, monstrum scilicet quoddam fictitium ex hirco & ceruo compositum. Plinius tamen autor est, esse animal circa Phasidem, Colchidis insulæ amnem, dependentem barbam habens more hircorum, in reliquis verò persimile ceruo, præter armiullos.. In fine capitis per esse simpliciter intelligunt verbum (est) præsentis temporis affirmatum. Et per esse secundum tēpus, intelligunt verbum est affirmatum præteriti vel futuri temporis, eo fortassè, quòd quibusdam visum sit (quanq; falsò) nullum tempus esse præsens, sed omne aut præteritum esse aut futurum. Præsens namq; (vt habet Boetius) tempus non est, sed confinium temporis, finis namq; præteriti est, futuriq; principium. Alias duas expositiones huius loci apud eundem reperies, a nobis breuitatis studio prætermissas.

Tertia suppositio.

Plinius.

Nomē est vox significatiua secūdū placitū.

In secundum caput, nominis definitionem tradens ac explicans, adnotatio.

A Nomine incipit, quod veluti materies quędam est ipsius enūciationis, cum verbum formæ rationem habere dicatur, eo quòd perfectiora in enunciatione obeat munia, nempe prædicandi, de qua rę post latius. Initio autem assignat nominis definitionem, secundò eā declarat præsertim ratione tertiæ & vltimæ particularum, relictis duabus primis & quarta, satis ex præcedente capite & sequenti notis. Et tertiò reijcit ea quæ non perfectè habent rationem nominis, indicans præmissam definitionem a veteribus acceptam, non esse consummatam, & omnibus suis numeris absolutam. Definitio est hæc. Nomen est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars est significatiua separata. Definitum constat accipi pro nomine logico, eoq; vocali, & similis est de verbo, oratione, atq; enunciatiatione habenda ratio. Sunt enim hæc omnia triplicia, Nempe mentalia, vocalia, atq; scripta, sicut manifestum est ex capite præcedente. Sed de solis vocalibus hoc libro futurus est sermo, cuius rei causa ex adnotatione in idem caput petenda est. Possent tamen non magno negotio ex præsenti definitione nominis vocalis elici aliorum duorum defiuitiones, Scripti quidem mutata voce (quod nomen locum generis obtinet) in scripturā. Mentalis verò, si pro voce conceptū posuerimus, & pro significatiuo ad placitum, significatiuum naturaliter. Rectè autē diximus, vocem in definitione locum generis habere, hoc est, pro genere poni, non autem esse genus definiti. Nam vox terminus est primæ impositionis, absolutæ rei significatiuus, qualitatis scilicet audibilis. Nomen verò terminus est secundę impositionis, significans relationem nominis ad id quod nomine significatur, quod nominatum simplici vocabulo dicere licet. Qui autē eis modis sese habent ad inuicem termini, non possunt inter se esse genus ac species. Per vocem ergo excludentur a definitione soni non voces, Vt sunt omnes qui in conflictatione corporum animatorum proueniunt. Si quidem sonus magis communis est voce, atq; adeo genus eius. Sonus enim est qualitas quædam, nascens ex ictu aeris, solo auditu sensibilis. Vox verò (finitore Boetio) est aeris per linguam percussio, quę per quasdam gutturis partes quę arteriæ vocantur, ab animali profertur. Aristo. secundo de anima sic definiuit. Vox est ictus aeris respiratione attracti, qui quidem ab anima fit, quæ in his partibus collocatur ad eā partē, quæ gur-

Nominis definitio, & eiusdē expositio.

quę gurgulio appellatur. De qua definitione ibi latius est disserendum. Quemadmodū vox est sono cōtractior, ita & voce locutio. Etenim locutio (teste Boetio) vox est articulata, siue quæ literis scribi queat, quale oportet esse omne nomē, vt expresse habet textus ibi, Nā & illiterati soni, &c. Vocem autē hic accipiunt & in sequētibus duntaxat pro voce vna, quæ quid sit, satis in commentarijs præcedentis libri indicatum esse meminimus. Quare neq; æquiuoca æqui uocē accepta erunt nomina vel verba, Neq; amphibologicæ orationes, vel solœcismi (hoc est, ineptæ vocum coniunctūræ) orationes habebuntur apud dialecticum. Siquidem dialecticæ proprietas voces ambiguas non admittit, & longè minus incongruas. Secunda particula definitionis est (significatiua) qua exclusæ sunt voces cassę & inanes, nullam prorsus obtinētes significationem, vt buf, metapsus, bubabsus, gargulus, blictri. Insuper quas syncategorematicas tantùm, id est, consignificatiuas vocamus, vt omnis, nullus, &c. de quibus alibi copiosius. Tertiò sequitur, ad placitum, quæ particula excludit voces naturaliter significatiuas, vt sunt gemitus infirmorum, latratus canum, mugitus boum, rugitus leonum, & alia his similia.

Boetius.

Omne namq; nomen ad placitum significare necesse est, hoc est, arbitrium cuiuspiam insignis, qui primus nomini significationem dedit, cæteris in ipsius sententiam vnanimi consensu conuenientibus. Quæ namq; naturaliter sunt, eadem semper & vbiq; existere consentaneum est, vt superius prolixè satis declaratum fuit. Eadem de verbo etiam, & cæteris orationis partibus, habenda ratio. Nihil autem obtinent aduersus hanc Aristotelis sententiam, quæ in dialogo qui Cratylus inscribitur, siue de recta nominum ratione, adducit Plato, ad confirmandum, quòd nomina significent naturaliter. Siquidem eius rationes non aliud ostendunt, q̄ nomina non fortuitò, seu certo consilio magni cuiuspiam artificis, hoc est, sapientis viri & polyhistoris, rebus secundum naturæ conuenientiam imposita esse, quod nec nos in plerisq; verū fuisse inficiamur, sed ob id nomina naturaliter significare non admittimus. Paris momenti est, quod apud Aulum Gellium Noctium Atticarum libro decimo capite quarto, in eandem sententiam adfert P. Nigidius. Vos, inquit, cum dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demōstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atq; animam porrò versum, & ad eos quibus cum sermocinamur intendimus. At contra quum dicimus nos, neq; profuso intentoq; flatu vocis, neq; porrectis labris pronunciamus, sed & spiritum & labias, quasi intra nosmetipsos coercemus. Hoc idem fit in eo quod dicimus, tu & ego, tibi & mihi. Eadem est ratio in græcis quoq; vocibus, quam esse in nostris animaduertimus. Sic ille. Nomen autem omne ad placitum significare suadet Aristoteles hoc loco tali argumento. Nullum nomen naturaliter significat, ergo, &c. Consequentia patet a sufficienti diuisione. Et antecedens ostendit, quia ob id illiterati soni, etiamsi sint significatiui, non dicuntur esse nomina, quòd significent naturaliter. Illiteratos autem vocat sonos inarticulatos, hoc est, non distinctos literis aut syllabis, ita vt scriptura exprimi possint. Vt est latratus caninus, mugitus boum, rugitus leonum, &c̄. Hominis verò sermo literatus est, quia literis constat, & scribi potest. Habent enim & soni quidam suas literas, vt & scripturæ. Autore autē Boetio, non dixit Aristoteles voces illiteratas, sed sonos, non quòd non sint etiam voces illiteratæ, sed quia plurima sunt muta animalia, quæ vocem omnino non habent, sed tantùm sonitu quodam concrepant. Vt sunt omnia ea quæ pulmonem non habent, quemadmodum habet Aristoteles, libro quarto historiæ animalium, capite nono in hæc verba. Gutture parte vna, vox agitur. Quocirca quibus pulmo deest, ijs nulla vocis emittēdæ facultas est. Locutio, non nisi vocis per linguam explanatio est. Vocales igitur literæ a voce & gutture, consonantes lingua & labris proferuntur, quibus literis omnem locutionem confici, nulli dubium est. Quamobrem quibus animantium libera lingua absolutaq; non est, ea neq; vocem emittunt, neq; sermocinantur. At sonus elidi, vel alijs partibus potest. Ergo insectis animalibus, neq; vocis, neq; locutionis vlla facultas, sonusq; ijs spiritu interiore mouetur, non exteriore. Nullū enim ex ijs spirat, sed alia murmur ædunt, vt apes. Alia canere dicuntur, vt cicadæ. Omnia verò in eo genere, membrana septo transuerso subdita, qua præcinctum corpus distinguitur, sonant. Vt genus cicadarum attritu spiritus, muscæ etiam, apes, & reliqua ijs similia, quum volant, se attollunt & contrahūt. Sonus enim attritus interioris spiritus est. Locustæ enim, suis gubernaculis atterentes sonant. Nullum molle, nullum crustatum, vel vocem vel sonum aliquē mittit naturalem. Ex quibus Philosophi verbis obiter licet colligere discrimen inter sonum, vocem, & locutionem, quod etiam superius est a nobis expositum. Addit autem, vt ferarū, non quòd homines ipsi tales illiteratos sonos non possint ædere, nec omnes ferarum soni tales sunt. Quædam enim per disciplinā assuescunt sonandis vocibus humanis, & quędam fortassis

Quid soni illiterati.

a natura

a natura habent voces literatas, vt arguere videtur illud ranarũ κε κε κεξ, nec non cuculorũ cantus. sed quia vt plurimum solùm inarticulatos rudesq; sonos edunt feræ. Quarta definitionis pars est (sine tempore) Circa quam notanda est differentia inter significare tempus, & significare cum tempore. Significare tempus dicuntur, quorum principalis significatio est tempus, seu quæpiam duratio, qualiscunq; ea fuerit. Amplius enim hic de tempore loquimur, q̃ Aristoteles in iiij. physicorum. Quia alioqui hæc propositio prolata ante cœlum conditum, Deus est, non fuisset vera. Significare verò cum tempore dicuntur, quæ prçter principale significatum connotant aliquam temporis differentiam, hoc est, significant suum significatum tanq̃ in certo tempore existens. Ex quo facilè constat, quid sit sine tempore significare. Non ergo negat Arist. nomina significare tempus. Sunt enim talia permulta, quę tempus significatione demonstrant. Vt annus, dies, nox, instans, æuum. Sed dicit, nomina omnia sine tempore significare, quod est vtiq; verum. Hinc excluduntur verba a definitione nominis, & similiter participia secundum plerosq; commentatores non infimæ notę. Vt enim apud grammaticos participia, neq; nomina neq; verba, sed cum vtrisq; affinitate quadã coniuncta sunt, ita & apud logicum res videtur habere, quemadmodum in commentario præcedentis capitis dicebatur. Verùm hos scrupulus vrget vnus, acceptus ex illo Aristotelis in principio secũdi Peri Hermenias, Omnis affirmatio & negatio, vel ex nomine & verbo, &c̃. Nam hæc est affirmatio vt constat, militat omnis amans, in qua tamen secundum illos nec nomen inest, nec innominatum nomen. Fuerunt inter Neotericos, qui assererent participia verè nomina esse iuxta hanc definitionem, eaq; sine tempore significare, definientes scilicet illud significare cum tempore, quod prçter principale significatum importat aliquam temporis differentiam, sic vt ab ipso propositio dicatur esse alicuius temporis, quod dicunt solis verbis competere. Vt hæc propositio, Ioannes erit currens, dicitur esse futuri temporis gratia verbi, & non præsentis, licet participium eius sit temporis. Quòd si opponas, hæc est futuri temporis, Ioannes curret, ergo & illa Ioannes est cursurus. Consequentia videtur probari per locũ ab æquiualentibus. Respondent, argumentationes sumptas e locis dialecticis non habere vllũ robur, quando terminus inferens & illatus accipiuntur materialiter. Vt non sequitur per eũdem iam dictum locum, Cicero est tertię declinationis, ergo & Tullius. Dicunt ergo, propositionem solum accipere temporis denominationem a copula. Quintam particulam, cuius nulla pars, &c̃. qua excluduntur omnes orationes, declarat statim Aristoteles exemplo a minori sumpto, nempe nomine compositæ figurę, quod magis videtur habere partem aliquam separatim significatiuam, q̃ ea quæ simplicis figuræ sunt, Non tamen habet. Nulla enim pars nominis compositi accepta vt pars, quicq̃ significat separata & secundum se. Nam in hoc nomine respublica, neq; res, neq; publica, secundum se solum quicq̃ significat (Alioqui enim non nomen, sed oratio esset) licet eædem partes, si acceptæ vt sumuntur in hac oratione res publica, singulæ propriam significationem obtineant. Additum est autem, separata, vel secundũ se, vel (vt habet in declaratione textus) per se (Hęc enim in idem recidunt) ad insinuandum, quòd partes nominis compositi, imo etiã simplicis, sumptæ vt partes, sunt aliquo modo significatiuæ coniunctæ, siue cũ alijs partibus eiusdẽ nominis. In toto enim nomine quod est equiferus, consignificat quid (teste Boetio) ferus, per se verò nihil significat. Hæc autem significatio, vel si velis cõsignificatio partis coniunctæ impropria est. Est enim perinde atq; si quis dicat, animã coniunctam corpori, seu cũ corpore, esse hominẽ, non autem separatã & sine corpore, quo sanè sermone nõ aliud significare intendit, q̃ animã & corpus esse seu componere hominem, non animam solam. Ita quoq; partes nominis coniunctæ, significare aliquo modo cõceduntur, quia alijs agglutinatæ componunt integrum nomen significans, ipsæ interim secundũ se nihil prorsus significantes. Subnectit autem Arist. differentiam quandam inter composita nomina & simplicia, quia nulla pars simplicis nominis videt̃ separata significare, præcipuè aliquid pertinens ad significationem totius. Partes autẽ nominis compositi acceptæ vt partes, licet re vera nihil significent separatę, non magis q̃ syllabæ simplicis dictionis, aliquid tamen apparent secundum se significare, etiã quod attinet ad significationẽ totius, quia eædẽ sunt similesq; secundũ vocem, & quũ in nominis, & quũ in orationis compositionẽ veniunt.

Significare tempus.

Significare cũ tempore.

Obiectio.

Dilutio.

Inter noia simplicia & composita discrimen.

Nomẽ equiferus, quod habent trãslationes latinæ (grçcè enim est καλλιππος, nomen proprium a pulchritudine equorum) compositũ est ex equo & fero, conceptu simplici significãs equum ferum seu syluestrem, sicut nomen aper, porcum ferum simplici significat conceptu. Similis enim videtur habitudo apri ad porcum, & equiferi ad equum. Adeo autem simplex conceptus necessarius est, vt quippiam sit nomen, vt etiam si secundum vocem nulla penitus sit comple

sit complexio, illius defectus a ratione nominis excluderet. Id quod accidit eis, quae voce tātū complexa vocantur, de quibus alibi. Debet enim non modò nulla nominis vocalis pars esse significatiua, sed neq; conceptus respondentis. Et eadem est ratio habenda de verbo.

De nomine infinito.

Ibi, Non homo verò, nō est nomē, &c. Insinuat Philosophus, prēmissam definitionē nō esse cōpletā, si soli nomini propriè dicto sit applicāda, indicans eā perficiendā adiectione duarum particularū, quibus excludantur nomina infinita & obliqua, seu casus verorū nominū. Eæ sunt (secundum Boetiū) definitum aliquid significans, & cū est vel non est iuncta, absoluens enūciationem, vel (vt vulgò breuius dicitur) finita & recta, quarum duarum praecedentes duae particulae sunt descriptiones seu explicationes. quam textus partem sic interpretatur Boetius in prima aeditione in hunc librum. Omne nomen vnam rem definitam significat. Vt cum dicimus homo, substantiam significat, nec quamlibet, sed rationalem atq; mortalem. eodem modo & caetera nomina. Qui verò dicit non homo, hominem quidem tollit. quid autem velit illa significatione ostendere, non definit. Potest enim quod homo non est, & equus esse, & canis, & lapis, & caetera quaecunq; homo nō fuerint. Quare quoniam id quod definitè significare potest, aufert in eo negatiua particula, quod verò significare debeat definitè, non dicit, sed multa atq; infinita vnusquisq; auditor intelligit, dicatur (inquit) nomen infinitum. Hoc enim quod dicimus, non homo, tam multa significat, q̄ multa sunt quae a definitione hominis disiūguntur. In secunda autem aeditione, eius verba sunt huiusmodi. Nomē verò esse nō homo quis dicat, cum omne nomen, siue proprium siue appellatiuum sit, definitè designet? Cum enim dico Cicero, vnā personam, vnāq; substantiam nominaui. Et cum dico homo, quod est nomē appellatiuum, definitam substantiam significaui. Cum verò dico non homo, significo quidem quiddam quod homo non est, sed hoc infinitum est. Potest enim & canis significari, & equus, & lapis, & quodcūq; homo non fuerit. Et aequaliter dicitur in eo quod est, & in eo quod nō est. Si quis enim de Scylla quae non est, dicat non homo, significat quiddam, quod in substātia atq; in rerum natura non permanet. Si quis autem vel de lapide, vel de ligno, vel de alijs quę sunt rebus dicat nō homo, idem tamen aliquid significat, & semper praeter id quod nominat, huiusmodi vocabuli significatio est. Sublato enim homine quicquid pręter hominem est, hoc significat nō homo, quod a nomine plurimum differt. Omne enim nomē (vt dictum est) definitè id significat quod nominat, & non similiter & de eo quod est, & de eo quod non est dicitur. Sed haec huiusmodi vox & designatiua est, & ad placitum, & sine tempore, & (vt dictum est) partes eius nihil extra designāt. Quare dubia apud antiquos sententia fuit, Vtrum nomē hoc non dicerent, an hoc aliqua adiectione, definitioni nominis subijcerent. Et qui hoc a nomine separabāt, ita nomen definitione claudebant, dicentes nomē esse vocem designatiuā, secundum placitum sine tempore, circumscriptae significationis, cuius partes nihil extra designarent, vt quoniam nō homo rem circunscriptam non designaret, a nomine separaretur. Alij verò nō eodem modo, Sed dicebant quidem id esse nomen, sed nō simpliciter. Quadam namq; adiectione sub nomine poni posse illud putabant hoc modo, vt sicut homo mortuus nō simpliciter dicit homo, sed homo mortuus. ita & quoq; nomē hoc, quod nihil definitè significaret, nō diceretur nomen simpliciter, sed nomen infinitum, Cuius sententiae Arist. est autor, qui se hoc vocabulum ei autumat inuenisse. Ait enim. At verò nec nomē est positum quo illud oportet appellare, dicēs id quod dicimus nō homo, quo vocabulo debeat appellari nō nouit antiquitas, & vsq; ad Arist. nullus nouerat, quid esset id quod nō homo diceretur, sed hic huic vocabulum sermoni posuit dicens, sed sit nomen infinitum, non simpliciter nomen, quoniā nulla circūscriptione significat, sed infinitū nomen, quoniā plura, & ea infinitè significat. Hactenus Boetius. Ex cuius verbis liquet, quòd vox finita sit, quę definitū aliquid significat, Infinita verò, quae sublato eo quod per finitum significabatur, indefinitè significat omne id a quo finiti definitio remoueri potest, siue illud sit, siue non, verùm huiusmodi vox, antè Aristot. nomen non habuit, quo a caeteris separetur, non enim rectè appellari potuit oratio, cum partes eius nihil extra significent (vt ait Boetius) neq; negatio, cum non sit enunciatio, sed Aristoteles ei nomē indidit dicens, Sed infinitum nomen vocetur, quoniam & quod est, & quod non est nomen infinitum significat, Per id quod est, accipienda est res existens, vel potius res possibilis. Per id verò quod nō est, res impossibilis, vt Chimera, horū vtrumq; significat nomē infinitū, vt vox nō homo, non solū significat lignū, lapidem, & similia quę verè sunt, sed etiā chimerā, &c. a quibus remoueri potest hominis definitio, licet non possit de ijs quę non sunt praedicari, mediante copula praesentis temporis, quae subiecti existentiam requirit, vt verā enunciationem constituat. Sed obijcitur causa, quam assignat Aristot. cur nomen infinitum vocetur, neq; omni

Vox finita.

Vox infinita.

Id quod est.

Obiectio.

neq; omni, neq; soli cōuenit nomini infinito, Non soli quidem, nā ens generaliter acceptū, pro omni eo quod potest apprehendi, item intelligibile, imaginabile, appetibile, & quod est, & q̄d nō est significant, Similiter nec omni, Nam non ens, non opinabile, non possibile, & similia nomina infinita, solū significant id quod non est, ergo causa huius appellationis nō legitimè assignatur, nec bonā efficit consequentiam. Responsio, Non oportet causam, quæ nos ad aliquid inducit, necessariam esse aut conuertibilem, sed sufficit quòd sit rationi conformis, & ad aliquod genus causę reduci queat, etiāsi neq; necessaria sit, neq; bonam efficiat consequentiā. Neq; enim existimandum est, omnem causalem veram debere esse bonam consequentiam, vt patet consideranti quæ ad causalis veritatem requiruntur. Quòd si roges. Cur igitur non ens, non imaginabile, & similia, ab Aristotele vocantur nomina infinita, cum solum significent id quod nomen. Respondeo. Quia sunt eiusdem formę cum alijs, quę significant indefinitè tam id quod est, q̄ id quod non est. Quę res fortassè, quid tantopere fuit necessariū Aristoteli adijcere nouam aliquam partem definitioni nominis, vt excluderet infinita nomina, quę satis exclusa videntur pèr eam partem, cuius nulla pars, &c̄. Nominis enim infiniti aliqua pars semper apparet significatiua, scilicet nomen finitum, quod sequitur negationem ipsam.

Responsio.

Ad hoc variè posset responderi. Nam in primis non asserit Arist. dictam definitionem conuenire infinitis nominibus, sicut de obliquis expressè fatetur, sed tantum dicit, non homo verò nō est nomen, &c̄. Ex quo non licet colligere, adijciendā esse necessariò aliquam particulā ad definitionem, qua infinita nomina separētur. Deinde nihil absurditatis accidit, si fateamur eadem, diuersis rationibus propter maiorem explicationem ab aliqua definitione reijci. Et tertiò fortassis considerauit Philosophus, nōnulla inueniri nomina infinita, quę proculdubio, & citra omnem controuersiam, dictiones merę sunt, non autem orationes. Vt indoctum, iniustū, inuisibile, impossibile, & similia purè negatiuè accepta. Imò verisimiliter tuentur plurimi, omnia nomina infinita esse incōplexa, simplicemq; in mente obtinere conceptionem. Sed de hoc abundè iam est dictum. Circa illud quod in fine dicitur, quia si casui nominis addideris est, fuit, &c̄. (vbi signanter meminit verbi est, quia solus casus nominis accedente verbo impersonali, potest reddere verū vel falsum, vt Socratem pœnitet) Ambigitur a nōnullis, an nomina adiectiua, nomina sint apud Logicum. Quibusdam dicentibus, ea non esse nomina, quia cum verbo personali accepta, non absoluunt verum vel falsum, vt ex grammaticis constat. Alijs oppositum affirmantibus, satisq; in pręsentia esse, si ipsa secundum se vel sua synonyma, tā quo ad modum significandi, q̄ significationem principalem, adiuncto verbo personali perficiant orationē. Talia autem esse perhibent nomina adiectiua, quæ siue substantiuè capiantur, siue adiectiuè, semper eodē modo significant. Vndè in mente aiunt non esse vllū discrimen adiectiuorum nominum & substantiuorum, sicut nec ibidē inuenitur genus aut declinatio (Duo enim nomina diuersi generis ac declinationis, eundem prorsus habent cōceptum respondentem, vt lapis & petra) sed maximè casuum diuersitas, & numerorum.

An adiectiua nomina sint logica.

Verbū est, q̄d cōsignificat tēpus,

In caput tertium, de altera enunciationis parte, verbo scilicet considerans, scholia.

ALtera integralis pars enūciationis, eaq; principalis, est hoc pacto ab Arist. definita. Verbū est, quod consignificat tēpus, cuius pars nihil extra significat, & est semper eorū quę de altero dicuntur, nota. Quę definitio (vt posterius indicat textus) non est plena & consummata, nisi adijciantur duę particulæ, quales antè sunt appositę nominis definitioni, scilicet finitum & rectū, aut aliæ his æquiualentes. Antecedens relatiui (quod) est (vocabulum vnū significans ad placitum) quo excludūtur omnia verba mētalia & scripta, & ea quæ multiplicia sunt, aut naturaliter significant. Per particulā (quod consignificat tempus) exclusa sunt nomina, alięq; orationis partes, demptis forsitan participijs, de quo satis in annotatione pręcedētis capitis est dictū. Sunt enim penitus eadem, significare cū tempore, & consignificare tēpus. Declarans autem Arist. hanc particulā, vtitur nomine & verbo, idem principaliter significantibus, vt sic magis eluceat necessitas consignificationis temporis, ad verbi rationem. Circa hunc locum agitari consueuit quęstio, de modo quo verbum dicitur tempus consignificare. Defendunt enim quidam, quòd verba consignificant seu connotāt tempus, sicut nomina concreta accidentium connotant subiectum in quo est forma significata. Vt quemadmodum hic terminus album, mediante vnico simpliciq; conceptu significat albedinem & rem albā. sic etiam verbum currit, vno simpliciq; conceptu repręsentat intellectui actū currēdi seu cursum & tempus præsens, in quo exercetur talis actus. Et simili modo dicendū est de alijs verbis præteriti vel futuri, vel pręsentis temporis. Horū opinioni satis cōsona sunt verba Arist. & Boetij

Dubitatio q̄ modo vbū dicat tēpus cōsignificare.

Vna responsio.

& Boetij, aliorumque veterum in hoc passu. Vndè patet, quòd omnia verba, quum sint etiam concreta, duplex habebunt connotatum, scilicet subiectum actus significati, & temporis in que hic transigitur, imò etiam præter hæc videntur connotare vnionem quandam rei per prædicatum significatæ, cū ea quę significatur per subiectum, vt dicit Arist. in calce huius capitis.

Aduersus hos argumentantur alij. Si verbum per suum conceptum repręsentat nobis tempus, sequitur quòd verbū pręsentis temporis consignificabit omne tēpus, pręsens, preteritū, & futurum, quod videtur absurdū. Consequentia probatur, quia omnis conceptus significat naturaliter, & quod nunc significat, semper significauit ac significabit, vt patet inducendo per singulos conceptus. Et idem dixit Aristot. in primo capite huius libri, Quarum hæ similitudines, &c. Quum ergo verbum currit, per suum conceptum repręsentet tempus pręsens, vt diem hodiernum, videtur quòd repręsentabit eundem diem quamuis elapsus fuerit, aut quamuis sit futurus. Ex quo apertè consequitur, verbum pręsentis temporis omne tempus cōsignificare. Ad hoc duplex potest esse modus respondendi. Vnus, quòd verbum currit significat tantùm id præsens tempus, in quo profertur, & nō communiter quoduis pręsens tēpus, id est, non omne tempus quod est vel fuit vel erit præsens. Atque ita verbum currit in diuersis temporibus prolatum, capietur æquiuocè, quo ad consignificationem temporis. Neque erunt hæ propositiones, Dromo currit, Dromo non currit, contradictoriæ, si diuersis temporibus proferantur, nisi impropriè consignificationem secundæ referas ad idem tempus, in quo erat prior. Id quod vulgo fieri assolet, quum tales admittuntur esse contradictorię. Atque hoc volunt indicare particulam illam definitionis Elenchi, in eodem tempore. Concedere debet hic modus respondendi, duas cōtradictorias, ne vicissim quidem posse esse veras, quia quum diuersa tempora consignificant copulæ, non manet contradictio. Aliter respondēt alij, admittendo quod infertur, neque id pro absurdo habendū putant, quod certa ratione probatur esse verissimū. Quū autem Arist. de verbis obliquis, vt curret & currebat, in litera dicit, ipsa nō consignificare tēpus pręsens, sed pręteritum vel futurum, aiunt id accipiendum esse in hanc sententiam, Curret & currebat non consignificant tempus, id est, non sic consignificant tempus pręsens, vt in propositione posita denotent prædicatum secundum ipsum subiecto coniungi, sed secundū præteritum aut futurum, interim tamen re vera tempus præsens consignificant. Nec difficulter dabitur simile. Nam (homo) cum dico omnis homo viuit, indubie significat etiam Adamum & Antichristum (Alioqui enim non vniuocè caperetur in his, omnis homo viuit, & omnis homo vixit, & omnis homo viuet) & tamen non sic ipsos significat, vt prædicatum denotetur eis attribui. Pendet huius rei latior declaratio ex tractatu de terminorum ampliationibus. Hi admittunt hasce propositiones, Dromo currit, Dromo non currit, esse cōtradictorias, etiam si in diuersis temporibus fuerint prolatæ. Neque enim absurdum est, vtramque veram fuisse, sed fieri nequit, vt sint simul verę. Quod sequit, Cuius pars nihil extra, &c. separat a definitione oēs orationes. Harū enim semper aliqua pars, extra est significatiua. Et accipiēda est dictio pars, vt virtute negationis inclusæ in nihil distribuatur, negatione scilicet secundū sensum ipsum pręcedente, licet ordine prolationis sequatur. Est autē ea negationis vis (modò nō efficiat nomen infinitū) vt omnes terminos sequentes accipi faciat vniuersaliter, de quo alibi oportunius. Significanter autem adiecit aduerbium (extra) quia pars verbi intra ipsum verbum vnà cū alijs partibus coniūctim accepta, aliquid significat, quod & de nominis partibus dictum est. Non secluduntur autem hac ipsa particula a definitione verba cōposita, vt calefacio, ędifico, satago, &c. sicut nec a definitione nominis, nomina cōpositæ figurę reiecta sunt.

Proximè sequens pars (& est semper eorū, &c.) hanc habet sententiam, Et est semper, hoc est, quādocunque ponitur in enunciatione, nota, hoc est, signū eius quod de altero dicit, id est, breuiter, & semper significat suum significatum tanque alteri adiacens ac attributum, siue accidentaliter, vt in his, Ioannes ambulat, ego sedeo, siue essentialiter, vt hic currēs mouetur, hoc sedēs sedet. Atque hoc est quod subiunxit Arist. in litera, diuidendo istam particulā, vt eorū quæ de subiecto dicuntur, aut &c. Hac definitionis parte excluduntur omnia nomina & participia. Significant enim hæc sua significata, non semper veluti alijs attributa, sed frequenter etiam tanquam ea, quibus alia quædam attribuuntur, hoc est, non semper in propositione obeunt prædicādi munus, sed frequenter etiam subijciendi. Verbum autem semper in propositione prędicatum est, vel principale, vel minus principale, vt currit, in hac propositione, homo qui currit mouetur. Aliam expositionem, quę accipit nomen (nota) pro copula, omittimus, vt parum huic loco congruentem. Græcè enim est respondens vocabulum σημεῖον, quod non copulationem, sed significationem denotare constat. Quod additur (finitum) excludit a

N ij definitione

Obiectio.

Ad propositā obiectionē responsio prior.

Posterior.

Quid sit, semper esse notā eorū quæ de altero dicuntur.

definitione verba infinita, quia hæc indeterminatæ sunt significationis, significantia tam id quod non est, q̃ id quod est. Consignificant tamen (vt habet textus) huiusmodi infinita verba tempus. Nã vti verba finita ferè designant actionem, aut passionem, vel motũ, aut quietem, vt in aliquo certo tempore existentẽ, ita & infinita negationem illorum, certa temporis differentia mensuratam, exprimunt. Dicũtur etiã semper de aliquo, quia semper significãt negationẽ rei finitæ, alicui subiecto attributam. Quòd autem ad differẽtiam verbi infiniti & negati attinet, opinatur Thomas hoc interesse, q verbum infinitum sumitur tanq̃ vna dictio, verbum negatum tanquam duę dictiones, Et quod negatio infinitans tãtum agit in rem principaliter significatã per verbum, non autem consignificationem vnionis prædicati cũ subiecto, Vt q non currit, valeat idem, quod est non currens. In qua quidẽ re consentit cum Alberto Magno pręceptore suo, a quo videtur dissentire, dũ indicat, verbum infinitũ posse permanere infinitũ, quum in enunciatione ponitur. Nostra sententia nullum omnino est discrimen, inter negationem negantem & infinitantem verbo præpositam, sicut nec inter verbum negatum & infinitũ, quod satis approbant verba Boetij circa initium secundi Peri Hermenias, vt ibi videbiť.

Quod discrimẽ sit inter verbũ infinitum, & negatum.

Vltima definitionis pars, scilicet rectum, hoc est, consignificans tempus præsens, & potens cum nomine absoluere enunciationem, excludit omnia verba obliqua, seu (vt postea vocat Arist.) casus verborũ, qualia omnia sunt verba grãmatica, quę non sunt præsentis temporis indicatiui modi. Exempla sunt in promptu. Rogabit quispiã forsitan, cur non verè verba sunt secundum logicum, ea quæ sunt præteriti vel futuri temporis indicatiui modi, quum nominibus ritè adiũcta sufficiãt perficiendæ enunciationi. Cui respondebimus, Aristotelem (vt semper in suis est exactus) hic ostendere voluisse id quod præcipuum verbum est, quodq; primò est impositũ consignificando tẽpori, & ex quo veluti radice quadã, pendet & cognoscitur enũciationũ ex alijs verbis compositarũ veritas aut falsitas. Ideo nãq; hæc vera est, Iliũ fuit, quia aliquando verũ erat, Ilium est. Similiter hanc verã esse constat, sol cras orietur, ob id solũ, quia crastino die vera erit ista, sol hodie oritur, quæ res alibi copiosius solet tractari. Cũ ergo verbum (vti volunt etymologici) a vero dictum sit, congruum est, id esse principale, maximeq; propriũ verbum, a cuius consignificatu veritas principalius depender. Emergunt circa hãc verbi definitionem nonnullæ dubitatiunculæ. Vna est de verbo est tertio adiacente, id est, quod a tergo nominatiuum regit, vel si sit infinitiuus, accusatiuum, Vt in istis propositionibus, Socrates est homo, Contingit Socratem esse albũ. De hoc igitur sentiunt neotericorũ plerique, ipsum esse syncategorema, nullam rem principaliter significans, sed tantùm habere consignificationẽ temporalem, & prædicati cum subiecto copulatiuam. Et de hoc intelligunt q̃d ait Aristoteles, Nec si hoc ipsum est, purum dixeris, Ipsum enim nihil est, &c̃. Adducunt argumẽta, quòd si verbum est tertium adiacens, non sit syncategorema, sed more aliorum verborum idem significet quod suum participium ens, consequetur quòd in hac propositione, Socrates est homo, prædicatum non erit homo, sed totũ hoc, est homo, vel si malis, ens homo, quod videtur alienum a cõmuni logicorum sententia. Nam sic fiet, vt hæc non vera sit conuersio enunciationis, homo est animal, ergo animal est homo, quam tamen assignat Aristoteles ipse in initio Analyticorum. Præterea inepta videretur hæc propositio & nugatoria, homo est ens, eo quòd idem bis diceretur, vt manifestè declarat hæc, illi per resolutionem æquiualens, homo est ens ens. Alij contra censent cum Boetio & cæteris veteribus, verbum est, siue sit secundum adiacens, siue tertium, semper eodem accipi modo, vt sit categorema, idẽ quod ens significans. Mirum enim videretur, hoc verbum præ cæteris significationem suam amittere, dum a tergo nominatiuum recipit. Quemadmodum ergo eiusdem significationis permanet verbum sedet in his enunciationibus, Socrates sedet, Socrates sedet rectus, licet in secunda astringatur per adiunctã determinationem, ita quoq; in verbo substãtiuo res habet, vt satis confirmatur ex Arist. in primo Elenchorum circa fallaciam a dicto secundum quid, & in secundo huius capite secundo, vbi vult, in hac propositione Homerus est poeta, est & poeta esse prædicata coniunctim sumpta, quæ non licet diuisim inferre, propter causam ibidem expressam. Ad prius argumentum aliorum respondent, admittendo illatũ. Neq; id absurdũ habendum, quum ex Arist. manifestè colligatur, vt ex prædicto passu secundi huius, & ab eodẽ, ac alijs antiquis crebrò insinuetur, assignantibus prædicata aliquibus conuenientia, cum verbo substantiuo, Vt esse medicũ, esse bipedem, est homo. Id verò quod de conuersionibus infertur, videtur omnino concedendũ, non esse eiusmodi proprias, & omnibus numeris absolutas cõuersiones. superuacaneę tamẽ prolixitatis vitandæ gratia, ab Arist. positas, & ab alijs deinde vsurpatas. Si quis aliam nouit euadendi rimam, per eam elabatur. Videtur enim non parum

Veterum opinio.

Prioris rationis neotericorum solutio.

Posterioris dilutio.

parum stringere ac vrgere id argumentum. Ad alterum negatur consequentia. Neq; enim semper inepta est oratio, in qua idem bis dicitur alijs verbis, vt declarat ista, cygnus est albus albedine, licet apud philosophos eiusmodi sermo redundans & superfluus habeatur, vt ex varijs passibus Aristotelis, in quibus de nugatione agit, facilè colligitur. Nec valet illa resolutio, quæ in argumento fiebat, propterea quòd verbum substantiuum (testibus grammaticis) primum est & simplicissimum inter omnia verba. Quare omnia alia in ipsum resoluuntur, vt amo, id est, sum amans. currit, id est, est currens. & ita in reliquis. Ipsum verò in nullũ aliud resolui potest, vt constat. Neq; etiam in seipsum, quum sic non resolutio, sed eiusdem penitus ociosa repetitio accideret. Hanc opinionem sumus latius persecuti, quòd eam Aristotelicis dictis magis appareat congruere. Qui tamen alteri mordicus adhærent, ad sacram velut anchoram confugientes dicunt, non propria ab Aristotele in illis locis producta esse exempla, quod & alteri de conuersionibus confiteri debere videntur. Secunda dubitatio est de verbis absolutis a tempore, quæ satis probabiliter videri possunt non esse verba secundum dictam definitionem, quia nullum tempus consignificant. Apparet autem, Aristotelem solum ea verba definire voluisse, quibus vulgò in familiaribus colloquijs vti solemus, hoc est, acceptis vt tempus certum consignificent, non autem ea, quibus in disciplinis vtuntur autores, nullam scilicet tẽporis consignificationem secum trahentia, sed tantùm prædicati cum subiecto intelligibilem (hoc est, quę est secundum conceptus ipsos) connexionem designantia, non secundũ actualem existentiam. Quomodo sumuntur verba in his enunciationibus, dum veræ esse conceduntur, chimæra est monstrum, vacuum est locus priuatus corpore. Et in his ac similibus, dũ dicuntur esse necessariæ, homo est animal, Ioannes est homo, homo est rationalis, homo est risibilis. Sunt qui volunt, verbum a tempore absolui, non quando nullum omnino tempus designat, sicut iã diximus, sed quando sub disiunctione omne tempus cõsignificat, Vt huius, animal rationale est capax disciplinæ, quatenus necessaria est, & disciplinis seruit, dant istum sensum, animal rationale est, fuit, erit, vel esse potest disciplinæ capax. Verùm hoc non est absoluere verba a tempore, sed magis temporibus onerare. Duplicem hanc verborum acceptionẽ, secundum quam nunc tempora secum trahunt, nunc ab eis soluuntur, non absurdè forsitan videatur Aristo. insinuasse obiter in fine primi capitis huius libri, cum ait. Nisi esse aut nõ esse addatur, aut simpliciter, aut secundum tempus, q̃uis ibi aliam reddiderimus eius loci interpretationem.

Tertia dubitatio est de verbis impersonalibus actiuę vocis.

De verbis etiam (quæ impersonalia actiuæ vocis a grammaticis vocantur) an præmissa definitione verbi concludi possunt, ambiguũ esse videtur. Partem negatiuã apparet confirmari ea expositione particulæ rectum definitioni adiectæ, quã antè dedimus, quęq; probabiliter ex initio secundi huius, vbi dicitur. Omnis igitur affirmatio vel negatio, vel ex nomine & verbo, vel, &c. colligi potest. Apparet enim inde, omnem affirmationem vel negationem, ex nomine vel innominato cõstare. Quum igitur hæc, Socratem pœnitet, neq; ex nomine, neq; ex innominato cõstet, sed casu nominis, non erit affirmatio vel negatio, de qua ipse agere intendit. Quare neq; pœnitet verbum esse videtur secundũ Arist. quum nulli affirmationi vel negationi, de qua ipse agit, constituendę sit idoneũ. Idem ostendere videtur vltima definitionis pars (& est semper eorum, &c). Non enim videntur eiusmodi propositiones habere prædicatum & subiectum, nisi reductiuè. Alioqui enim conuersionem non recusarent. Alij oppositum ruentur, dicentes eiusmodi verba maximè notas esse eorum quæ de altero dicuntur. Nam pœnitet significat pœnitentiam Socrati attributã, quum dicitur Socratem pœnitet. Estq; ibi verbum prędicatũ secundũ ipsos, obliquus verò subiectũ, quia significat rẽ cui quippiam tribuitur. De his pertinacius digladiari, indignum esse censemus grauitate philosophica.

Quarta dubitatiúcula, est de verbis ĩpsonalibus vocis passiuæ.

Quòd verò ad impersonalia passiuæ vocis attinet, dubium est, an tantùm ex cuiuspiam addendi subintellectione, significent verum aut falsum, quemadmodum verba primę aut secundę personæ, & quę exceptę actionis vocari solent, & ea etiam nomina ac verba, quæ solitaria respondentur interrogantibus. An ipsa citra omnem intellectionem sic significent.

Dilutio.

Iuxta priorem dubietatis partem essent vera verba. Iuxta secundam autem excludenda forent, vel quia aliqua pars conceptus respondentis separatim significatiua est, vel quia non solùm notæ sunt eorum quæ dicũtur de altero, sed etiã eorum de quibus alterũ dicitur, quod est cõtra rationẽ verbi logici. In fine literę addit Aristot. verba quidẽ secundum se dicta, &c.

Quo pacto verba ab Arist. dicãt esse nomina

Cuius loci hęc intelligẽtia breuiter accipiaẽ, verba sine adiũcto sumpta nomina sunt, generaliter scilicet accepto nomine, pro omni orationis significatiua parte, id q̃d indicat sequens particula, atq; aliquid significãt. Id enim subiecit Arist. expositionis gratia, ne quis nomen propriè acciperet. Addidit autem, secundum se dicta, quia verba cum alijs sumpta orationes euadũt,

sicut

sicut antè dictum est, partem nominis coniunctim acceptam aliquo modo significatiuam dici. Ex hoc tamen non sequitur, quin quod hic dicit Arist. verbis in propositione positis conueniat. Pergit Arist. Nam qui dicit verbum, constituit intellectum seu conceptum in animo auditoris, & audiens quiescit, non quòd plenam integramq; sententiam perceperit, sed q̃ rẽ aliquam mente comprehenderit, circa quam immoratur. Seu (vt Boetius ait) quoniam quilibet audiens, quum significatiuam vocem cœperit animo, eius intelligentia nititur, vt quum quis audit homo, quid sit hoc ipsum quod accipit, mente compræhendit, constituitq; animo audiuisse se, animal rationale mortale. Si quis verò huiuscemodi vocẽ cœperit, quæ nihil omnino designet, animus eius nulla designatione neq; intelligentia roboratus errat ac vertitur, nec vllis designationis finibus conquiescit. Hæc Boetius. Sequitur in litera. Sed si est, &c̃. Hoc est, sed verbum sine addito non significat, an res per se significata sit, nec ne, sit inq; simpliciter, vel hoc aut aliud, id est, verbum non significat compositionem aut diuisionem, in qua veritas falsitasve consisterer, nisi aliquo adiuncto. Hinc colligunt, impersonalia passiuæ vocis nõ esse verba. Declarans autem quod dixerat, adiungit. Neq; enim esse aut non esse, signum est rei, vel (vt habet inuerso ordine Boetij translatio) Neq; enim signum est rei esse vel non esse. Quæ quidem Arist. verba subobscurè explicat ipse Boetius. Est quoq; philosophi litera, etiã græca multum inuoluta. Sic enim habet, οὐδὲ γὰρ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι σημεῖον ἐστι τοῦ πράγματος, id est, neq; enim ipsum esse vel non esse signũ est rei. Vndè colligere licet ex adiectis articulis, nõ esse infinitiuos pro genitiuis nominum respondentiũ positos, scilicet essentiæ seu existẽtię, qui sensus alioqui satis videbatur accommodus. Qui Græcos expositores sequuntur accipiunt hic rem pro veritate, vt dicat Arist. verbum non esse signum rei, quia non significat veritatem, sub qua similiter falsitas venit intelligenda. In probatione (quam omnes a maiori sumptam volunt) per est purum (Græci codices habent participium ens) intelligunt verbum est nudum solitariumq;, quod quũ omnium aliorum fons sit & origo, atq; adeò fundamentũ, (quamobrem a grammaticis substantiui appellationem accepit) si ipsum non significet veritatem, omnia etiam alia veritatis expertia erunt. Dicitur autem ipsum nihil esse, quia non significat rem, vt hic diximus rem accipi, seu quia neq; verum est, neq; falsum. Consignificat autem, id est, pręter principale significatũ, quod est essentia vel existentia, significat quandam compositionem, hoc est, vnionem rei per prędicatum significatæ cum ea quę significatur per subiectum, quam quidem compositionem non est intelligere sine compositis, id est, non plenè assequimur, nisi vtrumq; extremum propositionis fuerit expressum.

Quid sit est purum.

Quo modo ipsum est nihil sit.

Oratio est vox significatiua.

In priorem partem secundi tractatus, considerantem de enunciationis genere, quod est oratio, adnotamentum.

INnatam nobis a natura cognoscendi viam insequens Philosophus, secundum quam (vt primo Physicorum dicitur) a confusis & vniuersalioribus ad particularia magisq; cõtracta proficiscimur, Definit in priore huius capitis parte enunciationis genus, in hunc modum. Oratio est vox significatiua, cuius aliquid partium significatiuum est separatum vt dictio, non vt affirmatio vel negatio. Vocem in primis accipi pro voce vna, ex antè dictis relinquitur manifestum. Quod dicitur in definitione particulariter, aliquid partium, & non vniuersaliter omnis pars, insinuat, nõ oportere omnem orationis partem esse significatiuam (sunt enim complures syncategorematicæ) sed satis esse, si vel vna fuerit designatiua cuiuspiam rei. Boetius tamen non vult esse orationem, nisi duas vt minimum contineat partes significantes. Debet autem hæc pars significatiua reperiri non solum in mente, sed & in voce ipsa. Quo fit, vt quæ sola significatione dicuntur complexa, orationes minimè, sed quædam inter has, ac nomina & verba, sint media. Secundò ex eodem colligitur, non esse absurdum, aliquas orationis partes esse significatiuas, non vt dictiones, sed vt affirmationes aut negationes, quod accidit, quũ oratio ipsa integras orationes habet in partibus. Vt si dies est, lux est. in qua quidem oratione composita, licet partes nonnullæ significent vt affirmationes, hæ tamen alias continent particulas significatiuas, vt dictiones. Quocirca etiam compositarum orationum partes aliquæ, indubitanter vt dictiones significant, non vt affirmationes. Quare hanc definitionem Arist. rectè constituit. Sed quum accidat, duplices in oratione partes esse, quasdã significatiuas vt affirmationes vel negationes, alias vt dictiones, cur harum potius meminit in definitione, q̃ illarum? Dicendum, quòd quoniam in omni oratione necessariò est aliqua pars significatiua vt dictio, non autem in omnibus orationibus affirmationes vel negationes sunt partes, idcirco quod omnibus commune erat, id in definitione constituit, prætermisso eo quod accidit, tanq̃ si ita diceret. Oratio est vox significatiua, cuius pars extra significat, ex necessitate qui

Orationis definitio cũ eiusdem explicatione.

tate quidem vt dictio, non autem ſemper vt affirmatio vel negatio. Addidit verò poſt dictionem expoſitionis cauſa, non vt affirmatio vel negatio. (quemadmodum Boetius ex ſententia Alexandri Aphrodiſei adnotauit) ne quis ambiguitate vocabuli falſus eſſet. Etenim dictio bifariam ſecundū ipſum accipitur, vel pro ſimplici termino ad placitum ſignificante, vel pro enunciatione quapiam quæ eſt affirmatio vel negatio, vt quum dicimus, Ioannes dicit hominem eſſe animal, & equum non eſſe bouem. Quum mox a definitione ſubijcit Ariſtot. vt homo ſignificat aliquid, &c̃. non aſſignat exemplum præmiſſę definitionis, ſed tantum particulā illam declarat, cuius aliquid partium, &c̃. Ibi autem, vna verò hominis, &c̃. oſtendit, dictā definitionem minimè conuenire nominibus, aut ſimplicibus, aut compoſitis. Sorex murem ſignificat ſyluestrē, quidam contendunt id animal eſſe, quod ratum vocare ſolent, ſed hoc grāmaticis relinquatur. In hoc nomine, ſyllaba rex, dicitur eſſe vox ſola, quia nudum ſignificatione eſt vocabulum, & vox caſſa atq; nihili. Huius particulæ, In compoſitis autem, &c̃. triplicem inuenimus expoſitionem. Vna eſt, quòd pars compoſiti nominis ſignificat quidem, quū ſeorſim extra totum ſumitur, non tamen ſecundum ſe, id eſt, non vt pars. Alia eſt, quòd partes nominis compoſitæ figuræ ſecundum apparentiam ſignificant, ſed non ſecundum ſe, id eſt, non ſecundū rei veritatem. Hunc ſenſum ſequitur Albertus & Thomas. Tertia eſt, quòd in nominibus compoſitis pars ſignificat non ſecundū ſe ſumpta, hoc eſt, ſeparatim a toto, ſed ſignificat in toto, iuncta ſibi alia parte. Idem conuenit partibus ſimplicis nominis (vt eſt ante a nobis dictum) Hanc tradit Boetius. In calce huius partis, quia id in definitione fuerat omiſſum, explicat quemadmodum oratio ſignificatiua ſit, dicens eam ſignificatiuam eſſe, non vt inſtrumentum, hoc eſt, naturale organum, qualis eſt oculus, qui naturaliter ſuo fungitur officio, ſed ſecundum placitum, non quòd impoſitio aliqua ſpeciatim & immediatè ſit facta circa orationes ipſas (erat enim hoc infiniti negotij, & iam nouæ quotidie conſtruuntur, nunq̃ antehac vſurpatæ) ſed quòd ipſarum orationum partes ſingulæ ad arbitrariam quampiam ſignificationem inſtitutæ ſint.

Triplex expoſitio illi⁹ literę, In cōpoſitis autē.
Prima.
Secunda.
Tertia, quæ eſt Boetij.

In ſecundam partem, complectentem enunciationis finitionem, atq; multiplicem partitionem, ſcholia.

Enūciatiua verò non omnis oratio.

Continet hæc pars enunciationis definitionem, ac triplicem eiuſdem diuiſionē. Quoniam autem in ipſo ſtatim præſentis textus ingreſſu, indicat Ariſt. varias eſſe orationes, Adnotandum eſt paucis, orationem in perfectam & imperfectam elegāter diſtribui ſolere. Imperfecta eſt, quæ in animo audientis non generat ſenſum perfectum, Vt hæ imperfectæ ſunt orationes, Socrates & Plato, homo albus, quiſquis ambulat. Nondum enim percepit audiēs, quid ſibi proferens velit. Perficiuntur autem adiectione verborū ad hunc modum, Socrates & Plato philoſophantur, homo albus videtur, quiſquis ambulat progreditur. Perfecta oratio dicit̃, quæ integram abſoluit ſententiam. Harum alia eſt deprecatiua, vt miſerere mei deus. Deus propitius eſto mihi miſero peccatori. Parcite Dardanidæ de tot precor hoſtibus vni. Alia imperatiua, Vt Claudite iam riuos pueri. Vade, age nata, voca Zephyros, & labere pennis. Alia interrogatiua, vt Quo te Meri pedes, an quo via ducit, in vrbem? Item. Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum? An paſſim coruos ſequeris teſtaq; lutoq;. Securus quo pes ferat, atq; ex tempore viuis? Alia optatiua, vt O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos. O ſi Sub raſtro crepet argenti, mihi ſeria dextro Hercule. Alia vocatiua, vt Huc ades o Melibœ. O formoſe puer, &c̃. Alia ſubiunctiua, vt Si fœtura gregem impleuerit, aureus eſto. Alia enūciatiua, vt dies eſt, dies non eſt, ſenectus eſt optatum malū. In his ſolis quæ enunciatiuæ dicūtur, eſt veritas vel falſitas. Significant enim rem aliquo modo ſeſe habere, vndè veritas & falſitas (vt alibi dictum eſt) proueniunt. Qui autem optat vel interrogat, aut precatur, non ſignificat rem eſſe vel non eſſe, vti conſtat. Quare eum nemo falſitatis rectè arguerit, neq; ſuper veritate commendauerit. Solæ igitur enunciatiuæ orationes philoſophico negocio ſeruiunt, cui maximè veritatis inquiſitio propoſita eſt. Cæteræ verò oratoribus ac poetis ſunt accommodatæ, qui mouendis ſtudent affectibus, totiq; in hoc ſunt, vt perſuadeant aut delectēt, non magnopere habita frequenter veritatis ratione. Definitio enunciationis eſt hæc. Enunciatio eſt oratio, in qua eſt verum vel falſum. Definitionis primam partem accipiunt ſolum pro oratione perfecta, quanq̃ id non eſt neceſſarium. Neq; addēdum eſt indicatiua, quia multæ ſunt enunciationes non habentes indicatiuum verbum. Vt, ſi me diligeres, non munera parua negares. Nunq̃ mihi poſthac gratus fueris. Scimus reſponderi poſſe, coniunctiuum pro indicatiuo poni, quare de hoc non amplius contendeſimus. Hac parte definitionis excluſa ſunt, quæcunq; orationes non ſunt, quantumuis deſignent verum aut falſum. Vt circulus ante

Orationis diuiſio in pfectā & imperfectam.
Quę ipfecta
Quę pfecta & quæ eius ſpecies.
Deꝑcatiua.
Imperatiua
Interrogatiua.
Optatiua.
Vocatiua.
Subiūctiua.
Enūciatiua.
In ſolis enūciatiuis cōſiſtit veritas, & falſitas.
Enunciationis deſcriptionis expoſitio.

cenopolium pendens, & volatus ardeæ super nubem, quorum hoc pluuiam proximam esse significat, illud autem vinum esse venale. Item luditur, cantatur, & secundum plurimos huiusmodi etiam vocum compositiones, a est b, dominus est scamnũ, acceptis subiecto & prædicato materialiter, quod an rectè sese habeat, aliorum esto censura. Verum & falsum accipere hic solent abstractim pro veritate & falsitate, quæ quidem sunt in oratione enunciatiua tanquam fundamento, sicut & cæteri respectus. Quid sint veritas & falsitas, alibi est expeditum. Huic sententiæ alludit Boetius alibi dicens. Enunciatio est, in qua veritas vel falsitas inueniri potest. Diuus Thomas tamen accipit concretum, pro conceptu vero & falso, quos dicit in enunciationibus vocalibus esse tanquam in suis signis. vt velit Aristoteles, sicut nomina & verba significant simplicem conceptũ, ita enunciationem significare conceptum verũ vel falsum. hæc expositio alludit de analogia scripturarum, vocum, atque conceptuum. Quod autem Aristo. hoc loco enunciationem, idem Cic. pronunciatum vocauit & propositionem, quo nomine & Quintilianus libenter vtitur, & Aristot. quoque vsus est in Analyticis, sed paulo quam hic astrictius. Alij proloquium vocauêre, Stoici nouo & alieno ab aliorum consuetudine vocabulo ἀξίωμα dixerunt, quasi dicas latinè dignitatem. Antequam ad textus explanationẽ proficiscamur, præmittenda est vulgaris, sed maximè vsitata & vtilis enunciationis seu propositionis diuisio, in categoricam & hypotheticam. Categorica (quam latinè prædicatoriam dixeris) est enunciatio, in qua vnicum prædicatum vnico attribuitur subiecto, aut ab eo remouetur, Vt homo ambulat. Modus est pulcherrima virtus, Stellæ non decidũt, Cicero est doctus & bonus. Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor. Ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit mores, nec sinit esse feros. Subiectum, aut (si malis) subiectus terminus est, de quo aliquid prædicatur, atque id est, quod grammatici suppositum appellant. Prædicatum verò est, quod de altero dicitur. Hæc propositionum extrema seu termini appellantur, vt magis patebit ex primo Priorũ. Exempli gratia in his propositionibus, homo ambulat, cygnus est albus, subiecta sunt homo & cygnus, prædicata verò ambulat, & est albus, sicut multis placet eruditis. Alij tamen volunt esse tres propositionis categoricæ partes, definientes eam ad hunc modum. Categorica propositio est, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam, partes principales sui, vt huius, homo est animal, subiectum est homo, prædicatum est animal, copula verò est, est. & in hac, lepus currit, subiectum est lepus, currens prædicatum, est autem est copula. Sic enim resolui volunt verbum. Priores autem semper copulam affirmant esse prædicati partem, aut ipsum prædicatum, maximè quum talis resolutio non in omnibus verbis locum habere possit, vt in passiuis præsentis temporis, quibus non respondent vlla participia. Neque absurdum est vllo pacto, si idem semetipsum cuipiam alteri copulare concedamus, quum id tenacitate atque agglutinandi quadam vi præditum fuerit, quales sunt pix & clauus. Imò absurdum potius foret, si quod alia connectit, non se etiam pariter copularet. Sed hæc satis sit leuiter admonuisse. Et ex supradictis nõnulla quæ ad rem istam attinent, colligi facilè possunt. De illis autem propositionibus categoricis, quæ ex impersonalibus verbis constant, plerique sentiunt, eas subiectũ & prædicatum habere secundum modum antè dictum. Alij putant non habere, nisi tantùm reductiuè & æquiualenter. Fruatur quisque, vt volet, suo iudicio. Diximus in descriptione, vnicum prædicatum vnico attribuitur, &c. ad excludendum hypotheticas, quæ non vnum tantũ habent prædicatum & subiectum, sed plura atque diuersa, vel vnum sæpe repetitum, quod hic pro duobus habemus. Categorica propositio omnis vnicum habet integrum & principale subiectum ac prædicatum. Dicimus integrum, quia partes prædicati nonnunquam dicuntur prædicata, vt quum dicimus, hic esse plura prædicata coniuncta. Ioannes est homo albus. Sed nõ ita nunc loquimur. Addimus etiam principale, quia propositio categorica nonnunquam obtinet plura prædicata vel subiecta, sed vnum duntaxat principale atque proximum, alia omnia minus principalia, vt sit in hac. Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius aliquid partium significatiuum est. Miser est homo, cui nemo fauet, & omnia desunt. Hypothetica verò propositio (quod latinè sonat conditionalis) est, quæ ex pluribus categoricis, coniunctione aliqua consutis tanquam principalibus partibus sui constat. Exempla patebunt ex sequentibus. Sub categoricis autem in definitione, intelligendæ sunt hypotheticæ propter eas, quæ non principaliter & proximè ex categoricis componuntur, sed ex alijs hypotheticis breuioribus, vel vna hypothetica, & altera categorica, vt sunt syllogismi, vel certè talibus complexis, Vt Si foret in terris, rideret Democritus nos. Vel altera parte categorica, & altera æquiualente. Vt quũ irem Mechliniam, offendi fratrem in via. Additum est, tanquam principalibus, &c. quia nonnunquám etiam categorica enunciatio ex pluribus constituitur categoricis, sed non tãquam principalibus

Boetius.

Diuidiť propositio ĩ categoricã, & hypotheticã

Categorica quæ sit.

Subiectum.

Prędicatum

Quę sit hypothetica propositio.

Quę sint propositiones exclusiuæ, exceptiuę, alięq́ id gen⁹ an categoricę, an hypotheticæ.

principalibus ac præcipuis partibus, Exemplum datum est superius. Solent dubitare, quænam sint propositiones, in quibus ponuntur signa exclusiua, vel exceptiua, atq; alia similia, reddentia propositiones hypotheticè exponibiles, vt solum animal est homo, omne animal præter hominem est irrationale. Quidam eas hypotheticas esse voluerunt, eundemq; prorsus habere conceptum, quem expressæ hypotheticæ illas exponentes. Vt hanc, solum animal est homo, eandem habere mentalem respondentem cum ista copulatiua, animal est homo, & nihil aliud ab animali est homo. Verùm hoc falsum est, & extra communem conceptionem omnium. Quare probabilius dicimus, eas esse categoricas, posseq; nostrũ intellectum formare simplices actus (quos vocant syncategorematicos) respondẽtes huiusmodi signis exponibilibus. Eodem modo dicendum videtur de ijs, quæ habent ablatiuos absolutè positos, vt sole oriente dies fit, quæ solum secundum illationem æquiualet hypotheticæ, & non secundum conceptum. Estq; eius subiectum dies, prædicatum verò totum hoc, fit sole oriente. Imo etiam sic iudicant quidam de alijs plerisq;, quæ multò apertius videntur esse hypotheticæ, Vt hanc superius positam, quum irem Mechliniam, &c. dicunt esse categoricam, si verbum sit principalis copula. hypotheticam verò, si aduerbium temporale, vel (si mauis) coniunctio copulatiua, latenter aduerbio inclusa. Ad eundem modum dicunt de ijs, quæ habent relatiuum qui, siue in nominatiuo, siue in obliquo, quas omnes nobis est verisimilius esse categoricas. Quæ autem sit distributio hypotheticæ propositionis, & quæ ad veritatem vniuscuiusq; speciei exigãtur, alibi oportunius explicabitur. Nunc ad triplicẽ enunciationis diuisionem, quã ibi, Est autem vna prima, &c. latenter Philosophus insinuat, & deinde membratim explicat, veniendũ est.

Secatur primo enunciatio in vnam & plures.

Prima est. Enunciationum alia est vna, alia est plures, quæ membra post ita definit. Enunciatio vna est, quæ vnum significat, vel coniunctione vna. Plures autem enunciationes (aut si malis per appositionem) enunciatio plures, quasi dicas enunciatio existens plures quodam modo enunciationes, est quæ plura significat, & non vnum, vel inconiunctæ. Circa hæc tradi solent duæ opiniones, quarum altera est recentiorum, Altera verò Boetij & sequacium.

Boetius.

Verùm quia neutra videtur omni ex parte satis probabilis, ideo sequentes beatũ Thomam, quod in vtraq; verisimile est amplectemur, quod verò minus probabile est, omittemus. Dico opinionem recentiorum, non omni ex parte probabilem, quia negat, vllam enunciationem sub definitione enunciationis contentam esse plures, cuius tamen oppositum satis constar, tã ex secund. cap. ij. περὶ ἑρμηνείας, quàm ex pri. lib. Elenchorum. Boetij verò opinio, quo ad eàm partem, quæ tradit solam propositionem conditionalem, esse enunciationem vnam, dicitur etiam manifestè refelli, ex ij. cap. iij. tractatus ij. lib. Post. vbi Arist. apertè dicit, quòd Ilias Homeri sit oratio coniunctione vna, quam tamen constat non esse conditionalem, quin etiam si verba definitionis perpendas, vsq; adeò parum congruit, vt eruditioribus conficta videri queat, quamlibet eam nemo refellat.

Enũciatio vna duobus modis dicitẽ. Quid vnũ.

Nos igitur dictũ Arist. locum sequentes dicimus, Quòd enunciatio duobus modis vna dicitur, Alia namq; est simpliciter vna, quæ vnum de vno significat, id est, quæ enunciat vnum prędicatum de vno subiecto. Vnum voco, quod significat rem vnam, vel plura ex quibus fit huiusmodi res vna. Nam vnitas hæc ex parte rei significatæ attenditur, & hactenus Boetio consentimus.

Alter mod⁹ enunciationis vnius.

Alia verò enunciatio, vna est coniunctione, id est, propter aptam partium vnionem, tam secundum vocem q̃ secundum significationem. Nam vbi est æquiuocatio aut amphibologia, ibi saltẽ in mẽte partium separatio est, quæ si in voce exprimatur, manifestè constabit, partes nõ aptè sibi cohærere. Iuxta hunc modũ (quẽ solùm agnoscit recentiorum opinio) enunciatio, & enunciatio vnà conuertuntur. Nam vnitas hæc attenditur ex vnitate conceptus significati, quæ ad omnem enunciationem, imò ad omnẽ orationem requiritur, vt ex dictis patet.

Enunciatio plures duobus modis dicitur. Quid prędicatũ plura, & non vnũ. Posterior.

Similiter enunciatio plures duobus modis dicitur. Alia enim est plures, quia plura significat, & non vnum, id est, quia enunciat plura, vel de pluribus, &c. Plura & non vnum voco prædicatum vel subiectum, quod plura significat, ex quibus non fit res vna secundum substantiam, vt vir bonus, canis cum æquiuocè sumitur, & similia. Alia verò enunciatio dicitur plures, quia est plures enunciationes inconiunctæ, id est, quia constat pluribus enunciationibus inter se non aptè cohærentibus, sub quibus comprehende eas, quæ ratione æquiuocationis aut amphibologiæ plures habent sententias, maximè si hypotheticarum speciem præ se ferant. Nam illæ quæ videntur categoricæ, forsitan ad præcedentem modũ magis spectant.

Enunciatio est triplex. Prima. Secunda. Tribus modis cõtingit fieri enũciatio plures. Tertia.

Ex his patet, quod triplex sit enũciatio. Quædam enim est simpliciter vna, sic vt nullo titulo sit plures, cuiusmodi sunt quæcũq; ad priorẽ modũ enũciationis vnius pertinent. Alia est simpliciter plures, id quod tribus modis contingit. Primus est, si sit plures inconiũctè. Secũdus, si æquiuocationẽ habeat. Tertius, si amphibologica sit.

Alia

Alia verò eſt partim vna, partim plures, vt hæc enunciatio. Orator eſt vir bonus dicendi peritus, eſt vna quidem coniunctione, propter aptam partium vnionem. ſignificat plures, quia prædicatum plura complectitur, ex quibus non fit vnum. His adde, quòd Ariſt. in ſequentibus loquens de enunciatione quæ eſt vna aut plures, Per enunciationem vnam ferè intelligit eam, quæ eſt vna ſimpliciter. Iuxta priorem modum enunciationis vnius. Et ſimiliter per enũciationem plures intelligit eam, quę eſt plures, quia plura enunciat, iuxta priorem modum, ſiue ſit plures ſimpliciter, ſiue etiam ſimul coniunctione vna. His itaq; conſtitutis, non ſolum facilis eſt definitionum ſenſus, ſed etiam obuia erunt quæcunq; in ſequentibus de enunciatione vna aut pluribus dicuntur.

Enunciatio partim vna, partim plures.

Quid enũciatio vna.

Eſt igitur enunciatio vna, quæ vnum ſignificat, vel coniunctione vna, id eſt, enunciatio vna eſt enunciatio (intellige verè vel apparẽter) quæ enunciat vnũ prædicatum de vno ſubiecto. Nam ſub vnitate prædicati, intelligenda eſt vnitas ſubiecti ac ſignorum, &c. Imò & copulæ, ſi tamen a prædicato ſit diſtincta, vel quæ eſt vna propter partium vnionem, tam ſecundum vocem, q̃ ſecundum ſignificationem. Nam quantumlibet partes aptè cohæreant ſecundum vocem, tamen ſi adſit aliqua æquiuocatio, aut amphibologia, ſtatim tolletur vnitas. Sub priore membro continentur categoricę propoſitiones quę vnũ de vno enunciant, vt Ioannes eſt homo, homo eſt animal rationale. Sub poſteriore verò continentur quęuis enũciationes prius definitæ, niſi fortè cum excluſione intelligatur. vndè patet, quòd prius membrum definitionis, & poſterius habẽt ſe vt magis commune, & minus.

Quid enũciatio plures.

Enũciatio plures eſt, quæ plura & non vnum vel inconiunctè, id eſt, enunciatio plures, eſt enunciatio verè vel apparenter, quę enunciat plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus. Plura, inq̃, quę non ſunt vnum, Nam plura quæ ſunt vnum, vt animal rationale, enunciationem vnam conſtituunt. Vel enunciatio plures eſt enunciationes inconiunctæ, id eſt, ſibi non cohęrẽtes, ſub quibus comprehende, amphibologicas, & eas quæ æquiuocationem habẽt, maximè ſi hypotheticę videantur. Nam quę categoricarum ſpeciem præ ſe ferunt, ad priorẽ partem definitionis magis ſpectare videntur. Continentur igitur ſub priore parte definitionis omnes enunciationes plures, quæ ſunt vel apparent eſſe categoricæ. Sub poſteriore verò illæ quę videntur eſſe hypotheticę, licet non ſint, quia non ſunt enunciationes. Secunda diuiſio eſt quæ apud Ariſtot. Enunciationum vnarum, Alia eſt ſimplex, Alia compoſita, prorſus eadem eſt cum ea quam antè explicuimus propoſitionis in categoricam & hypotheticã. Nihil enim aliud eſt ſimplex enunciatio q̃ categorica propoſitio, & compoſita q̃ hypothetica.

Prior ſimplicis enũciationis deſcriptio.

Simplicem enunciationem bifariam (& ſi nonnulli reclamant) Ariſt. definiuit. Prior definitio. Enunciatio ſimplex eſt, quæ aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo enũciat, hoc eſt, quæ aliquod prædicatum cuipiam ſubiecto attribuit, vel ab eo remouet ac negat. Deſignat enim præpoſitio (de) compoſitionem ſeu affirmationem, ab verò negationem atq; ſeparationem. Aliquoties tamen (de) largè accipitur, vt ad vtrumq; ſeſe extendat. Priore ergo particula compræhenduntur categoricæ affirmatiuæ, poſteriore negatiuæ. Quid autem dicẽdum ſit de ijs quæ habent copulam mixtam, vt homo eſt vel non eſt albus, committimus diſputãtibus. Sunt enim talia plerunq; leuiuſcula & arbitraria.

Poſterior enũciationis ſimplicis finitio.

Altera definitio eſt. Simplex enunciatio eſt vox ſignificatiua, de eo quod eſt aliquid, vel non eſt, quemadmodum tempora diuiſa ſunt. Cuius hic eſt ſenſus. Simplex enunciatio eſt vox enunciatiua ſeu prędicatiua alicuius prędicati de eo ſubiecto, quod eſt aliquid vel nõ eſt, id eſt, quod denotatur in illa ipſa voce eſſe ſimpliciter vel tale, aut non eſſe ſimpliciter, vel non eſſe tale, ſecundum aliquam ex temporum differentijs, hoc eſt, ſecundum tempus præſens aut præteritum, aut aliud. Simpliciter quidem ſignificatur ſubiectum aliquid eſſe vel non eſſe, quum dicimus, homo eſt, homo non eſt. Tale verò, hoc eſt, aliquo modo ſeſe habens vel non, quum dicimus, homo eſt animal, homo eſt albus, homo ſedet. homo non eſt albus, homo nõ ſedet. Quum enim dico homo eſt animal, ſignifico hominem eſſe aliquid. Quum verò dico hominem non eſſe equum, enuncio ipſum aliquid non eſſe.

Quid ſit diſcriminis inter dictas deſcriptiones.

Quòd ſi quis harum duarum deſcriptionum diuerſitatem exigat, Reſpondendum eſt, eas non multo plus q̃ verbotenus differre, niſi quòd prior videtur negationem & affirmationem magis ad prædicatum retuliſſe, hæc verò ad ſubiectum. Vt enim prædicatum, nunc affirmatiuè, nunc negatiuè de ſubiecto enunciatur, ſic & viceuerſa ſubiectum, nunc affirmatiuè, nunc negatiuè ſubijcitur prędicato. Deinde etiam (vt Boetius ait) vt non ſolũ præſentis temporis enunciationem definiuiſſe videretur, addidit, definitionem de alijs quoq; temporibus intelligi, adiecta particula, quemadmodum tempora, &c.

Quid enũciatio compoſita.

Compoſitæ enunciationis definitio in textu nulla ponitur, facilè tamen hanc licebit elicere. Compoſita enunciatio eſt, quæ è ſimplicibus eſt coniuncta. Cuius intelligentia ex his quæ ſuperius de hypothetica

propoſitione

propositione dicta sunt, procliuis esse potest. Tertia diuisio enunciationis simplicis est in affirmationem & negationem. Si sit aliqua propositio mixtæ qualitatis, restringendum est diuisum ad eas solas, quæ simplicem qualitatem retinent. De his etenim tantum agit Arist. quæ frequentiores sunt. Sed de hisce diuisionis partibus inter philosophos commentatoresq; vehementer olim certatum est, teste Boetio, circa principium commentariorum huius operis. Alexander namq; idcirco dicit, non esse species enunciationis affirmationem & negationẽ, quoniam affirmatio prior sit. Priorem verò affirmationem conatur idcirco ostendere, quòd omnis negatio affirmationem tollat & destruat. Quod si ita est, prior est affirmatio, quæ subruatur, q̃ negatio quę subruat. In quibus autem prius aliquid & posterius est, illa sub eodem genere poni non possunt, vt in eo titulo prædicamentorum dictum est, qui de ijs quæ sunt simul, inscribitur. Amplius negatio (inquit) diuisio quędam est, affirmatio verò compositio. Omni autem diuisione necessè est priorem aliquam intelligi compositionem. Item in quantitate, quod ad quantitatem minus est, prius est eo quod ad quantitatem plus est, omnis verò oratio quantitas est. Sed quum dico, Socrates ambulat, minor oratio est, q̃ cum dico, Socrates non ambulat, quare, &c̃. Illud quoq; adiunxit, affirmationem quendam esse habitum, negationem verò priuationem, affirmatio igitur negatione prior est. Sed Porphyrius ait, sese docuisse, species enunciationis esse affirmationem & negationẽ, in ijs commentarijs, quos in Theophrastum ædidit. Hic verò Alexandri argumentationem tali ratione dissoluit. Non oportet arbitrari quæcunq; quolibet modo alijs priora sunt, ea nõ sub eodem genere cum illis posse poni. Sed quæcunq; secundum esse suum atq; substantiam priora vel posteriora sunt, ea sola sub eodẽ genere nõ ponuntur. Si enim quicquid quolibet modo prius est, cum eo quod posterius est, sub eodem genere esse nõ potest, nec primis substantijs & secundis commune genus poterit esse substantia. quod qui dicit, a recto ordine rationis exorbitat. Sed quemadmodum quanq̃ sunt primę & secundę substantię, tamen vtræq; æqualiter in subiecto non sunt, & idcirco esse ipsorum quatenus substantię sunt, ex eo pendet, quòd in subiecto non sunt, & proinde sub eodem genere collocantur. Ita quoq; quanq̃ affirmationes negationibus in orationis prolatione priores sunt, vti satis constat, & hoc ipso capite a Philosopho dicitùr, tamẽ ad esse atq; ad naturam propriam, æqualiter enũciatione participãt. Enunciatio enim est, in qua veritas vel falsitas inueniri potest, qua in re & affirmatio & negatio æquales sunt. Aequaliter enim affirmatio & negatio veritate & falsitate participant. Quocirca quoniam id quòd sunt affirmatio & negatio, æqualiter ab enunciatione participant, a communi eas enunciationis genere diuidi non oportet. Nobis quoq; videtur, quòd Porphyrij sequẽda sit sententia, &c̃. Hæc ex Boetio ad verbum penè retulimus, sperantes nõ iniucunda nec infrugifera fore studioso lectori. Est pręterea circa hanc diuisionem aduertendum, quòd licet Aristoteles affirmationem & negationem simplicibus modò enunciationibus (quarum scilicet ei præcipua est toto hoc opere cura) accommodauerit, eandem tamen diuisionem in compositas etiam quadrare. Sunt enim & harum quædam affirmatiuę, in quibus principalis copula non negatur, vt si sol oritur, dies fit. Petrus Romę crucifixus est, & Paulus est truncatus capite. Aliæ verò negatiuæ, vt non si sol oritur, dies est. Non si malè nunc, & olim Sic erit, inquit Horatius. Item non & Petrus Romæ crucifixus est, & Paulus capite truncatus, negatione quę præponitur in omne quod sequitur lata. Cuius rei insinuandę gratia, solemus alteram in coniunctionem præmittere, hoc pacto, non & Petrus crucifixus est Romæ, & Paulus, &c̃. Sed quia harum affirmatio & negatio non ex verbali copula pendet, sed coniunctione, non est eas Arist. præsenti diuisione complexus. Id quod constat lepidissimè ex membrorum definitionibus. Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio est enunciatio alicuius ab aliquo. Quæ quidem satis ex præcedentibus sunt manifestæ. Illud tamen admonendum est, summopere obseruandum esse principale prædicatum seu verbum. Neq; enim cum in periphrasi subiecti vel prædicati negatio continetur, adhærens minus principali verbo, statim negatio erit. Sed si principale verbum negatur, erit negatiua oratio, sin minus, affirmatiua. vt hę affirmatiuæ sunt. Ea philosophia, quę non docet virtutẽ maximè expetendã esse, officit moribus. Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos, Vt nunq̃ inducant animum cantare rogati, & iniussi nunq̃ desistant. Piscis est animal quod non respirat. Hæ autem negatiuæ. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Non facilè est æqua commoda mente pati. Porrò quidnam sit principale verbum, ex ipso licet orationis sensu dijudicare. Definitio ergo affirmationis sic intelligenda est. Affirmatio est enunciatio, cuius tota significatio in hoc est, vt aliquod prædicatum subiecto cuipiam denotetur conuenire. Adiectum est in explanatione, Cuius tota, &c̃.

Tertia diuisio, quę est enũciationis simplicis, in affirmationẽ & negationem.

Boetius.

An affirmatio, & negatio, verè sint enunciationis species.

Affirmatio & negatio in cõpositis & hypotheticis propositionibus reperiuntur.

Quid affirmatio, quid ue negatio.

propter

propter hypotheticas & eas quæ mixtæ qualitatis dicuntur. Pari modo interpretanda est ne-
gationis descriptio. Quod si cui libuerit, generalem omnium enunciationum in affirmatiuas &
negatiuas facere distributionem, has reddet membrorum descriptiones. Affirmatiua enunci
atio est, cuius principalis copula non negatur. Negatiua, cuius principali copulæ negatio ad
hiberur. Virtutes autem negationum, vt sese mutuò frequenter impediant, & quousq; proten
dantur, ex grammaticis partim, partim ex suppositionũ regulis discendæ sunt.

Explicatio illius literæ, Est autẽ vna prima enũciatiua oratio affirmatio, &c̃.

Pars illa tex
tus, Est autem vna prima enunciatiua oratio, affirmatio, &c̃. hanc habet sententiam. Prima
enunciatiua oratio vna, est affirmatio, deinde negatio. cæteræ verò omnes enunciatiuę orati
ones, quæ sunt vnę, sunt per coniunctionẽ vnæ. Quibus verbis (teste Boetio) non sentit Arist.
affirmationem magis propriè esse enunciationem, negationem autem impropriè & æquiuocè
secundum analogiam, quemadmodum interpretabatur Alexander, sed refert hoc ad prola
tionem, vt sit sensus. Quum diuersæ sunt enunciationes vnæ, atq; harum quædã simplices,
aliæ compositæ. & simplicium alia affirmatio, alia negatio, Primùm dico, quòd affirmatio est
enunciatio vna. deinde addimus, quòd negatio etiã vna sit enũciatio, & tertiò eæ quę sunt per
coniunctionem vnę. Potest etiam non incongruè forsitã affirmatio prior dici negatione, quia
naturaliter prius assentimur affirmationi q̃ negationi, propositionisq; negatiuæ veritatẽ quo
dammodo metimur veritate affirmatiuæ, vt veritas huius negatiuæ, homo non est brutũ, col
ligitur ex his affirmatiuis, homo est animal rationale, & brutum est animal irrationale. Nam
propositioni negatiuæ veræ assentimur, postq̃ vtriusq; extremi definitionem aliquatenus cog
nouimus. Aliæ quoq; rationes, ex Alexandri argumentis superius inductis colligi possunt. In
sinuauit autem Arist. paucis hisce verbis, triplicem diuisionem prædeclaratam, licet nonnulli
duas solum indicari contendant, Primam, quum facit mentionem enunciationis vnius, nimi-
rum tacitè innuens, aliquas etiam esse quę sunt plures. Secundam, quũ dicit, cæteras omnes prę
ter affirmationem & negationẽ esse vnas per coniunctionẽ, indicans sanè istas esse vnas & sim
plices, cõpositionisq; talis expertes. Tertiam verò expressissimè, quę est simplicis enũciationis
in affirmationem atq; negationem. Ne quis autem hinc occasionem acciperet erroris, vt ar-

Quo pacto intelligẽdũ illud literæ, Necessè est asit omnẽ enũciationẽ cõstare, &c̃.

bitraretur vnam enunciationem simplicem, quales sunt affirmatio atq; negatio, omnis peni-
tus cõpositionis esse expertes, idcirco continuè subiecit, Necessè est autem, omnem enunciatio
nem, &c̃. Cuius dicti limitationes, quas addere solent, non multum quidem (vt remur) neces
sarias, prætermittimus. Quia secundũ diuersitatem opinionum de verbo & enunciatione, di-
uersæ adhibentur. Sed quamobrem verbi potius, q̃ nominis meminerit, quum tamen ex
vtroq; constare soleant enunciationes, causam indicat Boetius, q̃ non oportet omnem enun-
ciationem ex nomine vel casu nominis conflari, cum sint nonnullæ, in quibus non est nomẽ,
neq; nominis casus, vt nõ homo ambulat, ambulare est moueri, sed hoc verbum vice nominis
fungitur, & quodãmodo in nomẽ degenerat, quare ausus est dicere Arist. in principio secũdi
huius, omnẽ enunciationem esse ex nomine vel innominato & verbo, de quo ibi. Alij volunt
omissam esse nominis mentionem, quòd nomẽ non sit pręcipua & formalis pars enũciationis,
sed verbum, potissimùm quum est enunciatio simplex siue categorica, de qua sola asserunt

Omnis enũciatio verbũ exigit.

hic loqui Philosophum. Quòd autem omnis enunciatio verbum requirat, ostendit Arist. ex
emplo a definitione hominis sumpto, quæ saltem non minus q̃ aliæ orationes verbis caren-
tes enunciatio foret, nisi id vnum deesset. Cur autem animal gressibile bipes (quod est homi
nis definitio secundũ antiquos, sed incompleta & excedens, nisi quid addatur, vt lepidè pba
uit Diogenes Cynicus, iniecto in auditorium Platonis gallo gallinaceo deplumato) sit vnum
quiddam, & ex consequenti potens accessione verbi enũciationem etiam vnam absoluere, di
cunt alterius esse negotij seu sciẽtię, vel loci, nempe Metaphysici. Illic enim redditur causa vni
tatis ipsius definitionis essentialis, quòd eius partes significent, vna potentiam seu materiã, &
altera actum seu formã, ex quibus duobus vnum quiddam conflatur, vt habetur quinti Meta
physicorũ capite vltimo, & alijs in locis. Parenthesi autẽ interiecta, non enim quoniã parti-
bus, &c̃. excluditur falsa causa, propter quã videri poterat dicta definitio esse vna, videlicet
quia partibus coniunctis pronunciatur. Nam si propinquitas proferendi ipsa continuatione
vnã faceret orationem, posset hæc quoq; vna esse oratio. Socrates philosophus senex caluus,
quę manifestè nõ vna esse docebit, inquit Boetius. Requiritur ergo (hoc ipso autore) ad vnitatẽ
orationis partium continua prolatio, (Si enim diuidas, & orationem vnã rem significantem
proferendi intermissione distribuas, multiplex fiet oratio) sed nequaq̃ sufficit. Alias expositi
ones omittimus. Posita enunciationis vnius definitione, quia in ea meminerat de significati
one vnius, ne quis errore deceptus crederet nomẽ & verbũ quæ aliquid vnum significãt, esse

vnas enunciationes, continuò subiunxit, nomen & verbum dictio tantùm vocetur, hoc est, nō enunciatio. Et (ni fallamur) hac ipsa re videtur Arist. insinuare, aliter accipiendum esse vocabulum significatiuum in istis definitionibus, q̄ in definitione orationis, verbi, & nominis, hoc est, pro eo quod est enunciatiuū, & actu designat vnū alteri competere, vel non cōpetere, quod neq; nomini neq; verbo solitariè sumpto conuenire potest. Significant quidem nomina & verba separatim sumpta, sed non eo modo, vt id quod significatur, per ipsa alteri tribuatur actu, aut ab altero negetur. Duplicē vsum enūtiationis insinuat in textu Philosophus, dum dicit, siue quis interrogatus fuerit, siue non. Vnus est, quo liberè ac vltrò exprimimus nostrum iudicium, vt quum dicit Iuno ad Eolum. Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor. Alter, quo interroganti nostram sentētiam efferimus atq; explicamus, vt illud Dameiæ, quo Menalcæ percontanti, Cuium pecus, an Melibei? respondet. Non, verùm Aegonis. Verùm siue quis spontè, siue interrogatus protulerit nomen aut verbum, nihil enūciat tali nomine aut verbo, sed intellectus verus aut falsus tantùm respondet orationi resultanti ex eo quod eloquitur respondens, & quod ex interrogatione relinquitur subaudiendum.

Enunciationis vsus duplex.

Quoniā autē cōtingit enūciare & q̄d est nō esse.

In tertij tractatus caput primum, quod est de oppositis enunciationibus, adnotatio.

ABsolutis illis quæ se in prooemio explicaturum receperat, nunc ad oppositionis determinationem, quæ est quædam enunciationis inseparabilis proprietas, vel verius ipsius proprietatis actus, sese conuertit. Quippe eiusdem est disciplinæ, subiectum & eius propria accidentia considerare. Insuper autem oppositionis notitia dialectico non vtilis modò, verùm etiam prorsus necessaria existit, citra quam plurima eorum quæ in sequentibus continētur libris, intelligi omnino non possunt. Et initiò quidem viam munit ad sequentia, pulchrè ostendens, omni affirmationi oppositam esse negationem aliquam, & contra. Et ob id forsitan, q̄ Antisthenes olim contenderit, non esse contradictionem vllam, propterea quòd sicut res ipsa vnam essentiam obtinet, a qua dimoueri & variari nullo modo potest, ita quoq; propria solùm ratione proprioq; nomine videtur posse nominari, non autem alieno. Aduersus hanc veterem opinionem apertius agit Philosophus 5. metaphysicę cap. 29. Probat autē hic suam conclusionem per quatuor enunciandi modos, qui sunt, enunciare id quod est non esse, & enunciare id quod non est esse, & enunciare id quod est esse, & enunciare id quod non est non esse. Quorum primus opponitur tertio, secundus quarto, quanq; contrariæ simul falsę semper ad primum & secundum pertineant, & subcontrariæ simul verę ad tertium & quartū. Reliquæ verò semper ad primum & tertium, vel ad secundum & quartum. Nam si affirmatiua sit vera & negatiua falsa, pertinent ad primum & tertium: si verò negatiua sit vera & affirmatiua falsa, ad secundū & quartum. Per id quod est, accipienda est res, quę verè & affirmatiuè dici potest mediāte copula pręsentis tēporis. Per id vero quod non est, res quę verè & negatiuè dici potest mediante copula præsentis tēporis, accipiendo videlicet per id quod est, rem significatam per totam propositionem, quæ tunc esse dicitur, quando se habet sicut propositio affirmatiua de copula præsenti significat, Et non esse, quando se habet sicut negatiua de præsenti significat. Enunciare igitur id quod est non esse, est id quod verè & affirmatiuè dici potest, mediante copula pręsentis temporis, negatiuè & contradictorio modo enunciare, vel enunciare propositionem negatiuam de pręsenti falsam, & sic de cęteris. Ex quo mox elucescit, primū enunciandi modum esse negationum falsarum, vt homo non est, homo non est animal. Secundum falsarum affirmationum, vt Tragelaphus est, homo est lapis. Tertiū affirmationum verarum, vt homo est, homo est animal. Et quartum verarū negationum, vt Tragelaphus non est, homo nō est lapis. Simili modo facilè fuerit explicare in alijs tēporibus, quid sit enunciare id q̄d fuit, non fuisse. & id quod erit, non fore, &c̄. Vt Adā non fuit, Messias nascetur, Mox autē cum sequitur, Et omne quod quis affirmauerit, &c̄. summatim repetit quod antè per partes explicuerat, nisi quis velit in hoc etiam discrimen ponere, quòd id quod hic dicitur, videtur ad assertionem humanam referri & negationem. Ea autē quę præcesserunt, ad rei ipsius veritatē. Quia autem hic constat Aristot. loqui de affirmatione & negatione vocalibus, nihil obsistit illud quod in Metaphysicis scribitur, veteres quosdam negasse quidem prima principia ore, sed mēte nō potuisse. Et intelligi volunt conclusionē de oppositione contradictoria, quę maxima est, & inter extrema sua veritatem falsitatemq; necessariò diuidit, licet etiam æquè rectè generatim sumi posset oppositionis vocabulum. Desinit autē statim contradictionē ad hunc modum. Contradictio est affirmatio & negatio oppositæ. Boetius accipit definitum propriè pro ea oppositione solùm, quæ contradictoria appellatur, hoc est, (vt ipse ait) in qua affirmatio sit

Explicatio literæ i textus exordio

Id quod est. Id q̄d nō est

Quid sit cōtradictio.

vera sit, negatio falsa sit. si negatio vera est, fallax affirmatio videatur. Eiusdem sententiæ est Porphyrius. Sed nos recentiores magis sequimur, dicentes nomen præcipuæ speciei, positũ esse pro genere ipso, hoc est, cõtradictionẽ largè accipi pro oppositione, vt non idẽ penitus sint contradictio, & propositiones contradictoriç, inter quæ etiam ipse Philosophus discrimen indicauit, in sequenti cap. dicens nonnullas esse contradictiones de subiecto vniuersali non vniuersaliter sumpto, in quibus non sit necesse, alteram veram & alteram falsam esse, quas profectò constat non esse contradictorias ex ipsa contradictoriarum definitione. Deinde omnia quę hic de cõtradictione & oppositis dicuntur, pleraq; in contrarias quadrant, & subcontrarias, atq; contradictorias. Quare arbitrarium videtur & iniquum, illas penitus repudiari. Insuper & ipse Boetius, circa medium sequentis capitis hanc amplã contradictionis acceptionem admittit, ne putes commentum esse merum neotericorum. Largè itaq; sumptũ nomen contradictio, adhuc bifariã poterit accipi. Vno modo abstractim pro ipsa oppositione, quæ est relatio quædam oppositarũ enunciationum ad inuicem, secundũ quam formaliter dicuntur oppositę. Et hoc modo accipiendo definitum, erit definitio in sensu causali intelligenda. Huiusmodi enim respectus, vt alij quiq;, a suis fundamento & termino efficitur. Aliter concretim, pro duobus scilicet oppositis, vt sit nomen collectiuum idem significans, quod oppositum, sed connotatione pluralitatis ab eo differens. Quomodo simpliciter & formaliter intelligere licebit definitionem, siue de definito prædicationem. Neq; inconueniens est, de definitionibus improprijs, seu explicationibus quibusdam, quippiã per synonymũ nomen definiri, modò id notius fuerit, maximè etiam quũ connotatione nonnihil fuerit diuersum. Ne autem incertus hæreres lector, mox subiecit, quænam affirmatio & negatio oppositæ sint, dicens, Opponi eam dico, quæ est eiusdẽ de eodem, non æquiuocè, & quæcunq; taliũ contra sophisticas determinauimus importunitates. Quorum verborũ hęc est sententia. Dico eam affirmationem opponi cuidam negationi, & negationem affirmationi, quę est eiusdẽ prędicati de eodem subiecto, neutro ęquiuocè accepto, & quæ obseruat omnia talia, quæ alibi in elenchis definiuimus, & constituimus contra importunas cauillationes sophistarum, qui fallacibus argumentis, veræ rationis viam conantur euertere, hoc est, quæ est subiecti atq; prædicati eiusdem non tantùm secundũ vocem, sed eriã secundum rem, insuper & secundum idem sumpti, & ad idem relati, similiter & in eodem tempore. Ex quibus non magno negocio elicitur hæc oppositarum enunciationũ secundum Aristotelem definitio. Oppositæ sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodẽ, &c. Indè autem quòd per affirmationẽ & negationem oppositas definiuit, manifestum euadit, ipsum tantùm de simplicium enunciationum oppositione disserere, hoc est, quæ simplices habent terminos, subiectum & prædicatum, vel his secundum cætera similium, si Boetium sequamur in præcedenti capite. Neq; id immeritò. Nam harum cognitio facilior est, & ad ea quę in posterioribus libris continentur, videtur abundè esse sufficiens, poteritq; non ita difficulter ex ipsis benè cognitis, aliarum etiam quæ compositiores sunt, haberi scientia. Sed neq; de illis agit, quę a cõsueto loquendi modo recedentes, copulã prædicato postpositã habent, vel vniuersalitatis notã prædicato adiũctam, cõtra id quod postmodum hoc ipso capite pręcipietur. Neq; addendum est, &c. Hinc exclusæ sunt instantiæ de his, aliquis homo est omne animal, aliquis homo non est animal. omnis homo est animal, & omnis homo aliquod animal nõ est, vel omnis homo animal non est, quæ non sunt vllo modo oppositæ, & tamen videtur eis conuenire tota Aristotelica descriptio. Postremam tamen istarum accipiunt ferè autores indiscriminatim pro hac, omnis homo nõ est animal, nullo scilicet ponentes in discrimine, an negatio fuerit præposita prædicato, an non, & hac ratione erit ista verè opposita illi, omnis homo est animal. Quod dicit in definitione primo loco, affirmatio & negatio, excludit eas propositiones quę subalternæ vocari solent, ob id quòd vna sub altera contineatur, particularis scilicet sub vniuersali. Harum enim enunciationum, vel vtraq; affirmatiua est, vel vtraq; negatiua, Vt omnis homo est animal, & aliquis homo est animal. nullus homo est animal, & aliquis homo non est animal. quæ non tam oppositæ sunt, quàm certa ratione consequentię cõpositæ atq; connexæ, vt postea declarabitur. Neq; enim aut simul veræ esse, aut simul falsæ recusant, nisi quis latius vtatur vocabulo oppositionis, pro repugnantia enunciationũ eiusdem subiecti & prædicati in qualitate, vel quantitate, vel vtroq; simul. Sed nos illum loquendi morem non recipimus. Quod sequitur, Eiusdem de eodem, &c. arguit has non esse oppositas. Aethiops est niger, & Germanus non est niger. Sapiens non mentitur, & sapiens philosophatur. Bos est cornutus, & porcus non est alatus. In primis enim subiecta diuersa sunt, In secundis prædicata, In tertijs vtraq;. Mox adiuncta particula, Non æquiuocè, quæ ad subie-

---

Duplex contradictionis largè sumptę acceptio

Quæ enũciationes sint compositæ.

Oppositę propositiones.

ad subiectum pariter atq; prædicatũ est referenda, separat a definitione has & similes, Cato se occidit, Cato se non occidit. si in vna de Catone Vticensi, qui fuit Martiæ coniunx, intelligatẽ subiectum, in altera de Catone Censorio. Item istas, Cato est fortis, Cato non est fortis, etiam si subiectum vniuocè accipias, sed prædicatum in vna ad animi fortitudinem referas, in altera ad corporis robur. Quòd si vtraq; æquiuocè vsurpaueris, multo minus erit oppositio. Sequentes autem particulæ ex definitione elenchi desumptæ sunt, quas licet illic opportunius fuerat fusè declarare, ne tamen hic penitus ignorentur paucis sunt explicandæ. Prima ergo illarum ad oppositionem exigit, non tantùm idẽtitatem nominis secundum significationem seu rem, verùm etiã secundum vocẽ ipsam. Hinc non opponuntur istæ vocales enunciationes. omnis gladius est acutus, & quidã ensis non est acutus. Virgilius fuit gratus Augusto, & Maro non fuit Augusto gratus. omnis cygnus est albus, & quidam cygnus non est candidus. Quãtumuis enim mentales respondentes sint contradictoriæ, ea tamen oppositio atq; repugnãtia nequaq̃ in vocibus elucet. Secunda, vt si in contradictione reperiatur aliquis terminus relatiuus seu comparatiuus, is secundum idem sumatur, & non secundum aliam & aliam rationẽ, hoc est, vt fiat comparatio in eodem. Quare hæ non erunt oppositæ, hoc lignum est duplum ad illud, hoc lignum non est duplum ad illud. si in prima longitudinem spectes, in secunda autem latitudinem tantùm. Similiter nec hæ, quatuor oues sunt duplæ ad duos equos, & quatuor oues non sunt duplę ad duos equos, si in vna facias comparationem secundũ magnitudinem, in altera autem secundum multitudinẽ. Item Ioannes excellit Paulum, Ioannes nõ excellit Paulũ, si in vna accipiatur excellentia secundũ quantitatem, in altera secundũ virtutem aut eruditionem. Nonnulli dant hęc exẽpla, homo est albus, & homo non est albus. oculus albus est, & oculus nõ est albus. si affirmationes sumamus de homine secundũ corpus, & de oculo secundum superiorem eius partem. negationes autem secundum animã & pupillam oculi. Tertia requirit, relationem ad idem fieri, Defectũ cuius hæ non opponuntur, decem sunt dupla, decem non sunt dupla, si in affirmatione duplum acceperis, vt ad quinq; fiat relatio, vel etiam generatim ad quiduis. negationem verò, vt tantùm ad sex, vel alium hoc maiorem numerum. Similiter nec hæ, Sophroniscus est pater, & Sophroniscus non est pater; si non ad eundem relatus fuit Sophroniscus. Quarta, vt prædicatum similiter intelligatur enunciari de subiecto. Nam si quis dixerit Socratem currere, intelligens de cursu quouis in genere, & alter Socratem non currere dicat, intelligens id de cursu celeri, non erunt tales sermones inuicẽ oppositi vel contradicẽtes. Boetius verò sic ait. Amplius quoq; si diuerso modo quis dicat in negatione, quod iam affirmatione proposuit, vim negationis intercipit. Si quis enim dicat, affirmationem potestate, negationem verò actu, possunt negatio & affirmatio vno tempore congruente veritate consistere. Vt si quis dicat, catulus videt, potestate enim videt, actu verò non videt. Sic ille. Quinta, vt prædicatum subiecto tribuatur pro eodem omnino tempore. Nam si dicas, manus mea clausa est, manus mea clausa non est, referens ad tempora diuersa, hoc est, accipiendo copulam, vt non idem prorsus tempus cõsignificet, nulla est oppositio. Solet autem copula præsentis temporis consignificare id tẽporis, in quo tota propositio profertur, nisi aliud indicet circumstãtia, vt quũ contradicimus affirmationi de pręsenti antè pronunciatæ, in negatione non consignificatur id tẽporis, in quo negatio ipsa effertur (alioqui enim in hanc definitionis particulam peccaretur) sed illud propriè, in quo affirmatio cui contradicitur mox proferebatur. Meminimus autem nonnihil, quod ad hanc rem pertineat, superius attactum esse. Quare non immorabimur diutius. Plura de istis in priore Elenchorum libro forsitan adijcientur. Hic illud tantùm admonendum est, non habere hæc quatuor postrema locum, nisi dum per solum intellectum tale quid accidit, vt termini non eodem prorsus modo sumantur. Si enim in voce ea ipsa exprimerentur, manifestissimum foret, affirmationẽ & negationem non opponi, eo q; tum propositiones ipsæ euidenter non essent eiusdem de eodẽ, vt si quis dicat Socrates currit, & Socrates non currit celeriter, manifestarium est oppositionis vitium. An autẽ huiusmodi tacita diuersitas acceptionis seu relationis terminorum, omni vacet æquiuocatione, alijs disputandum relinquimus. Fortassè non esset grande nefas fateri, hæc omnia in particula illa non æquiuocè esse compræhensa, & nõ nisi ad maiorem facere declarationem. De diuisione statim adiuncta, & membrorum definitionibus, nihil opus est hic prolixius verba facere, quum ex libello Porphyrij de vniuersalibus, ijsq; quæ nos inibi disseruimus, satis sint aperta, siue ad res ipsas, quemadmodũ verba prætendunt, siue ad terminos rerũ significatiuos referanẽ, vt indicare videt titulus huius capitis, qui est apud alios etiã Gręcos, De subiectis & pręedicatis propositionum. Neq; hoc vel tãtilli referre putauerimus, quum

Expositio illius, Et quęcũq; contra sophisticas determinamus importunitates.

iſta inuicem indiſſolubili nexu conſequantur, ſcilicet ſingularitas & vniuerſalitas terminorũ atq; rerum ſignificatarum, quatenus ab intellectu hoc aut illo modo concipiuntur. Cur autẽ hanc diuiſionem hoc in loco aſſignauerit Philoſophus, indicatur verbis ſubſequentibus, Et vtriq; contingit, &c. Id hoc pacto explicat Boetius. Omnis propoſitio ſignificationis ſuæ proprietatem ex ſubiectis intellectibus capit. Sed quoniã neceſſe eſt, intellectus rerũ eſſe ſimilitudines, vis propoſitionũ per intellectus ad res quoq; continuatur. Atq; ideo cũ aliquid vel affirmare cupimus, vel negare, hoc ad intellectus & conceptionis animi qualitatem refertur. Quod enim imaginatione intellectuq; concipimus, id in affirmatione, aut in negatione ponentes affirmamus ſcilicet & negamus. Et principaliter quidẽ ab intelligentia propoſitiones vim capiunt & proprietatẽ. Secundo autẽ loco ex rebus ſumũtur, ex quibus intellectus cõſtare neceſſe eſt: vndè fit, vt & quantitate propoſitio & qualitate participet. qualitate quidem, in ipſa affirmationis & negationis prolatione, quã ex proprio quis iudicio emittit ac profert. Quantitate verò ex ſubiectis rebus quas capiũt intellectus. Videmus namq;, alias eſſe in rebus huiuſmodi qualitates, quæ in aliam rem conuenire non poſſunt, niſi in vnamquamq; particularem ſingularemq; ſubſtantiam. Alia eſt enim qualitas, ſingularis, vt Platonis vel Socratis. Alia eſt quę cõmunicata cum pluribus, totam ſe ſingulis & omnibus præbet, & eſt ipſa humanitas. Eſt enim quædã huiuſmodi qualitas, quæ & in ſingulis tota ſit, & in omnibus tota. Quotieſcunq; enim aliquid tale animo ſpeculamur, non in quamlibet vnã perſonam per nomẽ hoc mentis cogitatione deducimur, ſed in omnes eos, quicũq; humanitatis definitione participãt. Vndè fit, vt hęc quidem ſit cõmunis omnibus, illa verò prior incõmunicabilis quidẽ cunctis, vni tamẽ propria.

Diuiſio enũciationis in ſingularẽ & communẽ.

Hæc ille, & plura quæ ſequuntur. Inſinuat ergo hoc loco Ariſtot. enunciationis ſimplicis diuiſionem, in ſingularem, quæ ſingulari ſubiecto aliquid ineſſe vel non ineſſe enunciat, & vniuerſalem, aut (ſi tollendæ ambiguitatis gratia nomen mutare velis) communem, quæ vniuerſali ſubiecto quippiam ſignificat ineſſe vel nõ ineſſe. Atq; hoc poſterius membrũ in principio Analyticorum diducitur in vniuerſalem, particularem, atq; indefinitam, vt ibi latius eſt declarandum, vocaturq; huiuſmodi diuiſio ſecundum quantitatem, quia ex ſubiecto attenditur, q̃ materiæ ſubire dicitur in propoſitione rationem, cui inſeparabiliter connexa eſt quantitas. Altera verò ſuperioris capitis in affirmationem & negationem partitio ſecundum qualitatem dicta eſt. quòd copula ſeu prædicatum, in quo illã præcipuè conſiſtunt, formæ rationem habeat. Ibi autem, Contrariæ enunciationes ſunt, ſi quid, &c. Innuitur hæc contrariarum enunciationum definitio.

Cõtrarię enũciationes

Contrariæ ſunt oppoſitę, in quibus enunciatur aliquid vniuerſali vniuerſaliter ineſſe, & non ineſſe. Pro qua & ſequentibus aduertendum eſt, triplicem a Philoſopho hic indicari oppoſitionis modum, licet ſecundò nõ indiderit nõmen, inueniturq; hæc oppoſitionum diuerſitas in iis dumtaxat, quæ ſubiectum habent vniuerſale ſeu commune. Nam ſingulares vnicum oppoſitionis modum, qui contradictorius dicitur, inter ſe tenẽt. Semper enim eiuſmodi oppoſitæ verum falſumq; inter ſe diſtribuunt. Prima oppoſitionis ſpecies eſt contrarietas. Secunda eſt oppoſitio ſubcontrariarum, quaſi dicas earum quę ſub contrariis continentur. Et tertia, contradictoria, quæ contradictio propriè & antonomaticè dicitur. Contrariarum definitio ſic intelligitur. Contrariæ ſunt oppoſitæ, in quarum altera enunciatur aliquod prædicatum ineſſe ſubiecto vniuerſali vniuerſaliter, in altera verò idem prædicatum enunciatur eidem ſubiecto vniuerſaliter nõ ineſſe, Exemplum eſt in litera.

Diximus, ſunt oppoſitæ, non q̃ non conuertibilis eſſet definitio, ſi diceretur enunciationes, ſed quia ſemper pręſtat genus definiti proximũ in definitione præponi, q̃ id quod elongatius eſt. Enunciari autẽ vniuerſaliter ineſſe ſubiecto, eſt ſignificari cõueniri ſingulis indiuiduis ipſius. Enunciari vniuerſale non ineſſe ſubiecto, eſt deſignari nulli indiuiduo ſubiecti cõuenire, vt huius prædicatũ enunciatur vniuerſaliter ineſſe, omnis homo viuit, Iſtius verò vniuerſaliter non ineſſe, nullus homo ſtupet. Subcontrariarum definitio ex illis verbis elicitur, Si verò non vniuerſaliter, &c. quæ verba Boetius ad indefinitas ſolas, non etiã particulares detorquet, accepto argumento ex exemplis mox additis, eſt albus homo, non eſt albus homo. Diſtinguit ergo duplices oppoſitas, non contrarias neq; contradictorias, ſed ſubcontrarias (quæ ſecundum ipſum ſolum ſunt particulares) & indefinitas. Sed obſcurus eſt, & variat in hac re ſubinde Boetius, ſibiq; non ſatis per omnia videtur conſtare, vt haud ſciamus, quo teneamus vultus mutantem Protea nodo. Nam antè dicit, indefinitas a contradictione eſſe ſeparãdas, quia vtræq; veræ, aut vtræq; falſæ reperiri queant, ipſaſq; particularium definitarum vim tenere. Tale enim eſt quod dico, homo iuſtus eſt, tanq̃ ſi dicam, quidã homo iuſtus eſt, Et rurſus tale eſt quod dico, homo iuſtus non eſt, tanq̃ ſi dicam, quidam homo iuſtus non eſt.

Et addidit

& addidit tandem. Atq; ideo hæ contra vniuersales vniuersaliter prædicatas faciunt cõtradictionem. Nam si contra illam quæ est, omnis homo iustus est, homo iustus non est, in oppositione constituatur, vna semper vera est, altera falsa. & cætera quæ sequuntur in eandem sententiam. Ex quibus autẽ sequitur, indefinitas non esse diuersas a particularibus habendas, quia (vt dicit Philosophus capite proximè sequenti, & primo secundi libri) vni affirmationi vna tãtùm opponit negatio secundũ eũndẽ oppositionis modũ. Arbitrariũ ergo videtur, quod hic negat Boetius, indefinitas esse subcontrarias, quasi sub ipsis contrarijs nõ æquè contineantur atq; particulares, quibus vel ipso teste æquipollent. Nos ergo verba Aristot. simpliciter, puteq; accipientes, neq; extrinsecus quicq̃ alieni subaudientes, tam particularibus q̃; indefinitis, quod hic dicitur, putamus attribuendum. Quod verò ab exemplis ille argumentabatur non magni est ponderis. Neq; enim vbiq; autores omne genus exemplorum proferunt, quibus sua dicta volũt adaptari. Et in principio capitis sequentis particulares manifestè assignat Philosophus. Cur ergo indefinitas a particularibus in Analyticis distinxit, si particularibus etiam Boetio teste, consimiles sunt? Respondetur secundũ ipsum Boetiũ, quia indefinita quantitas secundum se, neq; in pluralitatem propositionem tendit, neq; in particularitatem redigit, quia sine vlla determinatione præponitur, vt qui dicit, homo est coloratus, neq; omnẽ hominem coloratum esse confessus est, neq; aliquem tantùm. Alioqui enim falsum dixisset, aut certè necesse foret hanc esse falsam, homo est albus, sed indefinite indeterminateq; proposuit, hominẽ esse album. Verùm eadem ratione videtur hæc indefinita esse, aliquis homo est coloratus, quia nec ipsa omnem hominem coloratum esse constituit, vti constat, nec tantùm aliquem, alioqui falsa erit dicenda, quo nihil est stultius. Et propterea Aristot. in fine tertij Topicorum appellat tales indefinitas particulares, vt ibi videbitur. Ideoq; rectius videtur nobis de indefinitis sic posse constitui, quia ancipites sunt, & per se incertæ, an vniuersalẽ obtineant significationẽ, an particularem, licet particularibus æquipollere, ac harum vim obtingere, non malè dicantur a Boetio. Quoniam (vt Martianus ait) quod indefinitè dicimus, necessariò particulariter saltem, non necessariò vniuersaliter, accipimus, quod indefinitum pro parte acceptum securum habet intellectum. Et re vera in vulgari atq; recepto loquendi modo, indefinitæ non aliud quàm particulares designant, hoc est, tantũmodo exigunt prædicatũ alicui indiuiduo subiecti cõgruere, licet in disciplinis nõnunq̃ pro vniuersalibus sumantur, vt quum grãmaticus dicit, nõmina carere temporibus: Dialecticus, oppositum contradictorium consequẽtis, inferre contradictorium antecedentis: Physicus, calidum disgregare & rarefacere, frigidum autem condensare: Iurisperitus, vsuram esse iniustam: Theologus, mendacium esse peccatum, atq; ita de cæteris. Atq; hoc quod modò diximus satis comprobat, præter cætera, etiam id quod in Analyticis ait Aristoteles, ex duabus indefinitis non potest colligi syllogismus, æquiparans scilicet eas per omnia particularibus. Qui autem sentiunt, indefinitam non nisi indefinitæ contradicere, quantum quidem cum Boetio, quo se autore tuentur, conueniant, satis arguunt ipsius verba superius a nobis accita. & id etiam quod antè dictum est, Omne quod quis affirmauerit contingere negare, & quod quis negauerit affirmare. & proinde omni affirmationi oppositam esse negationem, & contra, inter quas veritas atq; falsitas diuiduntur. Istis tantùm euenit. vt quibusdam enunciationibus, scilicet indefinitis, non possint vlla ratione assignari oppositæ in veritate pariter & falsitate repugnãtes, quod nullo pacto apparet esse consentaneũ, vt scilicet tu aliquid dicere possis, cui ego non possim ex diametro repugnare atq; contradicere. Huiusq; de indefinitis disputationem extraximus, propterea quòd de hisce magna solet esse inter logicos, & obscura controuersia, quam si nos non omnino sustulimus, data est tamen opera, vt quod maximè veritati consentiret, probabiliter indicaretur. Qui his meliora atq; certiora attulerit, permittimus hæc nostra sicut merentur, refutet, sed citra dentem, vt nos alios. Definitio secundi generis oppositionis, quam ex litera licet colligere, sic habet.

Quæstio incidens. Responsio.

Subcontrariæ sunt oppositæ, in quibus enũciatur aliquid vniuersali inesse nõ vniuersaliter, & non inesse. Cuius interpretamentũ ex antedictis in promptu fuerit. Exẽpla sunt, aliquis homo est albus, & aliquis homo nõ est albus. homo est albus, & homo nõ est albus. Id enunciatur vniuersali inesse non vniuersaliter, quod significatur alicui saltem indiuiduo subiecti communis competere, hoc est, quod alijs verbis exprimũt, omnibus indiuiduis disiunctiuè, siue huic vel illi. Hinc statim patet, quid sit enunciari vniuersali non vniuersaliter nõ inesse. Illa autem subsequens particula textus, Licet quæ significantur aliquando, &c. multipliciter expositorũ sententijs expeditur, quod paucis non pigebit adnotare, vt videat diligẽs lector, non solos neotericos de huiusmodi, quæ leuiora plerunq; videntur, digladiari solere. sed eos etiam

Subcõtrariorũ definitio.

Illius literæ, Licet q̃ significant cõtigit esse cõtraria, explicatio varia.

 interim,

interim quos ipsa antiquitas venerandos iam olim reddidit. Hermynius nanque refert, hanc cõ
trarietatem, quæ per hasce propositiones vniuersale non vniuersaliter enunciantes significat,
ad veritatem falsitatemque quas in prædicamentis quodammodo dictum est esse contrarias.
Quum enim in huiusmodi prædicationibus prędicatum fuerit naturale, vel prorsus repugnãs
subiecto, ferè accidit alteram veram, alteram falsam reddi, vt homo est animal, homo nõ est
animal. homo est equus, & homo non est equus. In illis quidem affirmatio vera, & negatio fal
sa. In his verò contra negatio est vera, affirmatio autem falsa. Sed Boetio hæc sententia nõ
facit ad stomachum, quod etiam in particularibus, de quibus non vult hic fieri sermonẽ, idem
possit vsuuenire. Alexander autem Aphrodiseus arbitratur id hanc habere sententiam, quòd
indefinitæ enunciationes, de quibus solis illic videtur Philosophus egisse, mediæ sunt quodã-
modo inter vniuersales & particulares, ac indifferentes ad vtrumque sensum, & nonnunque acci-
piuntur pro vniuersalibus, vt in materia naturali ac remota. Nonnunq̃ verò pro particulari
bus, vt in contingenti accidentariaque materia. Nam (vt ipse ait) si dicimus, homo animal est,
potest ita accipi, tanq̃ si dicatur, omnis homo animal est. Et rursus, homo animal non est, ita
audiri potest, tanq̃ si dicatur, nullus homo animal est. Quum autem dicitur, homo ambulat, ho
mo non ambulat, non ad contrarias, sed ad subcontrarias mens ducitur auditoris. Quocirca
possunt indefinitæ aliquando significare contraria, quoniam eo ipso quo sunt indefinitæ, ni-
hil eas prohibet ad contrariorum significationem vniuersaliumque reduci. Porphyrius verò
vult, eiusmodi enunciationes ideo significare aliquando cõtraria, quia cũ affirmationis præ-
dicatum fuerit cuipiam contrarium, negatio ipsa, id contrarium quodammodo indicat, vt si
hanc homo est sanus, negantes dicamus, homo non est sanus, ægritudinem quodammodo sig
nificamus. Quare significant negationes affirmationesque contraria, sed hoc non semper. Nã
in eo quod est homo ambulat, homo non ambulat, nullum contrarium continetur. Ambula-
tioni enim nihil est contrarium. Hanc Porphyrij sententiam pręfert Alexandrinæ (licet & hãc
fateatur non abhorrere a ratione) Boetius, quod Alexander nõ explicuerit illud (aliquando) quod
dicitur in litera, Contingit aliquando esse contraria. sed tantùm ostendit, quod possunt esse pro-
positiones ipsæ contrariæ. A Porphyrio verò diligenter expositum est, quando ea quę signifi
cantur possunt esse contraria. Sed mirum est, Boetium non aduertisse in hac Porphyriana ex-
positione, quod antè in Hermynianam obiecerat, idem scilicet etiam in particulares quadra-
re. Thomas verò Alexandri sententiam præponit cæteris, ob id maximè, quòd hic non agi
tur de veritate & falsitate, (ab his enim abstrahuntur oppositæ, quatenus oppositæ) neque de
contrarietate rerum, de qua in prædicamentis. Sed huic facilè possit responderi. Licet nõ præ
cipuè atque principaliter de illis hic sit disputatio, nihil tamen prohibere, quin obiter aliquãdo
eorundem mentio possit incidere, tanq̃ si diceret Aristot. Tametsi res significatæ per eas quæ
enunciant vniuersale non vniuersaliter, nonnunq̃ sint contrariæ alia contrarietate, de qua
hic non est sermo, nõ tamen ob hoc ipsæ enunciationes cõtrariæ habebuntur in hoc loco, vbi
non tam res significatas, quàm modum enunciandi spectamus. Ibi autem. Omnis nanque non
vniuersale, &c. declarat quod statim præcessit, nihil scilicet enunciari vniuersaliter de homi-
ne in illis enunciationibus, est albus homo, non est albus homo, quum ibi non adhibetur no-
ta, quæ est omnis vel nullus. Ne quis autem anceps hæreret, vtri termino adhibẽda sit nota
vniuersalitatis, vt enuncietur vnus de altero vniuersaliter, prędicato ne, an subiecto, mox sub
iecit. Neque addendum est, &c. quod intellige, sicut iam indicauimus, non esse hoc faciendum,
vt quippiam de altero vniuersaliter enuncietur. Cuius causa subiungitur. Quia nulla affirma-
tio vera erit, in qua prædicatum est vniuersale vniuersaliter. & proinde nulla daretur vniuer
salis affirmatio vera, quod constat esse falsissimum. Ex his palam est, non velle hic Aristote-
lem, quod quidam contentiosi ac leuiculi nugatores, quibus nihil magis cordi est, quàm cor-
nicum oculos, siue iure siue iniuria configere, affirmant, non solum non esse veram hanc ora-
tionem, omnis homo est omne animal, sed ineptam, balbam, & ridiculam. Quasi verò illud so
lum aptè dici possit, quod est verum aut probabile. itaque latinæ linguæ copia eo inopiæ reda
cta, vt non quicquid animo comprehendimus, siue verum, siue falsum, id verbis appositis ap-
tè liceat eloqui. Quod si a poeta non malè, sed eleganter est dictum. Nemo est omnis homo.
non omnes omnibus artes. cur non possimus huic aptè, licet falsò cõtradicere, aliquis est om
nis homo. Cur facitis (inquiunt) prædicatum nota vniuersalitatis determinari, quum mini-
mè sit ex prædicato, sed ex subiecto consideranda quantitas? Respondemus, quia certam sen
tentiam verbis exprimere cupimus, quam secus non possumus. Quòd si tantùm vtendum es-
set nota vniuersalitatis ad mutandum quantitatem propositionum, non liceret eam partibus
prædicati

Expositio illius literæ, neque addendũ est signũ vniuersale prędicato vniuersali.

Obiectio.

Responsio.

prædicari adhibere. Hæc idcirco paucis admonenda duximus, vt appareat, non statim esse so phisticum, & ineptum, atq; balbũ, quod ab istis ineptiæ damnatur. Regulam autem vniuersalem, quam habet Arist. Nulla affirmatio vera erit, &c. satis est vt plurimum esse veram, siue prædicatum excedat subiectum, vt omnis homo est omne animal, siue sit æquum, vt omnis homo est omne risibile, siue inferius, vt animal est omnis homo. In paucis tamen habet instantiam. Vt hic sol est omnis sol, vnus phœnix est omnis phœnix, & alijs quibusdam. Nec sunt istæ futiles argutiæ, quas ipsa approbat ratio. Neq; statim contentiosus euadit, & disciplinis molestus, qui verbis vtitur vulgariter secundum temporis consignificationem, vt non absolutis a tempore, quum ipse Arist. ita verbum finiuerit. Ex eo autem quod dicit, omnis non significare vniuersaliter, colligere licet, per præmissam diuisionem rerum, ipsum nihil prorsus significare, quum etiam non significet singulare. Quare inter nomina a logicis non recipitur omnis vel nullus, aut similis dictio. quia non est significatiua vox, sed tantùm consignificatiua, vt alibi diximus. Neq; pars erit subiecti aut prædicati. Alioqui in oppositis non enunciaretur idem de eodem. Quid autem sentiendum sit de actibus syncategorematicis, quas dicūt eiusmodi consignificatiuis dictiunculis in mente respondere, nullam quidem rem repræsentantes, sed tantùm rerũ conceptus, quibus adhibetur, certo quodã modo res ipsas significare facientes, alterius est negocij. Contradictoriarũ definitio apud Arist. est ista. Contradictoriæ sunt affirmatio & negatio eiusdẽ de eodem, quarum vna significat vniuersaliter, altera verò nõ. Quæ per se satis est manifesta, vt nihil ei aliena luce sit opus. Tantùm hoc animo sub eat, non definiri omnes contradictorias simpliciter, sed tantùm eas quæ subiectum habent vniuersale, in quibus solis triplicem oppositionis modum diximus reperiri. Exempla patent in litera. Hæc quo memoriæ facilius mandentur, in tabula spectanda proponemus, adiectis etiã ijs, quæ subalternæ vocantur.

Cõtradictoriarũ defini tio.



Quæ hactenus tradidimus, sufficiunt haud dubiè intelligendis Aristotelicis dictis. Sed quũ simplex enunciationis genus tantùm prosecurus sit Aristot. (sicut antè testati sumus) crediderunt recentiores, se rem non infrugiferam facturos, si latius sermonem tendentes, in vniuersum de omnium enunciationũ qualescunque fuerint, oppositionibus præciperent. & quod ab

De oĩ oppositionis genere recẽtiorũ sententia

Arist. prætermissum erat, velut auctarium quoddam adijcerent. Et rectè quidem illi arbitrati sunt. Nam quum Dialectica in hoc comparata sit, vt vniuersalis quædam regula sit & amussis, ad quã omnia in omni disputationis vel disciplinæ genere sunt exigenda, crebriusq; incidant disputationibus atq; disciplinis orationes varijs ex partibus compositæ, quàm simplices, quis non videat, illarum etiam cognitionem ad dialecticum pertinere. Horum igitur nos institutum sequentes, ne studiosis ingenijs in hac parte desimus, paucis eadem conabimur exhibere.

Quæ dicant oppositæ secundũ Neotericos.

Desinsuerint ergo oppositas hoc pacto. Oppositæ sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, quæ formaliter repugnant, vel in veritate tantùm, vel in falsitate tantùm, vel simul in veritate & falsitatę. Item sic. Oppositæ sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, in quibus non reperiuntur simul eadem vniuersalitas, & eadem particularitas, sed vel eadem particularitas tantùm, vel eadem vniuersalitas tantùm, vel neq; eadem vniuersalitas, neq; eadem particularitas. Loquuntur autem hic de oppositione categoricarum propositionum. Nã de hypotheticis alibi oportunior est sermo, quanquam his etiam prior definitio satis conueniat.

Formaliter repugnare.

Illæ propositiones dicuntur formaliter repugnare in veritate, quæ neq; secundum se, neq; secundum alias similes, possunt esse simul veræ, vt omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus. Hæ verò, Omnis homo est iustus, & nullum animal est iustum, secundum se quidẽ non possunt esse simul verę, & ideo aliquo modo repugnant in veritate, sed facilè dantur similes, quæ possunt esse simul veræ, vt omnis homo est risibilis, & nullum brutum est risibile. & ideo non repugnant formaliter in veritate.

Quę formaliter in falsitate pugnẽt.

Quæ autem propositiones dicantur esse similis formæ, aliundè petẽdum est.

Quãdo subiectũ & prędicatum est idem.

Subiectum autẽ vel prædicatum non censetur hic idem esse, nisi prorsus vniuocè sumatur, & æquè amplè vel strictè, & insuper eodem suppositionis genere, hoc est, vtrobiq; materialiter, vel vtrobiq; personaliter, vel vtrobiq; simpliciter. Non autẽ necessè est, eandem etiam suppositionis speciem relinqui in ambabus oppositis, imò hoc ipsum vix vnquã contingit. Hinc istæ non erunt oppositæ, omnis homo viuit, & aliquis homo qui fuit non viuit, accepto subiecto secundæ pro præteritis etiam hominibus. Neq; hæ etiam, ego vidi Papam, ego non vidi Papam, si affirmatio significet me vidisse aliquando eum hominem qui Papa creatus est. Negatio verò, me non vidisse eum, dum esset Papa. Sed nec istæ opponuntur, omnis homo sedet, & hic homo non sedet. Possunt enim esse simul veræ, & etiam simul falsę, vt patet attentius consideranti. In causa est, quòd in vna liberum est subiectum, in altera verò pro nomine demonstrationis restringitur. Id non accidit istis, omnis homo ambulat, & nullus homo ambulat, licet quidam ita senserint, putantes eas non opponi, quia subiectum secũdæ ad solos mares restringitur, & proinde eam veram reddi, si solæ mulieres ambulent. Sed falluntur, quia masculinum genus tanquã dignius secum trahit fœmininum, vt ex grammaticis probatissimum est. Non opponuntur etiam istæ, homo est nomen, & nullus homo est nomen, si in priore subiectum materialiter sumpseris pro voce, in altera verò significatiuè. Neq; hæ, Argumentatio est subiectum logicæ, & nulla argumentatio est logicæ subiectum, Animal componit hominem, & nullum animal componit hominem, si in indefinitis subiecta simpliciter, & sub propria ratione accipias abstractim a singularibus. in vniuersalibus verò pro indiuiduis suis, quo solo casu videntur plurimùm a particularibus distare, ita vt nec eas inferant, nec ab eis inferantur, Quanquã non deerunt fortassis, qui tales non indefinitas esse contendent. sed singulares, maximè si subiectum abstractum fuerit vltima abstractione. Certè singularium naturam satis imitantur, in eo quòd vnicum oppositionis modum admittunt, idq; citra discrimen quantitatis. Vt contradictoria illius, animal componit hominẽ, est ista, animal non componit hominem, quæ falsa est. Sed huiusmodi generis suppositionis mutatio videbitur fortassè cuipiam non ita multum ab æquiuocatione (cum qua etiam omnem amphibologiam exclusam intelligi volumus) abesse.

Duplex vniuersalitas & particularitas, & vtriusq; declaratio.

Præterea quod ad posteriorem definitionẽ attinet, assignant Logici duplicem vniuersalitatem & particularitatem. Vnam categorematicam, alteram syncategorematicam, & de vtraq; intelligenda est definitio loqui.

Quid particularitas categorematica.

Particularitas categorematica est terminus communis non acceptus vniuersaliter, qui nõ est determinatio accepta vnica acceptione cum suo determinabili. Vt quum dico, aliquis homo ambulat, homo & ambulat sunt particularitates categorematicæ. Similiter hominis & pinguis, in hac alicuius hominis omnis equus est pinguis. Quum dicimus terminus communis, intelligimus cõmuniter sumptus, scilicet pro inferioribus, non simpliciter. Addidimus, qui nõ est determinatio accepta, &c̃. quia in hac, omnis homo habens aliquam pecuniam non est pauper, accusatiuus pecuniam non censetur particularitas. Neq; genitiuus hominis in ista, omne caput hominis est rotundum, quia sunt determinationes acceptæ vnica acceptione cum suis determinabilibus.

bilibus. Et proinde non prohibet eas in neutra contrariarum vniuersaliter capi. Vt hæ sunt contrariæ, omnis homo habens aliquam pecuniam non est pauper, & omnis homo habens aliquam pecuniam est pauper. Omne caput hominis est rotundum, & omne caput hominis non est rotundum. Imo non licet, in secunda & quarta vniuersalitatis notam apponere talibus determinabilibus, salua contrarietate respectu aliorum sic dicendo, omnis homo habens omnē pecuniam non est pauper, & omne caput cuiuscꝫ hominis non est rotundum, quia sic non essent eiusdem subiecti cum reliquis, quum talia signa ita adhibita determinationibus vnica acceptione acceptis, fiant partes extremorum, vt alibi latius docetur, possentcꝫ haud difficulter simul veræ tales propositiones assignari. Pendet huius rei plena intelligentia ex alijs, non hic repetendis, quare transimus. Vniuersalitas categorematica est terminus communis vniuersaliter acceptus, siue (vt aliter dicunt) distributus, qui non est determinatio vnica acceptione cū determinabili accepta. Vt in hac, omnis homo semper respirat, subiectum homo & ablatiuus tempore latenter in aduerbio inclusus. Similiter vtercꝫ terminus huius, nullus asinus est impiger. Adiectum est, qui non est determinatio, & Nam pecuniam in hac, homo possidens omnem pecuniam est diues, non dicitur vniuersalitas. Necꝫ polum in ista, homo videns vtrumcꝫ polum in horizonte, habitat sub æquinoctiali circulo. Atcꝫ ideo nihil prohibet, eos accusatiuos in subcontrarijs ita vniuersaliter acceptos relinqui. Imò necquaq̄ permissum esse, vniuersalitatis notam ab altera reijcere, quia non remaneret idem subiectum. Alij non improbabiliter admittunt, tales determinationes etiam vnica acceptione acceptas cū determinabilibus, esse simpliciter vniuersalitates, vel particularitates, non adijcientes definitionibus suas dictas particulas. sed dicunt nihil prohibere, huiusmodi vniuersalitatem eandem, quæ est determinatio vnica acceptione accepta, in ambabus inueniri subcontrarijs, vel particularitatem similem in contrarijs, vel vtramcꝫ pariter in contradictorijs. Sed hi ab alijs verbotenus solùm videntur dissentire. Vniuersalitas syncategorematica est syncategorema aliquod, reddēs sensum copulatiuum enunciationis, in qua ponitur. Talia esse dicuntur, ab æterno, immediatē, bis, ter, necessariò, signa exclusiua, & exceptiua, atcꝫ ipsum & copulatiuē sumptum. Per contrarium verò particularitas syncategorematica dicitur syncategorema, reddens sensum disiunctiuum propositionis. Vt possibiliter, coniunctio vel disiunctiuē sumpta, & insuper vniuersalitatū iam dictarum negationes, vt nōn necessariò, non bis, &c. Tria ergo oppositionis genera, latius extensiuscꝫ q̄ Arist. de ijs locutus est sumpta, quomodo describenda sunt, ex generalibus ipsius oppositionis, quas præmisimus, definitionibus facilè colligitur. Sunt enim contrariæ oppositæ, habentes eandem vniuersalitatem, & non eandem particularitatem. Vt huic, Cuiuscꝫ hominis oculus est dexter, contraria est ista, Nullius hominis oculus est dexter, non autem illa, cuiuscꝫ hominis oculus non est dexter, quia in hac eadem est particularitas, scilicet oculus, quæ erat in prima. Item hæ contrariæ sunt, omnis homo necessariò mouetur, & omnis homo necessariò non mouetur. Ioannes omnem equum possidet, & Ioannes nullum equum possidet. Semper flant fauonij, & nunq̄ flant fauonij. Vbicꝫ sunt Pigmei, & nusq̄ sunt Pigmei. Louanij & Antuerpiæ venditur piper, Louanij & Antuerpiæ non venditur piper, & ita de alijs. Solent autem definitioni contrariarum aliam quandam conditionem addere, vt si in vna contrariarum fuerit terminus distributus respectu termini accepti confusè tantùm disiunctim, in altera non accipiatur terminus ille confusè, sed distributiuè, aut (nisi aliud obstet) determinatē. Hinc non sunt contrariæ, omnis homo aliquo tempore non vigilat, & semper aliquis homo est omne vigilans, quia possunt dari simul veræ. Sed illi priori hæc est contraria, aliquis homo semper est omne vigilans, vel hæc, omnis homo semper est omne vigilans. Subcōtrariæ sunt oppositæ, in quibus est eadem particularitas, & nō eadem vniuersalitas, Vt alicuius hominis omnes dentes sunt acuti, & alicuius hominis aliqui dentes non sunt acuti. Omnis homo possibiliter ambulat, & quidam homo possibiliter nō ambulat. Non autem hæ, aliquis homo semper dormit, & aliquis homo nunq̄ dormit, quia in eis est eadem vniuersalitas, suntcꝫ simul falsæ. Sed subcontraria prioris est hæc, aliquis homo aliquando non dormit, & posterioris ista, aliquis homo aliquando dormit. Addunt hic aliam conditionem similem illi, quæ de contrarijs tradita est, vt si in altera subcontrariarum sit terminus distributus respectu alterius accepti determinatē, is in reliqua accipiatur confusè, si ille qui prius determinatē sumebatur, in posteriore distribuatur. Quare has dictitant non esse subcontrarias, aliquo tempore risibile omnis homo est, aliquo tempore homo nullum risibile est, quòd possint simul falsæ assignari, si omnes homines semper permansissent immortales. Sed illi priori hæc dicitur esse subcontraria, aliquo tempore omne risibile homo non est, vel ista, aliquo tempore omne risibile homo

Quid vniuersalitas syncategorematica. Quid syncategorematica particularitas.

De subcontrarijs, iuxta eorūdē recētiorum sententiam.

homo non est, retento semper eodem subiecto atque praedicato, quantumuis ordo permutetur in prolatione. Contradictoriae autem sunt oppositae, in quibus neque eadem reperitur particularitas, neque eadem vniuersalitas, Vt cuiusque animalis non habentis cornua, altera maxilla caret dentibus, & alicuius animalis nõ habentis cornua neutra maxilla caret dentibus. Ioannes omnem regionem vidit, & Ioannes aliquam regionem non vidit. Louanij & Antuerpiae venditur piper, & Louanij vel Antuerpiae non venditur piper. Adduntur & hic aliquot conditiones, Vt si terminus quispiam distribuatur in vna contradictoriarum respectu alterius termini accepti determinatè, ille in altera sumatur confusè. Et econtrariò, si quis terminus distribuatur respectu alterius accepti cõfusè, is in altera sumatur determinatè. Quòd si autẽ fuerit aliquis terminus distributus respectu duorũ terminorũ, quorũ vnus confusè, & alter determinatè accipitur, sumetur ille terminus in priore distributus, in altera contradictoria acceptione quadam mixta ex confusa & determinata. Exemplum primi, vt hae non contradicunt, omnis homo est quoddam animal, quidam homo nõ est animal, facta hypothesi, quod animal in priore determinatè sumatur, Sunt enim simul falsae. Exemplum secundi, vt hae non contradicunt, omnis homo est animal, & omne animal homo non est, seruato etiam eodem subiecto atque praedicato, eo quòd vtraeque sint verae. Exemplum tertij, vt huic aliquem equum omnis homo videt, non contradicit ista, omnem equum homo non videt, accipiendo hominem in secunda cõfusè. Quia sic dantur simul verae, si omnes equi ab omnibus videantur, Neque accipiendo eundem terminum determinatè, nam sic fiet vt sint simul falsae, si singuli homines singulos equos videant. Necessè est ergo, vt haec illi contradictoria sit, terminum homo partim confusè respectu accusatiui equum, & partim determinatè sumi respectu verbi videt, cuius quidẽ acceptionis vis in hoc elucescit, quòd inductionem facientes sub verbo videt, debemus hominem cum relatiuo identitatis accipere in omnibus sequentibus partibus a prima. Sub accusatiuo verò equum faciendo inductionem omittendum est euismodi relatiuum, atque ita non inuenietur haec propositio vnquam simul vera aut falsa cũ priore. Haec paucis indicasse sit satis. Caeterùm censura horum, & maior declaratio ad alium pertinet locum, vbi fundamenta huius negocij exactius sunt discutienda. Illud postremò admonemus, quod indubitatum est, omnem propositionem qualiscunque fuerit, habere contradictoriam. Quia haec oppositio, nec vniuersalitatem exigit vllam, nec particularitatem. Caeterae verò duae alterum horum requirunt, ideoque non in omnibus enunciationibus possunt inueniri, Vt quae nullam continent vniuersalitatem, non possunt habere contrariam, vt aliquis homo est albus. Quae verò nullam particularitatẽ, carent subcontraria, vt nullus homo est equus, nulla deo frons est. Et quo plures sunt eaedem vniuersalites in duabus oppositis, eo magis cõtrariae sunt. Quo verò plures particularitates, eo magis sunt subcontrariae. Plura enim exigit vniuersalitas ad eius enunciationis quã constituit veritatẽ. Pauciora verò ipsa particularitas, id quod declaratu est facillimũ. Quo fit, vt eadẽ propositio multas possit habere contrarias vel subcontrarias, sed cõtradictorias minimè, eo quòd haec oppositio in indiuisibili consistens, nullã eandem admittit vel particularitatem, vel vniuersalitatem. De subalternis autem, licet nõ sint oppositae, morem tamen consuetũ sequentes hoc addimus, duas propositiones eorundem extremorũ, eiusdemque qualitatis, in quarum vna inuenitur vniuersalitas, quae non in altera, & non econuerso, esse inter se subalternas, eamque quae aliquam continet, quã non altera, dici hic vniuersalem, reliquam verò quae nullam habet vniuersalitatem, quam nõ contineat alia, sed aliquam vniuersalitatem illius mutauerit in particularitatẽ, dici particularem. Vt hae sunt subalternae, Semper homo vigilat, & aliquãdo homo vigilat. Omnis homo est albus, & aliquis homo est albus. Ioannes nihil scit, & Ioannes aliquid non scit. Cuiusque hominis omnis equus est candidus, & alicuius hominis omnis equus est candidus, vel cuiusque hominis aliquis equus est candidus. Addunt hic conditionem, nõ absimilem illis quae pro singulis oppositis extremo loco assignatae sunt. Quòd si in vniuersali sit terminus distributus respectu alterius confusè accepti, is debet in altera nõ distribui, vel si distribuatur, non poterit in determinatam transire acceptio confusa, sed necessè erit hanc eandẽ confusam in vtraque seruare. Hinc negant has esse subalternas, Cuiusque hominis equus non est animal, & alicuius hominis equus non est animal. Sed nos istis supersedemus.

De cõtradictorijs, secũdũ eorundẽ neotericorũ opinionẽ atque sententiã

Quoniã cõtrariae sunt vniuersalis affirmatio,

In secundum caput, quod enunciationum oppositarum leges tradit, adnotatio.

PRo eorum quae paulo post dicemus promptiori intelligentia, praemittere conuenit, triplicem omnino distingui propositionum materiam. Est autem materia propositionis, subiectum

ſectum eius atq; prędicatū,ſecundum quorū triplicem adinuicē habitudinē,trifariàm diuerſa eſt materia enunciationum,ſcilicet in naturalem,contingentem, & remotam. Ea propoſitio eſt in materia vel potius ex materia naturali,cuius vnum extremum, ſubiectum(inq̃)vel prædicatum alteri competit eſſentialiter,vel ſaltem neceſſariò, Nihilq; refert ſiue affirmatiuæ fuerint propoſitiones,ſiue negatiuę,ſiue verę,ſiue falſę,vt homo eſt animal,ſubſtantia eſt corpus, canis non eſt latrabilis,omne animal eſt homo. In materia contingenti eſſe, hoc eſt,ex contingenti materia conſtare dicitur propoſitio,cuius extrema contingenter cohęrent,ſic videlicet, vt poſſint ab inuicem ſeparari, Vt Socrates ſedet, ſol oritur,nullus equus eſt albus, Baſiliſcus viſu hominem necat. Remotam verò materiam habent,quę pugnātibus conſtant extremis, hoc eſt talibus,quæ intercedente copula pręſentis temporis,non poſſunt eidem conuenire, Vt homo eſt equus,nullus lapis eſt metallum,aliquod album erit nigrum. Hoc præmiſſo ad verborum Ariſtotelis textum veniamus.In principio leges quaſdam ſeu regulas oppoſitarū propoſitionum,de quibus in ſuperiori capite actum eſt,aperit ſuccinctè admodum & erudite,quibus maximè oppoſitarum propoſitionum,vel in veritate tantùm,vel in falſitate tantùm,vel in vtràq; pariter repugnantia declaratur. Sunt tamen ea quæ hiſce legibus explicantur effectus quidam,ſingula oppoſitionis genera conſequentes inſeparabiliter, & non cauſę ipſarum opinionum. Non enim ideo hæ,omnis homo eſt albus,& nullus homo eſt albus,ſunt cōtrarię, quia nō poſſunt ſimul eſſe verę:ſed idcirco non poſſunt eſſe ſimul verę,quia ſunt contrarię, hoc eſt,oppoſitę,in quibus enunciatur aliquid vniuerſali vniuerſaliter,&c̄.Id quod apertiſſimè teſtātur ipſius Philoſophi in principio huius capitis verba. Lex igitur contrariarum ſic habet.

Contrarię non poſſunt ſimul eſſe verę,ſed falſę eſſe ſimul poſſunt. Prior pars,quæ vniuerſaliter intelligenda eſt,expreſſè hic ab Ariſt.poſita eſt. Poſterior verò particulariter accipienda,ex eo quod mox ſequitur,Oppoſitas verò his,&c̄. haud difficulter poteſt elici. Nam quū ibi de oppoſitis contradictorijs loquatur reſpectu contrariarum (vt patet ex exemplis) quas dicit poſſe eſſe ſimul veras,colligendum reliquit per contradictoriarū legem, poſſe ipſas contrarias eſſe ſimul falſas. Quandocunq; enim duæ particulares duabus vniuerſalibus contradictorię oppoſitæ ſunt veræ,neceſſè omnino eſt,ipſas vniuerſales ambas eſſe falſas. Alioqui duę cōtradictoriæ ſimul verę inuenirent. Diximus autē,hanc poſteriorē partē particulariter eſſe accipiendā. Nā non in omnibus locū habet, vt ſunt hę,omnis homo eſt animal,& nullus homo eſt animal . omnis equus eſt elephas, & nullus equus eſt elephas, quas impoſſibile eſt ſimul eſſe falſas. Maximè autē locū habet iſta pars legis in iſs cōtrarijs,quę ex contingēti ſunt materia, vt omnis equus eſt albus,& nullus equus albus eſt . Non ita in alijs,niſi fortè fuerint propoſitiones inordinatè ex naturali materia compoſitæ, vt omne animal eſt homo,& nullum animal eſt homo.aut prædicato affirmatiuę contra communem loquēdi modum addatur ſignum vniuerſale, vt omnis equus eſt omne animal,& nullus equus eſt animal,aut fuerint propoſitiones aliorum temporum q̃ præſentis,vt omnis homo fuit animal,& nullus homo fuit animal. quæ ſunt ſimul falſę,ſi nūc primùm aliquis puer naſcat̄,ſiue vitā recipiat. Similiter hæ ambę ſimul falſæ ſunt.Omnis homo erit animal,& nullus homo erit animal . aliquo iam animā efflante,ita vt hoc inſtans,de quo loquuntur propoſitiones,ſit vltimum vitæ ſeu exiſtentiæ ipſius . Idem etiam accidet in illis,quæ remotam habent materiam, vt omne album fuit nigrum, & nullum album fuit nigrum. omnis puer erit ſenex, & nullus puer erit ſenex, quas conſtat in hoc rerum ſtatu eſſe pariter falſas. Ex dictis ſequitur corollarium, quod ad legem ipſam contrariarum adijcere ſolent recentiores. Contrarias poſſe ambas eſſe ſimul poſſibiles, ambas contingentes, ambas etiam impoſſibiles, vt omne ſignum zodiaci eſt ſupra horizontem noſtrum,nullum ſignum zodiaci eſt ſupra horizontem noſtrum. Item vnam contingentem, & alteram impoſſibilem, vt omne ens eſt deus,nullum ens eſt deus. vterq; horum planetarum (demonſtrando ſolem & lunam) eſt ſub ecliptica linea, neuter horum planetarum eſt ſub ecliptica linea . Non autem poſſe aſſignari contrarias ambas neceſſarias, vel vnam neceſſariā,& alteram contingentem. Nam ſic poſſent eſſe ſimul veræ. Lex ſubcontrariarum eſt.

Subcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ,ſed cōtingit eas eſſe aliquādo ſimul veras. Prior quidem & præcipua pars huius legis,quam Ariſtoteles ſubticuit,ex contrariarum lege efficaciſſimè colligitur. Si enim alterā contrariarum ſemper neceſſe eſt eſſe falſam,quippe ſimul verę omnino eſſe nequeunt,ſtatim conſequitur neceſſariò,alterā ſubcontrariarum,quę illis ſunt contradictoriæ,perpetuò verā eſſe,atq; ita non contingit eas eſſe ſimul falſas. Poſterior pars ab Ariſtotele ponitur ibi,Oppoſitas verò his,&c̄. & poſtea partim repetitur & declaratur illic. Quæ verò ſunt de ſubiecto vniuerſali non vniuerſaliter, &c̄. facilè cognoſcitur,ſi ea quæ ante

Cōtrariarū lex.

Lex ſubcō-trariarum.

tradita

tradita sunt sequamur. Est autem hæc legis pars tantùm particulariter accipienda, vt indicat verbum contingit, quo Aristoteles vtitur. Nam sunt nonnullæ subcontrariæ, quarum vnam semper esse veram, & alteram falsam est necessarium. Vt aliquod cœlum est corpus, aliquod cœlũ non est corpus. quidam homo est equus, & quidam homo non est equus. In quibus autẽ maximè locum habeat hæc posterior pars, facilè erit ex ijs quæ circa secundam partem legis contrariarum diximus dispicere. Nam semper, quum contrarię ambę fuerint falsæ, tum necessarium est, subcontrarias illis oppositas veras esse; vt paucis antè ostensum est. Exempla igitur breuitatis studium intercipit. Auctarium etiam huius legis est, quòd non possunt subcontrariæ ambæ esse impossibiles: nec vna impossibilis, & altera de contingenti, sed vtrãq; ambæ necessariæ, vel vna necessaria & altera contingens, aut impossibilis. Exempla patent ex superioribus. Lex contradictoriarum hæc est.

Cõtradictoriarũ lex. Lege cõtradictoriarũ primũ est illud prĩcipiũ De quolibet est affirmatio vel negatio vera, de nullo verò simul.

Contradictoriæ enunciationes, neq; simul veræ esse possunt vnq̃, neq; simul falsæ. Quare si vna contradictoriarum vera fuerit, necesse est reliquam esse falsam. Et econtrariò, si falsa est vna, oportet alteram esse verã, quæ sanè acerrima repugnantia eis solis accidit, non item cæteris oppositis. Est'q; hæc contradictoriarum lex, primũ metaphysicæ principium, adeò manifestè & euidẽtis veritatis, vt omnis quicunq; id intellexerit, ex naturali intellectus sui lumine cogatur ipsi præbere assensum, neq; possit mente inficiari, teste Philosopho, apud quẽ solet in hunc modum in diuersis locis assignari. De quolibet enim est affirmatio vel negatio vera, de nullo verò simul, hoc est, pro qualibet re per subiectum significata, necesse est verificari affirmatiuam propositionem vel negatiuam, eiusdem prædicati, si per modum contradictoriarũ assignatæ fuerint. vtramq; autem pro eodem veram reddi est impossibile. Vel (vt alij explicant) de quolibet singulari verè prædicatur terminus finitus, vel infinitus ei oppositus, de nullo verò vtcrq;. Quomodo non erit hæc generalis propositio, prorsus eadem legi contradictoriarum. Stabiliuntur autem hoc communissimo principio, tanq̃ fundamento, omnes argumẽtationes qualesquales fuerint, & vniuersaliter omnes disciplinæ inferiores, vt ex alibi tradendis euadet manifestius. Quin & cæterarũ oppositarũ leges, ex hac probant. Idcirco enim impossibile est cõtrarias esse simul veras, quia ex hoc cõsequeret, cõtradictorias simul veras esse, quũ veritas vniuersalis necessariò inferat veritatẽ particularis. Rursus ideo nõ possunt subcõtrariæ esse simul falsæ, quia tũ cõtradictorię simul falsitati subiacerẽt, quũ ex falsitate particularis, vniuersalis falsitas colligat. Consequit igitur manifestè ex hac lege, nõ posse cõtradictorias ambas esse necessarias, vel ambas impossibiles, aut vnã impossibilẽ vel necessariã, & alterã contingentẽ esse. Præterea omnẽ hypotheticã disiunctiuã ex duabus cõtradictorijs compositã, esse necessariam. Copulatiuã verò impossibilẽ, licet interim nulla pars eiusmodi fuerit. Hoc postremò admonendũ est, quum diximus in his legibus contradictorias non posse esse simul veras, &c̃. aduerbium coniungendi (simul) non ad verbum (posse) nos retulisse, sed ad id quod sequitur, esse veras. Volebamus enim non posse fieri, vt contradictoriæ sint simul veræ, non autem quòd non habent simul potentiam, vt sint veræ. Hoc enim in contingentibus falsum foret. Adiungimus & illud, priorem partem legis contradictoriarum in omnibus omnino cõtradictorijs qualescunq; fuerint locum habere & certissimam veritatem, nemine id inficiari potente.

Accidit nõnunq̃ reperire cõtradictorias simul falsas.

Posteriorem tamen, secundum neotericos exceptionem pati duntaxat in pauculis, quum scilicet altera seipsam falsificat, hoc est, falsam constituit, vt ego dico falsum, ego nõ dico falsum. hoc est falsum, hoc non est falsum, vtrobiq; pronomine hoc totam propositionem priorem demonstrante. In his enim duabus contradictionibus, vtrobiq; affirmatio seipsam falsificat, vt haud difficilè fuerit ingenioso comprehendere. Non est tamẽ arbitrandum, quòd vniuersaliter cum altera seipsam falsificat, necesse est eas simul esse falsas. Instãtia enim est in hisce, omnis propositio est negatiua, & aliqua propositio non est negatiua. Hic enim secunda statim verax redditur, existente prima. De subalternis etiam hoc obiter adijciendum, eam esse ipsarum legem atq; naturam, vt si vera sit vniuersalis, necesse est & particularem veram esse, & non econtrariò. Potest namq; falsa esse vniuersalis, particulari posita vera. Exemplis hæc declarare est perfacilè. Quare illi nobis labori parcendum esse statuimus.

Literę illi9 dictis, Quę verò sunt de subiecto vniuersali nõ vniuersaliter sũpto, &c̃. explanatio.

His vtcunq; manifestatis, expolitionis cursum ad sequentia literæ conuertamus. Probat ergo Arist. duas hasce, est homo albus, non est homo albus, Item & istas, est homo pulcher, non est homo pulcher, quæ sunt contradictiones de subiecto vniuersali non vniuersaliter, posse esse simul veras ad hunc modum. Simul possunt hæ esse veræ, est homo pulcher, & est homo turpis. Sed ad hanc posteriorem sequitur ab affirmatione vnius contrarij ad negationem alterius de eodẽ, illa altera non est homo pulcher, ergo postrema hæc non est homo pulcher, potest pariter

esse vera

esse vera cũ illa, est homo pulcher. Consequẽtia est firma. Quia quicquid potest in veritate stare cum antecedente bonæ consequentiæ, etiam potest cum consequente stare. Deinde hæ sunt consentientis veritatis, est homo pulcher, & homo fit pulcher. Quum enim vnus sit pulcher, nihil prohibet alium fieri formosum, sed ad hanc sequitur necessariò illa negatiua indefinita, nõ est homo pulcher, quia quod fit (vt ita dicamus) aliquale, ipsum tale non est, quum fuerit factio successiua & durabilis, ergo, &c̃. Ad eundem modum institui possunt probationes de reliquis duabus. Accipit autem hoc loco Aristot. illam negatiuam, non est homo albus, vt negandi nota tantùm in copulam & prædicatum, non autem subiectum feratur, valeatq; non aliud q̃ hæc, homo non est albus. & non quod ista, nullus homo est albus, vt ipse apertè testatur. Id tamen præter consuetudinem Latini sermonis fieri videtur, quia eiusmodi negationes in sequentia quæq; solent vim suam explicare. Dicens enim non est mihi pecunia, significat sibi nullam esse pecuniam. Asserens item, quòd non habitat vir bonus vrbem, omnes viros bonos ab vrbe tollit. Similiter dicens non est homo iustus, id significare propriè videtur, non esse vllum virum bonum, sic tamen non accipit Aristoteles, sed indefinitè, vti dictum est. Illo autem modo veraciter sunt vniuersales, & non indefinitæ propositiones. Quocirca non abs re arguere videtur Syrianum Boetius, q̃ dixerit indefinitam quidem affirmationem particularis obtinere vim, indefinitam verò negationem vniuersalis. Neq; rectè apparet eos de indefinitis sentire, qui indefinitam aiunt nõ quamlibet esse propositionem sine signo vniuersali aut particulari, sed eam demum, in qua vniuersæ speciei aliquid propriè tribuitur vel aufertur.

Expositio triplex illius partis literæ, Manifestũ autem, &c̃.

Consequenter inquit Aristo. Manifestum est autem quoniam vna, &c̃. Huius loci tres sunt diuersæ explicationes, atq; intelligentiæ, sed non repugnantes. Quidam enim accipiunt nomẽ vna, cuius hic est vsus, vt idem polleat quòd iisdem constãs extremis, velitq; Aristot. affirmationem opponi negationi eiusdem omnino subiecti atq; prædicati, & contra. non autẽ illi quæ non sic vna est, sed alia diuersaq; secundum alterum vel vtrumq; terminum. Huic expositioni consona est textus literæ diductio.

Prima.

Altera expositio accipit enunciationem vnam eodẽ modo quo superius, dum agebatur de enũciatione vna & pluribus, vt sit sensus. Si affirmatio, cui danda est opposita, sit enũciatio vna, ipsa quoq; negatio erit enunciatio vna, non plures, & cõtra. Vt si hæc, canis currit, sit enunciatio vna, accepto subiecto vniuocè pro cane latrabili, hęc negatio canis nõ currit, non erit illi opposita, si sumatur canis æquiuocè pro pluribus suis significatis inconiunctum, sed si tãtùm sumatur vniuocè pro cane latrabili. in quo sensu negatio similiter erit vna, vt illa sua affirmatio. Huic etiã satis consentit textus, subiungẽs postea quid sit affirmatio & negatio vna. Tandẽ transiens ad æquiuocationẽ nominis tunica, ex qua prouenit pluralitas, nõ vnitas illius enunciationis, tunica est alba.

Secunda.

Tertia expositio illis duabus superaddit Arist. intẽdisse, vni affirmationi tantùm vnicã negationem esse oppositã, & cõtra. negationi vni tantùm opponi vnam affirmationem, & non plures. Hæc quoq; (ni fallamur) est sententia Boetii in vtraq; æditione, & D. Thomæ, imò ipsius Arist. qui in secundo huius dicit, se monstrasse prius, non posse vnius affirmationis esse plures negationes oppositas. De qua re nusq̃ meminit præterquam in hoc loco. Id autem Thomas & alii, quod dictum est asserunt locum tantùm habere in contradictoriis. Nam eidem affirmationi omnis homo est iustus, contrariè opposita est negatio hæc, omnis homo non est iustus, & contradictoria ista, non omnis homo est iustus. Imo eidem vniuersali affirmationi plures opponuntur negationes contrariæ, Vt huic, Cuiusq; hominis omnis sensus percipit obiectum proprium, hæ, cuiusq; hominis nullus sensus percipit obiectum proprium, alicuius hominis nullus sensus percipit, &c̃. In cõtradictione autem propriè accepta id non accidit, vt dictum est in superioribus, modò æquipollẽtes (vti consentaneum est) pro eisdem habeantur. Quanq; autem huic expositioni satis fauent exẽpla textus, non tamen omnia. Tria enim priora continent propositiones contradictorias, vltimũ autem has duas indefinitas subcontrarias, est homo iustus, nõ est homo iustus. nisi quis eas accipiat aliter, q̃ prius acceperat Philosophus. Melius igitur dicemus, Philosophum intelligendũ esse, de omni specie oppositionis reperta in enunciationibus simplicibus, sumptis modo eo quo diximus in præcedentis capitis cõmentario. Omnis enim affirmatio vel negatio talis, in vno oppositionis genere vnicã habet oppositam, vt patet ex præmissis.

Tertia.

Boetius.

Aquinas.

Thomas.

Quum postea indicatur quid sit affirmatio & negatio vna, facilè est sensum dare ex prius habitis, illo tãtùm adnotato, quòd præpositio (de) hoc loco latius accipiatur, quàm prius in definitione enunciationis simplicis & affirmationis, aut sub hac particula (de vno) subintelligendum erit, vel ab vno.

Expositio illius dicti Philosophi Quòd si duobus, ex quibus vnũ nõ constat.

Deinde verò quum addit, Quòd si duobus, &c̃. non hic agit vt adęquatè & conuertibiliter explicet, quando non sit vna enunciatio, sed plures, quum id aliis multis

rationibus contingere possit,q̃ per subiecti aut prædicati æquiuocationem. Sed tantùm dicit, si vnum nomen pluribus rebus sit impositum, sic vt vnamquamq; harum proprio, specialiq; conceptu significet, quod est esse æquiuocum, non erit affirmatio vel negatio vna, in qua eiusmodi nomen sic acceptum collocatur. Diximus, sic vt vnamquamq;, &c̃. quia homo significat plura, sed vno eodemq; communi cõceptu. Quare & vnam efficere poterit affirmationem vel negationem. Nam illa plura vnum quodammodo sunt, quatenus eo vocabulo designantur. Libet autem hic verba Boetij inserere circa præsentem locum. Is ita ait. Sed hæc quæstio est, quemadmodum vniuersalis affirmatio vnam rem significare possit, quum vniuersalitas ipsa non de vno, sed de pluribus prædicetur. Nam quũ dico, omnis homo albus est, singulos homines qui plures sunt significãs, multa in ipsa affirmationis prædicatione designo. Quocirca nulla erit affirmatio vel negatio vniuersalis, quæ vnã rem significare possit: idcirco quod vna vniuersalitas de pluribus (vt dictum est) indiuiduis prædicatur. Sed ad hoc respõdemus, quum vniuersale quoddam dicitur, ad vnam quodammodo collectionem totius propositionis ordo ducitur, & eius non ad particularitatem, sed ad vniuersalitatẽ, quæ est vna qualitas, applicatur. Vt quum dicimus, omnis homo iustus est, nõ tunc singulos intelligimus, sed ad vnam humanitatem, quicquid de homine dictum est, dicitur. Quare siue sit vniuersalis affirmatio, siue vniuersalis negatio, vel in singularibus potest fieri, vt hæ vnæ sint, si vna significatione teneantur. Hucusq; ille. Quod sequitur in litera, Nihil enim differt hoc quàm, &c̃. referendum est id ad sensum ipsum. Sensu enim illæ tres propositiones non differunt, licet tertia sępius cõceptum albi & entis replicet. quod duę primæ nõ faciunt. Inter quas etiam hoc interest, q͏ prima fieri potest vna, accepto subiecto secundum vnã & eandẽ significationẽ. In secunda nõ potest, nisi accedente quopiam. In tertia autẽ, quę est propositio multiplex propter defectũ coniunctionis partes principales copulantis, & cum hypothetica similitudinem habens, cõiunctio illa copulatiua (&) non est accipienda tanq̃ eius pars, sed refertur ad verbum dicere, quod præcedit, vt sit sensus. Et hoc nihil differt q̃ dicere, homo est albus, & dicere equus est albus.

Contra literã Boetij instantia.

Eiusdẽ dilutio, atq; solutio.

Quo pacto accipiendũ est illud, Nihil enim differt hoc q̃ dicere, &c̃.

Quoniam autem nomẽ æquiuocum pluribus impositum, in enunciatione affirmatiua vel negatiua collocatum, reddit diuersos sensus, concludit Philosophus, q͏ in his affirmationibus & negationibus, quę constant ex nomine æquiuoco, etiam si appareant opponi contradictoriæ, non est necesse alteram esse veram, & alteram falsam. Quod ideo dictitat communis sententia iuniorum verum esse, quia in enunciationibus pluribus vt tales sunt, neq; est veritas neq; falsitas. Boetius autem & alij quidam posteriores, aliter explicant hunc locum, dicentes idcirco in his nõ necesse esse alteram esse veram & alteram falsam, quia vtręq; simul veræ & simul falsæ esse possunt, quod nõ est in cõtradictorijs, quæ sunt enunciationes vnæ. Vt hę simul falsæ sunt & simul veræ. Cato se perémit, Iulij Cęsaris de Pompeio victoriã indignè ferens, Cato nõ sese perémit, Iulij Cæsaris de Pompeio victoriam indignè ferẽs. Si enim negationem capias de Catone Censorio, affirmationem de Catone Vticensi illius prioris pronepote, vera erit vtraq;. Quòd si commutaueris hoc quod nunc diximus, ambæ, & affirmatio & negatio inuenientur falsæ. Similiter si posueris omnem hominem & solum aliquem equum esse album, hæ, omnis tunica est alba, & quædam tunica non est alba, veræ sunt, si in priori tunicam pro homine coeperis, & in alia pro equo. Quòd si in priori tunicã sumpseris pro equo, & in posteriori pro homine, ambę erunt falsæ. Hęc sententia pręponeretur nobis alteri, nisi Aristot. insinuaret, se hic de æquiuoco accepto æquiuocè in eadem & vnica oratione loqui, non autem in diuersis, Sic vt in vna quidem hoc modo, & in altera alio, vtrobiq; tamen vnico, de qua re nonnihil attingebamus in fine commentariorum de æquiuocis, in libro prædicamentorum.

Boetius.

In contradictionibus de pręsenti.

In tertium capitulum, quod tractat de futuris contingentibus.

POstq; Arist. ostendit quòd contradictionum quæ sunt de subiecto vniuersali semel vniuersaliter sumpto, & earum quæ sunt de subiecto singulari, necesse est alteram partẽ esse veram, & alteram falsam, hic ostendit, id non similiter verum esse in propositionibus de pręterito aut præsenti, & in singularibus quę sunt de futuro ex materia cõtingenti, quia in ijs quæ sunt de præterito aut præsenti, imò & in quibusdam de futuro, vt sol cras orietur, semper necesse est, determinatè alteram cõtradictionis partẽ esse veram, & alterã falsam. In singularibus verò quę sunt de futuro cõtingenti, nõ similiter est necesse. quia alioqui oporteret quodlibet esse vel nõ esse, siue id sit præsens, siue pręteritũ, siue futurũ, & per cõsequens nihil erit cõtingens, quia id q̃d necesse est esse, vel necesse nõ esse, nõ est cõtingẽs, sed necessariũ vel impossibile. Verbi gratia, si huius cõtradictionis, hoc erit album, hoc nõ erit albũ, necesse sit determinatè alterã

partem

partem, videlicet affirmationē esse verā, & alteram videlicet negationē falsam, tūc neutra pars erit contingēs, sed affirmatio quidē necessaria, negatio verò impossibilis. Ex q̃ vlterius sequit, quòd nihil sit a casu, nec ad vtrumlibet (quia id contingēs esset) sed ex necessitate omnia.

Prima dubitatio.

Sed cur Arist. solū meminit propositionum singulariū de futuro cōtingenti, cū constet, multas etiā de subiecto cōmuni esse contingētes, vt Aliquis homo cras inueniet thesaurū. Item, cur in incōuenienti illato, solū meminit cōtingentis rari, & contingētis ad vtrūlibet, Cum triplex sit cōtingens, vt primo Priorum docetur, Contingens vt in pluribus, quod magis aptum est esse, q̃ non esse. contingens ad vtrumlibet. & contingens rarum.

Ad primam

Ad primum. Id de quo disseritur facilius ostēditur in propositionibus de subiecto singulari, q̃ de subiecto communi, & ideo omisit eas quæ sunt de subiecto communi.

Ad secūdā.

Ad secundum. Contingens rarum opponitur contingenti in pluribus. Nam si affirmatio sit contingens rarū, negatio erit contingens in pluribus, & contra. vnoq; sublato, etiā aufertur reliquū. & ideo satis fuit alterum posuisse. Ibi, Amplius si nunc est aliquid album, &c. Ponit secunda probationem, quæ a priore non differt nisi verbis, Ideo pretereo. At verò neutrū esse verū, &c. hic ostēdit Arist. ꝙ licet in dictis propositionibus singularibus de futuro cōtingenti dici non possit, ꝙ necessè sit determinatè alterā partem contradictionis esse veram, & alteram falsam: tamē non potest etiam absolutè dici, ꝙ nō sit necessè alteram partem esse veram: quia si id nō sit necessarium, erit contingens, vel impossibile, sed omne contingens potest non esse, ergo fieri poterit vt non sit altera vera, Quòd si non sit altera vera, tunc vtraq; erit falsa, quia omnis propositio est vera aut falsa, quod est absurdissimum. Ibi. Quæ ergo contingunt inconuenientia, &c. Repetit Arist. inconuenientia quæ sequuntur, si semper necessè sit, determinatè alterā partem contradictionis esse verā, & alterā falsam, videlicet nihil fieri ad vtrumlibet, neq; a casu, neq; plærunq;, sed omnia ex necessitate. Ex quo vlterius sequitur, quòd neq; consultare oporteat de re quapiam, neq; negociari, id est, quippiam agere ad consequendum finem bonū, aut ad malum vitandū, quia vt in Ethicis docetur, nemo consultat de ijs quæ aliter fieri nequeunt, nec propter ipsa quicq; agit aut omittit: sed omnis nostra consultatio atq; industria circa ea duntaxat versatur, quæ in nostra sunt potestate vt eueniant aut non eueniant, quæ sunt futura contingentia.

Futura contingentia sunt I triplici genere.

Ibi, Hæc autem sunt impossibilia, &c. Ostendit Aristoteles ea quæ prius illata sunt (videlicet, quòd nihil fiat ad vtrūlibet, sed omnia ex necessitate. Itē quòd inanis sit omnis nostra cōsultatio atq; industria) esse manifestè absurda & impossibilia, quia experimur, multa nostro cōsilio atq; industria fieri, quæ cessantibus nobis nō euenirent. Ex quo planè efficitur, quædā esse futura contingētia, quæ esse & non esse possunt, in quibus neq; affirmatio neq; negatio necessaria est, sed vtraq; contingens. Hæc autē reperiuntur in triplici genere, quædā enim sunt ad vtrumlibet, in quibus affirmatio non magis nata est esse vera q̃ negatio, vt ꝙ Petrus cras ambulabit. quædam huiusmodi sunt, vt affirmatio sæpius eueniat, & negatio rarius. Quædā verò huiusmodi, vt affirmatio rarius eueniat, & negatio sæpius. Cum igitur præterita atq; præsentia necessaria sint, & ad vnū determinata, futura verò pleraq; contingentia & indeterminata, Necessè est ponere diuersitatē inter contradictiones quæ sunt de præterito aut præsenti, & eas quę sunt de futuro contingenti, nempe quòd in illis contradictionibus necesse sit, distinctè alterā partem esse veram, & alteram falsam: distinctè, inq̃, id est, determinatè, & in suppositione determinata, vt liceat inferre disiunctiuā. In his verò quę sunt de futuro, nō est necesse, distinctè alterā partē esse verā, & alterā falsam, sed confuse tantùm. Verbi gratia in his. Plato fuit philosophus. Plato nō fuit philosophus, necesse est affirmationem esse veram, & negationē falsam. In his verò, Ioannes studebit, Ioannes non studebit. neq; affirmationē neq; negationē veram esse oportet, quia vtraq; est contingens, sed alteram duntaxat in suppositione confusa.

Prior difficultas.

Cæterùm ex iam dictis duplex oritur difficultas. Prior est, quomodo verū sit, ꝙ in dicta contradictione de præterito, necessè sit affirmationem esse veram, cum ipsa constet ex materia contingenti, videaturq; potius esse contingens q̃ necessaria.

Posterior.

Posterior est. Si in contradictione de futuro, neq; negationē, neq; affirmationem veram esse oportet, sed vtrunq; sit contingens, quomodo igitur vera est, lex contradictoriarum antè posita, quòd in omnibus contradictionibus quæ sunt de subiecto singulari, necessè est alteram partem esse verā, & alterā falsam.

Ad priorē. Duplex necessariū, absolutè, & secundū quid

Ad priorē respondendum est duplex esse necessarium, alterum simpliciter & absolutè, quod nunq̃ fuit in potestate agentis vtrum esset an non, sed semper fuit ad alterā partem determinatū, vt deū esse, quodlibet esse vel non esse. Eclipsim certo die fieri: & hoc non potest constare ex materia contingenti. Alterum verò est necessarium secundū quid & ex hypothesi, quod aliquando quidē fuit in potestate agentis vtrum esset an non, sed iam amplius non est, vt Platonem fuisse philosophū,

Ioannem hoc momento sedere. horum enim vtrunq; priusquam esset, fuit in potestate agentis vtrum esset an non, sed iam abiit in rem iudicatam, estq; ad vnam partem determinatum, & hoc modo necessaria sunt omnia præsentia, & præterita, quæ constant ex materia contingenti.

Porrò licet hæc necessaria longè distent a necessarijs absolutè, quæ nunquam in consultationem veniunt, siue sint præsentia, siue præterita, siue futura. In hoc tamen cum ipsis conueniunt, quòd nunc (quando necessaria appellantur) eo loco ac statu rerum sunt posita, vt neq; sint in potestate agentis, neq; in deliberationē cadere possint, neq; propter ipsa quicquam sit agendum aut omittendum; sed habeantur a nobis tanquam merè necessaria, & ad vnam partem determinata, & hunc necessaria appellantur. Ad posteriorem difficultatem respondet Aristoteles, quòd quemadmodum verè dicitur, quòd necesse est quodlibet esse quando est, quamuis non rectè dicatur simpliciter & sine adiuncto, quòd necesse sit quodlibet esse, sic etiam verè dicitur quòd in qualibet contradictione necesse est affirmationem, vel negationem esse veram, quanquam sine adiuncto dicere non liceat, quòd in qualibet contradictione, necesse est affirmationem esse veram. Nam licet omnis disiunctiua quæ contradictione constat sit necessaria, tamen non oportet ipsas partes esse necessarias, vt hæc est necessaria, Ioannes studebit vel Ioannes non studebit, & tamen vtraq; pars est contingens. Potest etiam ad secundam difficultatem aliter responderi, & clarius, quanquam res planè eodem recidat, quod in lege contradictoriarum pars illa (alterā partem) confusè sumatur, vt reddat sensum compositum, & ideò non licet inferre disiunctiuam. non enim sequitur, Necesse est alteram contradictionis partē esse veram, ergo necesse est hanc contradictionis partem esse veram, vel necesse est illam contradictionis partem esse veram. quia cōmittitur fallacia diuisionis, vt patet consideranti. Sed cum lex ista accommodatur propositionibus de præsenti, vel præterito, potest in vtrouis sensu indifferenter sumi, composito videlicet & diuiso. Et hinc sumitur differentia inter has propositiones, & eas quæ sunt de futuro contingenti, sicut prius ostensum est. Quidam hic definiunt quid sit esse distinctè seu determinatè verum, & quid determinatè falsum, sed ipsi non videntur attingere mentē autoris, quia Aristo. dicens, quòd necesse est quodlibet fore, vel non fore, non tamē necesse est alterum distinctè fore, non vult indicare diuersitatem inter fore, & distinctè fore, vel inter esse verum, & esse distinctè verū, sed ostendit, hanc propositionem superius positam, (necesse est alterā contradictionis partem esse veram) & similes, duplicem habere sensum, videlicet cōpositum & diuisum. nam si pars illa (alterā contradictionis partem) confusè sumatur, est sensus compositus, habens veritatē non solùm in contradictionibus de præsenti, & præterito, sed etiam in ijs quæ sunt de futuro contingenti. Si verò dicta pars sumatur distinctè, seu determinatè, sic vt liceat inferre disiunctiuam, tunc est sensus disiunctus seu diuisus, & falsus si accōmodetur ad contradictiones de futuro contingenti, non autem si accommodetur ad contradictiones de præterito, vel præsenti, sicut iam dictum est.

Ad posteriorem.

Finis primi libri Peri Hermenias.

LIBER SECVNDVS PERI Hermenias.

Quoniā autē est aliqd de aliquo. Politianus.

In primum caput secundi libri Peri Hermenias, quod agit de consequentijs prouenientibus ratione variationis prædicati.

LIBER Peri Hermenias apud Aristotelem, vnicus & continuus est ac indiuisus (teste etiam in sua dialectica Politiano) a posterioribus tamē, quos nunc scholæ sequūtur, non incommodè in duo volumina dissecatur, quòd ea quæ in hoc secundo tractantur, ab alijs præcedentibus, non parum videantur distare. In priore quidem actum est potissimùm de enunciatione simplici, huiusq; partibus, & proprietate quæ dicitur oppositio. In hoc autem de eadem determinatur, quatenus ipsi aliquid additur ratione subiecti, prædicati, aut copulæ, & similiter de consequentijs mutuis propositionum inde prouenientibus. Ac in primo capite præcipuè tractat Philosophus consequentias propositionum de inesse, prouenientes ex mutatione prædicati in finitū & infinitū. In principio ponitur hæc cōclusio. Omnis affirmatio & negatio vel ex nomine & verbo, vel ex innominato & verbo erit. Cuius probationis duæ partes præcesserūt in litera. Prior, explicās eam, & declarans quod ad subiectū attinet, quæ & si solius affirmationis meminerit, intelligenda tamen est etiam de negatione. Posterior verò, quod pertinet ad ver-

Quo pacto intelligẽdũ sit, omnẽ affirmationẽ & negationẽ ex nomine & verbo, vel ex innominato & verbo esse.

ad verbum. Conclusio de illis affirmationibus & negationibus loquitur, quæ prorsus sunt simplices & vnæ, atq; tales, vt ex verbo cõstent personali. nisi ipsam velis solum in plęrisq; veritatẽ habere, & notá vniuersalitatis adiectione particulæ (ferè) esse mitigandã, qua sanè ratione multæ propositiones vniuersales verificari debẽt. Deinde per nomen etiam id accipiendum erit, quod vice nominis fungitur, sicut apertè habet Boetius. His limitationibus (quarum rationes breuitatis gratia, & ob nullã quã habere vidẽtur, ijs quę superius tradita sunt probè cognitis, difficultatẽ, omittimus) munita cõclusio, facilè a cauillationibus vindicabitur, & instantijs. Quòd si roges, cur non verbi etiam infiniti, sicut infiniti nominis Arist. hic mentionẽ fecerit. Solutionem ex Boetianis verbis colligendam relinquimus. oportuerat quidẽ (inquit) volentem cuncta partiri ad differentias propositionũ non solùm infinita sumere nomina, sed etiam verba. Sed quoniam nouerat Arist. nomen quidem infinitum conseruare propositionẽ quam inuenisset (vt si in affirmatiua diceretur, affirmatiuã seruaret enunciationem, vt est, nõ homo ambulat. si in negatiua, negatiuam seruaret enunciationem. negatiua autẽ est, vt est, nõ homo non ambulat) Verba quoq; quę sunt infinita, iuncta in propositione, nõ affirmationem, sed perficere negationẽ. idcirco de his reticuit. quòd hæ magis quæ ex verbo infinito sunt, ad vnã qualitatem pertinẽt propositionis, id est, ad negatiuam. Semper enim fit ex infinito verbo negatio. Sic Boetius, & plura postea eodẽ spectantia copiosè admodũ subiecit, quę apud ipsum requirant. Quũ dicitur in priore parte probationis præmissę, nõ homo sicut & cętera infinita nomina, vnũ aliq̃ modo significare, intelligendũ est id hactenus verũ esse, & quia rem vnã positiuè designatam nomine finito, significat abnegatiuè, & quia omnem aliam rem ab eis quę finito nomine significantur, indeterminatè designat ratione negationis infinitantis, vel (si magis cũ Fabro loqui placeat) infinientis, Vt non homo (sicut dicit Boetius) ipsam significationẽ eius quod dicimus homo tollit, & vnam per se significationem surripit ac subruit. multa autẽ sunt quæ intelligentiũ sensibus relinquuntur. In secunda autem parte insinuat manifestè, aliter & aliquando extensius se verbi vocabulo vti, q̃ antè finiuerit, vt scilicet etiam casus verborum verba dicantur, quoniam temporis consignificatione præditi sunt, quos illic a vera ratione verbi exterminauerit. Ibi verò. Prima quidem affirmatio & negatio, &c. docens Arist. multiplicare simplices enunciationes tam affirmationes q̃ negationes, secundũ subiecta finita & infinita, miro artificio ab eis incœpit, quę sunt de est secũdo adiacente, quòd hæ simplicissimæ existãt. Deinde eas proponit, quę sunt de est tertio adiacente. Et tertiò illas quę verbis adiectiuis constant. Neq; immeritò. Cuncta enim actiua verba, in se quodammodo continent substantiuũ verbum, & in ipsum sunt resolubilia, teste grãmatica, nec repugnãte ipsa philosophia, secundũ quam entis conceptus, in omnibus alijs dicitur includi. Præposuit etiã, cęteris paribus, vbiq; affirmatiuas & indefinitas negatiuis & vniuersalibus, quòd illæ his priores sint & simpliciores. Abstinuit autem ab ipsis singularibus & particularibus, aut quia singulares non possent variari secundum quantitatem, & particulares eædem sunt & æquiualentes indefinitis, aut quia ex multiplicatione indefinitarũ & vniuersaliũ ostensa, satis cõstaret qualiter & singulares & particulares essent multiplicandæ, quanq̃ nec in totum de particularibus tacuit, assignans eas vniuersalibus oppositas. Item quę nomine constant infinito post eas locantur, quę finitũ nomẽ habent, quod hoc illo etiã sit prius & dignius, Et postremò eas quę sunt de præterito vel futuro tempore, illis postposuit quæ habent verbum pręsentis temporis, propterea q̧ omne futurũ & præteritũ ab aliquo præsenti dependeat. Nisi enim aliquando præsens fuisset Adã esse, nunq̃ pręteritũ esset Adam fuisse. Et ita de futuro. Quæ nũc diximus, apud Arist. exemplis videre est diffusius declarata, vt non sit opus ea hic repetere. Quòd si numerum propositionum multiplicatarum ab eo recenseas, inuenies quatuor oppositiones (id est, aggregata ex duabus oppositis, seu paria oppositarũ, quomodo superius contradictionẽ aliquando etiam ab Arist. accipi diximus) & octo propositiones de verbo est secundo adiacente, partim vniuersales, & partim indefinitas. Quas si multiplicaueris per tria tempora, præsens, pręteritũ, & futurum, euadent xij. oppositiones, & propositiones xxiiij. Si verò his vniuersalibus & indefinitis etiam particulares & singulares adiunxeris, erunt xxiiij. oppositiones, propositiones verò 48. ex verbo est secundo adiacente. Neq; pudet nos hæc cõmemorare, in quibus scimus eruditissimos quosq; veterum operam insumere non piguisse, vt eorum monumenta liquidò declarant. Rogabit forsitan quispiam, cur assignatis atq; multiplicatis huiusmodi propositionibus de est secundo adiacente, non subindicauerit Philosophus, quo pacto hæ sese habeant ad inuicem secundum consequẽtiam, quum id faciat in sequentibus, quæ sunt de est tertio adiacente: Huic respondebimus. Arist. solo huius rei silẽtio satis indicasse, nullã consequentiã

Incidẽtis q̃stionis solutio, ex Boetio.

De enunciationũ multiplicatione ex parte subiecti prędicatiq;, variati penes finitũ & infinitũ, earũ q̧ ordine.

Quęstio incidens.

Responsio.

consistere

consistere in huiusmodi enunciationibus multiplicatis. Deinde idem satis apertè monstrat posterius, dum dicit de illis quę habent verbum est tertium adiacens, Hæ autem quæ sunt de subiecto infinito sunt extra illas, &c. Inter has igitur nullam prorsus esse constat illationem, nisi fortè quis ita mente captus sit, vt opinetur aliquam enunciationem inferre suam oppositam. aut existentiam vnius contradictorij inferre alterius existentiam: aut non existentiam vnius, non existentiam alterius. Quanq; enim contradictoria sese ab eodem auferunt, non tamen simul necessariò sunt, aut non sunt. sed potest vnum esse, altero non existente. Sed de his hactenus.

Quo modo multiplicandę sint propositiones de est tertio adiacente.

Post hæc declarat Philosophus, quo modo multiplicandæ sint propositiones de est tertio adiacente secundum nomen finitum & infinitū. Primò ratione prædicati, dum dicit, Quādo autem est tertium adiacens, &c̄. Circa quod illud est in primis aduertendum, quòd est dicitur tertium adiacens, quando post ipsum ordine constructionis expressè ponitur prædicatū materiale, aut eius pars, Vt quum dicitur homo est iustus, duplex solet assignari prædicatum,

Duplex prędicatū, materiale, & formale.

Prius est prędicatum materiale, quod est id quod denotatur conuenire subiecto, aut ab eodē remoueri. Alterum est prædicatum formale, quod nihil aliud est, q̄ copula verbalis, vniens prædicatum materiale cum subiecto, aut separans ipsum ab eodem. Quale est verbum substantiuum, dum exprimitur prædicatum materiale. Neq; hic curandum est, an est sic sumptū sit categorema, an syncategorema: id enim omnino impertinens est ad hanc rem. Huic consen-

Boetius.

rit Boetius, asserens in hac homo est iustus, esse vnum subiectum & duo prædicata, est & iustus. Porrò verbum substantiuum dicitur esse tertium adiacens, nō quia tertio loco collocetur, (potest enim & primum & secundum & tertium locum habere in enūciatione, vt est homo iustus, homo est iustus, homo iustus est) Neq; quia alicui adiacet tanq̄ tertiò adiacens. sed quia adiacet, & secundum nostram intelligentiam & conceptionē tale verbum est, tertium locū obtinere debet. licet adiaceat tanq̄ secundum. Secundū enim nostrā intelligentiam primum sumitur subiectum, de quo aliquid enunciandum est. Deinde secundo accipitur id quod de subiecto est enunciandum, secundum quandam compositionem aut separationem, atq; hoc est prędicatū materiale, & illi priori tanq̄ fundamento cuidam adiacet. Postremò his duobus connectendis aduenit copula verbalis, consignificans compositionem quandam, quam (vt inquit Arist.) sine compositis non est intelligere, quæ ob id tertia enunciationis pars non iniuria appellatur. Deinde hęc proximè videtur adiacere prædicato materiali, tanq; quædam forma materię propinquiori, & quam proximè respicit, de qua mediante adiacet ipsi subiecto, ob idq; verbum substantiuum quod est tertium iuxta nostram intelligentiam, inter adiacentia secundum locū obtinet, estq; quodammodo secundum adiacēs, quia tertiū nō refertur propriè ad adiacens, sed potius aliquid subintellectum, tanq̄ si dicas tertia enunciationis pars adiacens alteri, licet inter adiacentia fuerit secunda. Aliter in his loquitur Boetius, asserens tertium ad adiacere referri, sed ipse aliter id verbum accipit, pro aduenire scilicet seu adesse constituendæ enunciationi.

Quo pacto accipiendū sit illud literę, iter quas duæ se habēt ad affirmationē, &c

Ex his facilè intelligitur, quid sit est secundum adiacens. Post hæc inter indefinitas de est tertio adiacente multiplicatas ex parte prędicati, dicit Philosophus, duas esse oppositiones, inter quas quidem propositiones duę habent se ad affirmationem & negationem secundum consequentiam, vt priuationes: duę verò minimè. Huius particulæ diuersi diuersas dant expositiones, nos cæteris omissis eam persequemur, quam ex Boetij verbis partim collegimus, & ipse a Porphyrio se fatetur accepisse, sed interim a fastidiosa abstinebimus prolixitate. Est igitur sensus eiusmodi, Earum quatuor propositionum de est tertio adiacente, quæ per variationem prædicati nunc finiti nunc infiniti, manente semper eodem subiecto, multiplicatæ sunt, duæ scilicet secunda (quam vocat Boetius negatiuam simplicem, quia finito constat prædicato) & quarta (quam idem negatiuam infinitam, quia infinitum habet prędicatum, appellat) se habēt secundum consequentiam ad affirmationem & negationem, quæ sunt prima & tertia, hoc est, sequuntur ad eas, quarta quidem ad primam, & secunda ad tertiam, sicut priuationes etiā sequuntur ad affirmationem & negationem. duæ verò reliquę scilicet prima & tertia non sic se

Quę sint priuationes.

habent secundum consequentiam ad alias, quia non ex alijs sequuntur. Nominat autem priuationes duas negatiuas propositiones, constantes ex prædicatis priuatiuè oppositis, vt homo non est iustus, & homo non est iniustus, quæ sequuntur ad has, homo est iniustus, & homo est iustus, quarum secunda affirmatio est, prior verò scilicet homo est iniustus, hoc loco negatio appellatur, quia licet formam affirmationis in enunciando custodiat, re vera tamen habitum a subiecto tollit & abnegat, qua ratione etiā inter Aristotelicas propositiones tertia, quæ est homo est non iustus, negationis nomen sibi vsurpauit. Et vt hæc res oculis subiecta clarior euadat, meliusq; memoriæ infigatur, sunto propositiones eodem ordine dispositæ, quemad-

modum

modum in penultimo capite primi Priorum Analyticorum, interpositis in medio etiam priuatorijs, hoc est, ijs quæ priuata habent prædicata, & litera a præposita significante eam quæ infert, quæ dicitur antecedens, c verò eam quæ infertur, quæ dicitur consequens.

a homo est iustus i. — c homo non est iustus ij

c homo non est iniustus. } iiij. — a { homo est iniustus.

c homo nõ est nõ iustus. } iiij. — a { homo est non iustus. iij

Coniunximus priuatorias infinitis, quòd ab eis paruo distarent discrimine, non tamen nullo, vt ex alibi dictis facilè constiterit. Quòd ergo primam sequatur quarta, & tertiã secunda, nulli arbitramur esse ambiguum, & id postea ab Aristotele declaratur ibi, Ista verò nullus homo, &c. Quòd verò prima & tertia non sequantur quartam & secundam, patet. Quia si nullus homo existat, erunt hæ verę, & illæ falsæ. Idipsum autem declarans Boetius, accipit totum hoc homo iustus, item homo non iustus, vel homo iniustus, vt sit prædicatum, subintellecto quopiam subiecto, in qua re astipulantem sibi habet Fabrum. Dicit ergo, Nam si verum est dicere, quoniam non est iustus homo, non est omnino verũ quoniam est iniustus homo. De equo enim verum est dicere, quoniam equus non est iustus homo, Nam qui omnis homo non est, nec iniustus homo esse potest. Et alia plura in eandem sententiam. Verùm hoc nõ esse secundũ Aristotelis mentem, satis ex eo constat, quòd semper per totius libri decursum acceperit Aristoteles huiusmodi propositiones, homo iustus est, homo albus est, vel est homo iustus, &c. vt in ipsis subijceretur terminus homo, prædicaretur verò iustus & albus. Deinde etiam non esset simplex enunciatio homo iustus est, si aliud aliquod subiectum accersas, non magis q̃ hæc, vt dia quam, vel ista, sum homo albus, quum non simplicibus constaret extremis, & tamen vult Boetius, de talibus solum loqui Aristotelem, quę simplices sunt affirmationes atq; negationes.

Refellit Boetij expositio.

Posterius autem ibi, In vniuersalibus, &c. multiplicat Aristot. propositiones vniuersales de est tertio adiacente, assignando eis particulares oppositas, contra q̃ fecerat in his quæ habent est secundum adiacens, eam ob rem fortassis, ne quis falsò suspicaretur, omnes oportere esse eiusdem quantitatis, quæ ex huiusmodi proueniunt multiplicatione. Quòd autem sequitur, Sed non similiter in his contingit, angulares, &c. Intelligendum est de omnibus angularibus collectim & simul. Aliquas enim simul veras esse nihil prohibet, vt non omnis homo est iustus, & non omnis homo est non iustus, vt postea in textu declaratur. Mox autem, enumeratis etiam quatuor propositionibus indefinitis, in quibus eodem subiecto infinito semper manẽte, multiplicatio fit secundum variationem prædicati, addit, Plures igitur his non erunt oppositiones, hoc est, non poterunt assignari plures propositiones oppositæ eiusdẽ quantitatis, per multiplicationem secundum extrema finita & infinita, q̃ octo prius enumeratæ in indefinitis. Nam si multiplicare inceperis propositiones variando ambo extrema secundum finitatem & infinitatem, nihil pręter eas octo quę ante sunt recẽsitæ, inde nascetur aut proueniet, vt patebit attentanti. Totum autem prouentum propositionum de est tertio adiacente, ex variatione subiecti aut prædicati secundum finitum & infinitum nascentium, in vnam summam colligere supersedemus, contenti semel tale quid in vnaquaq; quantitate & tempore monstrasse in ijs, quæ habent verbum est tertium adiacens. Quod verò addit, Hæ autem de subiecto infinito sunt extra, &c. tale est ac si diceret, nullam habẽt consequentiam ad superiores, quæ ex finito omnes constant subiecto. Nam neq; eas inferunt, neq; ex eis rectè inferuntur, sicut quiuis facilè perspexerit. Ibi autem, Illæ verò quæ non sunt, &c. multiplicat eas quæ continent verbum adiectiuum, quod scilicet in substantiuum verbum & suum participium est solubile, quemadmodum hoc loco attestatur Boetius, sitq; hæc multiplicatio more earum, quę sunt de est secundo adiacente. per solius subiecti euariationem secundum finitum & infinitum, nõ autem prædicati, propterea quòd hæc nihil q̃ aliam inducit qualitatem propositionum, quæ per se & seorsim a mutatione extremi finiti in infinitum, ad multiplicationes istas exigebatur. Et quod in vniuersali quantitate & præsenti tempore proponitur exemplum, similia quoq; in particularibus, indefinitis, & singularibus, ac illis temporibus, quæ extrinsecus sunt, monstrat esse parata. Et quòd nulla inter has sit cõsequij habitudo, ex superioribus liquere potest. Quod mox sequitur, Non enim dicendum est, &c. id intellige, in hac multiplicatione propositionum de verbo adiectiuo. Nam vtiq; sic dicere licet, quum ipsemet antè similibus vsus sit pronunciatis, Sed non est hoc dicendum in hisce propositionibus multiplicandis. Nam si negandi particulam negatiuè cœperis, iam non differet hæc a tertia propositione assignata, nisi secundum quantitatem, quam non intendit hic mutare. Infinitè verò accipere non licet, quia vniuersalitatis nota (omnis) quũ nullius rei neq; vniuersalis neq; particularis significatiua sit, sed tantùm

Cur i multiplicãdis vniuersalibus vtit Philosophus particularibus.

Quomodo intelligendũ est, Sed nõ in his cõtingit angulares esse, &c.

Quomodo accipiendũ sit illud, Hæ autẽ de subiecto, &c.

Boetius.

Explicatio illius, Non enim dicendũ est, &c.

 vniuersaliter

vniuersaliter consignificatiua, non potest per vllam negationem infinitari, quum eiusmodi negationis natura sit & officium, significatũ nominis finiti cui adhibetur tollere, quod hic nullum deprehenditur. An autem fieri possit, vt negatio infinitet id totũ omnis homo, sicut quidam aiunt, non multum contenderimus, scientes eam apud Aristotelem & alios autores, proximam tantùm dictionem significatiuam infinitare solere. Quod verò omnis, nullum vniuersale significet, & multò minus singulare, ostendit Aristoteles ex eo, quòd hæ propositiones, homo currit, & omnis homo currit, & similes, non aliò differunt, quàm diuersa subiecti eiusdem acceptione, non nouæ alicuius significationis accessione, Alioqui enim oppositæ esse prorsus nequirent. Consequenter illic, Quoniam autẽ huic affirmationi, &c̃. probat quod ante dixerat, in vniuersalibus non contingere omnes angulares veras esse. Vtitur autẽ tali ratione. Hæ omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus, non possunt esse simul veræ, quum sint apertè contrariæ, sed posterior sequitur necessariò istam, omnis homo est non iustus, ergo hæ duæ omnis homo est iustus, & omnis homo est non iustus, quæ erant inter illas angulares prima & tertia, non poterunt simul in veritate consistere. Quicquid enim repugnat consequenti bonæ consequentiæ, repugnat & antecedenti eiusdem. Post hæc autem ibi, In singularibus autem &c̃. ostendit quomodo negatiua responsio data ad singularẽ & vniuersalem affirmatiuam interrogatam de prædicato finito, diuersimodè sese habeat ad concludendum affirmatiuam de prædicato infinito. Ex negatiua enim responsione data ad singularem affirmatiuã, tanquam quodam antecedente imperfectè expresso, legitimè sequitur singularis affirmatiua de prædicato infinito: quod intelliges verum esse, supposita constantia subiecti, ne hic locus Philosophi repugnet illi priori, quo dicebat, Duæ verò minimè. Ex negatiua autem responsione ad vniuersalem affirmatiuam interrogatã data tanquam implicito antecedente, nõ licet inferre vniuersalem affirmatiuam de prædicato infinito. Verbi gratia. Si roget quis, est ne Socrates sapiens? & respondeat alter, non: rectè sequitur ex responsione ea, modò Socrates sit, ergo Socrates est non sapiens, quæ virtute contradictoria est illi, Socrates est sapiens. Infert enim hanc. Socrates non est sapiens, quæ verè contradictoria est illius. Si quis autem rogetur, num omnis homo sit sapiens, & respondeat non, ex huiusmodi responsione non licet inferre, quòd omnis homo est non sapiens, quia virtute est contraria illi interrogatæ, quum inferat hanc, nullus homo est sapiens. Respondens autẽ negatiuè, non volebat contrariam asserere, sed tantùm contradictoriam. Atq; ob id ex illa negatiua responsione tanquam antecedente implicito sequitur, ergo non omnis homo est sapiens, quod consequens est æquiualens illi responsioni, imò prorsus idem, differens tantum secundum implicitum & explicitum, quod quidem consequẽs verè contradicit vniuersali illi affirmatiuæ interrogatæ. Et ex ipso supposita constantia licet inferre, ergo quidam homo est non sapiens. Quare ex negatiua responsione data ad vniuersalem affirmatiuam interrogatam, eàdem supposita constantia, sequitur particularis affirmatiua de prędicato infinito, & non vniuersalis negatiua, quæ quidem particularis affirmatiua de prædicato infinito virtute contradicit illi vniuersali affirmatiuæ. Infert enim verè illius contradictorium. Est ergo discrimen, quod hic ponit Aristoteles inter singulares & vniuersales, intelligendum, seruata eadem quantitate. Et sicut ex responsione negatiua data ad interrogationem affirmatiuam de prædicato finito, licet inferre supposita constantia subiecti, affirmatiuam de prædicato infinito: ita quoq; non dissimiliter ex responsione tali assignata affirmatiuæ interrogationi de prædicato infinito licebit inferre affirmatiuam de prędicato finito, vt facilè ostenditur exemplis. Appellatur autem hic constantia, actualis existentia alicuius, secũdum quam dicimus rem existere seu esse superstitem, vel (vt nunc ferè definiunt logici) propositio significans rem aliquã esse, siue propositio affirmatiua de est secũdo adiacente. Vt Socrates est.

Probatur, non omnes angulares in vniuersalib⁹ veras esse

Quid constantia.

Ibi autem, Nomina quidem & verba infinita, &c̃. manifesta ratione demonstrat, infinita nomina & verba, licet quodammodo videantur, non tamen esse negationes, hoc est negatiuas enunciationes, Et quòd ille qui solum dicit non homo, non magis quàm is qui dicit homo, verum vel falsum dicit, hanc habet rationem, quia ille rem dicit incertam indeterminatámque.

Mox ibi, Hæc autem omnis homo, &c̃. declarat quod ante dixerat, hæ autem de subiecto infinito sunt extra, &c̃. exemplo simul ostendens, eas quæ sunt infiniti subiecti similem habere consequij habitudinem inter se, quam habebant illæ quæ erant subiecti finiti. Et quoniam in multiplicandis propositionibus, & etiam ante in superioribus ordinem partium enunciationis sæpiusculè inuertit, nunc præposito verbo nomini, nunc nomine præposito ipsi verbo, vt magis etiam patet in Boetiana translatione, ideo ne quis inde aliquam suspicaretur sensuum oriri diuersitatem, subiecit in fine capitis, nomina & verba transposita, & cæt. Cuius loci hæc est sententia.

ſententia. Per ſolam tranſpoſitionem nominum & verborum, vel etiam aliarū partium orationis, cæteris omnino inuariatis, non redditur alius & alius ſenſus ipſius enunciationis. Vt hæc idem ſignificant, homo eſt albus, albus eſt homo. eſt homo albus, homo eſt albus, &c. retento ſemper eodem ſubiecto atq; prædicato. Adiecimus, cæteris omnino, & cæt. Nam ſi tranſpoſitionem (vt ſæpe fit) ſequeretur aliqua mutatio acceptionis terminorū, vel alterius cuiuſpiam, quod ad ſenſum facit orationis, non relinqueretur eadem planè ſignificatio. Vt nō idem ſignificant, Ioannes rogat te amore ſui ne hoc facias, & Ioannes rogat ne hoc facias amore ſui. Non omnis homo eſt albus, & omnis homo non eſt albus. Omnis homo eſt albus, & omnis albus homo eſt: ſi in poſteriore ſubiiciatur totū hoc albus homo. Erit enim vera, priore exiſtente falſa. Placet interim ex Boetij in hunc paſſum adnotatione, nonnihil in medium adducere. Quomodocunq; (inquit) ordinem terminorum permutaueris, eadem ſine dubio ſignificatio permanebit. Et hoc quidem fortaſſe oratoribus vel poetis nō eodem modo perſpiciendum eſt, quo dialecticis. Etenim quantū ad compoſitionem orationis ſpectat, maximè differt, quo verba & nomina prædicationis ſuæ ordine proferantur. Multum enim intereſt in eo quod ait Cicero. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna ſeruauit, ita dixiſſe vt dictum eſt, an ita. Ad hanc te amentiam peperit natura, exercuit voluntas, ſeruauit fortuna. Sic enim minor eſt ſententiæ magnitudo, minuſq; in ea lucet id, quod ſi ſic componatur eminet, & ſeſe vel nolentibus hominum auribus animiſq; patefacit. Rurſus quum dicit Virgil. Paciq; imponere morem, Potuiſſet ſeruare metrum ſi ita dixiſſet, moremq; imponere paci, ſed eſſet debilior ſonus, nec eo ictu verſus tam præclarè, vt nunc, compoſitus diceretur. Ergo non idem valet oratoribus vel poetis, verborū nōnunquam ordo mutatus. Quod enim ad compoſitionē ſpectat, multū in ordine ſermonum ornamenti reperietur. Dialecticis verò, quibus nulla eſt ad orationis lepôrē cura loquendi, a quibus ſola veritas perſcrutatur, nihil differt quolibet ordine verba & nomina permutentur, quū tamen eandē vim, quā prius, in ſignificatione retineant. Sed nec apud ipſos modis omnibus permutato ordine, dictionis eadem ſemper vis ſignificationis ſeruatur. Hæc enim particula, quæ negatiua eſt, id eſt, non, multum valet multámq; differentiam perficit, variis adiecta locis. Huc uſq; ille. Cætera quę addit, breuitatis ſtudio prętermittimus.

Noīa & verba trāſpoſita idē ſignificantia.

Probat verò Ariſt. exemplo, nomina & verba tranſpoſita idem ſignificare. Nam alioqui id abſurdū conſequeretur, vt vni affirmationi plures ſint oppoſitæ negationes in eodem genere oppoſitionis, vt ſatis dilucidè in litera oſtenditur. Neq; committit petitionē principij, aſſumens hanc, non eſt homo albus, eſſe negationē iſtius, eſt albus homo, quia id manifeſtiſſimum eſſe poteſt ſatiſq; cōſtare ex definitione oppoſitarū in pręcedenti libro aſſignata. Sunt enim iſtæ eiuſdem de eodem, &c. Quamuis autē ſufficere hæc credamus, intelligendis iis quæ ab Ariſt. in hoc capite ſunt tradita: paucis tamē adiiciendum eſſe putauimus, quid recentiores de modo argumentandi ab affirmatiua ad negatiuam, & contra, prædicato variato ſecundum finitum & infinitum, cuius hoc capite fit mentio, docere ſoleant, latius ſcilicet eum ad quoduis propoſitionum genus tendentes. Expediunt ergo rem iſtam duabus concluſionibus. Prior eſt. Ab affirmatiua ad negatiuā bona eſt conſequentia, prędicato variato ſecundum finitum & infinitum reſpectu eiuſdem ſubiecti. Cuius ratio eſt, quia alioqui duo contradictoria de eodem dicerentur, quod facilè eſt oſtendere. Vt ſequitur, homo eſt equus, ergo homo nō eſt non equus. Cæterùm vt hęc regula vniuerſaliter ſit vera, nonnullas adiiciunt cōditiones obſeruandas. Prima, vt totum prędicatum mutetur ſecundum finitū & infinitum. Quare nō valet illatio, ego video equum, ergo non video non equum. Poſſum namq; ſimul videre equum & non equum. Neq; hæc, aſinus eſt non hominis, ergo aſinus non eſt hominis. Secunda eſt, quando ſit argumentatio in propoſitionibus de præterito vel futuro, oportet in antecedente tempus vniuerſaliter accipi, vel in conſequente particulariter, aut cum relatiuo identitatis. Vt non ſequitur, homo fuit albus, ergo homo non fuit non albus. Sed ſequitur, homo ſemper fuit albus, ergo homo non fuit non albus. Item rectè ſequitur, homo fuit albus, ergo aliquo tempore, vel eodem tempore nō fuit non albus. Huius cauſa eſt, quia alioqui procederetur a nō diſtributo ad diſtributum, quod eſt generale argumentationis vitium, vnà cum cæteris hinc excluſum. At dicet aliquis. Ita etiam a non diſtributo ad diſtributum proceditur, quando copula fuerit pręſentis temporis, vt homo eſt albus, ergo homo non eſt non albus. Tempus enim pręſens conſignificatum per verbum, etiam, hic diſtribuitur in ſecūda, & non in priore. Ad hoc reſpondetur, id non eſſe inconueniens in tempore præſenti, propterea quòd præſens tempus aut vnum ſolum eſt, ſi de inſtanti loquamur. aut ſi plura ſint tempora præſentia, ea tamen in eadem aliqua parte neceſſariò communicant, omniaq; includunt pręſens inſtans, tanquam terminum communem.

Secūdū recētiorū opinionē de modo ratiocinādi ab affirmatiuā ad negatiuā, ac cōtra, prædicato variato penes finitū ac infinitū.

Prior cōcluſio.

Obſeruādæ cōditiones Prima.

Secunda.

Obiectio.

Dilutio.

munem. Vndè fit, vt nihil in vno fieri verè dixeris, quod nõ itidẽ in omnibus. Nihil enim fit in hac hora præsente, quod non fiat in hoc die, & mense, & anno. Fiet tamẽ aliquid hoc anno, q̃d non hoc mense fiet, aut fit: & ita de præterito tempore sentiendum est. Ob idem generale vitiũ non valet hæc argumentatio. In aqua sunt non pisces, ergo in aqua non sunt pisces, quia participium entia inclusum in verbo sunt, capitur in consequente vniuersaliter, & non in antecedente. Veruntamen hic non prædicatum, sed subiectum mutatum est secundum finitum & infinitum, id quod manifestius est, q̃ vt probatione indigeat. Tertia est. Si sit argumentatio in modalibus propositionibus de possibili, modus in negatiua non debet negari. Hinc non sequitur Socratem possibile esse non album, ergo Socratem non est possibile esse album, sed inferendum est, ergo Socratem possibile est non esse album. Si verò fuerint propositiones de necesse, poterit modus in secunda vel affirmari vel negari. Exempla prolixitatis vitandæ gratia omittuntur. Quartam addunt nonnulli, ne in terminis relatiuis argumentemur. Putant enim non sequi. Hic est pater, ergo non est non pater. hoc est non simile, ergo non est simile. Sed hoc alijs relinquatur discutiendum. Nobis apparet, parũ habere probabilitatis, vt vir multis prolibus ditatus dicatur esse non pater, aut lac non simile, quòd sit non simile carboni. Addunt & quintam, vt in hoc argumentandi genere a terminis diuinis abstineamus. Cui nos libẽter parentes, theologis eam rem relinquimus, ne falcem in alienam messem videamur mittere. Excedit enim ea materia captum iuuentutis, quam nos instituendam suscepimus, & non satis pro sua sacrosancta dignitate tractata polluitur atq; vilescit, quod quidẽ summopere in illis qui nondum solido roborati sunt ingenio, neq; per ætatem sublimia mente possunt attingere, est cauendum. Nemo ergo a nobis talia in dialecticis expectet. Posterior conclusio seu regula est. A negatiua ad affirmatiuã valet consequẽtia, prędicato variato secundũ finitum & infinitũ, dũmodo ritè ponatur constantia subiecti. Vt homo nõ est iustus, & homo est, ergo homo est nõ iustus. homo nõ est non iustus, & homo est, ergo homo est iustus. Hi nõ sunt vidẽtes, & sunt, ergo sunt nõ videntes. Sine constantia non sequitur. Hircoceruus nõ est leo, ergo hircoceruus est nõ leo. Et ponenda est ritè constantia, scilicet secundum exigẽtiam copulæ, nonnunq̃ addito etiã relatiuo identitatis, si fuerit determinatio accepta non vnica acceptione. Hinc non sequitur, Socrates non fuit albus, & Socrates est, ergo Socrates fuit non albus. Ponenda enim erat constantia hoc pacto, & Socrates fuit. Item non sequitur. Socrates aliquo tempore nõ fuit albus, & Socrates aliquo tempore fuit, ergo Socrates aliquo tempore fuit non albus. Alicuius hominis equus non est animal, & alicuius hominis equus est, ergo alicuius hominis equus est non animal. quia proceditur a termino in antecedente sæpius determinatè sumpto, ad eundem semel determinatè sumptum in consequente respectu termini infiniti, qui ęquiualet termino distributo. Sic igitur poni debebant dictæ constantiæ, & eodem tempore Socrates fuit, & eiusdẽ hominis equus est. Sed obijcitur. Rectè sequitur, aliquis homo non est equus, & aliquis homo est, ergo aliquis homo est non equus, & tamen committitur idem vitium. Responsio. Hęc propositio (aliquis homo est) æquiualet vniuersali, & ideo licet dictio homo bis in antecedente sumatur determinatè, tamen id vitiosum non est, quia semel virtute distribuitur. Vbi verò neutra propositio æquiualet vniuersali, semper viciosus est hic argumentandi modus, vt aliquis homo non fuit albus, & aliquis homo fuit, ergo aliquis homo fuit non albus, quæ tamen argumentatio bona erit, si constantiam sic exprimas, omnis homo fuit. Pręter eam conditionem, quæ superiori conclusioni prima assignata erat, & huic etiam peræquè seruit, obseruandũ hic est in primis, vt prædicatum antecedentis si fuerit vniuersale, distribuatur. Hinc non sequit. Homo aliquod animal non est, & homo est, ergo homo est non animal. Sed hoc sophisticẽ videtur olere. Secundò obseruandum est, vt non in modalibus argumentemur. Non enim sequitur. Socrates possibiliter non est homo, & Socrates possibiliter est, ergo Socrates possibiliter est non homo. Nec valet quod quidam dicunt, constantiam non conuenienter esse positam, & ob id non esse illationem bonam, sed hoc modo debere assignari, & Socrates eodem tempore possibiliter est. Nam hęc constantia etiam vera est, neq; repugnat præcedenti expositioni. Omnium enim rectè philosophantiũ concors sententia est, quòd res contingens incerto & determinato quopiam tempore futuro potest esse, & potest non esse, licet non possit simul esse & non esse. In modalibus tamen de necesse non negato, posita constantia eiusdem modi, rectè sequitur. Vt Socrates necessariò non est lapis, & Socrates necessariò est, ergo Socrates necessariò est non lapis. Adijciunt tertiam conditionem, ne prædicatum sit alterius numeri, q̃ subiectũ. Dicunt enim non sequi, equus non est homines, & equus est, ergo equus est non homines. Duo homines sunt equus, & sunt, ergo sunt non equus. Idem erit si prædicatum fuerit collectiuus terminus

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Conclusio posterior.

Vna conditio obseruãda.

Secunda.

Tertia.

terminus,nō autem subiectum,vel contra. Talis enim significatione plurativus habetur. Verùm hæc res problematica est,quibusdam contendentibus hoc principium, De quolibet est affirmatio &c. quatenus applicatur terminis,solum habere veritatem, quum subiectum fuerit eiusdem numeri cum contradictorijs:alijs oppositum asseuerantibus. Cuius quidem difficultatis arbitrium est penes loquendi rationem. Et licet Arist. in litera dixerit apertè, & illas quæ sunt de subiecto infinito non habere consequentiæ vinculum cum ijs quæ erant de subiecto finito, quod sanè simpliciter verissimum esse constat. Iuniores tamen paulo profundius considerationem intendentes circa hanc rem, duas fecerunt conclusiones. Vna est. Ex affirmatiua, subiecto variato secundum finitum & infinitum, licet inferre negatiuam de modo loquendi inconsueto, ne scilicet procedatur a non distributo ad distributum, vt sequitur. Non Socrates est Plato, ergo Socrates non est Plato. Non homo est animal, ergo homo aliquod animal non est. Quod facilè ita poterit ostendi. nam sequitur. Non homo est animal, ergo animal est nō homo per conuersionem simplicem. Et deinde sequitur, animal est non homo, ergo animal non est homo, prædicato variato secundum finitum & infinitum. Vlterius autem sequitur, per cōuersionem, animal non est homo, ergo homo aliquod animal non est. Ergo a primo ad vltimum rectè sequetur, non homo est animal, ergo homo aliquod animal non est. Vel (quod in idē redit) homo nō est omne animal. Secunda est. A negatiua ad affirmatiuam subiecto similiter variato, valet consequētia, si subiectū antecedentis capiatur vniuersaliter, & ponatur constantia prędicati eius, nec distribuatur subiectū consequentis. Vt nullus homo est albus, & album est, ergo non homo est albus. Quod probatur. nam sequitur per conuersionem simplicem. Nullus homo est albus, ergo nullum album est homo: Deinde a negatiua ad affirmatiuam, prædicato variato secundum finitum & infinitum rectè sequitur, nullum album est homo, & album est, ergo omne album est non homo, & vltra sequitur per conuersionem, omne album est non homo, ergo non homo est albus. Quare a primo ad vltimum benè sequebatur, nullus homo est albus, & album est, ergo non homo est albus.

Pro consequētis subiecto variato penes finitū & infinitū prior conclusio.

Posterior.

In secundum caput, quod est de coniunctis & diuisis prædicatis, atque ipsorum consequentia, scholia.

Si vnū de pluribus, vel plura de vno.

TRactaturus in hoc capite Aristoteles de consequentijs enunciationum constantium ex pluribus prædicatis, nunc diuisim, nunc coniunctim sumptis, vt vnum. Non abs re in principio expedit, nonnulla de differentia enunciationis vnius & plurium, quò facilius intelligatur, quæ prędicata diuisim de aliquo dicta, inferri queant coniuncta vt vnum, & quæ non. Affirmatio & negatio vna sumi debent, sicut sumebantur in textu de enunciatione, maximè, quo ad priorem partem definitionis, quia hypotheticarum nulla hic fit mentio. Prædicatum vnum dicitur, quod significat rem vnam secundum substantiam, vel plura ex quibus fit huiusmodi res vna, vt homo. Item animal rationale mortale. Attenditur enim hic vnitas prædicati aut subiecti, non ex vnitate vocis, sed ex vnitate rei, per vocem significatę, quanquam interim etiam vnitas vocis requiratur. Nam si quis hæc tria, animal, rationale, mortale, non continua prolatione, sed per interualla de homine enunciet, nō erit affirmatio vna, sed plures, quia hæc tria sumuntur tanquam distincta, & non tanquam rem vnam & eandem constituentia, vndè nec huiusmodi partibus interponēda est coniunctio, cui proprium est diuersa coniungere, sed enuncianda sunt coniuncta, & tanquam vnum quoddam constituentia, Arist. verò coniunctionē interponens cum ait, (vt homo est & animal, & bipes, & mansuetum) non affirmationem vnā enunciat, sed materiam ponit duntaxat, ex qua potest vna fieri affirmatio, capitque mansuetum pro quadam hominis differentia. Dialectica interrogatio, est interrogatio contradictionis, id est, quæ pro respōsione petit vel propositionem in ipsa interrogatione explicitam, vel eius contradictoriam. Oportet enim (vt inquit textus) dialecticam interrogationem vtramque partem contradictionis interrogare, vt interrogatus vtram partem velit enunciare, possit eligere. Fitque duobus modis. Priore sic, vt tantùm altera pars contradictionis explicitè ponatur in ipsa interrogatione, & tunc seruit propositioni dialecticæ, vt est ne cōtrariorum eadem disciplina? Posteriore verò sic, vt exprimatur vtraque pars cōtradictionis, vt vtrum mundus sit æternus an nō. & tunc seruit problemati, vt patet ex primo Topicorum. Interrogatio vna est, quando propositio quæ explicitè interrogatur, est vna. Plures, quando ipsa propositio est plures. Interrogatio vna, vnam petit responsionem. Interrogatio plures, non vnam, sed plures petit responsiones, vt docetur in Elenchis. Interrogatio verò quod quid est, qua quęritur quid res aliqua sit, certam ac vnicam petit responsionem, sicut & cæteræ quæstiones demonstratiuæ. vndè patet, quod multū differt a dialectica interrogatione. Sed obijcias, quæstioni an est,

Quid prędicatū vnum.

Quid dialectica interrogatio.

Quid interrogatio vna

an est,& quæstioni quia est, quæ demonstratiuæ sunt, tam affirmatiuè q̃ negatiuè respondeti potest. ergo quædam demonstratiuæ interrogationes indifferenter vtramuis contradictionis partem quærunt. Respondendum negando consequentiam. licet enim forma quæstionis vtramuis admittat responsionem, tamen demonstrator eam duntaxat partem sibi petit responderi, quæ certa est & indubitata, quia alteram partem non potest accommodare ad suã disputationem doctrinalem. Dialecticus verò in vtramq; partem debet esse paratus, vt quicquid respondens dederit, statim in suam transferat disputationem. Hinc capite secundo primi Posteriorum definitur propositio dialectica, quę similiter vtramuis partem accipit. Demonstratiua verò, quæ determinatè alterum quod est verum. Ibi, Eorum quæ diuisim prędicantur,&c. Ponit Aristot. hanc diuisionem. Eorum quæ diuisim prædicantur de aliquo subiecto, Quædam de eodem prædicantur composita sic, vt sint vnum prædicatum, Quędam verò non. Diuisim prædicari, est prædicari in diuersis propositionibus. Coniunctim verò est prædicari in eadem propositione sine coniunctione media, vt in hac propositione, homo est animal rationale, hæc duo prædicata, animal & rationale prædicantur coniunctim seu composita, suntq; vnum prædicatum, vt ex dictis patet. Sed diuisim prædicantur cum dicitur, homo est animal,& homo est rationalis. Verùm si omnia quæ diuisim prædicantur, dicerentur etiam coniuncta prædicari, vt vnum, multa sequerentur inconuenientia. Quorum primũ est processus in infinitum in iisdem prædicatis. Secundum, Admissio enunciationis plurium pro vnis. Tertium, Nugatio explicita & manifesta. Quartum, implicita latensq; nugatio, quę omnia satis patent in litera. Ibi, Quando autem id fiat dicetur,&c. Ponit Aristoteles duas regulas, quibus comprehendit ea prædicata, quæ diuisim quidem prædicantur, sed non possunt sic coniuncta prædicari vt sint vnum. Prior est. Prædicata quæ per accidens, aut de eodem, aut alterum de altero prædicantur, ea non erunt vnum, Quam sic interpretatur Faber. Prædicata quæ prædicantur de eodem per accidens, id est, tanquam de suo subiecto, vel alterum de altero per accidens, id est, tanq̃ accidens de accidente, ea non erunt vnum, sic videlicet, vt clausula (per accidens) priori parti regulæ iuncta, aliter accipiatur, q̃ cum repetitur in secunda parte eiusdem regulæ. Sed obiicitur, sciens & grammaticus prædicantur per accidens de eodem subiecto,& tamen nihil obstat quo minus sint vnum, cum sint genus & species, ergo male dicit regula, sub disiunctione, quòd ea quæ per accidens prædicantur, aut de eodem, aut alterum de altero, non erunt vnum. Respondendum est, vel regulam hanc non omnino vniuersaliter esse verã, vel certè coniunctionẽ disiunctiuam pro copulatiua poni, quanq̃ fortè suffecisset secunda regulæ pars, quia quandocunq; alterum prædicatorum prædicatur de altero, vt accidens de accidente eiusdem subiecti, ea nõ erunt vnum. Posterior regula est.

Quid sit diuisim prędicari,& quid coniunctim

Prior regula.

Obiectio.

Dilutio.

Posterior regula.

Illa prædicata, quorum alterum alteri inest, etiam non erunt vnum. Cæterùm, multis modis contingit, sic vnum prędicatum alteri inesse, vt non sint vnum. Primò, si idem prędicatũ de aliquo diuisim dicatur, vt Ioannes est albus, & Ioãnes est albus, ergo est albus albus. Secundò si prius prędicatum secundũ rem & vocem sit pars posterioris, aut contra posterius pars prioris, vt Ioannes est albus,& Ioannes est homo albus, ergo Ioannes est albus homo albus. Item Ioannes est homo albus, & Ioannes est albus, ergo Ioannes est homo albus albus. Tertio, Si posterius essentialiter includatur in priore, vt Ioannes est homo,& Ioannes est animal, ergo est homo animal. Sed cur istud prædicatum (homo animal) minus est vnum, q̃ istud, animal homo? Respondeo, quia est inepta compositio, ineptaq; eiusdem repetitio. Nam magis commune, non est apta determinatio minus communis, sed contra, vt patet ex iis quæ tradẽda sunt in syntaxi circa figuram appositionis. Iam si roges, an Aristoteles, his duabus regulis comprehenderit omnia prædicata, quæ sic diuisim dicuntur de aliquo, vt non possint de eodem coniunctim dici, vt sint vnum. Respondendum quòd non, quia non comprehendit ea prædicata, quorum alterum est subiectum, alterum verò accidens eius, vt Ioannes est homo & est albus, ergo est homo albus, ob id forsitan, quòd hæc tam vicina sint iis quæ prædicantur coniuncta vt vnum, vt semper bonam efficiant consequentiam, licet non reddant propositionem vnam. Imò non desunt, qui hęc etiam vnum vocari putent, maximè in his regulis, ob id (vt suspicor) quòd Arist. in diuisione eorum quæ diuisim prædicantur, enumerat hominem & album, inter ea prædicata, quæ prædicantur composita vt vnum, cum ait, & q; est homo & albus, & homo albus, verùm id Arist. familiare est, nõ semper vti veris exemplis, sed interdum etiam falsis, verorum tamen speciem prę se ferẽtibus, vt primo Physicorum disputans de principiis rerum naturalium, introducit materiam & formam rerum artificialium, & alia huiusmodi, quę non sunt vera principia rerum naturalium, sed cũ ipsis magnam habẽt affinitatem

Quæstio.

Responsio.

affinitatem & similitudinem. Sunt autem quædam prædicata, quæ de se prædicantur vt accidens de accidente, in quibus tamen videtur hic modus argumentandi etiam locum habere, licet non efficiant propositionem vnam, vt Ioannes est vir, & est quietus, ergo est vir quietus: Catharina est mulier, & est garrula, ergo est mulier garrula. Verùm quia pleraq; horū prædicatorum sunt huiusmodi, vt alterum eorū non solum natum sit determinare subiectū, de quo ambo dicuntur, sed etiam alterum prædicatū, ratione formæ per ipsum significatæ. Ideò in his nō semper valet consequētia, etiā si aptæ cohæreāt, vt Ioānes est excellēs, & est grāmaticus, ergo est excellēs grāmaticus. Nam istud prædicatū (excellēs) nō solū potest determinare hominē, de quo ambo dicūtur, sed etiā grāmaticū, ratione formæ per ipsum significatæ. & ideò intellectus ad diuersa refertur, cū tale prædicatū nunc diuisim nūc cōiunctim de homine prędicatur. Post hæc autem ibi, At sit vt eadem. Tradit Aristoteles modum argumētandi à coniunctis prædicatis ad diuisa, declarans id exemplo vnico, & mox subiiciens exceptiones, in quibus non licet ex prædicatis coniunctis inferre diuisa. Prior sic habet. Quando est oppositio inter prædicata diuisim sumpta, vt aliquid est homo mortuus, semper falsum est eadem coniunctim atq; diuisim dici. Ea dicuntur opponi diuisim sumpta, quę sumpta in diuersis propositionibus non possunt de eodem verè dici. Horum autē quædam tam coniunctim, q̃ diuisim sumpta opponūtur, vt homo est equus, in quibus locū nō habet hæc exceptio, quia tam antecedens quàm consequens est manifestè falsum aut ineptum. Quædam verò diuisim quidē dicta opponuntur, sed coniuncta prædicātur de eodem, & de his loquitur dicta exceptio, vt hæc imago est homo pictus, ergo hæc imago est homo. cadauer est homo mortuus, ergo cadauer est homo. Annotārt quidā, dictionē (mortuū) in exemplis textus nomē esse, non participium, quia quando participium est, tunc potest enunciari de homine resuscitato. Verùm ea annotatio non videtur multum habere momenti apud Aristotelem, qui resurrectionem non agnouit.

Prior regula à cōiūctis ad diuisa.

Altera exceptio est. Quando alterum prædicatorum secundum accidens prædicatur, tunc prædicata non rectè inferuntur diuisim de eodem subiecto. Neque enim sequitur, Homerus est poeta, ergo Homerus est. Illud dicitur secundum accidens prædicari, quod ratione adiuncti de aliquo prædicatur, de quo non prædicaretur per se sumptum, siue illud adiunctum sit determinatio amplians, siue diminuens, siue distrahens, aut alio quouis modo immutans alterius significationem, atq; acceptionem, vt in hac enunciatione, Aethiops est albus secundum dentes, dictio albus prædicatur secundum accidens de Aethiope, quia prædicatur tantum ratione adiunctæ particulæ (secundum dentes) Per se verò albus nunquam de Aethiope prædicabitur. Similiter in his, Petrus est magnus philosophus, est bonus dux, prædicata hæc, magnus & bonus, secundum accidens dicūtur de Petro.

Posterior regula à coniūctis ad diuisa.

Quid dicitur secundū accidēs prædicari.

Ex quo facilè intelligitur, omnia exempla quæ ad priorem exceptionem pertinent, etiā ad hanc pertinere, sed nō contra, quia frequēter euenit, vt alterū secundū accidens prædicetur, nō tamē sit inter ipsa oppositio, vt Homerus est poeta. Neq; enim inter se repugnāt hæc duo prædicata, esse, & esse poetam, quia si Homerus viueret, ambo de eodem verè dicerentur. Patet secundo, exempla prioris exceptionis in hoc differre à reliquis exemplis secundæ exceptionis, quòd licet ex his non rectè colligatur à coniunctis ad diuisa, tamen fieri potest, vt ipsa diuisim sumpta verè de eodem subiecto enuncientur, illa verò neq; bonam efficiunt consequentiam, neq; vnquam de eodem subiecto prædicātur, vt hæc imago est homo pictus. In priori exemplo literæ, particula (vt poeta) declarat quod dicitur aliquid, perinde ac si quis dixerit, vrina est ægra, vt febris indicium. Et Boetius non magnopere de vocibus anxius declarat exemplum in hac propositione, Homerus est poeta. Dicuntur autem huiusmodi vocabula poeta, orator, &c. latentem quandam obtinere vim ampliandi ad præsens tempus & præteritum. Poetā enim vocamus, qui poema aliquod insigne conscripsit, præsertim si id nondum iniuria temporum interciderit, sed etiamnum extet, cuius præclari operis seu monumēti gratia dicitur autor immortalis viuere in posterorū memoria.

Boetius.

Alterum exemplum est, malè sequitur, non ens est opinabile, ergo non ens est. Potest autem opinabile bifariàm intelligi. Vno modo, vt sit idem quod fictitium seu imaginarium, hoc est, in sola imaginatione positum, quomodo chimera, tragelaphus, syren, gorgon, sphynx, & id genus fabulosa monstra, opinabilia dicūtur, atq; ita opinabile erit determinatio distrahens ipsum ens seu verbū esse à suo principali significato, vt iam nō pro re essentiā aliquā habente sumatur, sed quę intellectu tantum comprehenditur, nulla ipsius in rerum natura subsistente substātia. Neq; difficultatē pariet, quod in fine dicitur, Opinio enim eius est, nō quoniam est, sed quoniam non est. Aliter opinabile intelligi potest omne id, de quo opinio potest haberi. Quomodo etiam homo

Opinabilis acceptio duplex. Prior.

Posterior.

& lapis opinabiles dicetur, Eritq; hoc modo ea vox determinatio amplians ad omnes temporum differētias. Cæterū sic accepto nomine opinabilis, non videtur verū quod additur, opinio enim eius &c. Nam non solū de non ente, sed etiam de ente habetur opinio, id est, assensus infirmus, seu formidolosus. Sed cautè obseruādum est quod dicitur opinio eius, intellige non entis. Erit ergo non absurdè hæc sententia. Omnis opinio vera quæ de non ente habetur, sublata omni ampliatione, necessario est negatiua, auferēs à non ente ipsum esse simpliciter, vel certè esse hoc aut illud. Quid intersit inter opinionē & scientiā, alio loco est declarandū. Explicuimus hucusq; duplicē argumentandi rationē hoc capite ab Aristotele tractatam, à diuisis scilicet prędicatis ad coniuncta, & econtrario à coniunctis ad diuisa, idq; affirmatiuè duntaxat. Quod si quis quēadmodum negatiuè in his argumentandū sit scire desyderet, aduertat diligenter vtendum esse illa regula catholica, Ex opposito cōtradictorio consequētis sequitur contradictoriū antecedētis, Vt quia sequitur à diuisis ad coniuncta affirmatiuè, Petrus est homo & albus, ergo Petrus est hō albus. Ideo recurrit consequentia à contradictorio consequentis ad antecedentis cōtradictoriū hoc pacto, Petrus non est homo albus, ergo Petrus non est hō, vel Petrus non est albus. non autē licuisset hic inferre, ergo Petrus non est homo, & non est albus, quia hoc consequens non contradicit antecedenti prioris consequentiæ bonæ. Quo pacto autem à coniunctis subiectis ad diuisa & econtrario, tum affirmatiuè, tum negatiuè valeat argumentatio, partim ex iis quæ hoc capite dicta sunt, partim ex loco à toto in modo ad partem, & contra, vel à superiori ad inferius colligendum est.

Quo pacto argumētādū sit negatiuè secūdū duos ratiocinādi modos prius ab Aristot. declaratos.

His determinatis, vidēdū est,

In primum caput secundi tractatus, quod de modalium propositionum oppositionibus pertractat, annotatiuncula.

Literæ Aristotelicę expositio.

VEndicant sibi non immeritò singularem tractatum, enunciationum illæ quæ modales à modis his, possibile, cōtingens, impossibile, & necesse, quibus cōpositio prædicati cum subiecto afficitur, sunt appellatæ. Aliter enim quodāmodo in his oppositio consideratur, quàm in illis de inesse, hoc est, in quibus prędicatū significatur simpliciter subiecto conuenire atq; inesse vel non inesse, citra taliū modorum determinationē. Quam rem primùm hoc capite in quæstionē vertens Arist. allatis ad vtrāq; partium argumētis, tandem definit. Argumentatur ergo initio, contradictionē (quæ est potissima oppositionis species, sub qua etiam reliquæ sunt intelligendæ) in hisce modalibus sumendam esse, adhibita negatione ad verbum, & non ad modum. propter ea quòd in illis de inesse, siue verbum substantiuum contineant, siue adiectiuum, contradicendo negationem necesse est ad verbum apponere, & non ad aliud, quemadmodum in litera declaratur exemplis tribus, in quorum duobus primis, extrinsecus intelligendum est subiectum aliquod, veluti pronomen hoc, vel simile quippiam, vt prædicatū primæ sit homo, secundę verò hoc totū, homo albus. Quod verò huius, hoc est albus homo nō sit hęc negatio cōtradictoria, hoc est nō albus homo, probat Arist. quia si lapidē demonstremus, ambę inuenientur falsæ, quū tamen oporteat alterā contradictoriarū perpetuo verā esse. Et prioris quidē falsitas manifestaria est. Posterioris aūt ex eo ostenditur, q; si lapis sit nō albus hō, sequetur lapidē & nō albū esse, & esse hominē. Nā negationē infinitātē autorū vsus & cōmunis hominū intelligētia solū in proximā dictionē protendere assolet, & in totā orationē, de quo alibi nōnihil etiā dicebamus. Ex eo q̄d hic dicitur à Philosopho, nihil differre, siue quis dicat, hō ambulat, siue hō est ambulās, sumpserunt forsitan argumentū, verbū est tertiū adiacens nullā habere significationē, sed esse merū syncategorema, principaliter consignificans compositiuè seu vnitiuè, vt & alia verba consignificāt quidē, sed non principaliter, quū aliā habeant pręcipuā significationē. Nam si conceptū entis significaret id verbū, nō essent prorsus eędē illę propositiones, quū altera entis conceptū in se contineret, & altera non. Verùm huic sufficienter responderi videtur, Aristotelem hoc tantum intendere, quòd non differant eiusmodi enunciationes quo ad veritatē & falsitatem. Nunq̄ enim vna sine altera deprehendetur falsa. Deinde ibi, At si hoc modo sumantur &c. argumentatur ad contrariam partem, & pro veritate, hoc pacto. Si in modalibus sumatur cōtradictio apposita negatione ad verbum, & non ad modū, accidet duas cōtradictorias esse simul veras, quod cum impossibile sit, imò (vt sic dicamus) omniū impossibilissimū, consequens erit, cōtradictionem tum demū in modalibus fieri, si negatio ad modū adhibeatur, & non ad solū verbum. Cuius causam subiicit ibi. Quemadmodū enim in illis de inesse &c. q; sicut in propositionibus de inesse verbum substantiuū affirmatū aut negatū vel aliud (quanq̄ semper substantiuū virtute adest, vt ex antedictis liquet) est appositio, id est adiacens quędā extremis (quę hic subiecta dicuntur) determinatio, ex qua principaliter

Dubitatio incidens.

Dilutio.

contra-

contradictionis natura dependet. ita in his, quas modales vocamus, modi sunt quædam verborum determinationes, in quibus vt præcipuè veritatis falsitatisq; talium enunciationum natura spectatur, ita debet & contradictionis.

In secundi capitis partem priorem, de modalium consequentijs agentem, adnotamentum.

Consequentiæ quoque ab aliquibus sic sumuntur.

MVtuas modalium propositionum consequentias, seu æquipollentias hac parte expedit, prius tamen recitata & refutata quorundam veterum peruersa assignatione. Assignantur autem quatuor ordines propositionum, & in singulis ordinibus quatuor propositiones hoc ordine, vt prima sit de possibili, secunda de cõtingenti, tertia de impossibili, & quarta de necesse. Hi autem quatuor ordines vnà cum qualitate propositionum indicantur clarissimè hisce quatuor dictionibus in margine textus appositis. Amabimis, Edentulu, Iliace & Purpurea, quæ & si secundũ se nihili voces sint ferè oẽs, & omnis significationis vacuæ, memoriæ tamen iuuandę atq; confirmandę gratia vtiliter à studiosis hominibus excogitatę, omnem hanc rem apertissimè declarant, si quis modò vocaliũ in eis contentarũ teneat significationẽ & repræsentationem. A igitur significat, nullam omnino adesse negationem. E significat, negationẽ adhibendam esse dicto, seu verbo dicti. I verò, negationem ponendam esse ad modum. V, & ad dictum, & ad modum. Appellatur autẽ dictum, infinitiuus cum accusatiuo quem regit ante se, vt hominem ambulare, hominem esse album. Porrò prima vocalis cuiusq; dictionis ex his quatuor quæcunq; ea fuerit, significat qualitatem propositionis de possibili, secunda, eius quæ est de contingenti, tertia de impossibili, & quarta de necesse. Est ergo huiusmodi descriptio consequentium seu æquipollentium modalium secundum antiquos.

Quid designent vocales actu.

	Purpurea.		Iliace.
4	Non possibile est non esse.	3	Non possibile est esse.
	Non contingens est non esse.		Non contingens est esse.
	Impossibile est non esse.		Impossibile est esse.
	Necesse est esse.		Necesse est non esse.
	Amabimis		Edentulu.
1	Possibile est esse.	2	Possibile est non esse.
	Contingens est esse.		Contingens est non esse.
	Non impossibile est esse.		Non impossibile est non esse.
	Non necesse est esse.		Non necesse est non esse.

Facilè in his subaudiuntur accusatiuus aliquis, vt Socratẽ, vel pronomen demõstratiuum hoc, aut simile quippiam. Deinde ibi. Hæ igitur de impossibili &c. ostendit in quolibet ordine tres primas rectè esse assignatas ab antiquis, id expressè docens in his quæ sunt de primo & tertio ordinibus. Nam in Amabimis sumũtur affirmatiuę de possibili & contingenti, & negatiua de impossibili. Et in Iliace sumuntur negatiuę de possibili & contingenti, & affirmatiua de impossibili, de quibus expressè agit Philosophus in textu. Quod si quis diligenter consyderet atque animaduertat, quòd negationem possibilis & contingentis sequatur affirmatio impossibilis & affirmationem possibilis & contingentis, negatio impossibilis. facilè intuebitur, quòd ad affirmationẽ possibilis & contingentis sumpti cum verbo negato, sequatur negatio impossibilis sumpti cũ verbo negato, quod fit in secũdo ordine designato per dictionem Edentulu. Sunt igitur in singulis ordinibus tres primę, duę de possibili & contingenti, & tertia de impossibili rectè collocatę, tanquam mutuò se inferentes. Quũ dicitur. Est enim impossibile affirmatio quædam &c. volunt aliqui ideo impossibile esse affirmationẽ, quia est particula non negatiua, sed potius priuatiua. Nos dicimus ideo ipsum esse affirmationẽ quandã, quia non negatur aliqua negatione, & quia modalis cõposita ex modo impossibili non negato et modalis affirmatiua, licet sit de verbo negato. Post hæc dum dicitur. Sed illę de necessario &c. ostẽdit Philosophus, illas de necessario non esse rectè assignatas à veteribus, dicens, quòd illæ de necessario datę prius in primo ordine & tertio Amabimis, & Iliace. & idẽ accidit in secũdo & quarto edentulu & purpurea, neq; sunt contradictorię inter se, neq; sequũtur ad eas quæ sunt de possibili & cõtingenti, sumptis nunc affirmatiuè, nunc modo cõtradictorio negatiuè. Prius declarat quia hæc, non necesse est esse, quę erat quarta in primo ordine, non est contradictoria huius, necesse est non esse, quæ erat quarta in tertio ordine. Sunt enim simul veræ. Nam hæ veræ sunt, hunc hircocerũ nõ necesse est esse, hunc hircocerũm necesse est non esse. Simili modo est de his, non est necesse non esse, quæ est quarta in secundo ordine. & necesse est esse, quæ est quarta in quarto ordine. Sunt enim & hæ simul veræ, hunc solem necesse est esse, hunc solem

Quo pacto impossibile sit affirmatio quędam.

nonneceſſe eſt non eſſe. Quod autem non ſequuntur ad illas, oſtendit Philoſophus dum dicit, Cauſa aũt quare &c. Neq; putandum eſt eas non ſequi, quia nulla ſequerẽtur, ſed quia non oẽs ſequitur. Nam ea quę eſt de neceſſario in Iliace, rectè ſequitur ad negationẽ contingẽtis & poſſibilis. Similiter & ea quę eſt quarta in purpureá, ex duabus primis. Verũ in his orationibus modus neceſse ſumitur modo cõtrario ad eas quæ ſunt de impoſsibili in eodẽ ordine, quod facilè eſt conſiderare. Porrò modi ſumuntur modo contradictorio, quando ipſis præponitur negatio, vt non poſsibile, non contingens, non impoſsibile, non neceſse. Modo autem contrario ſumũtur, quãdo ipſis poſtponitur negatio, vt impoſsibile eſt non eſse, neceſse eſt non eſse. Quum igitur neceſse & impoſsibile æquiualeant, & reddant eundẽ ſenſum propoſitionis, quando ſumũtur modo contrario, idemq; ſit q̃d impoſsibile non eſſe & neceſſe eſſe. Item neceſſe non eſſe, & impoſsibile eſse. ad poſsibile eſſe ſequitur non hæc, non neceſſe eſſe, ſed hæc, non neceſſe non eſse. quemadmodum ad poſsibile eſse ſequitur non impoſsibile eſse. & ad poſsibile non eſse, ex quo ſequitur non impoſsibile non eſse, ſequetur non neceſse eſſe. ſicq; dicendum erit amabimus, non amabimis. edentuli, & non edentulu. In ſecunda ratione deducente ad hoc impoſſibile, quod ex vna contradictoriarum liceat alteram inferre (quod quidẽ inconueniens habetur, niſi ſit antecedens ipſum impoſsibile, aut conſequens neceſſarium) vtitur Philoſophus duabus Maximis. Vna eſt. Quicquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur ad antecedens eiuſdem. Altera eſt. Si ad datam aliquam propoſitionem non ſequatur vna duarum contradictoriarum, ad eandem ſequetur reliqua. quæ videtur nobis eſse intelligenda, ſi ea propoſitio quæ non infertur, ideo ex data propoſitione non inferatur, quòd cum ipſa repugnantiam habeat. Id autem hic euenit. Nam non poſsibile eſt eſſe, repugnat illi, quod eſt neceſſe eſt eſſe. quemadmodum hæ repugnant, neceſſe eſt eſſe, & impoſsibile eſt eſſe. Rectè igitur colligitur, ad neceſſe eſſe ſequi poſsibile eſſe. Similiter ex hac data propoſitione, nullum animal ambulat, propter repugnantiã non poteſt inferri iſta, Socrates ambulat. Quare rectè ſequetur, nullum animal ambulat, ergo Socrates nõ ambulat. Atq; id ita eſſe, colligitur ſatis apertè ex ipſo textu. Nam hac ſecunda ratione poſita, qua oſtenditur, ad poſsibile eſſe non ſequi non neceſſe eſſe, ſicuti aſſerebant antiqui, continuò ſubdit Philoſophus. At neque ad poſsibile eſſe ſequetur neceſſe eſſe. Quare ex hac data propoſitione poſsibile eſſe, neutra harum duarum contradictoriarum ſequetur, neceſſe eſt eſſe, & non neceſſe eſt eſſe. quia neutra repugnantiam habet cum illa poſsibile eſt eſſe. Idem enim puta hunc Solem poſsibile eſt eſse, & neceſſe eſt eſſe. Similiter Socratem poſsibile eſt eſſe, & non neceſſe eſt eſſe. Quare neutra harum contradictoriarum habet repugnantiam cum illa, poſsibile eſt eſſe. Quod ſi cum hac poſsibile eſt eſſe, accipias alias contradictorias de neceſſe de verbo negato, (prius enim ſumptæ ſunt contradictoriæ de verbo affirmato) has habebis, neceſſe eſt non eſse, non neceſse eſt non eſse, quarum hæc, neceſſe eſt non eſſe, propter repugnantiam non poteſt inferri ex poſsibile eſſe. Nam impoſsibile eſt idem poſſe eſſe, & neceſſario non eſse. Imò hæc, neceſse non eſse, infertur in tertio ordine Iliace videlicet, ex hac, non poſsibile eſt eſſe, ex qua infertur impoſsibile eſt eſſe, rectè colliges eius contradictoriam non neceſſe non eſſe, rectiſsimè ſequi ex poſsibile eſſe, quod erat concludendum. Quod ſi intelligas, quoniam modi poſsibile & contingens ſumuntur in primo & tertio, ac ſecundo & quarto ordinibus, modo contradictorio, reliquos modos ſimiliter ſumendos eſse contradictoriè, procliuis erit & facilis literæ deductio, vt ergo bene diſponantur propoſitiones, ſic ſunt deſcribendæ.

Modi quando ſumitur modo cõtradictorio aut contrario.

Duæ Maximæ, in quib9 conſiſtit literæ deductio.

Purpurea.	Iliace.
Non poſſibile eſt non eſſe.	Non poſſibile eſt eſſe.
Non contingens eſt non eſſe.	Non contingens eſt eſſe.
Impoſſibile eſt non eſſe.	Impoſſibile eſt eſſe.
Neceſſe eſt eſſe.	Neceſſe eſt non eſſe.
Amabimus	Edentuli.
Poſſibile eſt eſſe.	Poſſibile eſt non eſſe.
Contingens eſt eſſe.	Contingens eſt non eſſe.
Non impoſsibile eſt eſſe.	Non impoſsibile eſt non eſſe.
Non neceſſe eſt non eſſe.	Non neceſſe eſt eſſe.

Dubitabit aliqs, ſi ad neceſſe.

In ſecundam partem eiuſdem capitis, pertractantem, An ad neceſſe eſſe ſequatur poſsibile eſſe, annotatio.

IN ſuperiore parte Philoſophus aſſumpſerat, ad neceſse eſſe ſequi poſsibile eſse, vt oſtenderet, primum ordinem eſse perperam redditum ab antiquis. In hac autem idipſum reuocat

reuocat in dubium, latius scilicet declaraturus, id quod tunc penè erat suppositum. Est igitur dubitatio hæc proposita ab Aristotele, An ad necesse esse sequatur possibile esse, hoc est, an ad propositionem de necessario sequatur propositio de possibili. Primo loco adfertur probatio ad partem affirmatiuam, de qua quidem probatione in superiori parte latius egimus. Nam hanc, hunc Solem necesse est esse, non sequuntur hæ, hunc solem non possibile est esse, hunc Solem possibile est non esse, propter repugnantiā quam habent cum illa. Deinde secundo loco adducitur ad oppositam partē ratio, ibi. At verò ad possibile &c. quæ sufficienter declaratur non esse efficax in sequentibus. Proposita autem ratione ad vtranq; partem, ante solutionē duo præmittit. Primo diuersitatē potentiarum, dum dicit. Sed manifestum est non omne possibile vel esse vel ambulare, etiam opposita posse. ex qua quidē diuersitate licet colligere inefficaciā rationis adductæ ad negatiuā partem. Ex hoc textu, quantum huic loco sufficit. (Nam exactius de diuersitate potentiarum in Physicis agendum est) colligitur duplex potentia, Vna rationalis, Altera irrationalis. Ea potentia est rationalis, quę libera est per essentiam, aut per participationem ad aliquid agendum vel suscipiendum. Voluntas seu appetitus rationalis libera est per essentiam. Intellectus autem & potentiæ sensitiuæ, siue sint cognitiuæ, siue appetitiuæ, & aliæ pleræq; potentiæ corpori humano, vt tale est, competentes. quales sunt potentiæ currendi, ambulandi, scribendi, saltandi & cæte. liberæ sunt per participationem, eò quòd subsint rationi atque libero arbitrio ipsius hominis in exequēdis suis operationibus, aut suscipiendis suis perfectionibus. Neque nunc tractandum est, an inter has potentias naturales, aliæ sint actiuæ, aliæ susceptiuæ. An omnes simul sint actiuæ & susceptiuæ, præsertim quæ sunt cognitiuæ & appetitiuæ. Id enim in libris de anima est discutiendum. Rationalis potentia quodāmodo à posteriori, seu per effectū, sic solet describi. Potentia rationalis est, quæ omnibus quę ad actionē aut susceptionem perfectionis necessaria sunt positis, atq; eodem modo sese habētibus, secluso quouis impedimento, potest liberè in opposita contradictoria, non aūt semper in contraria accepta vt distinguātur contra contradictoria, Vt voluntas, positis omnibus quę necessaria sunt ad aliquid volendū, & nullo existente impedimēto, potest velle illud, & non velle ex propria libertate. Idem contingit in intellectu, sensu, & alijs potentijs enumeratis, quæ subsunt voluntatis imperio, ad aliquid agēdum vel suscipiendum. Potest enim intellectus obiectum propositū intelligere & non intelligere. sensus sentire & non sentire, per imperium voluntatis claudendo oculos. potentia ambulandi, efficere ambulationē & non efficere, iuxta imperiū rationis. Neq; hic inuestigandū est, An potētia rationalis, proposito quouis obiecto, possit in cōtraria aut cōtradictoria. Huic loco satis est, quòd respectu plurimorū obiectorum possit in contradictoria, etiā si non posset in contraria. E diuerso ea potentia est irrationalis, quæ neq; libera est per essentiam, neq; per participationem, in aliquo operando aut suscipiendo. siue quæ omnibus requisitis ad actionem, aut alicuius qualecunq; fuerit susceptionem positis, secluso impedimēto, non potest non agere, aut non potest non suscipere. Et hęc duplex est. Vna actiua, quæ ordinata est ad actionem seu operationem exercēdam. Quales in primis dicuntur esse potentiæ vegetatiuę, etiam in homine, scilicet potentia nutritiua, augmentatiua, & sui similis generatiua, quæ non subsunt imperio voluntatis, de qua re alibi speculandū est. Deinde inter has secundo enumerantur oēs potentię brutorum, quę & si videātur quodāmodo habere suorū actuum libertatē, non tamen verè habēt. Et de hac re similiter alio in loco agendum est exactius, Vt equus, omnibus positis quæ ad ambulationē necessaria sunt, secluso quouis impedimento, non potest non ambulare, non potest non comedere, non bibere, & sic de reliquis. quanquàm simpliciter his non existentibus, aut adhibito impedimento possit non ambulare, & non comedere. In hoc sensu prius dictū est, Omne quod possibile est ambulare, possibile esse non ambulare. In priori aūt sensu & illis conditionibus stātibus hic dicitur, non omne quod possibile est ambulare, etiam oppositū posse. Præterea irrationales sunt omnes aliæ potentiæ actiuę plantarū, & quorumlibet corporum inanimatorū, siue mixta sint, siue simplicia, quæ oīa oībus requisitis ad actionē positis, secluso impedimēto, & cōuenienter applicato passo sufficienter disposito, non possunt non agere, & ita determinatæ sunt ad vnum cōtradictoriorū, & non indifferētes ad vtrunq;. Alia est potentia irrationalis susceptiua, per quā aliquid potest suscipi. Et inter has quædā sunt determinatæ ad vnum, quando videlicet illud necessariò conuenit subiecto habenti potentiam. Vt cælum potest moueri, & non potest non moueri. Ignis potest esse calidus, & non potest esse non calidus. Aqua potest suscipere humiditatem, & non potest non suscipere humiditatē, & ita in pluribus alijs. Aliæ sunt, quæ indeterminatæ sunt ad vtrunque, & susceptiuæ sunt vtriusq; contradictorij. Vt potentia materiæ, secundum

An ad necesse esse sequatur possibile esse.

Duplex potentia.

Vna rationalis.

Quid potētia rationalis.

Quid potētia irrationalis.

Duplex potētia irrationalis.

Actiua.

Altera est susceptiua, cuius hæc est ad vnum determinata.

Alia est Indeterminata.

quam poteſt ſucceſſiuè diuerſas formas ſubſtantiales ſuſcipere. Similiter potentia ſecundum quã aqua poteſt eſſe calida & non calida, frigida & nõ frigida: homo ſanus & nõ ſanus, æger & non æger, & ita in reliquis. Neq; hic anxie inquirendũ eſt, an huiuſmodi potentiæ ſint potius impotentiæ naturales, q̃ potentiæ. Non enim hic agimus ſolum de ea potentia, quæ ſpectat ad genus qualitatis. Neq; etiã anxiè eſt inquirendũ, an ad contradictoriè oppoſita ſint diuerſę potentiæ aſſignandæ, ſicut Philoſophus vult tertio Phyſicorũ. Satis huic loco ſit, quòd ſi diuerſæ ponantur, vt in tunica vna potentia, ſecũdũ quã poſſit diuidi, & altera ſecundum quã poſſit non diuidi, hæ plures pro eadẽ reputantur & vna. His intellectis, facilis eſt ipſius textus expoſitio. Quũ igitur oſtenſum ſit, non omne id quod poteſt efficere aut ſuſcipere vnum contradictoriorũ, poſſe ſuſcipere & reliquũ. etiam oſtenſum erit, ex poſſibile eſſe non rectè inferri poſſe non eſſe.

Obiectio. Sed obijciet forſan quiſpiam argutus, dicens ea quæ allata ſunt, de his quę habent potentiam irrationalem potiſſimùm actiuã, & quæ dicuntur poſſe efficere aliquid, & nõ oppoſitũ ipſius contradictoriũ, intelligi ſuppoſitis quibuſdã, puta li agens ſit, ſi omnia ad actionẽ neceſſaria adhibeantur &c̃. quẽadmodũ prius dictũ eſt. Id autẽ quod ſub conditione verũ eſt, frequenter falſum eſt ablata tali conditione. Vt hic ignis, qui ſtantibus illis conditionibus, non poteſt non calefacere, ſimpliciter poteſt non calefacere: & hic equus qui eiſdẽ exiſtẽtibus non poteſt non comedere, & non ambulare, ſimpliciter poteſt nõ comedere, & nõ ambulare. Quare non videtur ſufficienter declaratũ, quòd ad poſſibile eſſe non ſequatur poſsibile nõ eſſe.

Solutio. Huic reſpondemus, Ariſtotelẽ latenter ſatis indicaſſe, ꝙ alia multa quæ neceſſariò ſunt, & neceſſariò agũt præter rationẽ, nullis etiam appoſitis conditionibus, poſſunt in vnũ contradictoriorũ, & nullo pacto in alterũ. Vt ſol poteſt illuminare, & nõ poteſt non illuminare. quẽadmodũ ignis calefacit, & ſuppoſitis conditionibus non poteſt non calefacere. In illis autẽ ad poſſibile eſſe, ſimpliciter non ſequitur poſſibile non eſſe. quanq̃ fortaſſis quiſpiam rectè diceret, generalem quandã ſolutionem traditã eſſe, & eam perfici per ea quæ ſequuntur. Secundum præmittit Philoſophus dum dicit. Poteſtates verò æquiuocę ſunt &c̃. quo innuit aliam diuiſionem poteſtatis ſeu potentiæ, quã Boetius & alij aſſerunt eſſe analogi in ſua analogata. Ex qua quidem diuiſione non incongrue colligitur, modos facientes modales enunciationes non eſſe ſincategoremata, ſed potius categoremata. Diuiſio igitur eſt hæc. Poteſtatũ ſiue potentiarum, quędam eſt actui illi quem reſpicit coniuncta, Vt Socrates ambulans habet potentiam ambulandi ſimul iunctã ambulationi, quæ eſt actus talis potentiæ. Altera eſt potentia, quæ non eſt coniuncta ſuo actui, ſed ab ipſo ſeparata. Vt potentia qua quis ſedens poteſt ambulare. Prior potentia eſt principalis atq; pręcipua, ſecunda autem minus principalis. Prior illa tanquã quoddam genus (teſte Boetio) diuiditur in eam, quæ ſuo actui neceſſario eſt coniuncta. Qualis eſt in ſole potentia illuminandi, potentia mouendi in cælo. Et in eam quę contingenter eſt coniuncta actui. Qualis eſt potentia ambulandi in homine nunc ambulante. Similiter earum potentiarum quæ ab actu ſeparatæ ſunt, quædam eſt, quę aliquando erit coniuncta actui, cuius meminit ipſe Philoſophus. Et quædam eſt, quæ poteſt quidem actui eſſe coniuncta, ſed nunquam erit coniuncta. Multa enim poſſunt eſſe, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec vnquam erunt. Potentia poſterior, quæ ſcilicet ab actu ſeparata eſt, ſolum reperitur in rebus mobilibus, hoc eſt, generabilibus & corruptibilibus. Prior autẽ quæ coniuncta eſt actui, reperitur & in generabilibus & corruptibilibus & immobilibus, id eſt, ingenerabilibus & incorruptibilibus. Ariſtoteles autem ſubiungens, Quæ cum ita ſunt, & cæt. illis duobus præmiſsis ſoluit dubitationem, quæ quidem ſolutio huiuſmodi eſt, Ad neceſſe eſſe, ſequitur poſsibile, ſed non omne, quia non ſequitur poſsibile ſecundo modo dictum, quod eſt ab actu ſeparatum, ſed poſsibile primo acceptum modo, quod actui eſt coniunctum. huius ratio eſt, quia neceſſe ſeſe habet ad poſsibile ſic ſumptum, vt particulare ſeu minus commune ad vniuerſale ſeu magis commune. Quicquid enim neceſſe eſt eſſe, poſsibile eſt ſic eſſe, & non contra. Eſt enim quoddam poſsibile actui ſuo contingenter coniunctum, quod non eſt neceſſe eſſe. Neque hic negatur modus neceſſe, eſſe modus vniuerſalis. neque poſsibile, modus particularis. Idem enim eſt modus vniuerſalis & minus communis, & idem eſt particularis modus & magis communis. Hac ſolutione adhibita, redit Philoſophus ad ordinem propoſitionum modalium, dum dicit. Atq; ille de neceſſario ſunt ponendæ primæ. Pro qua re aduertendum eſt, duplicem eſſe ordinem inter huiuſmodi propoſitiones modales. Vnus ordo eſt, qui attenditur ſecundum illationem, in quo ea prior eſt, quæ infertur & non infert, iuxta ſecundum modum prioris, & quia poſſibile eſſe ſequitur ex neceſſe eſſe, & non contra, ideò poſsibile in hoc ordine primum locum occupat, & neceſſe

Alia poteſtatũ partitio.

Vna actui cõiuncta.

Altera ab actu ſepata.

Duplex modaliũ ꝓpoſitionũ ordo. Vnus ſecundũ illationẽ

necesse vltimum. Interiectis modis contingenti, qui idem est cum possibili, & impossibili, tanquàm eo cum quo facillimè cognoscitur æquipollētia cum possibili. Et hunc modum seu ordinem seruauerunt antiqui, procedentes ab his quæ nobis notiora sunt atq; viciniora, ad ea quæ nobis minus sunt nota. Neq; hunc ordinem reprehendit Aristoteles. Alius est ordo perfectionis, secundum quem necesse præcedit, & primo loco ponendum est. secundo loco possibile. deinde contingens. & vltimo loco impossibile, tanquàm longissimè distans à necessario, huiusque gratia subiunxit Philosophus. Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quòd id quod ex necessitate est, & cætera. Cuius sensus est ex prius dictis, dum tractaretur quodnam possibile sequeretur ad necesse, manifestum est quòd id quod ex necessitate est etiam actu est, id est, actualiter existat. Quare si sempiterna, vt Deus, substantię incorporeæ, & corpora cælestia, priora sint naturâ & perfectione non sempiternis, actus etiam prior potentia erit. Cuius quidem particulæ duplex sensus reddi potest, Vnus, quòd actus seu forma substantialis, per quam res generabilis & corruptibilis actu existit, prior sit natura ac dignitate ipsa materia, per quam res generabilis & corruptibilis prior est natura & perfectione, re generabili, quæ potest esse & nondum est. Quod si ita res sese habeat, manifestum erit seruato ordine naturæ & perfectionis, eas quæ de necessario sunt, primo loco esse ponendas, deinde illas quæ sunt de possibili & contingenti, & vltimò eas quæ sunt de impossibili, eò quòd rebus impossibilibus nulla prorsus conueniat perfectio, neque actu neque potentia. Et quòd actus tempore prior sit potentia, id secundum speciem maximè est accipiendum, vt homo existens, prior est homine potente existere. Nisi enim homo actu existeret, non posset homo naturaliter procreari. Secundum indiuiduum autem contrario modo sese habet. Nam Socratem posse esse prius est, q̃ Socratem esse. Proinde vt ea quæ nunc dicta sunt, clarius & apertius noscerentur, vltimo loco adiecit Philosophus hanc diuisionem, Eorum quæ sunt, alia actu sunt sine potentia, alia actu sunt cum potentia, alia sunt quæ nunquàm actu sunt, sed potestate tantùm. loco huius tertij membri habet Boetij trāslatio, alia verò nunquàm actus sunt, sed potestates tantùm, hoc est, alia nunquàm sunt actu, sed potestate tantùm. Diuisum ab aliquibus accipitur pro his quæ actualiter existunt, ab alijs autem pro his & ijs quæ possunt existere, etiam si non sint actu. Alij extendunt ad omnia ea quæ per intellectum apprehendi possunt, sub tribus membris subintelligentes quartum membrum, continens ea quę non possunt existere, res videlicet impossibiles, vt hæc diuisio toti ordini modalium respondeat. Illa actu sunt sine potentia, quæ ita existunt, vt non habeant potentiam ad non existendum, Quales sunt primæ & perfectissimæ substantiæ. Deus, substantiæ incorporeæ, & corpora cælestia, quæ res reliquis generabilibus non tantùm perfectiores sunt, sed & tēpore priores. Ea actu sunt cum potentia, quæ actu existunt, & possunt non existere. Quales sunt omnes res generabiles & corruptibiles. Et hæc quatenus existunt, natura & perfectione priora sunt seipsis, quatenus non existunt & possunt existere, licet ipsa eadem quatenus existunt tempore posteriora sint seipsis, in quantum non erant & poterant existere, quemadmodum materia susceptibilis formæ substantialis, tempore prior est forma substantiali suscipienda, licet posterior sit perfectione atque natura. Ordinata enim est materia ad susceptionem formæ substantialis, Finis autem natura prior est ijs, quæ sunt ad finem ordinata. Vltimo per ea quæ nunquàm actu sunt, sed solùm potestate, rectè intelliguntur ea, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, sed possunt esse. Deinde in eodem membro rectè accipiuntur (teste Boetio) ea quæ sunt incompleta, & nunquàm poterunt deducta esse ad actum completum & perfectum. Qualia sunt numerus infinitus, diuisio continui in omnem sui partem, infinitus cæli motus, tempus infinitū, quæ ideo nequeunt deduci ad actum completum, eò quòd semper quantumcunq; sumpseris, relinquitur aliquid addendum, vt in Physicis declarandum est. Hactenus verborum Aristotelis textum, aliqua luce illustrauimus. Superest, vt totam hanc de modalibus doctrinam ab initio repetentes, summatim breuiterque perstringamus, quicquid ad earum notitiam pleniorem videtur adhuc desyderari. Et quia modalis propositio (vt nomē arguit) à modo dicta est, quid nam sit hoc loco modus, videndum. Is igitur ita finitus est. Modus est adiacens rei determinatio, hoc est, modus est dictio adiectitia, quæ rem quampiam seu vocem rei alicuius significatiuam determinat, id est, explanat vel distinguit, vel alio quodam modo afficit. Quod nimirum faciunt tam aduerbia ipsa, quàm nomina adiectiua. Nam (vt Priscianus ait) hoc est aduerbium verbis, quod adiectiua nomina appellatiuis nominibus adiuncta, vt quum dico prudens homo, hominem aliquem designo, non tamen quemlibet, sed eum qui prudentia est præditus. Sic etiam quum dico, prudenter agit, agere quidem aliquem innuo, non vtcunque, sed prudenter.

De modalibus istis latior explicatio.

Quid mod?

Modorum multiplicitas. Hoc est Cæsarij in prędictā definitionē interpretamentū. Cæterùm varij admodum sunt modi & multiplices. Nam quidam determināt significatū alicuius termini qualitatem quampiam designantes, vt velociter, tarde, bene, male, dulciter, honeste, & sic de alijs. Alij tempus exprimunt, vt cras, perendie, olim. Alij locum innuunt, vt vbiq;, hic, illic. Alij modū insinuant, vt vtinā, si, cum, &c. Alij determinant cōpositionē prędicati cum subiecto, vt necesse, possibile, impossibile, contingens, verum, falsum, scitum, opinatum, facile, difficile, fortassis, &c. Et ab his dici potest propositio modalis, non tamen de omnibus his est præsentis loci speculatio, sed quatuor dumtaxat primis, propterea quòd illi peculiarem aduehant difficultatem in oppositionibus & æquipollentijs, maioremq; inducunt propositionū ab alijs quæ de inesse vocantur differentiam. *Propositio modalis.* Modalis igitur prępositio ea demū censebitur, cuius copula determinatur aliquo horū quatuor modorum, possibile, contingens, impossibile & necesse. vel quæ æquiualens quippiam continet, vt sunt oportet, potest, accidit, euenit, contingit, separabilis, penetrabilis, aliaq; huiuscemodi vocabula, potentiā, necessitatem, vel impossibilitatem significantia.

Sunt autem modales non solum categoricæ, sed & hypotheticę, vt possibiliter omnis homo ambulat, & omnis equus quiescit, Si vnū contrariorū est, non est necesse reliquū esse. Porrò contingēs bifariàm accipitur. Vno modo generaliter, vt idem valeat quod possibile, hoc modo cælum volui est contingens. Atq; ita toto hoc tractatu ab Aristotele acceptum est. Altero modo specialiter, vt tantundem polleat, quantū possibile fieri & possibile non fieri, de qua acceptione latius in primo Priorum analyticorum. Et vtroq; modo acceptū constituit enunciationem modalem, quando principalem copulam afficit, hoc est, compositionē determinat principalis prædicati cum subiecto. Quòd si aliquis horū modorū non esset determinatio copulæ, sed ipsum propositionis extremum, non diceretur ab hoc propositio modalis, vt hæ nō dicuntur modales, pluuia est contingens, Chimęra est impossibilis, Vnum est necessarium, Et eodem modo in ipsis sumitur oppositio, & cætera huiusmodi, vt in alijs de inesse. *Dubitatio an modi sit copularum partes. Etan cathegoremata, An syncategoremata.* An autem isti modi in modalibus enunciationibus ita sint determinationes copularū, vt non sint simul earum partes, & vtrum categoremata sint, an syncategoremata, solet hoc loco in dubiū vocari. *Solutio primæ dubitationis.* Nobis non absurde videtur modus in modali esse pars totius copulæ, vt dicatur determinatio, non quòd integræ iam copulæ aduentat, sed quòd partem eius verbalem, quæ alioqui tota copula foret, certo modo afficit. *Dilutio secundæ.* Quod verò ad secundam dubitationem attinet, obiter diximus circa literæ explanationem, quod Aristoteli magis videretur congruere.

Quō assignāda extrema in modalibus. Maior difficultas & labor esse videtur in assignandis extremis propositionum modalium. Quæ res, vt magis euadat perspicua, adnotandū est, modos prædictos, à quibus modales denominantur propositiones, dupliciter efferri posse. Vno modo aduerbialiter, vt quum dicimus, sol possibiliter patitur eclipsim, sol necessariò mouetur, Et in huiusmodi modalibus, eodem modo assignantur extrema, vt in illis de inesse. Modus autem est copulæ determinatio, & fortassis eius pars, vt iam dictū est. Altero nominaliter, vt Solem necesse est moueri, lunam lucere est contingens. Et in his quomodo assignanda sint extrema, variæ sunt logicorū opiniones. *Alberti & Aquinatis opinio de modaliū extremis assignādis.* Albertus cum discipulo suo D. Aquinate censet, dictū esse subiectum, & modum prędicatum, verbū autē iunctum modo esse copulam, vt quū dicitur, Deum necesse est regere mundum, subiectum est id, Deum regere mundum. copula est verbum est. & necesse, prędicatum. *Alpharabi? Boetius.* Ad hanc suā sententiam allegat Alpharabium & Boetium, qui in vtraq; æditione in librum Peri Hermenias dicit, modum esse prædicatū. *Aliorum de eadē re sententia.* Verùm huic sententię obsistere videtur, quòd non appareat, modum sic collocatū posse verbū determinare, & ob hanc causam, & alias quę adferri possent. licet eas videatur dissoluere Albertus, nobis videtur eligenda esse altera harū duarum sententiarū. Vna est, secundum quam dicemus, huiusmodi modales ex modis nominalibus constantes, secūdum se non habere extrema, eò quòd vtamur modo cum suo verbo, loco verbi impersonalis. Idem enim est, siue dixeris, hominem necesse est esse animal, hominē contingens est currere, siue hominem oportet esse animal, hominem contingit currere. In propositionibus autem verborum impersonalium, non necesse est assignare extrema secundum se, sed tantum quando tales reductæ fuerint ad alias constantes ex verbis personalibus eundem sensum reddentibus. His igitur reductis ad eas quæ constāt ex modis aduerbialibus, reddenda erunt extrema, quemadmodum prius est dictū. Altera via dicit, eodē modo assignanda extrema & copulam in hisce, vti & in alijs modalibus, Vt huius, hominem possibile est esse sanum, subiectum est hominem, sanum est prędicatum, tota copula est, possibile est esse, cuius duæ sunt partes, verbum videlicet esse infinitiui modi, aut explicitum, aut aliquando in verbo adiectiuo inclusum, quod est prędicatum formale ipsius totius enūciationis, & possibile est,

le est, quod similiter est prædicatum formale determinans verbum esse. Et ob hoc vocatur prædicatum ipsius enunciationis modalis. & verbum accipit sumitq; rationem prædicati materialis, quatenus ipsa propositio est modalis. Et quemadmodum modus aduerbialis determinans verbum indicatiui modi, reddit propositionem modalem, & efficitur pars prędicati formalis, sic & modus nominalis sumptus cū verbo substātiuo indicatiui modi determinat verbū infinitiui modi, & cum ipso tanq̄ partiali copula efficit enunciationē modalē. Hæc secunda sententia, quę à priori fortasse parū distat, videtur posse satis probabiliter cōuinci ex ipso Aristotele. Neq; videmus, cur non rectissimè intelligatur Boetius, non de prædicato materiali totius propositionis modalis, quēadmodum accipit Albertus, sed potius de prędicato formali. Hæc de extremis propositionū modalium dicta sunt. Nunc de ipsarum qualitate agēdum est.

Propositio igitur modalis, est propositio, & modalis. Propositio quidem, quatenus constat ex copula verbali, Modalis verò, in quantum tali verbo additur modus ipsum determinās. Ex his duobus tanquàm duabus quibusdam copulis, attendenda est qualitas in modalibus. Ex parte verbi ea dicenda est negatiua, in qua verbum infinitiuū negatur, siue id fiat per negationem illi immediatè præpositā, siue nō, aut etiam postpositam. Et contra, ea affirmatiua, cuius verbū affirmatur, Vt hæ sunt affirmatiuę, Carolum contingit imperare, Socratem non impossibile est esse album, Socratem non necesse est non esse album, quemadmodū & hæ, Socratem possibile est esse album, hominē necesse est esse albū. Et hæ negatiuæ, Socratem necesse est non esse equū, Platonē impossibile est esse Socratem, Socratem non possibile est esse Platonem. Nam impossibile negationē claudit in sesinò & hæ negatiuę sunt, hominem esse alatum non est possibile, piscem natare non est necesse. quia negatio lata in modum æqualiter negat verbū ipsum, siue præponatur siue postponatur; vt probat cōmunis modus concipiendi. Hoc modo considerant qualitatē modalium, qui tradunt, eas quę sunt in purpurea & amabimus esse affirmatiuas, & quæ in Iliace & edentuli negatiuas, ex parte verbi scilicet. Si autē modos respiciamus, illæ affirmatiuæ erunt, quæ sunt de modo affirmato, Et illæ negatiuæ, quæ sunt de modo negato. siue negatio addatur modo immediatè, siue nō. Vt hæ, Socratem necesse est non esse equū, Socrates impossibiliter est hinnibilis, Socrates possibiliter non est prudens, sunt affirmatiuæ modales, negatiuæ tamen propositiones ex parte dicti. Cuius oppositū reperitur in his modalibus negatiuis ex parte modi, Socratē nō necesse est non esse album. Socratē non impossibile est esse prudentē, Socratē non possibile est non esse prudentē, nullum hominē necesse est non esse album. Neq; pro inconuenienti ducendum est, q; duæ propositiones in sensu æquiualeant, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua ex parte modi, Quales sunt hæ, Socratē possibile est esse sapientē, Socratē non impossibile est esse sapientē. Socratē non possibile est esse equū, Socratē impossibile est esse equū. Sunt enim hæ ex parte verbi eiusdē qualitatis, duæ quidē priores, affirmatiuæ. & posteriores, negatiuæ.

De modalium propositionum qualitate.

Quantum aūt ad harū propositionum quantitatē attinet, simili modo duabus rationibus quantitas in eis est sumenda. Primò ex parte subiecti totius propositionis, eodē modo quo sumitur quantitas in propositionibus de inesse, vt hæc singularis est. Socratē possibile est esse sapientē, hæc indefinita, corpus necesse est esse substantiam, Hę vniuersales, necesse est omnem hominē esse risibilem, Impossibile est hominē esse quadrupedem. Negatio enim inclusa in modo impossibili, subiectū distribuit, & valet illa secunda hanc, necesse est nullum hominē esse quadrupedē. Altero modo sumitur quantitas ex parte modi affirmati, secundū quem hæ sunt vniuersales, quæ constāt ex necessario & impossibili non negatis. & hæ particulares, quæ constant ex possibili & contingenti affirmatis, Vt hæ sunt vniuersales, Socratē necesse est esse patientem, Socratē impossibile est esse imprudentē, Socratē necesse est non esse quadrupedē, Socratē impossibile est non esse risibilē. Et hę particulares, Socratē possibile est esse caluū, Socratē possibile est nō esse imprudentē, & simili modo de contingēti dicitur. Idē indicant illi, qui respiciētes lineas, asserūt eas particulares esse, quæ sunt in Amabimus & edentuli, & eas vniuersales, quę sunt in purpurea & Iliace.

De modalium propositionum quantitate dupliciter accipienda. Primo. Secundo.

His monstratis, indicandū est, quomodo in his propositionibus sumatur cōtradictio seu oppositio, quod q̄ paucissimis absoluemus. Tradit Philosophus, contradictionem sumendā esse secundū affirmationem & negationē modi, quod verum est, modò cętera obseruentur, quę ad vnamquāq; oppositionis speciē requiruntur, ne scilicet in cōtrarijs sit eadē particularitas, nec in subcontrarijs eadē vniuersalitas, & in contradictorijs neq; vniuersalitas eadem inueniatur neque particularitas &c. Debent enim huiusmodi non minus exactè in modalibus custodiri, quàm in alijs enunciationibus. Alioqui facilè eueniret, contrarias simul esse veras, subcontrarias simul falsas, & contradictorias simul esse veras, vel simul falsas. Non sunt ergo hæ contra-

De modalium enunciationū oppositione.

contradictoriæ, Carolum possibile est imperare, Carolum possibile est non imperare, quia in his modus se similiter habet vtrobiq; affirmatus, estq; eadẽ particularitas. Neq; aliquod corpus possibile est quiescere, aliquod corpus non est possibile quiescere. vel istæ omnẽ substantiam necesse est corrũpi, omnẽ substantiã non necesse est corrũpi. Licet enim hic modus semel affirmetur & semel negetur, in prioribus tamen est eadem particularitas: quare & simul sunt veræ. In posterioribus verò eadem vniuersalitas, quare pariter falsæ sunt, illæ quidem subcontrariæ, hæ verò contrariæ. Quæ igitur ad hanc oppositionẽ facilè cognoscendã solet tradi regula, Eas propositiones quæ sunt in amabimus & iliace, edentuli & purpurea, esse inter se contradictorias: Quæ verò in amabimus & edentuli, subcontrarias: & quæ in purpurea & iliace, contrarias. intelligenda est, modò quæ iam dicta sunt legitimè obseruentur. Deinde idipsum quoq; accipiendum est de oppositione non formali & propriè dicta, sed tantũ secundum virtutẽ & æquiualentiã quandam (vt scilicet illam opponi intelligamus, quę vel propriè est opposita, vel huic quodãmodo æquipollet) nisi idem in vtraq; sumatur modus. Diximus enim prius, modos esse copularũ partes. Ad oppositionem aũt verã, non modò requiritur identitas prædicati atq; subiecti secundũ vocem & rem. sed pari ratione etiam ipsius copulæ: pręsertim quum hæc à doctis asseratur esse pars prędicati, voceturq; peculiari nomine prædicatũ formale. Neq; apud Aristotelem vnquã reperies duas oppositas assignari, quę constẽt ex diuersis modis. Apertè quoq; affirmat Boetius in secunda æditione, has non esse oppositas aut his similes, Socratẽ possibile est esse caluũ, & Socratẽ non contingens est esse caluũ, ne quis putet, nos hęc ex nostro cerebro confingere. Et quia de huiusmodi oppositione in dicta regula est sermo, quę secundũ virtutẽ tantum attenditur, & non secundum formã ipsarũ enunciationũ, ideò non erit inconueniens, duas affirmatiuas sic inuicem opponi. Nam & Arist. primo capite huius secundi libri de simili oppositione loquens, dixit has contrarias esse, omnis homo est sapiens, & omnis homo est non sapiens. Sequitur, vt de modalium consequentijs nonnihil attingamus. Indicauit autẽ Aristoteles duplicem argumentandi modum in modalibus. Vnus traditur priore parte huius capitis, qui sumitur secundum æquipollentiam modalium propositionũ. Dicuntur autem (vt rem paulò altius repetamus) illæ propositiones generaliter æquipollere, quæ sese mutuo inferunt. Et harũ quædã non constant eodem subiecto aut prędicato. Vt homo philosophatur, & animal rationale philosophatur: equus est quadrupes, & quadrupes est equus. Tullius est orator, & Cicero est orator. Inter has postremæ æquipollent tam secundum significationem, q̃ illationem. Cęteræ verò, tantum in illatione. Aliæ eisdem constant extremis, & eodem ordine dispositis. Vt aliquis homo est iustus, & non nullus homo est iustus: hominẽ possibile est non ambulare, & hominẽ non est necesse ambulare. si modus sit determinatio copulæ, & non pars prędicati. Et de hac æquipollentia potissimùm hic agitur. Et quidem quo pacto in his quę de inesse vocantur æquipollentia accipienda sit, licet ex grãmaticis & cõmuni modo loquendi peti debeat, Logici tamen id quatuor regulis expedierunt, quas nõ pigebit hic obiter & strictim adscribere. Prima est, Quoties negatio pręponitur signo siue vniuersali, siue particulari, ipsa æquipollere facit propositiones inter se alioqui contradictorias. Secunda est, Quoties negatio postponitur signo vniuersali, ipsa æquipollere facit propositiones alioqui inter se contrarias. Tertia, Quoties negatio tam pręponitur, q̃ postponitur signo siue vniuersali siue particulari, ipsa æquipollere facit propositiones, sibi inuicẽ alioqui subalternas. Quarta, Quoties in aliqua propositione duo signa vniuersalia negatiua ponuntur, similis & æquipollens redditur propositio, ac si loco prioris signi eius contrarium, & loco posterioris contradictorium poneretur. Exemplis abstinuimus, quòd & breuitati studendum sit, & facilè occurrant in quauis materia. Et sunt tales regulæ limitandę hac exceptione, nisi duę negationes in enunciatione ponerentur ad fortius negandum, aut ex intentione proferentis aliud constet. Nam aliquoties ea negatio quæ secundũ vocẽ pręponitur, secundum intellectũ & sententiam est postponenda, aut contra. id quod frequentissimè accidit apud probatos autores, & vulgarẽ loquendi rationem. Porrò in propositionibus modalibus dupliciter accipi potest æquipollẽtia. Nam vno modo ex parte subiecti seu signi ad subiectũ politi, omnino similiter vt in illis de inesse, hoc tamen obseruato, vt modus nõ aliter se habeat secundũ affirmationẽ & negationẽ in vna, q̃ altera. Sic hę æquipollent, omnẽ hominẽ possibile est esse iustum, & nullum hominem non possibile est esse iustum. non autẽ æquipollet priori ista, nullum hominem possibile est non esse iustum. quia modus hic negatur, non ibi. Secundò sumitur in his æquipollentia ex parte modorũ ipsorũ, quibus præponũtur vel postponuntur negationes. Inter prędictos autem quatuor modos, duo vniuersales dicuntur,

De ppositionũ modalium consequentijs.

Prima æquipollentiarũ regula.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

propter

propter similitudinem quandam, quam cum signis vniuersalibus subiecta determinantibus habent, Vt necesse & impossibile, quorũ hic negatiuus est, ille affirmatiuus. Alij duo, scilicet possibile & contingens, particulares sunt, & ambo affirmatiui. Nam negatiuos particulares non habemus simplices, sed eos sic efferimus, possibile non, contingens non. Ex parte ergo modorũ sumenda est æquipollentia in modalibus, secundum præpositionem & postpositionem negationis ad ipsum modum, non secus q̃ in alijs æquipollentia attenditur ex tali dispositione negationis ad subiectum. Idem alijs verbis, sed in eandem sententiam dici solet, Omnes modales quę sunt in eadem linea inter se æquipollere, reliquis necessarijs obseruatis, vtpote eisdem terminis, & eadem quantitate propositionũ, siue modales cõpositę fuerint, siue diuisæ. Regula enim quę tradi consueuit de dicto cõmuni mutãdo in quarta in contradictorium, quando modales fuerint cõpositæ, nullum apus nos locũ habet. Alter modus argumentãdi in modalibus insinuatur in hac secunda pręsentis capitis parte, secundum quẽ ex modis vniuersalibus non negatis inferuntur particulares subalterni, vt ad necesse, sequitur possibile: & ad impossibile, possibile non. Iam superest, vt sensum propositionum modalium paucis aperiamus, Is igitur est duplex. Compositus & diuisus. Sensus cõpositus est, qui partes propositionis cõiunctas accipit, quicq; relicta tota ea propositione integra quæ ablato modo superest, per solam modi subtractionẽ expenditur, iuxta rationem modi. verbi gratia, huius propositionis. Possibile est album esse nigrũ, sensus cõpositus significat, id totũ quod ablato modo superest, videlicet albũ est nigrum, coniunctim sumptũ, esse possibile. Similiter huius. Possibile est omnẽ hominem esse in hoc theatro, sensus cõpositus significat, hãc propositionem esse possibilem: Omnis homo est in hoc theatro, Item huius, Ioannes potest esse bonus & malus, sensus cõpositus est, si intelligatur hęc propositio coniunctim sumpta esse possibilis. Ioannes est bonus & malus. deniq; huius propositionis, Necesse est alterã partem huius cõtradictionis esse verã, sensus cõpositus est, qnando significatur hęc propositio esse necessaria. Altera pars huius cõtradictionis est vera, vt ex dictis patet. Sensus verò diuisus est, qui partes modalis propositionis à se diuidit, idq; vel separando significatũ formale subiecti, si concretũ sit, à predicato, vel resoluendo totã propositionem in plures categoricas, verbi gratia, sensus diuisus primæ propositionis superius positæ est, quòd res aliqua quę potest esse alba, etiam possit esse nigra, nõ quidem permanẽs alba, sed sublata albedine, si res ita tulerit. Similiter sensus diuisus secũdę propositionis est, q̃ singulæ harũ ꝓpositionũ, hic homo est in hoc theatro, ille homo est in hoc theatro, & cæterę quę in illa vniuersali cõtinebãtur, seorsim sumptæ sunt possibiles. Itẽ tertię propositionis diuisus sensus est, si diuiso pręd icato intellexerimus vtrãq; harũ propositionũ esse possibilẽ. Ioannes est bonus, Ioãnes est malus. Quartæ verò propositionis sensus diuisus est, si particula (alteram) determinatè sumpta in duas diuidatur partes, significeturq; altera harũ categaricarũ esse necessaria, huius contradictionis affirmatio est vera, huius contradictionis negatio est vera, qui sensus longè distat à composito, vt patet ex vltimo capite libri pręcedentis. Verùm illud obseruandum est, non omnem propositionem modalem hunc duplicẽ sensum admittere, sed eas dumtaxat, in quibus subiectũ est terminus connotatiuus, vel in quibus reperitur aliqua distributio, coniunctio, aut aliud æquiualens, ratione cuius partes propositionis modalis nunc diuisæ nunc coniunctæ possunt intelligi. Nam hæc, possibile est Ioannẽ esse hominem, vnã recipit sententiam. Cęterùm quæ genera propositionũ modalium cõpositionẽ diuisionemq; recipiant, & quot modis contingat eas reduci ad plures de inesse, Item quę propositiones de inesse etiam hos duos sensus recipiant, alibi est tradendum.

Quid sẽsus cõpositus.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quid sẽsus diuisus.

Non omnis propositio modalis habet duplicẽ sensum.

In tertij tractatus vnicum caput, quod est de modo sumendi contrarietatem in enunciationibus, adnotatio.

Vtrum autẽ huic affirmatiói,

QVamuis plerieq;, vt tradit Politianus, hunc vltimum tractatũ seu caput crediderunt nõ esse Aristot. pręsertim ob difficultatem nimiam eorum quæ hic tractantur, secus tamen rem habere satis approbat Boetij autoritas, qui in vtraq; in hunc librum æditione pręsens caput dilucido (vt cætera) cõmẽtario exposuit. Dixerat superius aliquot in locis Philosophus, vniuersali affirmationi quæ est, omnis homo est iustus, contrariam esse negationem eiusdem prædicati, nullus homo est iustus. & eidem etiam affirmationi aliam affirmatiuã esse contrariam, omnis homo est non iustus seu iniustus, vt licet inspicere ex primo capite huius secundi. Ideò nũc mouet dubitationẽ, vtra harũ illi vere & maxime contrarie opponatur, an negatiua de eodem prædicato, an affirmatiua de contrario prædicato, hoc est, an contrarietas enunciationum sumatur secũdum contraria subiecta vel prædicata, an secundum contrarium modum enunciandi. Et quia enũciationum vocalium contrarietas, vt & pleraq; alia, pendet ex contra-

Literę dubitatio.

contrarietate opinionum seu enunciationũ mentalium, ideo in initio proponit inquirendum esse, An opiniones sint contrarię quæ sunt de cõtrariis, an quia sunt de eisdem secundum contrarium enunciandi modum. Mouens autem Philosophus hanc dubitationem aperte meminit propositionum vniuersalium & singularium, quæ sunt contradictorię, ob quod à nonnullis dicitur hic accipi contrarietas generaliter, pro omni oppositione, aut saltem pro omni propositionum repugnãtia in veritate, quæ communis est propositionibus contrariis & contradictoriis. Postea tamen circa textus huius finem, ibi. Et nihil interest, &c. Indicat se Aristoteles locutum fuisse de verè contrariis, & quæ vniuersales sint. Verùm quia contrariarum & contradictoriarum tantùm diuersitas est ex parte subiecti in quãtitate, non autem ex parte prædicati, ideo quod dicitur de cõtrarietate sumenda, rectè accommodatur etiam ad contradictorias. Et quemadmodum vni tantùm vnum est maximè contrarium, ita similiter vnum vni tantùm est contradictorium. Opinio autem hic sumenda est pro enunciatione mentali, quæ in initio primi dicta est esse compositio vel diuisio, siue huic adsit adsensus aliquis vel dissensus, siue non. Proponit autem Philosophus opiniones harum trium enunciationum, bonum est bonum, bonum non est bonum, bonũ est malum, in quibus inquirendum est, an primæ verę cõntraria sit maximè secunda, an ipsa tertia, quarum vtraq; est falsa. Huius dubitationis solutio ab Aristotele redditur ibi, Arbitrari autem, &c. quæ est huiusmodi: Opiniones non sunt contrariæ, quia sunt de contrariis subiectis, & prædicatis, neq; quæ eodem subiecto seruato sunt ex prædicatis contrariis (& multo minus eæ, quæ sunt de eodẽ prædicato & subiectis contrariis) sed quæ sunt de eisdem extremis, contrario modo secundum affirmationẽ & negationem enunciatis. Prior pars ab Aristotele declaratur de opinionibus harum duarũ, bonum est bonum, malum est malum, quæ quidem opiniones fortasis sunt eadem, ac vera, siue plures sint, siue vna. In quo loco particulam (ac vera) dicit Boetius exponere præcedentem, eadem. Sunt enim illæ ambæ simul veræ. Veræ autem opinioni non est vera opinio cõtraria. Sic igitur ait Boetius, Boni, quoniam bonum est, & mali, quoniam malum est, eadem fortassis, id est, non sibi contrariæ sunt opiniones, sed vtraq; idem sunt. Quemadmodum autem idem sint, ipse subiungit, dicens, ac etiam vera. Idcirco idem sunt, quia veræ sunt. Contrarietas autem in veritate (vt dictum est) & falsitate est posita. Quare si consentiunt in veritate & falsitate, idem esse videbuntur. Neq; hic numerositas impediet. Siue enim plures, siue vna sit, in eo quòd veræ sunt, idem sunt. Hucusque ille. Ex cuius verbis etiam patet, quis sit sensus eius, quod statim in litera sequitur, Siue plures sint siue vna, &c. Albertus hanc partẽ accipit de vnitate & diuersitate specifica ac formali, perinde ac si diceret, Siue sint hæ opiniones secundum speciem eædem, siue plures, atq; distinctæ, in hoc tamen consentiunt, quòd simul veræ sunt, quare non erunt contrariæ. Nonnullos sanè reperimus dicentes, dictas opiniones secundum habitus acceptas esse easdem non tantùm specie, sed etiam numero, iuxta illud protritum, Contrariorũ est eadem disciplina. Secundum actum autem sumptas, & numero, & specie differre. Id quod an rectè dicatur, aliorum esto censura. Post hæc, secundam solutionis adhibitæ partẽ ostendit, vt indicant adnotatiunculæ marginales, sex rationibus. In quibus omnino admonitum lectorem desideramus, hasce rationes referẽdas esse ad illas tres, & alias similes prius ab Aristotele propositas. (Neq; enim ob aliam causam putamus eum illas præmisisse) quod quidam expositores non considerantes, nonnulla in hisce rationibus declarandis atq; expediendis cõminiscuntur, de quibus ne quidem somniauit Aristoteles. Neq; his inuentis possunt veritatẽ inquirentibus satisfacere, quod planè declararemus, nisi breuitati esset studendum. Sed ad ea quæ cœperamus est redeundum. In prima ratione opinioni huius affirmationis, Bonum est bonum, tres alię opponuntur opiniones, quæ possent illi contrariæ videri. vna est hæc, Bonum non est bonum, quæ est eiusdem de eodem, variato enunciandi modo. Altera est, quæ bono attribuit id quod neq; bono competit, neq; competere potest, vt est harũ opinio, bonum est inutile, fugiendum, naturæ nociuum, malum, inhonestum, &c. quæ omnes sunt affirmatiuæ. Tertia est, quæ negat, non quidem bonum de bono (nam ea prius posita est) sed negat de bono, quæcũq; re vera bono competũt. Quales sunt hæ, bonum non est prosequẽdum, bonum non est honestum, non est naturæ perfectio, &c̃. quales quidem opiniones, vt & præcedentes falsæ sunt, & infinitæ possunt assignari. Cùm igitur vni finitæ opinioni, vnam oporteat esse finitam contrariam, hæ omnes opiniones non erunt primæ contrariæ maximè atq; primo. Sed tantùm opinio de bono, quòd ipsum bonum non sit bonum. Secundæ autem rationis, quæ multum inuoluta est, hunc solent sensum reddere. Illæ opiniones sunt ponendæ maximè contrariæ, in quibus est prima fallacia. Tales autem sunt illæ, quę idem

Quid hoc in loco sit opinio.

Dubitationis in litera propositæ dissolutio.

Boetius.

idem de eodē enunciant opposito modo per affirmationē & negationē, non illæ quæ enunciāt contraria de eodem, & cæt. Minoris sensus ex textu sumitur iste. In illis opinionibus est prima fallacia, quæ de talibus habentur (quadam proportione semper seruata) inter quæ sunt generationes, quæ sunt esse & non esse. Quare prima fallacia erit in illis opinionibus, quæ eidem enunciant idem inesse & non inesse, imò verius ipsum sibi inesse & non inesse. Fallacia prima seu prima deceptio est, credere quicquam non esse idipsum quod est, vt bonū non esse bonum. Nam hæc opinionis fallacia deceptioq; secundum essentiam est, & assimilatur corruptioni, quæ mutatio est secundum substantiam in non ens, & quodammodo in rerum falsitatem. Ediuerso prima scientia est, qua creditur quicquam esse ipsum quod est, quod quidem generationi assimilatur, quæ mutatio est secundum substantiam, & ex non ente in ens, & quodāmodo in rerum varietatē. Secunda fallacia & deceptio opinionis, est credere aliquid aliud esse q̃ est, vt credere bonum esse malum. Bonum enim & malum diuersæ sunt naturæ. Et hæc fallacia quodammodo est secundum accidens, & secundum alterum, & quodammodo assimilatur accidentariis mutationibus ad imperfectionem subiecti tendentibus, & ediuerso secunda scientia, mutationi accidentali perfectionem subiecto inducenti. Porrò ex his caue, ne errore deceptus, opineris tantum eas enūciationes esse contrarias, in quibus est prima fallacia. Nam sic enunciationibus solis quæ sunt identicæ aut essentiales, assignarentur contrariæ oppositæ, quod planè constat esse falsum. Sed ex hac ratione colliges, quòd opinioni quę est ex prima scientia, nō potest vlla verè primò & maximè esse contraria, nisi ea quę est prima fallacia, & ediuerso. Sicq; huic opinioni quæ dicit bonū esse malum, quæ est secunda fallacia, contraria erit opinio quòd bonum non est malum, quæ est secunda scientia, & ita in reliquis. Ob id quoque diximus, hasce rationes peculiariter esse referendas ad eas opiniones, quæ in initio erāt propositæ. Atq; ex his facilè deprehendes, sententiam tertiæ rationis, quæ in hac fundatur Maxima. Opinioni secundum se veræ contrarię opponi oportere opinionem secundum se falsam. & opinioni secundum alterum veræ opinionem secundum alterum falsam. Id enim quod secundum se est tale, magis tale est, quàm id quod secundum alterum est tale. Quarta ratio similiter in hac fundatur Maxima. Simplici opinioni veræ simplex contraria est opinio falsa, & priori prior. Similiter implicitæ, implicita: connexæ, connexa: & posteriori posterior. Vera autem opinio huius, bonum est bonum, simplex est, & prior opinione vera huius, bonum non est malum. Hæc autem inter falsas bonum est malum, posterior est ista bonum non est bonum. Ea enim dicitur simplex, in qua aliquid de seipso, vel ipsius essentia de ipso enūciatur. Composita & posterior, quæ aliud à substantia. Neq; enim in hisce oportet anxiè inquirere, an per se hic aliquem modū per se apud Aristotelem positū designet. Vtrum autē rectè ex his duabus rationibus postremis colligantur hæ duæ Maximæ. Omnis affirmatiua falsa præsupponit negatiuam verā se priorem, Et omnis negatiua vera præsupponit affirmatiuam veram priorem se, aliis discutiendum cōmitti mus. Quę sequūtur faciliora sunt intellectu, ideò in his explicādis duximus non esse immorandū. In fine insinuat Aristoteles, opiniones contrarias non posse eidem simul inesse, quare nec contradictorias. Et quoniam quæcunq; opiniones veræ sunt, possunt eidem inesse, ideò tales non posse esse contrarias.

Prior fallacia quid sit.

Secunda fallacia.

COMMENTARIORVM IN LIB. PERI Hermenias Aristotelis, Finis.

IN LIBRVM PRIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS

PROOEMIVM.

POST EORVM tractationem, quæ ſpectabant ad duas primas intellectus operationes, quæ ſunt ſimplicium apprehenſio, & ſimplicium apprehenſorum compoſitio vel diuiſio: tradit Philoſophus libris ſequentibus ea quæ ſubſunt tertiæ operationi intellectus, quę eſt ratiocinatio ſiue diſcurſus. Hæc autem ſunt argumentationes vocales. Eam igitur partem logices, quæ pertractat de ſimplicibus vocibus, & de compoſitione ac diuiſione, hoc eſt, ſcientiam prædicamentorum, & Peri Hermenias ſolent vulgò vocare veterem logicam: illam verò quæ agit de ipſa argumẽtatione, nouam: ob id (quantũ conijcimus) quòd illa conſideret de partibus quæ priores ſunt naturâ, & frequẽter tempore, ſuo toto. Hæc autẽ de ipſa argumentatione, quæ ex illis conflatur tanquam quiddam poſterius, & ex illis proueniens ac conſtans. In proœmio quidem diuiſimus ipſam in partes duas, iudicatiuã videlicet & inuentiuã. Simili modo hanc nouam artem, cõplectentem omnes libros ſequentes, diuidunt Albertus & alij in iudicatiuã & inuentiuam, dicentes ad inuentiuam pertinere libros Topicorum, ad iudicatiuam autẽ omnes reliquos. Et Topicorũ libros inter partes nouæ logicæ connumerant, non autẽ libros prædicamentorũ & Peri Hermenias, quia quamuis hæ omnes doceãt ea ex quibus conflantur argumẽtationes, illi tamẽ de eis tractãt, tanq̃ de partibus potentialibus ipſius argumẽtationis, Topicè verò de eiſdem agit tanquam partibus actualibus ipſarum argumentationũ, vt lucidè ex ipſis Topicis percipi poteſt. Cęterùm quis inter has duas partes, iudicatiuã (inquam) ac inuẽtionẽ ſit ordo, & vtra prior ſit altera, in Topicorũ exordio explicabimus. Eſt autem ſciendum, ꝙ hæc iudicatiua facultas, altero nomine vocatur ſcientia reſolutiua. Alibi dictum eſt à nobis, eam eſſe iudicatiuam partem, quæ conſiderat quænã ſint illa & qualia, ex quibus cõponitur argumentatio, & quomodo hæc legitimè inuicẽ cohæreant. Id autem conſtat non poſſe aduerti, niſi ipſam argumentationẽ per intellectũ diuiſerimus in ſuas partes, vt reſolutione facta propius intueamur partium ipſarum vnionem & cohęrentiam: quemadmodũ an maculam pannus habeat inſpecturi, illum ſolemus prius euoluere & explicare. Erit igitur eadem ſcientia & reſolutiua, nullo alio vti appareat differens, niſi quòd reſolutio quoddam medium eſſe videatur & via ad iudicium ferendum de ipſa argumentatione. Reſolutio ſyllogiſmi nihil aliud eſt, quàm ipſius ſyllogiſmi per intellectum facta diuiſio in ſuas partes integrales propinquas & remotas, de quibus iudicandum eſt, an rectè ſumptę ſint & cohęreant, nec ne. Huiuſmodi reſolutio eſt duplex. Prior eſt reſolutio ſyllogiſmi in principia neceſſitatis conſequentiæ, hoc eſt, in talia principia, quæ certo & infallibiliter indicant, conſequentiam ſyllogiſticã eſſe neceſſariam, & concluſionẽ illatam formaliter ſequi ex propoſitionibus aſſumptis, tanq̃ principijs illationis. Altera eſt reſolutio ſyllogiſmi in principia neceſſitatis conſequentis, qua quidem reſolutione oſtenditur neceſſitas conſequẽtis ſeu concluſionis, ex neceſſitate principiorũ aſſumptorum & inferentium. Hæc autem ideò poſterior dicitur, quia alteram reſolutionem præſupponit. Non enim ex neceſſitate præmiſſarum ſequitur concluſionis neceſſitas, niſi conſequentia ante fuerit neceſſaria. Neq; poteſt eſſe proba demõſtratio, quæ nõ ſit bonus ſyllogiſmus. Sub hac poſteriori reſolutione intelligenda eſt etiam ea, quæ eſt ſyllogiſmi in principia apparentis probabilitatis ipſius conſequentis. Prius enim dicebamus, librũ Elenchorũ ſpectare ad ſcientiam iudicatiuã, quæ eadem eſt (vti nunc dictũ eſt) cum reſolutoria. Et iudicium de probabilibus (quẽadmodum alibi diximus) ex neceſſariorũ & fallacium argumentorum, inter quæ illa media ſunt, indicijs eſt colligendum. Conſonat his in initio quinti tractatus dialecticorũ ſuorũ Ioannes Cæſarius Iuliacenſis, ita inquiens. Supereſt, vt ad eam tandem perueniamus huius artis partẽ, in qua tota vis artis ſita eſt, nẽpe inueniendi & iudicãdi. Nam ſi dialectica (vt à Marco Cicerone nõ tã elegãter breuiterq;, q̃ grauiter & verè definitur) diligẽs diſſerẽdi ratio ſit, fieri profectò nõ poteſt, vt ab inuẽtione ipſa ſit ſeparata. Siquidẽ diſſerere, hoc eſt, diſputare nemo diligẽter poterit vnq̃ de re quapiã, niſi inuẽtis priùs à ſe argumẽtis, quibus diſputatio ipſa fulciatur procedatq; legitimè. Rurſus autem & ob id ipſum à iudicio abeſſe nequit, quo is qui diſſerit perpẽdat examinetq;, tum inuentum nuper argumentũ, tum ipſius diſputationis inſtrumentum, nempe argumentationem, quod certè niſi ritè formatum fuerit, parum aptum idoneúmve ad diſputandum adhibebitur.

Vetus & noua logica.

Hæc Priorũ Analyticorũ ſciẽtia eſt iudicatiua & reſolutiua.

Quid ſyllogiſmi reſolutio.

Prior ſyllogiſmi reſolutio.

Poſterior.

adhibebitur. Porrò pars illa quæ de inuentione tractat, Topice Græcè, Latinè Localis dici potest. Ea verò pars quę in iudicando posita est, & quasdam discernendi regulas subministrat, Analytice à Græcis dicitur, à nostris resolutoria. Huius rursus duplex ab Arist. partitio tradi tur. Siquidē ea pars quæ de propositionū fustura considerat, & formā duntaxat syllogismi molitur, docēs interim præmissis (quas vocāt) ritè dispositis necessariò ex his conclusionem se qui, prior Analytice dicitur. Quæ verò de ipsis inuentis iudicium fert, hoc est, ostendit vtrū quæ inuenta sunt cōueniant nec ne rei in disputatione propositæ, posterior Analyticæ nuncu patur. Quod nimirum tribus modis fit, quippe vel de necessarijs, & demonstratio appellatur. vel de verisimilibus & probabilibus, & peculiari nomine dialectice dicitur. vel de falsis & cauillatorijs, & sophistica nūcupatur. De quibus oībus singulatim per ordinē deinceps tractabi tur, & primò quidē de syllogismo formâq; argumētationis, cuius etiā præter syllogismū aliæ tres traduntur species, enthymema, inductio, exemplum, quæ tamen ad syllogismum ipsum, veluti ad quandam mensurā, reduci solent. Sic ille. De priori illa resolutione agitur in hoc libro, idq; planè indicat inscriptio, quæ est huiusmodi, Aristotelis Analyticorū Priorū liber. Nam per analytica priora intelligitur resolutio prior, aut documenta tradita de resolutione priore. Analysis enim Græcis idē valet q̄d resolutio Latinis. Huius autē scientiæ Priorū Analyticorum autorem esse Aristotelem, & inscriptio indicat, & nemo est qui de ea re dubitet.

Huius operis inscriptio.

Quanta autē sit huius partis vtilitas, paucis est indicandū. Cum enim in omni oratione argumentationibus vtendum sit, neq; de argumento vllo rectè queant iudicare huius artis imperiti: & nulla controuersia existat, quæ non argumētis sit conferta, quid intelligent hi, qui nō norunt argumenta iusto ordine certisq; legibus connectere, aut dispicere quo pacto singula membra cohæreant? Profectò, tanq̄ cæca in nocte nauigantes, nullam certā sententiam illi te nere posse videntur, qui ad lectionē cuiuscunq; scripti hoc instrumentū non adferūt. Non me diocris est negocij, sentire vtrū totū argumentū qui recitet, vbi partem eam quæ erat infirmior, dissimulauerit. Hoc qui non aduertit, eum sæpe falli temereq; iudicare necessum est. Sæpe etiam miscentur argumentis rhetorica schemata. Ornatus autem quamuis propositū reddat illustrius, tamen cum de argumento iudicare voles, detrahendus erit, & argumenti membra tanquā nuda ossa intuenda erunt, vt videas, an satis sint firma. Frequenter autē decipi contin git auditores copia orationis, & obruuntur eorū ingenia, & oculi mentis perstringūtur, vt pro certis assentiantur incertis & vanis, pro veris amplectantur falsa. Cuius rei, cum sint quotidiana apud omnes documenta & exempla, non est opus vt aliter probetur.

Huius scientiæ vtilitas.

Porrò de materia huius libri atq; subiecto, quod vocant, attributionis, duplex est opinio. Quidam opinātur argumentationem esse huius scientiæ materiam, non autē syllogismum, ob id quòd pręcipuè Philosophus in fine secundi huius agat de reliquis speciebus argumentationis, inductione videlicet, exemplo, & enthymemate. Neq; inconueniens dicunt idem esse materiam alicuius totius scientiæ & partis eiusdem, quēadmodū nec absurdum est in prælio eundem esse ducem totius exercitus, & immediatè etiā alicuius partis seu phalangis. Alij volūt, materiam esse syllogismū simpliciter dictum, non contractū videlicet ad aliquā materiam specialem, puta necessariam, probabilem, vel sophisticā, de qua in libris sequētibus agitur. In Posterioribus quidē Analyticis de necessaria materia. In Topicis de probabili, & in Elenchis de sophistica & apparēter probabili. Materia autē generalis syllogismi est tres termini & duæ propositiones certo modo cōiuncta atq; ordinata. Ad id autē quod priores pro sua opinione adferunt, respondent hi, Philosophum postea non agere, nisi secundariò atq; obiter de alijs speciebus argumē tationis, & his ipsis quatenus reducendæ sunt ad syllogismum, quemadmodum planè cōstat, si considerentur rectè quæ de ipsis ab Aristotele traduntur. Quare rectius ponetur Syllogismus materia huius libri, quàm argumentatio. Hic liber tractans de syllogismo simpliciter dicto, & nō cōtracto, ab Aristotele diuisus est in duos minores libros. Prior agit de syllogismo secundū ipsius substantiā, ostēdens quomodo & ex quibus generari & cōstitui debeat. Posterior autē tractat de quibusdā proprietatibus & defectibus syllogismorū, alijsq; speciebus argumentationū, quatenus ad syllogismum reducuntur, vt ex sequentibus manifestum erit.

Quæ sit huius operis materia seu subiectum.

In primum caput primi tractatus primi libri Priorum Analyticorum, quod est de principijs materialibus syllogismorum, scholia.

Primū oportet dicere circa q̄d

INitio huius libri principia syllogismorū expedit, & primùm quidem materialia, quæ sunt Propositio atq; Terminus, ante quorū definitiones statim in exordio præsentis capitis, aperit præcipuum finem huius scientiæ resolutoriæ prioris, quem dicit esse, vt demonstrationem propè cognoscere atq; conficere queamus, & (quod in idem redit) adipisci scientiā demōstra-

tiuam, hoc est, scientiam de demonstrationibus. Quamuis hæc priorũ Analyticorũ disciplina, etiam vtilis sit & necessaria ad notitiam dialectici syllogismi ac sophistici, quæ libris Topicorum traditur & Elenchorũ, præcipuè tamen ab Arist. est ordinata ad syllogismum domonstratiuũ, tanquam subiectiuam partem syllogismi principalem & perfectissimam. Qui scrupulosius minutissima quæq; inquirunt, solent hic in dubium vertere, quid sibi velit huiuscemodi mutatio seu diuersitas propositionũ, quum dicit Arist. Circa quid & de quo est intentio, quoniam circa demonstrationẽ & de disciplina demonstratiua. Sed quũ hic fortassis quæratur nodus in scirpo, & si quid intersit discriminis, id non magnũ pondus habeat ad eruditionẽ, confidenter hanc dubitatiunculã seu scrupulũ percalcãtes, ad reliqua properemus. Proposito aũt huius libri scopo enumerat Philosophus strictim, de quibus in exordio ipso sit determinaturus. Et in primis propositionẽ & terminũ materiales syllogismorũ partes, hãc quidẽ remotã, illã propinquã, quã & priore loco constituit & definiuit, quòd hac ipsa in termini definitione fuerit vtendũ. Deinde cætera principia recenset eodẽ ordine, quo post definiẽtur vsq; ad ipsam conuersionẽ, quã hic subticuit, nolens nimis longè in recensendis ijs quæ determinaturus est progredi, vel q hæc latenter in imperfecto syllogismo fuerit cõprehẽsa, qui nõ perficitur ostensiuè, nisi aliqua accedente conuersione. Propositionis definitio, hoc loco, assignatur ad hunc modũ.

Propositionis definitio eiusq; explicatio.

Propositio est oratio affirmatiua vel negatiua alicuius de aliquo. In qua non est sumendũ definitum, vt idem sit prorsus, quod enunciatio, quomodo frequentissimè accipi consueuit apud logicos, sed pro enũciatione categorica, quæ proponitur & assumitur ad aliud quiddam probandum. Hæc enim acceptio præsenti loco congruentissima est. Toto enim isto libro de categoricis syllogismis disseritur, qui non hypotheticis, sed categoricis vtuntur præmissis, excluduntur q; hypotheticæ enunciationes à definitione, quia non immediatè & secũdum suam totam significationem affirmant vel negant aliquid de aliquo, vt facilè ex eis quæ in priore Peri Her. libro dicta sunt, intelligi potest. Qua etiam ratione illæ categoricæ (si modò categoricæ sunt) separabũtur, quæ mixtã obtinent qualitatẽ, vt quodlibet est vel nõ est. Nequaquam tamen similiter reijciendæ veniũt propositiones mixtæ quãtitatis, quũ ex his postmodũ doctus sit Arist. syllogismos cõponere. Et quod dictũ est de assumptione ad aliquid probandum, licet huius non meminerit definitio, satis tamẽ colligitur probabiliter, vel ex nomine ipso propositionis, vel ex ijs quæ post eodem capite de propositione dialectica & demonstratiua traduntur, itaq; hic non magno negotio supplendũ est. Potius autẽ per per affirmationẽ & negationẽ hoc loco descripta est propositio, q̃ per veritatẽ & falsitatem, tum quòd huiuscemodi definitio largior foret, & plus satis generalis, tum etiam quòd ad syllogismorum structuram, quã hoc libro molimur, non refert, vera ne sit propositio an falsa, quum tamen accurata habenda sit affirmationis negationisq; ratio, sicut & vniuersalitatis, particularitatis, atq; indefinitæ quantitatis. Quamobrẽ mox à iam declarata definitione, diuisionẽ subiunxit Aristoteles propositionũ in vniuersales, particulares, & indefinitas. Huius diuisum restringunt plerique ad eas quæ sunt subiecti cõmunis & simplicis quantitatis. Alij contendunt singulares verè indefinitas esse, quum eis hoc loco tradita definitio ad vnguẽ quadret.

Cur propositio definita per affirmationẽ & negationem.

Vniuersalis propositio.

Vniuersalis propositio est, quæ omni aut nulli inesse significat, hoc est, quæ enunciat prædicatũ de subiecto vniuersaliter sumpto, siue copula fuerit negata, siue non. Tales sunt hæ. Omnis cõmoditas sua fert incõmoda secũ. Militat omnis amans. Omne solum forti patria est. Nemo potest dominis simul inseruire duobus. Nulla fides regni socijs. Non vlli pastos illis egere diebus Frigida Daphni boues ad flumina. Vterq; dormit. Cuiusq; hominis omnis dens est candidus.

Particularis

Particularis est, quæ alicui, aut nõ alicui, aut non omni inesse significat, hoc est, quæ denotat prædicatũ cõuenire affirmatiuè vel negatiuè subiecto particulariter sumpto, siue pro aliquo dũtaxat suorũ suppositorũ, & nõ pro singulis, ratione signi particularis adhibiti. Accipiturq; in definitione particula Non alicui, pro alicui nõ, & sequẽs eius est declaratiua, sub qua facilè intelligitur quarta, scilicet nonnulli, q̃ sit eadẽ primæ. Exẽpla sunt, aliqs homo est iustus, Non oĩs qui dicit mihi dñe dñe, intrabit in regnũ cælorũ, Alter parentũ meorũ perijt apoplexia, Quidã Germani nõ sunt bibuli, quanq; hoc postremũ nonnulli singulare esse contenderent. Verùm huiusce modi disputatio ad grãmaticen potius attinet. Illud addimus, non veritos esse eruditos in Latina lingua viros, exempla particularium propositionũ per nomen quidã assignare, vt Cæsarium & alios plures.

Indefinita.

Indefinita propositio est, quæ inesse, aut nõ inesse significat, sine signo vniuersali vel particulari. Exẽpla sunt in litera. Et alibi copiosè de indefinitis propositionibus disputauimus. Huic tantũ adijcimus, si singulares sub indefinitis concludere nolimus, intelligendam esse in definitione particulam hanc, subiecto cõmuni. Et reuera meritò singulares ab

indefinitis

indefinitis separādæ videntur. Quomodo enim indefinitę indeterminatæq; rectè vocētur, quę ad vnum certū suam significationē determinant, quum particulares quę non singulariter, sed vniuersale particulariter repræsentant, ab indefinitis semoueantur. Quocirca sub signo vniuersali & particulari in definitione intelligendum erit singulare signū. qualia sunt pronomina demonstratiua primitiuę speciei. Nam hæc non indefinita est, sed singularis, Iste homo ambulat. Vndè illa propositio dicitur singularis, cuius subiectū est terminus singularis, id est, nō potens de pluribus verificari, vt Phyllis amat Corylos, Formosum pastor Coridon ardebat Alexim. Nos patriam fugimus. Homo qui est Petrus disputat. Ea aūt propositio dicitur mixtæ quātitatis, cuius partes non acceptæ vnica acceptione, diuersam habent quātitatis rationē propter diuersorū signorū adiectionē vel absentiā; Quales sunt hæ. Cuiusq; hominis alter oculus est dexter, omnis animalis voracis dentes sunt serrati, alicuius animalis nulla pars est sanguis, hominis aliqua pars est cerebrū, &c. Harū prima partim est vniuersalis, & partim particularis. Secūda partim vniuersalis, & partim indefinita: & ita de reliquis. Quòd si partes subiecti eandē omnes habeāt quātitatē, vel vnica sumātur acceptione, nō erit propositio mixtæ sed simplicis quantitatis, quæ ex toto ipso subiecto erit attendenda, vt hæc est simpliciter vniuersalis. Omnis superfluitas diuitis est pauperū &c. Colligitur aūt hęc mixta propositionū quātitas, ex illis quę tradit Arist. de modo syllogisandi ex obliquis, vndè etiā arguere licet, determinationē non perpetuò vnica acceptione cum suo determinabili accipi, vt quibusdam visum fuit. Ibi, Differt autē demonstratiua &c. discrimē ponit Aristo. demonstratiuæ propositionis & dialecticæ, & harum ipsarum rursus inter se conuenientiam. Differentia est huiusmodi, quòd demonstratiua propositio est altera pars contradictionis, assumpta in syllogismo tanquam certa & indubitata, sine præuia tali interrogatione, quæ respondenti docendo liberam permitteret facultatem eligendi vtramlibet contradictionis partem. Dialectica verò propositio est pars contradictionis, iuxta iam dictum modum à syllogisante interrogata, eò quòd non vsq; adeò certam habeat veritatem, vt tanquam indubitata proponi mereatur. Atq; hęc esse solet differendi ratio illis, qui dialecticè seu probabiliter de rebus ambiguis disputationis certamen inibant, quæ nunc tamen in desuetudinem abiit propemodum, fortassis ob prolixitatē sermonis vitandā. Conuenientia autē rursus earundē propositionū hæc est, q ex vtraq; iuxta cōponi potest syllogismus, neq; quicquā refert ad syllogisticā formā, verū demonstratiua fuerit propositio assumpta, an dialectica. Deinde illic, Quare syllogistica &c. infert, omnē syllogisticā, tam demōstratiuam, q̄ dialecticā, sub ante data definitione cōtineri. Et addit, eam demū propositionē syllogisticā fore demonstratiuā, quę vel per se vera sit, ita vt ipsius nulla queat reddi causa, vel per primas propositiones demōstrata ac sumpta. Dialectica autē propositio, licet apud interrogantē tanquā quæstio dubia tractetur à syllogisante, tamen facta prius interrogatione & responsione accepta, vt probabilis & vera assumitur. Hæc eo consilio ab Aristotele hoc loco breuiter perstricta sunt, vt ostenderet rectè assignatā esse superiorem definitionē, quæ tam diuersis propositionū generibus peræquè possit adaptari. Sunt enim propositionum quædam syllogisticæ, quæ in syllogismo quopiam assumuntur ad conclusionis probationem. Aliæ non syllogisticæ, sed vel enthymematicæ, vel inductiuæ, vel exemplares. Et syllogisticarū aliæ demonstratiuæ, alię verò dialecticæ, sub quibus & tentatiuas & sophisticas intelliges, eò quòd dialecticus, sophista, & tentator consentiūt in modo interrogādi. Harū aūt diuisionū membra nō sunt putāda semper re vera differre, quinimò sufficerit si ratione discrepēt. Termini definitio in calce textus polita est hæc. Terminus est, in quē resoluitur propositio, vt in prædicatū, & de quo prædicatur, vel apposito vel diuiso esse vel non esse. Definitum variè accipitur, nam quādoq; terminus dicitur cuiusuis rei extremitas, siue lineæ, siue panni, siue agri, &c. Antiquitas autē multorū deorum superstitiosa cultrix, et edidit terminū deum quendā, qui agrorū fines immobiliter disterminaret, & hunc sub specie grādis saxi adorabāt. De quo Virgilius, Capitoli immobile saxum. Et Ouid. Fasto. 2. lib.

Singularis.

Propositio mixtæ quātitatis.

Termini descriptio.

Termini variæ acceptiones.

Prima.

Nox vbi transierit, solito celebretur honore
  Separat indicio qui deus arua suo.
Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
  Stipes, ab antiquis tu quoq; numen habes. Et nonnullis interpositis.
Tu populos vrbesq; & regna ingentia finis,
  Omnis erit sine te litigiosus ager,
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
  Legitima seruas credita rura fide.

Secunda. Tertia.

Aliquando sumitur terminus pro definitione essentiali, vt in primo Topicorum. Nonnunquam pro quauis voce significante. Hic autem accipitur pro eo quod finit & terminat propositionem, qualia sunt subiectum & prędicatum, non aūt nomina & verba, nisi quum iam actu prædicatorū vel subiectorū obeunt munus. Antecedens relatiui (quem) est finis vel terminus largè captus, ne definitū propriam ingrediatur definitionē. Debet aūt in hunc terminum propositio aptа esse resolui, hoc est, diuidi, non tanquā in partē quamuis indifferēter, sed vt in prędicatū vel subiectum. Hinc excluduntur partes terminorū, & signa. Vltima pars (Vel apposito, vel &c.) hanc habet sententiam, vel subiecto apposito, hoc est, cōiuncto ipsi prædicato per esse, vel diuiso, vel separato à prędicato per nō esse, sub verbo substātiuo pręsentis tēporis, intellectis etiā aliis quibusq; cuiuslibet tēporis. Alias expositiones breuitatis causa omittimus.

Syllogismus est orō.

Adnotatio in secundum caput, complectens descriptiones syllogismi, & syllogismorum perfecti & imperfecti.

Quadruplicia syllogismorum principia. Materialia. Regulatiua Perfectiua.

SVperiori capite determinatis principiis materialibus syllogismorum, definitur hic quid sit syllogismus, & quomodo diuidatur, adiunctis in fine principiis regulatiuis eiusdem. Antequam ad definitionum expositionem veniamus, pręmittēdum est, quadruplicia esse syllogismorum principia. Sunt enim quædam materialia, vt propositiones & termini, ex quibus scilicet cōstituitur syllogismus, de quibus satis iam actum est. Alia sunt regulatiua, duę videlicet regulę & maximę, sumptę ex descriptionibus dici de omni & dici de nullo, ad quorum dictamen imediatè vel mediatè est dirigēdus omnis syllogismus, qui legitimè potest cōstitui, de quibus tacitè hic tractatur, vt explicabitur posterius. Alia sunt principia perfectiua, vt conuersio, aut in oppositam qualitatē, aut in terminis eisdem. & pręmissarum transpositio, quibus imperfecti syllogismi reducuntur ad perfectos. Et quædam alia, de quibus suis locis dicetur. De conuersione autem in terminis eisdem, tractatur capite sequenti. Alia sunt principia formalia syllogismorū. *Formalia.* Vnum remotum, respondens principio materiali remoto. Alterum propinquum, spectans ad ipsas propositiones, quæ sunt principia materialia propinqua syllogismorum. Illud vocatur figura, hoc autē modus. *Figura & modus.* De his principiis formalibus agit Philosophus tractatu sequenti. Definitio syllogismi est, Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his quę posita sunt ex necessitate accidit, eò q̃ hęc sunt, Vt omnis virtus est bona, & omnis iustitia est virtus, ergo iustitia est bona. *Syllogismi definitio.* Definitū (syllogismus) nomen est Græcū, quod interpretatur ratiocinationē. collectionē tamen plurium ad ratiocinandū designare videtur. συλλογή enim collectio dicitur & congregatio. Duplex est aūt syllogismus. *Duplex syllogismus, categoricus scilicet & hypotheticus.* Vnus categoricus seu prędicatiuus, qui cōstat ex ambabus præmissis categoricis. Alter est hypotheticus, seu conditionalis, cōstans ex propositionibus, quarū vna aut plures sunt hypotheticæ. Vt sunt hi, Si homo est, animal est. sed homo est, ergo animal est. Si homo est albus, animal est albū. sed nullū animal est albū, ergo nullus homo est albus. Omne animal est rationale aut irrationale, sed elephas est animal, & non est rationalis, ergo est irrationalis. De quo quidē genere syllogismorū, fortassis à nobis posterius tractabitur latius. *Syllogism⁹ categoricus de medio cōmuni, & expositorius de medio singulari.* Syllogismus categoricus diuiditur in eum qui obtinet mediū cōmune, quē solēt vocare concludentē ad intellectum, & syllogismū expositoriū, qui cōstat ex medio singulari, quem dicūt concludentē ad sensum. Qualis est hic, Socrates est philosophus, & Socrates est homo, ergo homo est philosophus. Sunt & aliæ ipsius syllogismi diuisiones, de quibus dicetur suo loco. Accipitur aūt syllogismus in hac definitione, non pro solo antecedente ipsius argumētationis, sed pro tota argumentatione syllogistica, estq; hęc ipsius syllogismi propria significatio. Altera aūt, qua alibi aliquoties sumitur pro duabus præmissis aut altera tantū, ipsius est impropria, & figurata secundū synecdochen, significatio. *Dubitatio, an syllogismus accipiatur pro syllogismo hypothetico. Opinio vna Boetius. Altera. An pro expositorio defini. accipiatur.* Disceptatio est apud diuersos, an hic accipiendus sit syllogismus generaliter, vt cōprehendat categoricū & hypotheticū. An categoricū tantū, quo solo vtatur semper Philosophus, nunq̃ aūt eo qui est hypotheticus. Nonnulli aūt accipiunt syllogismū generaliter, ob id pręcipuè, quod id ipsum indicet Boetius in ij lib. de differentiis Topicis, syllogismū diuidēs, præposita hac definitione, in prædicatiuum & hypotheticū. Et quod in vtroq; libro de syllogismis hypotheticis tradat horū tres figuras & certas formulas seu modos, secundū quos hi syllogismi sunt cōstituendi, & si illæ figurę & modi diuersi sint ab his quæ cōpetunt syllogismis categoricis. Nos aūt putamus, syllogismū hic accipiendum esse pro solo syllogismo categorico, quo solo vtitur Aristoteles, excludentes syllogismū hypotheticū per illam particulam (quibusdam positis) quam rectissimè arbitramur intelligi de solis propositionibus prius descriptis. De syllogismo autem expositorio, quem alicubi Philosophus vocat expositionem, parui refert vtra via eligatur. Qui volet hunc excludere, facile subintelliget

quibus-

quibuſdam poſitis conſtantibus ex medio cõmuni. Qui verò aſſeret, hanc definitionẽ conuenire ipſi, dicet ſyllogiſmũ expoſitorium fieri in aliqua trium figurarũ, & aliquo modo aut nominato, aut innominato. Neq; enim omnes modi ſeu formæ, ſecundũ quas rectè conſtituuntur ſyllogiſmi, indicatæ ſunt à Philoſopho, aut nominatæ certis dictionibus. Imò à poſterioribus videtur hęc nomina reperta eſſe, quæ indicãt formas ſyllogiſmorũ & modos. Prima definitionis pars eſt oratio.

Quę oratio ſit ſyllogiſmus.

Eſt aũt omnis ſyllogiſmus oratio hypothetica, frequenter quidẽ rationalis, aliquãdo cõditionalis, aliquãdo cauſalis, quẽadmodum exemplis declarare eſt facilè. Inter hos ſyllogiſmos tamẽ ea differentia aſſignãda eſt, quo ad veritatẽ, quę aſſignari ſolet inter alias propoſitiones hypotheticas, conditionales, rationales, & cauſales, etiam ex eiſdem terminis conſtitutas. Secundo loco ſequitur. Quibuſdam poſitis, qui quidem ablatiuus abſolutè poſitus reſoluendus eſt per dictionem temporalem, & ſumitur pro duabus propoſitionibus præmiſſis tantum. Datur enim hæc definitio de ſimplici ſyllogiſmo categorico, qui tantum conſtat ex tribus terminis & duabus propoſitionibus ac vnica concluſione, quẽadmodũ poſtea tradit Philoſophus. In ſyllogiſmo aũt non ſimplici, ſed augmẽtato (de quo poſtea) plures ſunt pręmiſſæ duabus. Verùm hic facilè cognoſcitur, vbi probè fuerit cognitus ſyllogiſmus ſimplex. Pręmiſſæ dicũtur eſſe poſitæ, quãdo ſunt ritè diſpoſitæ in aliqua trium figurarũ, atq; in modo cõuenienti ad inferendũ cõcluſionẽ. Boetius tamẽ & Cõmentator poſita vocãt, quę vera ſunt aut tanq̃ vera cõceſſa, q̃modo videtur Ariſtoteles rurſum vſus verbo (poſitũ) in definitione contingentis inferius poſita, ſed prior expoſitio eſt magis recepta, magiſq; huic loco congrua. quia arguitur hic generaliter de ſyllogiſmo ex quibuſdã terminis aut propoſitionibus ſiue veris ſiue falſis.

Boetius.

Ea præmiſſa quæ maiorẽ extremitatẽ cõplectitur dicitur maior propoſitio, & ea quę minorẽ cõtinet, minor, ſiue priore ſiue poſteriore loco ponatur.

Maior propoſitio.

Minor propoſitio.

Cęterùm quę ſit trium figurarũ diſpoſitio, & qui modi conueniãt ad inferendũ concluſionẽ, qui verò nõ conueniant, item quid ſit maior extremitas, quidue minor, poſtea per ſingulas figuras dicetur. Tertio loco ponitur. Aliud quiddam ab iis quæ poſita ſunt, & cæt. ad excludendũ ſyllogiſmũ, cuius concluſio eadem eſt cum aliqua pręmiſſarum. Nam nihil in ſuippſius oſtenſionem ſumi debet.

Tertia particula.

Aliud qdd à ab iis &c.

Quarto loco ſubiungitur, ex neceſſitate ſequitur ſeu infertur, verbo accidit indicante illationẽ, & particula ex neceſſitate deſignante neceſſitatem non conſequentis, ſed totius conſequentiæ. Plurimi enim ſunt ſyllogiſmi quorum concluſiones ſunt impoſſibiles, falſæ, & contingentes. Porrò concluſionem neceſſariò ſequi ex præmiſſis, nihil aliud eſt, quàm concluſionẽ illatam cum præmiſſis inferentibus conſtituere illationem ſeu conſequentiam neceſſariam. Ea aũt eſt conſequentia neceſſaria, cuius antecedens non poteſt eſſe verũ, conſequente exiſtente falſo.

Cõſequẽtia quæ neceſſaria.

Hac autẽ particula excluduntur omnes ij ſyllogiſmi, qui ex præmiſſis etiam rectè in figura & modo diſpoſitis veris inferũt concluſionem falſam, quorũ exempla facilè eſt reddere. Quinto atq; vltimo loco dicitur, eò q᷑ hæc ſunt. Concluſionem autẽ accidere eò quòd hæc ſunt, non eſt concluſionem ſequi quia pręmiſſæ ſunt veræ, aut conceſſę tanq; veræ, ſed eſt eã ſequi, quia præmiſſæ ſunt rectè ac legitimè diſpoſitæ in figura & modo, ad inferendam talem concluſionem.

Quid ſit cõcluſionẽ accidere eò q᷑ hæc ſunt.

Hac particula excluduntur eiuſmodi ſyllogiſmi, omne animal eſt rationale vel irrationale, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt rationalis. Omne corpus cęleſte mouetur, planeta eſt corpus cæleſte, ergo omnis planeta mouetur. Nullum animal eſt planta, & homo eſt animal, ergo nullus homo eſt planta. Omnis leo eſt rugibilis, & omnis homo eſt leo, ergo nullus homo eſt rugibilis, atq; alij ſimiles, qui ſunt quidẽ conſequentiæ neceſſariæ. verùm in ipſis non ſequitur data concluſio, eò q᷑ ipſæ pręmiſſæ ſunt in modo & figura diſpoſitæ, ſed quia aut antecedens eſt impoſſibilẽ, quod in poſtremo exemplo accidit, aut conſequens neceſſarium, quod accidit in prioribus exemplis. Verùm vt breuiter dicamus, huiuſque definitionis declarandę finem faciamus, concluſionẽ ſequi eò quòd præmiſſę ſunt diſpoſitæ, dicimus nihil aliud eſſe, quàm concluſionem ex pręmiſſis ſequi formaliter. In omni enim formali conſequentia ſyllogiſtica, tantum ſequitur concluſio propter pręmiſſarum diſpoſitionem. Rectiſſimè igitur excluderetur ab hac definitione per hanc particulã ſyllogiſmus ille, quẽ poſtea vocat Ariſtot. ſyllogiſmũ ſecũdum æqualitatẽ in ſubiectis. Eſt igitur ſyllogiſmus (vt ſummatim repetamus) conſequentia neceſſaria ac formalis, in qua ex duabus propoſitionibus pręmiſſis, in modo & figura diſpoſitis, ſequitur concluſio diuerſa à præmiſſis.

Definitiõis ſyllogiſmi epilogus.

Cæterùm eam particulam vltimam (eò quòd hęc ſunt) explicat Philoſophus, dum poſt ſyllogiſmi definitionem continuò ſubiungit. Dico autem eò q᷑ hæc ſunt, propter hęc accidere: perinde ac ſi diceret, dico hoc totum (concluſionem accidere eò quòd hęc ſunt) idem conuertibiliter eſſe cum hoc (concluſionem accidere propter hęc) id eſt, propter

præmissas in modo & figura dispositas, tanq̃ causas illationis ipsius conclusionis. Deinde rursum Philosophus explicat continuò, quid sit conclusionē accidere propter hęc, seu præmissas dispositas, dum subiungit, Propter hæc verò accidere, est nullius extrinseci termini indigere, vt fiat necessarium. Cuius sensus est, conclusionē inferri propter præmissas dispositas, est syllogismum concludentē talem conclusionem non indigere alicuius termini extrinseci, vt fiat necessariū. qui quidē sensus non est formalis. Conclusio enim illata propter hæc, neq; est syllogismus nullius extrinseci termini indigēs, & cętera, neq; iudicatur ipsa cōclusio nullius extrinseci termini indigere, vt ipsa appareat necessaria, sed potius ipse syllogismus talē cōclusionem inferens, quemadmodū indicant planè sequētes definitiones syllogismi perfecti & imperfecti. Erit igitur sensus concomitatiuus accipiendus iste. Tunc sequitur cōclusio propter præmissas dispositas in figura & modo, quando ipse syllogismus non indiget aliquo termino extrinseco, vt fiat necessarius. Per necessarium intelligitur consequentia necessaria & formalis. Quę sit

Consequentia formalis.

necessaria, dictum est prius. Ea verò formalis est, quæ non tantum secūdum se est necessaria, verùm & quæuis alia quæ est eiusdem formę. Quæ autem requirantur ad similem formam argumentationum seu consequentiarum, alibi est indicandum. Formales consequentiæ sunt conuersiones, & omnes syllogismi legitimè facti, siue sint categorici, siue hypothetici.

Quid terminus extrinsecus.

Per terminum extrinsecum debemus intelligere terminum prius descriptum, qui in antecedente non est positus, sed solùm in consequente. vt in hac argumentatione, Omne animal est substantia, omne brutum est animal, ergo omnis equus est substātia, Dictio equus est terminus extrinsecus, quia ponitur in consequente, sed non in antecedente, in quo tamen necesse est eum poni, si consequentia ipsa formalis esse debet. quia nulla consequentia formalis potest terminū aliquem continere in consequente, qui non prius in antecedēte ponatur. Et hinc fit, vt argumentatio, quæ terminū aliquem in consequente habet, qui non ponebatur in antecedente, dicatur illo termino indigere in antecedente, vt efficiatur consequentia formalis. vt dicta argumētatio erit formalis, si tertiam addideris propositionem antecedenti, hoc modo, omne animal est substantia, omne brutum est animal, & omnis equus est brutū, ergo omnis equus est substātia. & idem iudicium est de omni enthymemate, quod ad syllogismum formalem reducitur. Ex quo patet, quòd verbum indigere, habet alium accusatiuū à fronte rectum, q̃ verbū accidere. quia conclusio accidit, ipsa verò tota argumētatio indiget termino extrinseco in suo antecedente vt sit necessaria consequentia.

Obiectio.

Sed obijcies. In hac argumentatione, animal est substantia, homo est animal, ergo homo est substantia, conclusio non accidit eò quòd hæc sunt, & tamen hæc argumentatio nullum terminū extrinsecum habet in consequente, quo in antecedente indigeat, ergo non rectè tradidit Aristo. quid sit, eò quòd hęc sunt, seu propter hæc accidere.

Responsio.

Respondendū est. Aristotelem non voluisse conuertibiliter ostendere, quid sit, eò quòd hæc seu propter hęc accidere, sed voluisse dumtaxat tradere vnum modū, quo cōtingit etiam ex præmissis ritè dispositis conclusionem non accidere eò quòd hæc sunt, seu propter hæc, sed ob aliam causam. quanquàm interim non neget, quin id adhuc multis alijs modis contingat.

Quid accidere eò q̃ hæc sunt.

hæc igitur si conuertibiliter describere velimus, dicemus, conclusionem eò quòd hæc sunt seu propter hæc accidere, quando formaliter infertur propter præmissarum dispositionem in modo & figura.

Diuisio syllogismi.

Post hæc Philosophus reddens definitiones syllogismi perfecti & imperfecti, subindicat hanc syllogismi diuisionem, Syllogismus alius est perfectus, alius imperfectus, quę an sit generis in species, an subiecti in accidentia, parū refert. Illud satis constat, quòd perfectio & imperfectio, de quibus in pręsentiarum est sermo, ex sola forma syllogismi attendatur, qualiscunq; tandem fuerit materia.

Quid syllogismus perfectus.

Nam syllogismus perfectus dicitur, cuius illatio eam est euidens, vt quilibet sanæ mentis statim ei assentiatur, sine vlteriori probatione aut declaratione. etiamsi ex falsis præmissis procedat. Tales sunt omnes syllogismi quatuor modorum primæ figuræ, & argumenta secundum regulam antepręedicamentalem, quæ à dictis syllogismis sola præmissarum transpositione differunt. Nam hæc etiam euidenter fiunt secundum præscriptum primorum illorum principiorum, quæ sumuntur ex definitionibus dici de omni & dici de nullo. Loquimur autem de ijs syllogismis, quæ componuntur ex medio communi, ne quis interim nobis moueat quæstionem de expositorijs.

Quid syllogismus imperfectus.

Imperfectus verò syllogismus dicitur, qui ex forma sua non est euidens, nec statim à quouis sanæ mentis deprehenditur esse bona & efficax consequentia, sed ab eruditis dumtaxat, quia non fit statim & euidenter secundū præscriptum alterius dictorum principiorū, sed indirectè ac ex consequenti. & tales sunt omnes syllogismi secundę atq; tertiæ figuræ. Imò & syllogismi primæ figuræ qui indirectè concludunt. ex quo patet, syllogismum imperfectū etiam verum esse syllogismum, sub dicta definitione

nitione contentum, ac in hoc dumtaxat à perfecto syllogismo discrepare, quòd hic euidens sit, ille verò ineuidens. Iam superest, vt eorum definitiones paucis aperiamus.

Definitio syllogismi perfecti & imperfecti.

Prior sic habet, Syllogismus perfectus est, qui nullius alterius indiget, præter ea quæ sumpta sunt, vt appareat necessarium. Posterior verò, Syllogismus imperfectus est, qui vnius aut plurium indiget, quæ sunt quidem necessaria per sumptos terminos, non autē per sumptas propositiones. Pro quarum intellectu reuocanda sunt ad memoriam quatuor principiorum genera, quæ initio huius capitis tradita sunt. Sunt enim quædam materialia, vt termini & propositiones, ex quibus componitur syllogismus. Alia formalia, vt modus & figura. Alia regulatiua, quæ sumuntur ex descriptionibus dici de omni, & dici de nullo. Et quarto sunt quædam principia perfectiua, vt conuersio in terminis, conuersio in oppositam qualitatem, & præmissarū transpositio.

Quatuor principiorū genera.

Tribus igitur prioribus generibus principiorum nullus syllogismus indigere aut carere potest, quia alioqui non erit syllogismus nec formalis consequentia. Sed quartum genus principiorum iis syllogismis est necessarium, qui ex se euidentes non sunt. quia non directè sunt secundum præscriptum principij dici de omni, vel dici de nullo, sed indigent vlteriori probatione, vt ad alterum horum reducantur, quę probatio fit per dicta principia perfectiua. Est igitur harum definitionum sensus, Syllogismus perfectus est, qui nullius alterius principij syllogistici indiget, præter ea quæ in ipso sunt, vt statim cuiuis sanæ mentis appareat necessaria & euidens consequentia, sed sufficiunt illa tria principiorū genera, quæ in quouis syllogismo reperiuntur.

Sensus definitionum perfecti syllogismi, & imperfecti.

Syllogismus verò imperfectus est, qui indiget vnius aut plurium principiorū, præter ea quæ sumpta sunt, vt appareat necessaria consequentia, quæ quidem principia nullam inducunt terminorum mutationem, nam manent ijdem termini, sed propositionum tantùm. siquidem vtraq; controuersio nouam introducit propositionem, manētibus iisdem terminis. Iam si roges, qui syllogismi imperfecti indigent vnius, qui verò plurium? Enumerauimus superius tria principia perfectiua, quibus syllogismi possunt indigere, videlicet, conuersionem in terminis, conuersionem in oppositam qualitatem, & præmissarum transpositionē.

Qui syllogismi vnius indigent, & qui pluriū.

Sola autem præmissarum transpositione nullus syllogismus imperfectus indiget. Restat igitur, vt qui per solam reducuntur conuersionem, siue in terminis, siue in oppositam qualitatē, vnius indigere dicantur. Plurium verò, quæ reducuntur simul per conuersionem, & pręmissarum transpositionem. Prioris partis exempla sunt syllogismi omnes imperfecti facti in modis non habentibus literam m. nisi fortè quis dicat, syllogismos imperfectos primæ figuræ, cùm per impossibile reducuntur, opus habere vtraq; conuersione. & sic hi etiam aliquo modo plurium indigerent. Posterioris verò partis exempla sunt, syllogismi facti in Fapesmo, Frisesomorum, Camestres, & Disamis.

Obiectio.

Sed obiicies, Hi possunt per solam conuersionem reduci per impossibile, ergo non indigent plurium. Respondendum, quòd absolutè loquēdo neq; vnius indigent, neq; plurium determinatè, quia vtroq; modo possunt reduci, sed vnius aut plurium confusè. Cęterùm cùm dicimus, eos indigere plurium, intelligimus, vt per ostensiuam reductionem demonstrētur esse necessarij, non autem absolutè.

Secunda obiectio.

Verùm rursus instabis. Dictum est superius, argumenta per primam regulam anteprędicamentalem esse syllogismos perfectos, ad quos tamen possunt reduci dicti syllogismi sine vlla pręmissarum transpositione, ergo non indigent plurium, etiam ad hoc vt ostensiuè reducantur ad perfectos.

Responsio.

Respōsio, Absolutè loquendo videtur illatum concedendum, sed quādo dicitur, quòd syllogismi isti pluribus indigent, vt ostensiuè demonstrentur, intelligimus de perfecta & integra demōstratione ostensiua, qualis non est ea quæ tantùm fit ad argumenta primæ regulæ antepraedicamētalis, quia licet hæc argumenta computētur inter syllogismos perfectos, longè tamen perfectiores sunt syllogismi, in quibus maior propositio minorem pręcedit, vt patet consideranti principia dici de omni, & dici de nullo. Vndè Aristoteles circa finem huius libri capite.4. vltimi tractatus, præmissas in Disamis transponendas dicit. Sunt tamen quibus magis placet, eos syllogismos vnius indigere, qui per vnius duntaxat propositionis reducuntur cōuersionem. Plurium verò, qui per conuersionem plurium propositionum reducūtur, sed quod prius diximus magis est receptum.

Conuenientia eius quòd in toto est, & eius quòd de omni prædicatur.

Postea Philosophus vtcunq; ostensurus quæ sint principia regulatiua syllogismorum, præmittit conuenientiam, quam habent esse in toto, & dici de omni, quum dicit. In toto aūt esse alterum altero, & de omni prædicari alterum altero, idem est. Et simili modo dicendum est de in toto non esse, & de nullo prædicari, quod subiicuit Philosophus, tanquam satis ex altero notum, ac perspectum. Per alterum esse in toto altero, intelligendum est subiectum vniuersalis affirmatiuæ completè distributum, comparatum ad prædicatum eiusdem, ceu quædam materia quæ insit prædicato tanquam cuidam formæ. Et per alterum prędicari

de

roco indirectè regulari per eandem maximam. Quoniam autem nusquam alibi maior occasio dabitur tradendi ea, quæ spectant ad syllogismum expositorium, quem nonnulli nuncupârunt syllogismum concludentẽ ad sensum, nonnulla de hoc obiter attingemus. Est igitur syllogismus expositorius, qui constat ex medio singulari. Hic fit in omni figura, commodissimè tamen in tertia, eò quod medium ibi semper subiiciatur, in vtraque videlicet præmissa. Termino autem singulari potius competit subiici, quàm prædicari. In nullo modo primæ figuræ nominato fit syllogismus expositorius, prætérquàm in Frisesomorum. In hoc modo non est necessum medium distribui in altera præmissarũ, quod oportet in reliquis modis eiusdem figuræ ratione qualitatis ipsarum præmissarum. Distributionis autem non est capax terminus singularis. Item in nullo modo tertiæ figuræ fit syllogismus expositorius ob eandem causam, quam nunc diximus. In omnibus verò modis secundæ figuræ rectè fit talis syllogismus. Exempla sunt. Nullum elementũ est hic sol, & omnis sol est hic sol, ergo nullus sol est elementũ. Nullus leo est bucephalus, quidam equus Alexandri regis est bucephalus, ergo quidã equus Alexandri non est leo. Verùm syllogismi expositorij, qui in his modis fiunt, ab aliis cõstantibus ex medio cõmuni, factisque in eisdẽ modis, in hoc discrepãt, quòd illi nequeant perfici ostensiuè, quemadmodum hi, eò quod propositio simpliciter conuertẽda, vniuersalis videlicet negatiua, huiusmodi conuersionem non admittat, quando prædicatũ est terminus singularis. Reliqui omnes modi, in quibus rectè fiunt syllogismi expositorij, nominibus carent. Vt verò validus atque efficax sit syllogismus expositorius, dicunt neoterici, duo esse obseruanda. Prius est, vt medium singulariter sumatur atque vniuocè. Posterius est, vt medio singulari possit adiungi hoc complexũ (omne quod est) manente veritate præmissarũ, seu (sicut alij volunt) vt medium & minor extremitas prorsus pro eodem accipiantur singulari. quod quidẽ à nobis nõ est declarandum, eò quod nullum habeant locum, nisi in rebus & nominibus diuinis, à quibus logico abstinendum esse diximus priori libro, eaque potius veneranda, quàm in disputationem adducenda. Syllogismus expositorius diuidendus est in perfectum & imperfectum, quos describere poteris eisdẽ descriptionibus, quibus descripsit Philosophus syllogismũ perfectum & imperfectum, solo antecedẽte ipsius relatiui mutato, hoc est, accepto tantùm pro syllogismo expositorio. Porrò qui sunt perfecti & qui imperfecti, non satis constat. Illud nihilominus certũ est, oẽs syllogismos expositorios indirectè cõcludẽtes esse imperfectos, eosque perficiendos per alios qui cõcludunt directè. De concludentibus aũt directè, aliorum peritorũ in hac re iudicium potius peteremus audire, quàm nostrã sententiã proferre in medium. Plærisque tamen videtur, syllogismos expositorios tertiæ figuræ directè cõcludentes, esse perfectos. oẽs verò aliarũ figurarũ esse imperfectos, perficiendos reductione ostensiua per syllogismos tertiæ figuræ. eos videlicet, qui sunt primæ, per cõuersionẽ maioris. & eos qui sunt secundæ figuræ per conuersionẽ vtriusque præmissæ, excepto Baroco: Quibusdã oppositũ videtur, qui arbitrantur, omnẽ syllogismũ expositorium, cuiuscunque figuræ fuerit, esse perfectum: cõcedentes tamen syllogismum tertiæ figuræ euidentiorẽ esse syllogismis expositoriis aliarũ figurarũ. quemadmodum syllogismos perfectos factos in barbara & celarent, euidentiores esse, syllogismis correspondentibus, qui fiunt secundum regulam antepraedicamentalem. Huius dubitationis solutio pendet ex principiis regulatiuis syllogismorũ expositoriorũ, quæ sunt duo, quemadmodum duo prius assignata sunt syllogismis constantibus ex medio cõmuni. Vnum est principium regulatiuum syllogismorum expositoriorum affirmatiuorum. Quæcunque sunt eadem vni tertio singulari, inter se sunt eadem. Alterum est applicandum syllogismis expositoriis negatiuis, hoc videlicet. Quæcunque se habent, vt vnum eorum idem sit cum alio, cum quo reliquum est diuersum, illa inter se sunt diuersa. Si omnes syllogismi expositorij immediatè regulẽtur his maximis, omnes dicendi erunt esse perfecti. Si verò tantùm mediatè regulentur eisdem, si qui sunt in prima & secunda figura, illi erunt imperfecti. Nobis satis fuerit hæc indicasse, vt aliis causam proponamus inquirendi atque discutiendi, quid iudicandum esset de hac re.

Quid sit syllogismus expositorius.

Duo in expositorio syllogismo obseruãda.

Expositorij syllogismi diuisio.

Qui sint imperfecti, & qui perfecti.

Duo syllogismorũ expositoriorũ regulatiua principia.

In priorem tertij capitis partem, tractantem de conuersione propositionum de inesse, adnotatio.

IN hoc capite determinat Philosophus de quodã principio reductiuo syllogismorũ, quod est conuersio, omisso altero, quod est transpositio præmissarũ, propter nimiam eius facilitatem. Et quia tam ex modalibus quàm ex his quæ de inesse vocãtur, docturus est in sequẽtibus syllogisare, ideo de vtrarumque conuersione tractat, & prius earum quæ sunt de inesse. Priores enim sunt propositiones de inesse, modalibus. In initio huius partis triplicem proponit propositionis diuisionem, qua subindicat diuersitatem syllogismorũ, & multiplicitatem.

Quoniam aũt oĩs propositio aut est de inesse.

Prima

minis penitus, nulla negatione infinitante, aut addita, aut reiecta, quam licebit ita describere.

Conuersio in eisdē terminis.

Conuersio propositionum, est mutario subiecti eiusdem prorsus in prædicatū, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate propositionū. quę quidem finitio colligitur ex Boetio in libro de categoricis syllogismis, & introductione in eosdem prius posita. Diximus prius in definito (Conuersio propositionū) ne quis putet hic agi de conuersione reali, qua vnum corpus mutatur in aliud. Vt aqua in vinum in vite, & vinum in acetum. Aut de ea conuersione, quæ solet tribui terminis simplicibus, (vulgatius conuertibilitatē dicunt) qui ideo conuertuntur, quia de se inuicem prædicantur vniuersaliter, & affirmatiuè. In definitione primo loco posita est particula (mutatio) hoc est, transpositio, vel aliud simile, circa quam particulam nonnihil est difficultatis. Nam Albertus, à cuius sententia recedere videntur eius in cæteris sequaces, opinatur hanc prædicationē, Conuersio est mutatio seu transpositio, &c̄. esse formalem, ipsamq; conuersionē non esse speciem argumentationis, eò ꝙ non possit esse enthymema, ad quod tamen maximè videretur accedere cōuersio, si esset species argumentationis, Ad hancq; sententiam satis declinare videntur ea, quæ à Boetio traduntur de conuersione, modò intelligas illa superficiétenus. & quemadmedum verba præ se ferunt. Nos sequentes iudicio nostro probabiliorē opinionem, dicemus conuersionē propositionum esse quandam speciem argumentationis. Ad quod primò adduci potest, ꝙ in exemplis ipsius Aristotelis, non tantùm in textu vulgari, verùm & apud Boetium, & exemplar Græcum, proponuntur vt consequentiæ, & non tantùm vt nudæ extremorū transpositiones. Præterea in reductione syllogismorum imperfectorū, modò fuerit ostensiua, id obseruādum est, vt facta conuersione ostendatur omne id quod sequitur ex cōuertentibus, oportere sequi ex cōuersis. Alioqui non sibi inuicem cohærebunt eæ partes, quæ erunt allatæ pro huiusmodi reductione. Non enim potest aliqua cōclusio sequi ex aliis præmissis dicto modo, nisi quodammodo ducatur argumentatio à primo ad vltimum, quemadmodum fit in reductione ostensiua, vt suo loco dicetur posterius. Ea igitur definitio cōuersionis accipienda est in sensu causali, sitq; formaliter cōuersio argumentatio constans ex determinato antecedente & cōsequente, in quibus fit talis extremorū mutatio, & nota illationis. Antecedens cōuersionis, vulgò vocatur propositio cōuersa, & consequēs cōuertens, eò ꝙ quodammodo cōuertat extrema prioris propositionis assumptæ. Spectat aūt conuersio maximè ad enthymema, si argumētationis tantùm sint quatuor species. Cuius indicium est, ꝙ addita quadam præmissa identica, ad integrum reduci valeat syllogismum. Vt hæc cōuersio, nullus homo est arbor, ergo nulla arbor est homo, fit syllogismus in Cesare addita hac minore, omnis arbor est arbor. Porrò duplex est conuersio in terminis eisdem. Vna est consequentia tantùm materialis, quæ sic solet describi, Conuersio est duarum propositionum eiusdem qualitatis vtroq; termino participantium, conuerso ordine, bona consequentia. Quales sunt hæ, omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo. Si homo est risibilis, omne risibile est homo. Leo nō est equus, ergo equus nō est leo. Quāuis enim harū antecedentia nequeant esse vera sine cōsequentibus, facilè nihilominus dantur propositiones alię similis formæ, quę nō sic cōuertūtur. Vt sunt hæ, omnis homo est animal, omnis homo est coloratus, animal nō est homo. De hac cōuersione non putamus Aristotelem loqui, quanq; expositores etiam huius meminerunt in suis cōmentariis. Altera est conuersio, quæ est formalis cōsequentia, sicq; describitur, Conuersio est duarū propositionū eiusdem qualitatis vtroq; termino participantiū, diuerso ordine, formalis cōsequentia. Vt nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo. De qua hic agitur, quum hæc sola sit conueniens & idoneum instrumentū ad reducendum syllogismos imperfectos. Hæc aūt duplex est, Vna simplex, & per se, Altera per accidens. Conuersio simplex est, in qua seruatur eadem qualitas & quantitas propositionum. Hac conuertūtur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua. Vt nullus homo est quadrupes, ergo nullum quadrupes est homo, Quidam homo est philosophus, ergo quidam philosophus est homo. Id quod iam diximus intelligunt neoterici, de vniuersali negatiua constante ex prędicato cōmuni distributo. Nam hæc, nullus equus est bucephalus, non conuertitur simpliciter, sed per accidens in hanc, bucephalus non est equus. Similiter hanc, omnis homo animal non est, dicunt non conuerti simpliciter, sed per accidens in hanc, animal homo non est. Verùm apud autores (vt prius diximus) idem est, siue dicatur, omnis homo animal non est, siue omnis homo non est animal. Simili modo quod dictum est de particulari affirmatiua, intelligunt nonnulli de ea sola, quæ non habet prædicatum singulare. Hanc enim conuersionē putant esse per accidens, quidam philosophus est Socrates, ergo Socrates est philosophus. has autem simplices & per se, quidam homo est animal, ergo animal est homo. homo est ani-

Conuersio est argumētatio.

Duplex in eisdem terminis cōuersio.

Vna materialis.

Altera formalis.

Quid sit simplex cōuersio, & quibus cōpetit enunciationibus.

mal,ergo quoddam animal est homo, eò quòd in hac materia,indefinita eadē sit cum particulari, quemadmodū & in ipsis syllogismis formādis,& reducēdis. Indefinita enim posita loco particularis non variat modū syllogisticū,neq; impedit reductionē,quæcūq; sit illa. Singularis aūt, imò vt plus dicamus,terminus singularis positus loco termini cōmunis,frequēter impedit modum & reductionē,vt patet diligēter cōsiderāti: quorū neutrum contingit, si terminū cōmunē sumamus nunc cum signo particulari,nunc sine huiusmodi signo. Hac quoq; cōuersione simplici cōuertitur vniuersalis affirmatiua de prædicato distributo. Vt sequitur,omnis homo omne animal est,ergo omne animal est homo. quod,quia admodū rarum est,rectè omissum est ab Arist. Similiter & propositiones eæ, quæ cōponuntur ex subiectis & prædicatis singularibus, siue affirmatiuę,siue negatiuę. Vt Socrates est hic philosophus, ergo hic philosophus est Socrates. Socrates nō est Plato,ergo Plato nō est Socrates, sed has Arist. prætermisit,de solis loquēs cōmunibus. Conuersio per accidens est,in qua manet eadē qualitas, sed mutatur quantitas propositionū. Hac conuersione cōuertitur vniuersalis affirmatiua in particularē affirmatiuā, vt habet tertia regula. Vt omnis sitis est appetitus humidi,ergo quidā appetitus humidi est sitis. Similiter & vniuersalis negatiua,vt nulla sitis est appetitus sicci, ergo quidā appetitus sicci non est sitis. Id tamen subticuit Philosophus, aut quia decreuerat ponere differētiam inter vniuersalem negatiuā & affirmatiuā,aut quia id facilè erat subintelligere. Porrò illa conuersio videtur vocari simplex,quia fit tantùm ratione transpositionis terminorū, nullo alio concurrente. Conuersio aūt per accidens dicitur,quia non fit in ipsa tantùm mutatio extremorū, sed etiam variatio quantitatis, quæ quidem quātitas videtur esse quoddā propositionis accidens. Aut ea dicitur simplex & per se,quæ conuenit propositioni ratione suipsius,& secundū seipsam. Quod enim sequitur,nulla auis emittit lotium,ergo nullum emittens lotium est auis, prouenit ex ipsa propositione vniuersali negatiua, nulla auis emittit lotium, & non aliunde. Et contra ea per accidens dicitur,quia non propositioni secundū seipsam, sed tantùm ratione alterius propositionis,cui per se competit conuersio. Omne enim quod est per accidens,reducendū est ad id quod per se est. Vt hæc, omnis locusta duos habet dentes, cōuertitur in hanc, habēs duos dentes est locusta,per accidens, puta ratione huius, quædā locusta habet duos dentes,quæ per se in illam cōuertitur. Et hæc, nullùs coruus habet ingluuiem,in hanc per accidēs conuertitur,quoddā habens ingluuiem non est coruus,ratione huius,quidam coruus non habet ingluuiem,quæ per se quodam modo in illam cōuertitur. Simili modo in aliis est iudicandum. Conuertuntur ergo simplici conuersione & per se, vniuersalis negatiua,& particularis affirmatiua. & conuersione per accidens,vniuersalis affirmatiua & negatiua,& hæ solę,iuxta sententiam Arist. vt patet ex prius habitis. Cæterùm vt cognoscatur conuersio esse legitimē & rectè facta,à neotericis solent adnotari plurimæ conditiones obseruandæ,inter quas quędā sunt planē pueriles,vt illę quę admonēt de resolutione verbi,mutatione copulę secundū numerum aut personā,de determinatione adiecta, quòd idem debeat determinare,& aliis id genus. Aliæ verò cōmunes sunt omni argumentationi. putà,vt euitetur æquiuocatio,diuersum genus suppositionis,ne argumētetur à non distributo ad distributū, aut à suppositione confusa tantùm ad determinatam respectu multitudinis,quibus omnibus nō obseruatis, inefficax est conuersio,quemadmodū exemplis licet declarare. Nos ob hęc tantùm vnā conditionē obseruandā subiicienus,illis præsuppositis tanq; manifestis, quæ est hæc, Vt ex toto subiecto adæquatè fiat prædicatū,& ecōtrariò,& sumātur extrema æquè amplè & restrictè. Parū tamē momenti habet hæc conditio apud Philosophum,qui tantùm vtitur propositionibus simplicium extremorū,nulla habita mentione de ampliatione aliqua vel restrictione. Ob defectum primæ partis,non est hæc bona cōuersio. Mus rodit panem, ergo panis rodit murem. Equus est hominis,ergo homo est equus. eò quòd non vertantur toti termini. Illud diligēter aduertendū est, nonnunq; in cōuertentibus,aut ex parte prædicati, aut ex parte subiecti aliquid adiungendum esse,vt indicetur seruāda esse eadem significatio, aut idem genus suppositionis, aut aliud simile,quod quidem additū non est sumendū tanq; pars extremi, sed potius tanquā externū quoddā, indicās in qua acceptione,& quo modo sit terminus sumēdus,cui additur. Quod accidit,quum conuertūtur propositiones de ampliatis extremis, & secundū quosdā in his etiam conuertēdis,homo est nomen,homo est pictus,&c. Rursum defectu posterioris hæ cōuersiones non sunt legitimæ,nullus homo fuit albus,ergo nullum album fuit homo. Omne sanum fuit ægrum,ergo aliquod ægrū fuit sanum. Aliquis prudens erit imprudēs,ergo aliquis imprudēs erit prudens. In his enim,conuersa videlicet & cōuertente,non sumitur extrema eodem modo secundum ampliationē,quod quia ex aliis est petendum, & alibi declarandum, nolumus in hoc

Quid per accidens cōuersio,& quibus tribuenda sit propositionibus.

Quā ob causam dicitur cōuersio vna simplex, & altera per accidens.

Conditio requisita in conuersione

in hoc immorari. Id tamen à nobis est adiiciendum, diuersam ampliationẽ alicuius termini
non continuò reddere inualidam argumentationẽ,& conuersionẽ, aut syllogismũ, quemad-
modum imprudentes plærunq; opinantur,& tradunt,potissimùm cũ nihil habent quod op-
ponentibus respondeant,quando vrgent. Verùm ad mentẽ reuocādę erunt illæ duæ regulæ,
de quibus alibi latius agendũ est. Prior est, A termino non amplo ad amplum, aut à minus
amplo ad eundem magis amplum,licet affirmatiuè argumentari, modò amplum aut magis
amplum non distribuatur. Vt hæc cõuersio bona est,album fuit homo,ergo homo est vel fuit
albus.Omne sanum est ægrum,ergo aliquod ægrum est vel erit sanum. Posterior est, Ab
amplo ad non amplum,vel magis amplo ad minus amplum, valida est argumẽtatio, modò
amplum vel magis amplum distribuatur,& ponatur cõstantia non ampli vel minus ampli.
Defectu cuius hæ conuersiones sunt nullæ, nullum ægrum fuit animal, ergo nullum animal
fuit ægrum.Nullus homo erit æger,ergo nullum ægrum erit homo. Sed hæc,vti diximus,ex
alio loco magis sunt manifestanda. Illud insuper admonendũ est,eam cõuersionẽ simplicẽ,de
qua Philosophus hic agit,& cuius vsus est in reductiõe syllogismorũ,oportere esse cõuertibilẽ,
hoc est,cõuertentẽ posse rursum inferre cõuersam,nõ aũt eam,quę est nõ recurrẽs. Et ob id ne-
cesse est in cõuersione simplici,quæ negotio Aristotelico est accõmoda,terminos æquè amplè
aut nõ amplè accipi,alioqui nõ esset mutua illatio propositionũ simpliciter cõuersarũ,& con-
uertentiũ. Ad quod indicandũ,in cõditione pręmissa pręcipuè facta est mẽtio,de simili ampli-
atione terminorũ obseruāda.Quòd si quis agat de cõuersione simplici non cõuertibili,poterit
vti duabus prædictis regulis,salua firmitudine ipsius cõuersionis. Rursus in eadẽ particula hu-
ius cõditionis insinuatũ est,eandẽ extremorũ restrictionẽ esse seruandā,de qua quidẽ re eodem
modo dicendũ est,quo dictum est de ampliatione. Verùm apud probatos autores difficilius
reperiuntur exempla,quæ spectant ad hanc rem,apud neotericos aũt tales sunt hæ cõuersi-
ones, Neuter homo est animal, ergo nullum animal est homo. omnis homo est animal, ergo
alterũ animal est homo.Prior cõuertenda est in hanc,ergo nullũ animal est alter homo. Hæ ve-
rò cõuersiones,nullus homo est animal,ergo neutrum animal est homo.alter homo est alterũ
animal,ergo aliquod animal est aliquis homo,sunt validę,quanquã nõ cõuertibiles. Verùm ab
his nobis est abstinendũ,ne sophistarũ partes agere videamur.aut si huiusmodi nõ spectant ad
sophistas,ne alieno in loco pertractemus,quæ alibi exactius tractanda sunt. Addunt præter-
ea recentiores,ꝙ proposita propositione cõuertẽda,cuius extrema assignare est difficile,quip-
pe quia cõstat ex verbo impersonali, aut propter aliud simile,prius reducẽda est talis propo-
sitio ad aliam planè continentẽ & habentẽ extrema,qua resolutione facta, propositio propo-
sita conuertenda erit iuxta regulas prius traditas. Verùm neq; id quicquã cõmodi adfert apud
Arist. quum ex huiusmodi propositionibus ipse non doceat syllogisare. Quanquã aũt non pror-
sus reiiciamus id quod neoterici dicũt,non videmus tamẽ quid cogat fateri,omnẽ propositio-
nem categoricam (qualisqualis fuerit) oportere cõuerti. Id tantùm ex Philosopho cõstat,eam
quæ in syllogismo ponitur posse conuerti,modò non fuerit particularis negatiua. Sed de hisce
ce rebus hactenus. Iam vt ad id regrediamur, de quo in initio meminimus,an videlicet con-
uersio in eisdẽ terminis sit argumentatio potissimũ pertinens ad enthymemata. Albertus, vti
diximus,asserit partẽ negatiuam,pro ratione sumens,omnẽ argumentationẽ aliam à syllogis-
mo,reducendā esse ad syllogismũ. Conuersio aũt reduci non potest ad syllogismũ,eò ꝙ præ-
missa addenda,aut maior,aut minor,necessariò cõstaret ex terminis eisdẽ & synonymis. E di-
uersò quidā,pręsertim neoterici,asserũt,oẽm conuersionẽ in eisdẽ penitus terminis,esse enthy-
mema,reducendum ad syllogismũ per additionẽ maioris aut minoris propositionis. Hi enim
tradunt,conuersionẽ affirmatiuam esse reducendum ad syllogismũ tertiæ figuræ, per subin-
tellectionem maioris,quam oportet cõstare ex subiecto conuersæ, quod habet rationẽ medij.
& conuersionẽ negatiuā,ad syllogismũ secundæ figuræ per suppletionẽ minoris, cõstituendæ
ex prædicato conuersæ,quod habet medij officium. Verbi gratia,conuersionẽ vniuersalis af-
firmatiuæ reducunt ad Darapti,vel Disamis,& conuersionẽ particularis affirmatiuæ,ad Da-
tisi. Simplicem verò conuersionem vniuersalis negatiuæ, ad Celare. & eam quæ est eiusdem
per accidens, ad Festino. Quæ omnia est facile exemplis declarare. His ergo consentien-
tes,opinamur, omnem conuersionem in terminis,de qua hic agitur, esse enthymema,& eam
posse reduci ad syllogismum. Huiusmodi tamen reductio non ideo facienda est,vt ipsa con-
uersio proposita fiat euidens aut euidentior consequẽtia. Ipsa enim ex se est euidens (vti pri-
us diximus) & syllogismus ad quem reducitur est ineuidens, quum spectet ad secundam vel
tertiam figuram, Longè namq; diuersum est, aliquam consequentiam reduci ad syllogis-

Diuersa termini ampliatio nõ perpetuò inualidā reddit argumentationẽ, cõuersionẽ,aut syllogismum.

An cõuersio sit argumentationis species,

mum, & ipsam perfici seu ostendi esse euidentē per syllogismum. Est igitur cōuersio, argumentatio enthymematica, proueniens ex cōmutatione prędicati & subiecti, potens ad syllogismū reduci, non aūt per ipsum perfici. Illud aūt quod ab Alberto adducebatur, parū habet momenti, eò φ in huiusmodi reductione, subiectum conuersæ affirmatiuæ supplet vicem medij & minoris extremitatis, Et in reductione cōuersæ negatiuæ, prædicatū conuersæ fungitur officio medij & minoris extremitatis. De hac quoq; re à nobis dictum est prius. Postremò, quāquam conuersionis per contrapositionē natura videatur potius explicanda in secūdo Topic. Arist. vbi agitur de cōsequentia econtrariò, non incōmodè tamen alios imitati, quædā trademus de illa hoc in loco.

De conuersione per cōtrapositionē. Quid sit per cōtrapositionē conuersio.

Est igitur conuersio per contrapositionē, conuersio in terminis, quæ fit in propositionibus eiusdem quantitatis & qualitatis, cōmutatis terminis finitis in infinitos, & èdiuerso, terminis infinitis in finitos. Qui sint termini finiti & qui infiniti, manifestum est ex lib. Peri Her. Hæc conuersio peculiariter cōpetit propositionibus vniuersali affirmatiuæ, & particulari negatiuæ. Non enim conuenit vniuersali negatiuæ vel particulari affirmatiuæ. Non enim sequitur, Nullus homo est lapis, ergo nullus non lapis est non homo. Equus enim qui est non lapis, est non homo. Neq; sequitur, nullus homo est non animal, ergo nullum animal est non homo. Nam equus qui est animal, est non homo. Nullum non animal est homo, ergo nullus non homo est animal. Equus enim qui est non homo, est animal. Nullum non album est non homo, ergo nullus homo est albus. Et quia ex opposito contradictorio consequentis consequentiæ non legitimæ, non sequitur oppositum antecedentis, ideo neq; hæ conuersiones particularium affirmatiuarū erunt validæ, Quidam non lapis est non homo, ergo quidam homo est lapis. quoddam animal est non homo, ergo quidam homo est non animal: quidam homo est albus, ergo quoddam nō album est non homo. Exempla plura adiecimus, vt res esset manifestior, vtrinq; extremis variatis & cōmutatis. Sed vniuersalis affirmatiua, hac conuersione simpliciter & conuertibiliter conuertitur in vniuersalem affirmatiuam, vt omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo. omnis non homo est non risibilis, ergo omne risibile est homo. In particularē aūt affirmatiuā conuertitur per accidens conuersione non cōuertibili. Et si enim sequatur, omnis homo est albus, ergo quoddā non albū est nō homo, Non tamen cōtrà sequitur, non albū est nō homo, ergo omnis homo est albus. Illius ratio in prōptu est. Nam quicquid sequitur ad cōsequens bonę cōsequentiæ, sequitur ad eius antecedens. Particularis aūt negatiua simpliciter in particularē negatiuā cōuertitur, vt quidam homo non est lapis, ergo quidā non lapis nō est nō homo. Verùm in hac cōuersione per cōtrapositionē, quæ non est formalis consequētia, traduntur duæ conditiones obseruandæ, vt sit bona consequētia, quas & si non expresserit Boetius, eas nihilominus vtcunq; indicat.

Prior cōditio obseruāda in cōuersione per cōtrapositionem.

Prior est applicanda vniuersalibus affirmatiuis conuertendis. Et hæc est, vt in earū conuersione ponatur constantia subiecti conuertentis. Hinc non valent hæ conuersiones, omne animal est ens, ergo omne non ens est non animal. omnis non homo est non chymæra, ergo omnis chymæra est homo. omnis homo est risibilis, ergo omne non risibile est non homo. Idem prorsus asserit cōmunis opinio, quæ loco dictæ conditionis dicit, prædicatū propositionis cōuertendæ nō debere esse transcendens, aut simpliciter, aut in casu. Id aūt quod nos diximus, planius est atq; facilius, & (vti opinamur) & veteribus, & ipsi Arist. magis consonum in 2. Topicorū. Altera seruit indefinitæ seu particulari negatiuæ, quæ præscribit ponendā esse constantiam subiecti propositionis cōuertendæ. Hinc non sequitur, aliquis hircoceruus non est homo, ergo aliquis non homo nō est nō hircoceruus. Non ens non est chymęra, ergo aliqua chymæra non est ens. Neq; quicq; ab hac diuersum adferunt, qui dicunt in particulari negatiua conuertenda necesse esse, vt subiectum supponat pro aliquo. Huic cōditioni addunt nōnulli, obseruādum esse, ne subiectum particularis negatiuæ cōuertendæ supponat cōfusè tantùm, & ne prædicatū ipsius sit indistributū.

Vnde deducitur ac pendeat per cōtrapositionem cōuersio.

Porrò si quis diligenter excutiat, ac cōsideret huiusmodi conuersionē, reperiet eam fundari ac pendére ex regulis tradentibus, quomodo argumentandum sit ab affirmatiua ad negatiuam, & contrà, prędicato variato penes finitum & infinitū, concurrente vna simplici conuersione. Verbi causa, iuxta vnam regulā sequitur, Omnis homo est animal, ergo omnis homo non est non animal. Et per conuersionē simplicem sequitur, omnis homo nō est non animal, ergo omne non animal non est homo, Et per alteram regulam sequitur, omne non animal non est homo, & non animal est, ergo omne non animal est non homo. Quare à primo ad vltimum sequitur, omnis homo est animal, & non animal est, ergo omne nō animal est non homo. Simili modo procedendum est in conuersione particularis negatiuę. Sed de his hactenus. Quo autem pacto vnumquodque propositionis genus sit conuertibile, explicatur

breuissimè

breuissimè hoc ad memoriam iuuandam excogitato versiculo. Ecce tibi simp, armigeros ae, arma bono con. In quo vocalis a, vniuersalem affirmatiuam repręsentat. e verò vniuersalem negatiuam. i, affirmatiuam particularem. & o, particularem negatiuam.

Propositiones de necessario cõ dẽ mõ cõuertuntur.

Annotatio in secundam partem tertij capitis, quæ est de modalium conuersione.

DOcet in terminis conuertere propositiones modales de necessario & contingẽti, de prioribus dicens initio, quòd ipsæ eodem modo sunt conuertendæ, quo illæ de inesse. Idq; tribus mox regulis subiectis enucleat. Prima est, Vniuersalis negatiua de necessario conuertitur vniuersaliter, vt necesse est nullum equum esse hominẽ, ergo nullum hominẽ esse equum est necesse. Quod ostenditur ab opposito cõtradictorio cõsequẽtis, ad antecedentis oppositũ. Nam si contingat, id est, possibile sit aliquem hominẽ esse equum, etiam contingit, aliquem equum esse hominẽ. Non vocamus aũt (vt Alberti verbis vtamur) hic propositiones negatiuas, quæ sunt de modo negato, sed eas quæ sunt negatiuæ de dicto, siue de esse negato. Cuius ratio est, quia propositiones de necessario quæ sunt de modo negato, sicut cum dicitur, nõ necesse est a esse b, vel non necesse est a non esse b, secundum ipsam rem & realem cõpositionem sunt de cõtingenti. Hæc enim non necesse est esse, æquiualet illi quæ dicit, contingit nõ esse. Et similiter illa quæ est negatiua modi cõtingentis, secundũ rem est de necessario, vt patet. Quia hæc non cõtingit esse, æquipollet illi quæ dicit, necesse est nõ esse. Et ideo in tota scientia libri huius, negatiuę & affirmatiuę, dicũtur negatiuę & affirmatiuę de esse, & non esse, & nõ de affirmatione vel negatione modi, hucusq; ille. Porrò verum esse quod dicit, ex exẽplis ipsius Arist. liquidò cõstat. Neq; tamẽ putandũ est, inutiles fore cõuersiones, si quis eiusmodi propositiones in quibus modus necesse negatur, cõuertere tentet. Nam id falsum esse, ex regulis, quę pòst de illis quæ ex cõtingenti generaliter accepto cõstant, traduntur, facilè colligitur. Secũda est, affirmatiua tam vniuerlalis q̃ particularis de necessariò, cõuertitur solùm particulariter, vt necesse est oẽm vel aliquẽ hominẽ esse animal, ergo aliquod animal esse hominẽ est necesse. Quod probatur in litera. Nam si nõ necesse est aliquod animal esse hominẽ, nec etiã aliquem hominẽ esse animal est necesse. Ecce vtitur conuersione eius in qua modus negatur, & proinde æquipollet alteri de contingenti seu possibili. Hæc secunda regula, si in terminis connotatiuis locum habere debeat, intelligẽda est, semper acceptis propolitionibus secundũ sensum cõpositũ. Alioqui enim nõ necessariò sequitur, Omne creans necessariò est Deus, vel omne creans necesse est esse Deũ, ergo Deum necesse est creare. Cùm enim cõsequens sit falsum & hęreticũ, antecedẽs tamẽ in sensu diuiso est verũ. Nam omnis ea res quę creat vel creare potest, necessario est Deus. Creare enim illius omnipotentiæ propriũ est. In sensu aũt cõposito falsum est etiã antecedẽs, cùm necessariũ significetur esse, vt creans in creando persistens sit Deus. Patet ergo, propositionẽ de necessario diuisam nõ cõuerti, seruato eodẽ modo, poterit tamẽ sumprò in cõsequẽte alio modo, scilicet possibili. Tertia, Particularis negatiua de necesse nõ cõuertitur, idq; propter causam superius dictã in illis de inesse, quod scilicet stat oppositũ cõsequẽtis cum antecedẽte. Exempli gratia, nõ sequitur, aliquod animal necesse est nõ esse hominẽ, ergo aliquẽ hominẽ necesse est nõ esse animal. Ibi aũt, Contingens multipliciter, &c̃. asserit, cõtingens æquiuocè capi, Duas namq; habet significationes. Vnã, secundum quam etiam necessarium cõtingens dicitur. Et tum idem pollet quod possibile. Alterã, secundũ quam id dicitur cõtingens, quod non est necessarium, possibile tamẽ fieri, seu vt fiat. Quomodo cõtingit hominẽ sedere, Hanc vocamus specialẽ, illam generalẽ cõtingentis acceptionẽ. Sunt qui tres hinc colligãt significationes cõtingẽtis. Sed cum tertia illa, secundũ quam aiunt, cõtingẽs soli necessario cõpetere, apud nullos autores reperiatur, visum est nobis duas sufficere, de quibus etiam in progressu huius libri copiosius disseritur, & nonnihil in secundo Peri Her. dicebatur. Deinde subiungit aliquot regulas conuertendarũ modalium de cõtingenti. Prima est hæc, Affirmatiuæ tam vniuersales q̃ particulares de cõtingenti, qualitercunq; accipiatur cõtingẽs. conuertũtur in particulares, vt si contingit omnẽ vel aliquem hominẽ esse album, & aliquod album esse hominẽ contingit. Si tamen modus acciperetur specialiter, cauendum esset in terminis connotatiuis à sensu diuiso, vt contingit Deum creare, ergo cõtingit creans esse Deum. Item sol contingenter illustrat lunam, ergo illustrans lunam cõtingenter est sol. In sensu quidem compositò sequitur, In diuiso verò nequaquam. Secunda, Negatiuæ de contingenti non omnes eodem modo conuertuntur, vt scilicet illæ de inesse, sed negatiuæ vniuersales de contingenti dicto de necessario &, non necessario, hoc est, accepto generaliter similiter conuertuntur, id est, vniuersaliter & particulariter. Quam declarat duobus

De modaliũ de inesse cõuersiõe tres regulæ. Prima.

Secunda.

Tertia.

Contingẽtis acceptiones duæ.

Pro cõuersione modalium regula prima.

Secunda.

exemplis,in quorum priore prædicatum de subiecto omnino non potest verè affirmari,in altero verò,potest quidem,licet etiam possit non competere. Ea vero sunt, Omnem hominem contingit non esse equum,ergo omnē vel aliquem equum contingens est non esse hominem, Contingit nullam tunicā esse albam,ergo nullum albū esse tunicā est cōtingēs. Sic enim habet vera lectio,vt modus non negetur,quanq̃ æquè valida foret cōuersio, etiam modo negato. Et hæc quoq; regula instantiam patitur in terminis connotatiuis,quando sensus est diuisus,vt non est difficile exemplis ostendere. Tertia regula, Particularis negatiua de contingēti generaliter sumpto non conuertitur. Ita enim habet germana lectio (Similiter & in particulari negatiua) intellige,fit cōuersio, vt illis de inesse, scilicet nulla,cùm alioqui fieret argumentatio à non distributo ad distributū. Quod non intelligēs Albertus,cum aliis nōnullis,lapsus est hoc loco. Dicit enim,eiusmodi particulares propositiones posse conuerti, assignans talia exempla, Contingit aliquem hominē non esse equum, ergo contingit aliquem equum non esse hominē. aliquam tunicam contingit non esse albā, ergo quoddam album contingit non esse tunicam. Quæ sanè conuersiones, materię dumtaxat gratia recurrunt, quomodo etiam in illis de inesse particularis negatiua poterit quandoq; conuerti. Nam in plurimis similibus apertè mala est consequentia, vt aliquod animal contingit non esse hominē, ergo aliquem hominem contingit non esse animal,&c. Quarta, Propositiones negatiuæ de contingenti specialiter accepto,etiam eo quod in pluribus accidit, vniuersales quidē non cōuertuntur similiter vt illæ de inesse,nempe in vniuersales. Particulares verò conuertuntur similiter illis in particulares. Quare & vniuersales haud dubiè particulariter poterunt conuerti per accidens. Exemplum prioris partis,vt minimè sequitur,omnē hominē contingit non esse album,ergo omne album contingit non esse hominem,sed tantùm sequitur, ergo aliquod album contingit, &c. Exemplum posterioris,vt sequitur,aliquod corpus contingenter quiescit, ergo quoddam quiescens contingenter est corpus. Ratio vtriusq;, quam ex sequentibus pessum ire dicit,est, Quia eiusmodi negatiuæ propositiones in quibus modus contingens non negatur, per conuersionem in oppositam qualitatem æquipollent merè affirmatiuis. quæ vt ex antedictis cōstat,non aliter conuerti possunt quàm particulariter,siue vniuersales ipsæ fuerint, siue particulares. Proinde in calce textus admonet, huiusmodi propositiones de modo affirmato affirmatiuas censeri,in quantum sunt modales, licet verbi ratione negatiuæ nonnunquam dicantur,quomodo & ipse per totum huius literæ decursum est locutus.

Tertia.

Quarta.

His verò determinatis, dicendū est per quæ, quādo, &c.

In primam partem primi capitis secundi tractatus, agentis de syllogismorum formatione, quæ quidem pars tractat de prima figura, adnotamen.

Pertractatis iis,quæ pertinebant ad principia syllogismorum,his proximè sequentibus capitibus docet Philosophus formare syllogismos, Primò ex propositionibus de inesse, Deinde ex modalibus,considerans ac tradens principia formalia syllogismorum, quæ sunt figura & modus. In hac autem parte determinat de prima figura,indicans latenter quid sit,& qui sint huius primæ figuræ modi vtiles & inutiles. In initio huius textus ponuntur hæ tres particulæ,per quæ,quando,& quomodo. Per quæ,referendum est ad terminos ac propositiones. quando,ad figuras. & quomodo,ad ipsos modos. Perinde ac si diceret Philosophus, dicendum est continuò post ea quæ sunt determinata,ex quibus terminis & qualibus propositionibus,& in qua figura,atq; in quibus modis fit syllogismus. Quod autem dicit (fit omnis syllogismus) insinuat sese loqui de syllogismo generaliter sumpto. Cui illud prorsus consonat quod sequitur. Prius enim de syllogismo,&c. Non enim hic dicitur,ex quibus propositionibus procedunt singulæ species syllogismi. Nam quum communiora,& ea quę pertinent ad ipsa,sint nobis notiora,& à nobis notioribus in disciplinis sit progrediendū, sitq; syllogismus cōmunior demonstratione,prius dicendum erit de syllogismo ipsiusq; cōstitutione,& reliquis spectātibus ad ipsum,quàm de syllogismo demōstratiuo. Quę in hoc textu subditur statim,persequeremur,nisi dependērent ex quibusdam aliis,quę videntur nobis necessario prçmittenda,quibus positis,ipsorum intelligentia procliuior reddetur atq; paratior. Diximus in initio,hoc in loco Philosophum agere præcipuè de principiis formalibus syllogismorum,quę sunt duo,figura & modus. Figura respondet principio materiali remoto, ipsis videlicet terminis. & modus principio propinquo,hoc est,propositionibus. Porrò figura, quemadmodū & terminus,à Dialecticis sumitur metaphoricè, propter aliquā fortassis similitudinē cum terminis & figuris,de quibus tractant mathematici. quæ quidem similitudo non est hic necessariò explicanda. Definitur autem figura (de qua hic consideratur) hoc modo, Figura est trium terminorum certus ordo secundum subiectionem & prædicationem. Quæ quidem definitio,

De formalibus syllogismorū principiis, quæ duo sunt, figura scilicet & modus.

Quid figura.

nitio, & si non expressè à Philosopho tradatur, ex ipso tamen necessariò deducitur, siue attendas ea quæ tradita sunt pro prima figura, siue pro alijs. Hos autẽ tres terminos, vt syllogismi constituant præmissas, necesse est efficere tantum duas propositiones, nõ autem plures. Nam aut vnus ipsorũ tantum prædicabitur, & alter tantum subijcietur. tertius autem subijcietur ei qui tantum prædicatur, & prædicabitur de eo qui tantum subijcitur, sicq; erit prima figura. Aut idem terminus prædicabitur de vtroq; reliquo, & proueniet secunda figura. Aut subijcietur vtriq;, & erit tertia. Cur autem prima figura omnium sit perfectissima, & quare ei succedat secunda, & tertia post sequatur, dicetur posterius. Est itaq; prima figura, quãdo trium terminorum vnus, reliquorum alteri subijcitur, & de altero prædicatur. Neq; addendum est; in prima propositione subijcitur, & in secunda prędicatur. Nam ad primam figuram habendã, indifferens est, an ille terminus primo subijciatur & secundo prędicetur: an prius prædicetur, & secundo subijciatur. Sola enim præmissarum transpositio, nullo modo variat figurã. Plurimum miramur, cur à neotericis quibusdam reuocetur in dubium, an argumentatio constituta iuxta primam regulam antepræmedicamentalem, spectet ad quartã figuram, idq; imponatur Galeno, cum constet planè ex ijs quæ hic traduntur, illis argumentationibus competere, quæcunq; de hac prima figura dicuntur. De hac re Commentator, Et ex hac, inquit, inquisitione ostendetur, quod figuræ prędicatiuæ sunt tres, & quod quarta quã posuit Galenus, non est figura naturalis, quæ est, vt sit terminus medius prædicatus de maiore extremitate, & subiectus minori. Hæc ille. Quod si ex his contendas, hunc syllogismum pertinere ad quartam figuram, homo est animal, & animal est substantia, ergo substantia est animal: minore extremitate cõclusa de maiore. Aperta est solutio ex ipso Aristot. dicente in quarta parte huius primi capitis, conclusionem indirectè illatã non variare figuram. Ipse quoq; Commentator exemplo explicans modos primæ figuræ, vtitur argumentatione primæ regulæ antepræmedicamentalis. Porrò modus est dispositio duarum propositionum secundum qualitatẽ & quantitatem. Et dicitur hæc propositionum ordinatio esse modus, quia est quædam accidentalis determinatio atq; forma ipsarum propositionum, quæ constituunt syllogismum. An autem hic definiatur modus vtilis an etiam inutilis, perparum refert. Nobis satis fuerit, quòd in singulis modis & vtilibus & inutilibus, requiritur certa qualitas & quantitas duarum propositionum ex tribus terminis constantium. Cæterùm in singulis figuris sedecim sunt modi, exclusis syllogismis expositorijs, particulari & indefinita propositionibus reputatis pro vna & eadem. Qui resultant ex quatuor propositionum generibus aliter & aliter inter se iunctis, videlicet vniuersali affirmatiua, vniuersali negatiua, particulari affirmatiua, particulari negatiua. Qui modi aptissimè designantur quatuor literis, quatuor dicta propositionũ genera significantibus, a, e, i, o. Nam si singulas singulis præponas, efficientur dicti sexdecim modi, hoc pacto. aa, ae, ai, ao. ea, ee, ei, eo. ia, ie, ii, io. oa, oe, oi, oo. Post hæc quæ dicta sunt de principijs formalibus, solent præmittere secundo loco quasdam regulas, pertinentes ad omnes figuras. Inter quas prima est hæc. Ex puris particularibus nõ sequitur conclusio, intellige formaliter & syllogisticè. Vt non sequitur, animal est quadrupes, & aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est quadrupes. Aliquod animal est rationale, & aliquod animal est equus, ergo quidam equus est rationalis. Non enim oportet, propter vnionẽ aliquorũ in eodem tertio particulariter, ea coniungi innicem in conclusione. Verùm hæc regula secundum neotericos patitur instantias, quando medium est terminus singularis, quando maior in prima figura est negatiua, & concluditur conclusio de modo loquendi inconsueto, & quando medium in altera præmissarum distribuitur, vel illi in minore additur relatiuum identitatis. Sed hęc apud veteres locum non habent, qui de syllogismo expositorio rarissimè agunt, & nunquam prædicatum distribuunt signo vniuersali affirmatiuo, & propositionibus, quas illi dicunt de modo loquendi insolito, libenter abstinent, aut vtuntur perinde ac si essent de modo loquendi consueto. Neq; tamen quis opinari debet, eum syllogismum procedentem ex puris particularibus, cuius medio in minore additur relatiuũ identitatis, similem esse syllogismo expositorio, quũ ab eo distet longissimè, si quis vtriusq; naturam diligenter consideret. Secunda est, Ex puris negatiuis nihil sequitur. Non enim oportet, aliqua à se inuicem separari, si ipsa separentur ab eodem tertio. Vt non sequitur, Nullus equus est rationalis, nullus homo est equus, ergo nullus homo est rationalis. Patitur etiam & hæc regula exceptiones, quando videlicet fit syllogismus ex ambabus præmissis de contingenti, aut ex maiore negatiua de necessario, & minore negatiua de contingenti, illata conclusione de necessario, & quando medium mutatur per finitum & infinitum. Nam sequitur syllogisticè, omnem hominem sedentẽ contingit non

Quo pacto sumãtur & separẽtur à seinuicem figuræ.

Quid sit prima figura.

An cõstituenda sit q̃rta figura.

Quid modus.

In singulis figuris quot modi sint.

Regularum ad oẽs figuras attinentium.

Prima.

Secunda.

Huius secũdæ regulæ exceptiões.

Exceptionũ explicatio.

ambulare,& Socratem contingit non esse hominem sedentem, ergo Socratem contingit non ambulare. Omne album necesse est non esse coruum,& omnem hominem contingit non esse album,ergo omnem hominem necesse est nõ esse coruũ. Verùm quia propositiones de contingenti specialiter dicto,conuertuntur in oppositam qualitatem, ambæ pręmissæ prioris syllogismi & minor posterioris virtute quadam & æquipollentia sunt affirmatiuæ. Similiter sequitur, nullus homo est irrationalis, & nullum risibile est non homo,ergo nullum risibile est irrationale. Nullus non homo est risibilis,& nullus equus est homo,ergo nullus equus est risibilis. Verùm hic arguendi modus non propriè est syllogisticus,de quo aliàs,data opportunitate.

Tertia.

Tertia est, Si aliqua præmissarum fuerit particularis,conclusio etiam particularis erit. Effectus enim dicitur sequi debiliorem suæ causę partem. Particularis autem debilior est vniuersali. Hæc quoq; regula à neotericis dicitur pati exceptiones, quando minor in prima figura est vniuersalis negatiua, & concluditur conclusio de modo loquendi inconsueto, quando medium in minore distribuitur, quando maior extremitas in maiore distribuitur: quãdo maiori extremitati in conclusione additur relatiuum identitatis, vel quando maior extremitas

Exceptionũ exempla.

est terminus singularis. Exempla sunt, Quidam homo est animal, & nullus equus est homo, ergo omnis equus aliquod animal non est. Lucidissimus planeta lucet. omnis Sol,omnis planeta lucidissimus est. igitur omnis sol lucet. Sol omnis lucidissimus planeta est, nulla luna est sol,igitur nulla luna est lucidissimus planeta. Homo est animal, & nullus equus est homo, ergo nullus equus est idem animal. Quidã homo est Socrates,& nullus leo est homo,ergo nullus leo est Socrates.

Quarta.

Quarta est, Si altera præmissarum fuerit negatiua,oportet conclusionẽ esse negatiuam. Est enim negatiua debilior ipsa affirmatiua. Vnicã habet hęc regula exceptionem,si concludatur conclusio de contingenti specialiter sumpto. Vt sequitur, omnem hominem contingit non esse album,& Socrates est homo, ergo Socratẽ contingit esse albũ. Verùm hic syllogismus perficitur per conuersionem aut maioris aut conclusionis in oppositam qualitatẽ.

Vnica exceptio.

His regulis addunt neoterici & has. Vt medium in altera præmissarũ distribuatur distributione cõpleta, modò sit cõmune,& ipsi non addatur relatiuũ identitatis in minore. Vt in vna præmissarũ non plus pro medio sumatur,quàm distributũ erat in altera. Vt medium non sumatur amplius in vna præmissarũ, quàm in ea in qua distribuitur. Insuper cauendum,ne argumentetur à non distributo ad distributum,à suppositione confusa tantũ ad determinatã respectu distributionis,multitudinis, & vniuersalitatis, & à magis amplo ad minus amplum sine distributione magis ampli,aut sine constantia minus ampli, si illatio fuerit affirmatiua: aut à minus amplo ad magis amplũ cũ distributione magis ampli. Simili modo iudicandũ est de magis & minus restricto. Declararemus hæc exẽplis,nisi prolixitas deterreret,& Aristotelẽ cæterosq; veteres inueniremus vbiq; ferè simplicissimis vti propositionibus in formandis syllogismis,& quæ præsentis sunt temporis, reiectis inde omnibus illis de quibus iam facta est mentio. Subijciemus tamen exempla quædã malè variatæ ampliationis. Vt hi syllogismi incollectiles sunt, Nullus homo est mortuus,& omne viuens est homo, ergo nullum viuens est mortuũ. Nullum albũ fuit nigrũ, & omnis homo est albus, ergo nullus homo fuit niger.

Primæ figuræ peculiares regulæ. Prior.

Sed ad ea quæ sunt nostri instituti redeuntes dicimus, tres omnino syllogismorũ esse figuras. Prima atq; præcipua est ea, in qua trium terminorũ vnus subijcitur reliquorum alteri, & de altero prædicatur. siue in qua medium semel subijcitur,& semel prædicatur. Huius duę colliguntur ex Aristotele speciales & peculiares regulæ. Prior. Cum minor propositio fuerit negatiua in prima figura, nulla sequitur cõclusio syllogisticè. Alioqui enim à maiore extremitate in antecedente indistributa,ad distributã in conclusione procederetur, quod neutiquã permissum est. Quo quidem vitio euitato,licebit ad dictũ modum in hac figura nonnunquã syllogisare, Vt si concludatur indirectè,quod fit in Fapesmo & Frisesomorũ : aut si maior extremitas fuerit singularis,vel distribuatur in maiore propositione,aut si addatur illi in conclusione relatiuũ identitatis. quibus solent addere, aut si inferatur conclusio de modo loquendi insolito. Verùm id nobis post hac non repetetur. Exẽpla studiosis excogitanda relinquimus.

Posterior.

Posterior est. Maiore existente particulari in prima figura,nihil sequitur. Alioqui enim medium in neutra præmissarũ distribueretur,quũ oporteat minorẽ esse affirmatiuã secundũ regulam præcedentem. Hanc etiam limitant recentiores,nisi concludatur indirectè, vt in Frisesomorũ,& nisi medium in minore distribueretur,aut ei adderetur in conclusione relatiuũ identitatis. De huiusmodi exceptionibus,propterea q̃ rarò in vsum veniant,nihil meminit Arist. nisi quòd in quarta præsentis capitis parte meminit duorũ modorum,indirectè concludentiũ in omni figura.

Literæ expositio.

Iam tandem (vt ad literæ expositionẽ veniamus) non assignat Philosophus conuer-

conuertibilem huius primæ figuræ, vt neq; aliarũ descriptionẽ, sed paulò post initium describit modos vniuersales vtiles huius figuræ his verbis. Quando tres termini sic se habent ad inuicẽ, vt postremus in toto sit medio, & medius in toto primo vel sit vel non sit, necesse est extremitatũ perfectum esse syllogismũ. Quorũ hæc est sententia. Cum tres termini sic ad inuicẽ in præmissis fuerint dispositi, vt minor extremitas vniuersaliter & affirmatiuè subijciatur medio, & medius vniuersaliter siue affirmatiuè siue negatiuè maiori extremitati, tum necesse est syllogismũ concludentẽ extremitates directè de inuicem esse perfectũ. Directè concludere, est maiorem extremitatẽ de minori prædicari. Indirectè verò, minorẽ de maiore. Rectus siquidem ordo postulat, vt maior terminus prędicetur, & subijciatur minor. Prędicta ergo descriptione precipuè continentur duo vniuersales modi, tam ratione conclusionis, quàm præmissarũ, scilicet Barbara & Celarent. Et deinde alij duo vniuersales, solum ob præmissas, qui consimili nomenclatura dici possunt Barbari & Celaront, quorũ non est adeò frequens vsus.

Modorum vniuersaliũ primæ figuræ descriptio.

Quid directè & indirectè colligere.

Mox definit mediũ huius figuræ. Medium est quod in alio est, & aliud in ipso. Esse in alio, est subijci alteri. Et assignata est ista definitio omni medio syllogismi affirmatiui primæ figuræ; tam inutilis quàm vtilis, nisi aliter particulas definitionis exponas q̃ soleant. Est ergo sensum Medium primę figuræ est medium, id est, terminus bis sumptus ante conclusionẽ, quod alicui affirmatiuè subijcitur, & cui alterũ aliquod vocabulum sic est subiectum. Quod verò adiungitur (quod & medium positione est) accipi solet tanquam secunda descriptio, intelligiturq; a quibusdã de positione naturalis ordinis, quę habent termini ad inuicẽ, vt ille sit primus, qui est cõmunissimus, & postremus qui minimè cõmunis. Medius verò, qui inter vtrunq; secundum cõmunitatem locatur. Eo modo sese habent ad inuicem, corpus, animal, & homo. Et quia in negatiuis syllogismis talis ordo non deprehenditur, rectè aiunt & consulto Aristotelem tantũ medium affirmatiuorũ syllogismorũ definiuisse. Verùm huic expositioni obijci potest; quòd multi sunt syllogismi huius figuræ etiã affirmatiui, in quibus termini ad illum modum non sese habent. Nam & perfectissimæ demonstrationes ex conuertibilibus constituuntur. Idcirco alij dicunt, medium primæ figurę ob id dici positione medium, quia in legitima & consueta assignatione terminorũ syllogismi conficiendi, medio loco proponi assolet & debet, propterea quòd semel subijcitur, & semel prædicatur. Vndè id primũ locum in proponendis terminis sibi vendicare debet, quod frequentissimè prædicatur. Id verò vltimũ, quod sæpissimè subiectũ est: Et id medium, quod partim prædicatum fuerit, & partim subiectum. Quo patet, in prima figura maiorẽ extremitatem primò esse proponendã, quia tam in maiore q̃ conclusione prædicatur, Minorẽ verò vltimo, quæ semper subijcitur, Medium autẽ secundas partes obtinere, quod vtrasq; & prædicandi & subijciendi partes æqualiter est sortitum.

Quid sit primæ figuræ medium.

Obiectio.

Extrema huius figuræ sunt, quorũ alterum est in alio, & alterum in quo aliud est. Quæ satis manifesta est, si meminerimus quidnã hic sit esse in, & quòd ablatiuus alio, & nominatiuus aliud, pro eodem sint accipiendi, scilicet medio. Contineturq; sub priore parte minor extremitas, & sub posteriore maior, id quod etiã declarant subsequentes definitiones. Maior extremitas est, in qua medium est vel non est. Minor verò, quæ sub medio est. Postea verò describuntur duo particulares modi huius figuræ directè concludentes, qui dicuntur Darij & Ferio, his verbis. Si primum medio cõpetat vniuersaliter, aut vniuersaliter non competat, & medium postremo particulariter, necesse est syllogismum esse perfectum. Quod intellige, modo directè concludat. Et quod sequitur (Si de omni & de nullo &c.) adiunctum est, vt sciamus, hos etiã syllogismos particulares; immediatè per illa principia regulari. Illud autẽ (Atq; idem erit syllogismus &c.) significat particularem & indefinitã quantitatem cõmutatam non variare formã argumentationis, sed similem relinquere syllogismũ, neq; ex vtili inutilem efficere, aut contra. Vndè manifestum est, indefinitam propositionẽ ex se non habere vim vniuersalis, vt nonnullis visum fuit.

Extremitatũ primæ figurę descriptio.

Modorum particulariũ primæ figuræ descriptio.

Superius dictum est, in omni figura .16. esse modos, partim vtiles, partim inutiles, accipiendo modum pro dispositione præmissarũ tantum incerta qualitate & quantitate. Et iam didicimus, quatuor inueniri vtiles in hac figura, duos quidem vniuersales, & duos particulares. Reliquos ergo duodecim ostendit inutiles esse ad directè concludendum, propterea quòd & omni & nulli contingit postremo primum inesse, hoc est, stãte dispositione eorũ in præmissis, potest maior extremitas vniuersaliter & verè affirmari de minore, & potest alia extremitas simili seruata dispositione vniuersaliter & verè de sua minore negari, quòd efficacissimè arguit inutilitatem modi, vt mox declarabitur. Atq; hoc est quod aliter dici assolet, ineptum esse & infirmum ad colligendum omnẽ eum modum, in quo dari queãt simul termini in quibus omni, & termini in quibus nulli, supple, primũ inest postremo.

De primæ figuræ modis inutilibus.

Quid sit da re in quibus oi & nulli terminos.

Dare terminos in quibus omni, est assignare tres terminos, ex quibus secundum dispositionem modi propositi confici queant duæ præmissæ, cum quibus in veritate consentit vniuersalis affirmatio maioris extremitatis de minore. Dare verò terminos in quibus nulli, est itidem terminos dare, ex quibus secundũ modum propositũ duabus confectis præmissis, vniuersalis negatio maioris extremi de minore cum his in veritate consentit. Vt in Dare, hoc est, modo cõstante ex præmissis vniuersalibus, sed maiore affirmatiua & minore negatiua, termini in quibus primũ postremo inest omni sunt animal, homo, equus, ex quibus fiũt hæ præmissæ, omnis homo est animal, & nullus equus est homo, cũ quibus simul hæc est vera, ois equus est animal. Termini autẽ in quibus nulli sunt, animal, homo, lapis: ex quibus constitutæ hæ præmissæ, ois homo est animal, & nullus lapis est homo, permittunt secum hanc veram, nullus lapis est animal, in qua maior extremitas vniuersaliter à minore negatur. Qui volet propriè assignare terminos in quibus omni, accipiat maiorem extremitatem communiorem minore aut saltẽ conuertibilem. Contra verò ad expeditè reddendos terminos in quibus nulli, accipiantur extremitates repugnantes. Medium autem sumendum erit iuxta exigentiã modi propositi, neq; de eo certa potest tradi regula vel lex. Porrò prædicta ratio ostendendi syllogisticos modos inutiles esse, fundatur in his maximis propositionibus seu vniuersalibus sententijs. Ex vero nunq̃ sequitur falsum. Omnis consequentia formalis valet in quibusuis terminis, simili seruata argumentationis forma. Contraria neq; contradictoria possunt simul vera esse. Omnis modus vtilis colligit aliquã determinatã conclusionẽ. Verùm vt hæc res exẽplo vno manifestetur, sumatur modus prænominatus qui est Dare, quẽ si quis contenderit vtilem esse, is rogandus est qualisnam conclusio sit inferenda? Si responderit vniuersalem negatiuã, accipiemus terminos in quibus omni antedatos, & hunc instruemus syllogismũ, omnis homo est animal, & nullus equus est homo, ergo nullus equus est animal. Hic præmissæ veræ sunt, & conclusio falsa, quũ contraria vera sit & essentialis, omnis equus est animal. Sin responderit sequi particularem negatiuam, ea erit hæc, aliquis equus non est animal, quã similiter falsam esse oportet, quum illi contradicat verissimæ, omnis equus est animal, aut duę contradictoriæ concedantur simul veræ necesse est. Quòd si, mutata opinione, dixerit in dicto modo sequi vniuersalem affirmatiuã, proponẽdi sunt termini in quibus nulli, & ex eis cõponetur huiusmodi syllogismus, ois homo est animal, nullus lapis est homo, ergo omnis lapis est animal. Quẽ quia vtilẽ essẽ asseuerat, fateatur oportet, sicut antecedẽs ita & consequẽs verũ esse. Et quũ hęc manifestariæ sit veritatis, nullus lapis est animal, cogetur pariter duas admittere contrarias, aut certè pallinodiã canere. Sin autẽ responderit inferendã fuisse particularẽ affirmatiuã, adigetur ad confitendam veritatem duarum contradictoriarum. Simili modo in omnibus alijs inutilibus modis est procedendum. Quòd si quis breuius, quæ dicta sunt, voluerit alia via explicare, reuincat eum, qui dixerit inutiles modos esse vtiles, per hanc regulam seu maximam, Nullius bonæ consequentiæ oppositum consequentis consentit in veritate cum ipso antecedente. Nam in singulis eiusmodi modis euenire facilè docebitur, vt consequentis oppositum constet antecedenti. In fine adijciuntur duo corollaria. Quorum prius ibi positum, Palàm ergo est &c. differentiam continet prædictorũ modorum vtilium huius figuræ ab alijs. Eius probatio apud Aristot. sic habet. Omnes enim perficiuntur per ea quæ ex principio sumuntur. Quod bifariàm exponitur. Vno modo, quòd omnes syllogismi primæ figuræ iam determinati perficiuntur, id est, apparent perfecti ex terminis & propositionibus suis, nullo pacto mutatis, sed eodem penitus modo sese habentibus, vt ab initio sumebantur. Aliter intelligi potest, eos simili modo perfici ex descriptionibus dici de omni & nullo prius positis, quem sensum nostra paraphrasis secuta est. Posterius est, quòd omnia problemata, id est, omne genus problematũ, potest directè per primã figuram in aliquo quatuor modorum eius concludi, cuiuscunq; qualitatis quãtitatisve fuerit. Quo rursus exprimitur huius figuræ à reliquis notabile discrimen. Exempla modorum perfectorum primæ figuræ sunt huiusmodi.

Dare terminos in qbus omni & nulli, quibus innititur maximis.

Exemplum.

Corollario rũ literæ explicatio.

	Bar	Omne vitium est execrandum, &		Da	Omnis homicida est dignus morte,
1	ba	Omnis auaritia est vitium, ergo	3	ri	Milo autem homicida est, ergo
	ra	Omnis auaritia execranda est.		i	Milo est morte dignus.
	Ce	Nullum corpus est indiuisibile,		Fe	Nullum violentum est perpetuum,
2	la	Omnis atomus est corpus, ergo	4	ri	Sed proiectio lapidis sursum est violenta,
	rent	Nullus atomus indiuisibilis est.		o	ergo, Non est perpetua.

In secun-

In secundam partem eiusdem capitis, de secunda figura pertractantem, adnotamentum.

Quãdo verò idẽ alteri q. dem oĩ.

SEcundam figuram ita nobis quodammodo descripsit Philosophus. Quando idem alteri quidem omni, alteri verò nulli inest, vel vtriq; omni vel nulli, figuram huiusmodi voco secundã. Per idẽ intellige mediũ. Per alterũ verò vtrobiq;, maiorem vel minorẽ extremitatẽ. Inesse oĩ, est vniuersaliter affirmari de aliq̃. Inesse nulli est negari vniuersaliter. Est aũt data descriptio, solorũ modorũ vniuersaliũ huius figuræ tã inutiliũ q̃ vtiliũ. Sub prima quidẽ particula cõtinentur duo vtiles, qui dicuntur Cesare & Camestres. Sub reliquis autẽ duabus inutiles.

Secũdæ figuræ descriptio.

Deinde sequuntur in litera descriptiones terminorũ huius figuræ. Mediũ secundæ figuræ est, quod de vtroq; extremo prædicatur. Extremitates autẽ sunt, de quibus medium dicitur. Maior extremitas est, quæ iuxta medium posita est. Minor verò extremitas, quæ longius à medio sita est.

Quid mediũ & q̃ extremitates.

Et vt duæ descriptiones postremæ facilius intelligantur, mox subiecit, quem ordinem in debita assignatione trium terminorum obtineat medium huius figuræ, videlicet primum, quum bis prædicetur. Quare maior extremitas, quæ semel subijcitur & semel prædicatur, secundo. minor verò, quæ semper subiecta est, tertio loco statuetur, & ita longius à medio. Post ibi, Nullus quoq; huius &c. dicit nullum huius figuræ syllogismum perfectum esse, fieri tamen posse syllogismum in ea, tam vniuersaliter quàm non vniuersaliter sumptis terminis. Sumuntur autem termini vniuersaliter, quãdo omnes propositiones vniuersales sunt.

Qui termini vniuersaliter sumuntur.

Prius declarat in duobus modis vniuersalibus Cesare & Camestres, quos ostẽdit esse firmos, ob id quod per conuersionem simplicem præmissæ negatiuæ, seruata eadem affirmatiua, sequitur eadem conclusio vel eius conuertens in primæ figuræ secundo modo, qui dicitur Celarent. In reductione tamen syllogismi in Camestres, etiam opus est pręmissarũ transpositione. Sed de huiusmodi reductione quæ ostensiua vocatur, ac ea quæ est per impossibile, postea diffusior erit sermo. Posterius autem, scilicet non vniuersaliter sumptis &c. explicat similiter in duobus particularibus modis, Festino & Baroco. Quorum priorem perficit reductione ostensiua per conuersionẽ maioris, & posteriorem per impossibilẽ, eò quòd ostensiuè reduci nequeat. Cuius causa in sequentibus patebit. Reliquos autẽ duodecim modos, præter quatuor iam dictos, ostendit inutiles esse, eò q̃ in ipsis dentur termini in quibus omni, & in quibus nulli. Sed quum agit de Fero & Dari, hoc est, modis particularibus, vno constante ex maiore vniuersali & minore particulari negatiuis, & altero ex tantis affirmatiuis, dicit simpliciter quidẽ in ipsis assignari posse terminos in quibus omni, & in quibus nulli, sed nõ in determinata quadam materia, quando scilicet, minor particularis & sua subcontraria sunt simul veræ. Verbi gratia in Fero non sunt hi termini in quibus omni, album, æthiops, homo. Nam ex eis conficiuntur pręmissę veræ, nullus æthiops est albus, & aliquis homo est albus, cum quibus non potest in veritate constare hæc vniuersalis affirmatio maioris extremi de minore, omnis homo est æthiops. Sequitur enim nullus æthiops est albus (quę est maior syllogismi in fero concessa) & omnis homo est æthiops, ergo nullus homo est albus. Conclusio est falsa, quũ contradicat minori in Fero concessæ, ergo altera pręmissarum. Non maior, quæ vera concedebatur, ergo minor, quę erat vniuersalis affirmatio extremi de extremo. Eodem modo declarari poterit in Dari sumptis his termiuis, album, nix, homo. Quid autẽ sit ex indefinito monstrare syllogismi inutilitatem, satis apertè habet Aristoteles. In fine inferuntur duo corollaria. In quorum priore per ea quę insunt terminis ex necessitate, intelligimus conuersiones seu conuertentes pręmissarũ, quę ex terminorũ transpositione necessariò colliguntur. Per ea verò quę ponuntur veluti hypotheses, alterã pręmissam syllogismi imperfecti, cuius firmitas negatur, & contradictoria conclusionis eiusdem.

Corollariorũ in litera positorũ explanatio.

Qui enim negat consequentiam syllogisticã, admittit antecedens posse esse verum sine conclusione, & proinde approbator illius meritò potest assumere contradictoriam conclusionis cum vna præmissarum tanquã veras & concessas. Hęc literę explicationi satis esse arbitramur, nunc paucula sunt adijcienda. Secunda figura (vt in totum definiatur) est, in qua medium bis pręd icatur, vtcunq; id fuerit, siue affirmatiuè semper, aut negatiuè: siue partim hoc, partim illo modo. Nam & in modis inutilibus, figurę ratio inuenitur, vt liquet ex Aristot.

Generalis secũdæ figurę descriptio.

Tres autem assignari solent regulæ speciales secundæ figuræ. Prima est. In secunda figura oportet maiorẽ propositionem esse vniuersalem. Nam alioqui à maiore extremitate indistributa ad distributã procederetur, quum necesse sit conclusionem esse negatiuã, vt non sequitur. Aliquis homo est albus, & nullus æthiops est albus, ergo aliquis æthiops non est homo.

Prima regula in secũda figura obseruanda.

Patitur tamen hęc nonnullas exceptiones, vt quando concluditur indirectè, vel contra solitũ modum loquendi: vel quando medio in altera propositione distributo, ex puris argumentamur affirmatiuis: vel quando medium est terminus singularis, aut

Instãtia huius regulæ.

maior

maior extremitas. & quando maiori extremitati in conclusione additur relatiuũ identitatis, vel medio in minore ambabus existẽtibus affirmatiuis. Secunda, Ex puris affirmatiuis non syllogisatur in secũda figura, quia mediũ in neutra pr̨missarũ distribueretur. Non enim solet distribui prædicatũ propositionis affirmatiuæ, vt non sequitur. Omnis homo est animal, & oĩs equus est animal, ergo omnis equus est homo. Exceptio est, quãdo mediũ in altera præmissarũ distribuitur præter cõmunẽ loquendi consuetudinẽ, & quãdo est singulare, vel ipsi additur relatiuũ identitatis in minore. Tertia sequens ex hac secũda est. In secunda figura semper concluditur negatiuè. Nam oportet alterã pr̨missarum negatiuã esse, atq; hoc est secundum corollarium textus. Exempla quatuor modorum vtilium secundæ figuræ sunt hæc.

Secunda.

Exceptio ab hac secunda regula.

Tertia.

	Ce	Nullus piscis habet calidũ sanguinẽ,		Fes	Nullus spiritus habet carnẽ & ossa
1	sa	Omnis auis calidũ sanguinẽ habet	3	ti	Ego habeo carnem & ossa, ergo
	re	ergo, Nulla auis est piscis.		no	Ego non sum spiritus.
	Ca	Omne animal est sensitiuum, &		Ba	Omnis qui ex Deo est, verbũ Dei audit.
2	mes	Nulla spõgia est sensitiua, ergo	4	ro	Hic non audit verbum Dei, ergo
	tres	Nulla spongia est animal.		co	Hic non est ex Deo.

Si autẽ eidẽ hoc quidem omni.

In tertiam partem de tertia figura agentem, adnotatio.

Eandem rationem sequitur in determinatione tertiæ figuræ, in initio sic inquiens. Si eidem hoc quidem omni, illud verò nulli inest, vel ambo omni vel nulli, figurã huiusmodi voco tertiam. Quæ descriptio vniuersalibus modis huius figuræ vtilibus & inutilibus assignata, satis est ex pr̨cedentibus manifesta. Medium huius figuræ est, de quo ambo, supple extrema, pr̨dicãtur. Extremitates autẽ sunt, quæ prædicantur de medio. Maior extremitas est, quæ longius a medio sita est. Minor verò quæ propius. Nam medium vltimo ponitur, quũ semper subijciatur. Maior extremitas, quæ bis pr̨dicatur, primo: & minor, secundo quę in antecedente pr̨dicatur, & subijcitur in cõclusione. Post hæc, dicto quòd in hac figura nullus sit syllogismus perfectus, enumerat sex modos vtiles, duos quidem vniuersaliter sumptis terminis, qui sunt Darapti & Felapton, & quatuor non vniuersaliter sumptis terminis, qui dicuntur Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison, quos omnes dempto quinto, censet perficiendos ostensiuè per conuersionem, ac omnes perfici posse per impossibile & per expositionem, id est, expositorium syllogismum. Circa quod aduertendum est, expositorium syllogismum tertiæ figuræ perfectum esse & euidentem. Alioqui non per eos perficerentur alij syllogismi de medio communi. Quemadmodum autem reductio ostensiua, quæ fit per conuersionẽ, innititur huic maximæ. Quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, idem ad antecedens eius sequitur. Sic & hæc reductio per expositionẽ ex eadem sententia robur suũ accipit. Nam ambabus positis vniuersalibus affirmatiuis, aut vna affirmatiua & altera negatiua, licet ex eis inferre duas singulares, quarũ subiectũ sit quoduis indiuiduum, pro quo accipiebantur subiecta distributa, quibus singularibus propositionibus pro vniuersalibus assumptis, fiet syllogismus expositorius inferens eandem conclusionẽ, quæ prius ex vniuersalibus erat illata, vt ex pr̨missis huius syllogismi in Darapti, Omnis homo est bipes, & oĩs homo est animal, ergo aliq̃d animal est bipes, inferũtur hę singulares, Socrates est bipes, & Socrates est animal, quæ euidenter colligũt hanc cõplexionem, aliquod animal est bipes, ergo eadẽ ex præmissis illis vniuersalibus rectè inferebatur. Quòd si altera pr̨missarũ syllogismi cõmunis perficiẽdi, fuerit particularis, ex ipsis inferẽtur ꝑpositiones singulares, habẽtes subiectũ id singulare pro q̃ fit verificatio talis particularis ꝑpositionis, & similiter fiet expositorius syllogismus, eandẽ colligẽs conclusionẽ. Est aũt hoc sciendum, hanc reductionẽ per expositionẽ longe diuersam esse ab ostensiua, quæ fit per conuersionẽ, nonnunq̃ etiã concurrente transpositione præmissarum. In huiusmodi enim ostensiua reductione vtimur consequẽtia formali & euidenti, vt conuersione, & ea argumentatione qua ex propositionibus inferimus ipsasmet transpositas. Sed in ista reductione per expositionẽ, consequentiæ per quas proceditur, sunt ineuidentes (Sunt enim enthymematicæ) & frequenter materiales. Deinde ex vniuersali affirmatiua nõ rectè & efficaciter intuleris singularẽ, nisi supposita constãtia ipsius indiuidui inferendi. Et quãdo altera præmissa est particularis, nõ licebit ex ea inferre aliquã determinatã singularem, sed omnes sub disiunctione. Verùm quia tota disiunctiua nequit esse vera, nisi ratione alicuius suæ partis quæ vera sit, & cum qualibet eius parte sequitur alia singularis eiusdem subiecti ex præmissa vniuer-

Tertię figuræ descriptio.

Quid medium, & q̃ extremitates.

Huius tertię figurę modi sex vtiles.

De reductione per expositionem.

vniuersali, ideò dicitur eadem conclusio sequi ex duabus singularibus propositionibus illatis ex huiusmodi cõmunibus, altera vniuersali & altera particulari. Porro interroganti, cur non etiam probauerit Philosophus per expositionem syllogismos imperfectos secundæ figuræ? Respondendum est in primis, in secunda figura concludi vniuersaliter, ad quod non sunt idonei syllogismi expositorij huius tertiæ figuræ. Et si fierent expositorij in secunda figura, illi (si quibusdam credimus) non plus euidentiæ habebunt, quàm qui constant ex medio cõmuni. Vel potius assignanda est ratio, quòd syllogismus expositorius medium habet singulare, cui non cõpetit prædicari, sed subijci, id quod in tertia quidem figura seruatur, in secunda verò nequaquã. Et ideò terminus singularis non potest esse cõueniens & naturale medium secundæ figuræ. Quæ de decem modis inutilibus sequuntur ibi, Quocunq; autem alio modo termini disponãtur &c. vsq; in finem huius partis, satis esse possunt ex præcedentibus perspicua, nunc aliud quiddam restat adijciendum. Tertia figura est, in qua mediũ bis subijcitur. Hanc Laurentius Valla in totum censet improbãdam. Tertia (inquit) quæ ab istis constituitur figura, nihil in se habet sanitatis, sed tota planè insana est, vt pudeat me vnicè eorũ. qui vel inuenerunt eam, vel probandã putauerunt. Et quod sit turpius sexquipartitã faciunt, cum aliæ sint quadrupartitæ, id est, maiorẽ cæteris. Cuius primus modus est (vt eorum vtar exemplis) quẽ vocant Darapti, omnis homo est substantia, omnis homo est animal, ergo quoddam animal est substantia, &c. Et infra. Nec hic quidẽ possum me continere, quo minus exclamẽ. O Polypheme nugator. O nugarũ amatrix Peripatetica familia. O natio insaniens, quẽ vnquã ita argumentantem audistis? imò quis vestrum ita argumentari visus est. quis ita argumentantem admitteret, pateretur, intelligeret? quo mihi argumentandi artificium? perinde ac si velletis inuenire alias literas, non quæ nostram linguam ad eam exprimendam adiuuarent, sed aliam facerent, si quis aliam linguã facere vellet. An non intelligitis, in omnibus esse naturam ducem? Cur enim illos modos quos approbaui approbant omnes? quia natura duce omnes vtuntur, etiam rusticani, etiam fœminæ, etiam pueri, quorũ in ore licet omnes illos modos annotare, nullum autem illorum sex. Ideo cum hos audiunt, non agnoscunt in se, sed admirantur veluti prodigia, reformidantq; contingere. Hæc tua sunt mi Laurenti, quę ingentem tui animi mansuetudinẽ belle cõmonstrant, quibusq; tertiam syllogismorũ figurã è medio tollere conaris, quã velis nolis consistere necessum est. Arbitraris tu tuis hisce insanis exclamationibus, quibus Peripateticã familiam insaniæ accusas. rusticanorumq;, & fœminarũ, & puerorum iudicio nos assensum præbituros, posthabita Peripateticorũ Arist. Theophrasti, Endemi, Boetij, cæterorumq; insignium virorum sententia? Ante leues pascentur in æthere cerui. Et freta destituent nudos in littore pisces, q̃ nos in tuam pellexeris sententiam. Hac sane nostra ætate egregium tuæ assertionis propugnatorem habuisti quendam, & eruditione & eloquentia insignẽ, sed te longè modestiorem. Verùm hic sententia in melius mutata, quòd posterius hanc rem exactius acutiusq; expendit, tuæ aciei desertor effectus, ad Peripateticorũ castra perfugit, & veluti Peripatetici exercitus antesignanus atq; dux, te factionis autorẽ tuamq; cohortẽ vnico Pugionis ictu confodit. Tertia inquit figura est, in qua medium ponitur subiecti loco in maiore & minore. Nec sane tam molliter cohærent huius figuræ syllogismi, vt superiorũ. id quod intelligi potest, si syllogismus in enthimema mutetur. Itaq; Laurentius Valla non leuiter stomachatur hoc loco, & Arist. tanq; capitali iudicio accusat, quòd hanc figurã tradiderit. Sed Valla dum nullũ rixandi finẽ facit, sæpe etiam incurrit (vt fit ab iracundis) in illos, qui nihil peccauerũt. Mihi nõ iam plumbeo ingenio Arist. fuisse videtur, vt nulla de causa tertiã figurã tradiderit. Est enim reperire exẽpla eius figuræ, in quibus si mutes dispositionẽ medij, feceris totũ syllogismũ obscuriorẽ. Quanq; igitur non sit coagmentatio tam cõcinna vocũ in hac figura, quę est in superioribus, tamẽ qa sępe vti ea cõmode possumus, nõ fuit hæc figura prętermittẽda. Multa exẽpla obseruaui, quę me mouẽt, vt hãc figurã non ducã esse repudiandam. Sequamur igitur veterum scholarũ consuetudinem, nec nobis excuti de manibus veterum inuenta sinamus, sed ea tanquam sacra colamus & veneremur. Sic ille ex Laurentiana secta transfuga. Alia quæ aduersus Laurentium adferri possent, omittimus, vt huic digressioni tandem sit finis. Duæ sunt in hac figura regulæ speciales obseruãdæ. Prior, ne minor sit negatiua. Nam sic a maiore extremitate in antecedente non distributa (esset enim prædicatum maioris affirmatiuæ) ad eandem in conclusione negatiua distributam procederetur. Exempli gratia non sequitur. Omnis elephas est quadrupes & nullus elephas est camelus, igitur camelus non est quadrupes. Habet hæc regula paucas sed insuratas exceptiones. Vna est quando concluditur indirectè, vt ex præmissis dicti syllogismi licet inferre, ergo aliquod

Quæstionis incidentis solutio.

Quid tertia figura.

Prior regula in tertia figura obseruanda.

Ab hac regula exceptiões.

quadrupes non est camelus. Aliæ sunt, quando maior extremitas est singularis, vel in maiore propositione distribuitur, aut ipsi in conclusione additur relatiuum identitatis, vel concluditur complexio contra consuetam loquẽdi rationem. Posterior est, In tertia figura semper concludendum est particulariter, alioqui a minori extremitate indistributa ad distributionem eius procederetur, quum secundum priorem regulam oporteat minorem propositionem esse affirmatiuã. Exceptio est, quando minor extremitas in minore distribuitur, aut quando indirectè concluditur maiore extremitate in antecedente distributa, & vniuersaliter quando cauetur dictus defectus. Deinde quando minor extremitas cum medio fuerit conuertibilis, licebit per materialem consequentiam inferre conclusionem vniuersalem in tertia figura, Vt omnis homo est mortalis, & omnis homo est animal capax beatitudinis, ergo omne animal capax beatitudinis est mortale. Hunc vocat Aristoteles syllogismum secundum æqualitatẽ in subiectis, vt alibi patebit. Exempla sex modorum tertiæ figuræ sunt huiusmodi.

Posterior regula.

Exceptiões,

Da Omnis anas natat.
1 rap Omnis anas est volucris, ergo
ti Quædam volucris natat.

Fe Nulla scientia nobis est congenita,
2 lap Omnis scientia est animi promptitudo, ergo
ton Non omnis animi promptitudo nobis congenita est.

Di Quoddam bellum est necessario ferendum, &
3 sa Omne bellum est calamitosum, ergo
mis Quoddam calamitosum necessario est ferendum.

Da Omnis homo potestatibus sublimioribus subiectus est,
4 ti &, Quidam homo est Christianus, ergo
si Christianus subiectus est potestatibus sublimioribus.

Bo Quædam castitas non est perpetua,
5 car Omnis tamen castitas est virtus, ergo
do Quædam virtus non est perpetua.

Fe Nullæ veteres leges sunt è republica tollendæ,
6 ri Pleræq; veteres leges habent aliquid vitij, ergo
son Quædam vitij aliquid habentia, non sunt tollenda è republica.

Hæc exempla si in aliam figurã redegeris mutata medij dispositione, profectò naturalem ordinẽ terminorũ inuertens, totũ reddideris syllogismũ obscuriorẽ dVrioremq; propositionũ ratione. Superest, vt de reductionibus syllogismorũ imperfectorum ad perfectos tandẽ dicamus, idq; dilucidè & strictim. Nam hoc consilio id laboris hucusq; dilatum est, vt vno in loco totũ id negotiũ expositũ facilius & integrius cõdisceretur. Omissa igitur reductione per expositionẽ, de qua iam ante disseruimus, & quæ ad tertiæ figuræ syllogismos propriè pertinet, duplex restat tractãda reductio, vna ostensiua, altera per impossibile. Reducitur autẽ syllogismus imperfectus ostensiuè, quãdo aut eisdẽ pręmissis prorsus immutatis, euidẽter infertur alia cõclusio cõuertibilis in priorẽ conclusionẽ ineuidenter illatã. aut ex præmissis imperfecti syllogismi per vnã vel plures cõuersiones præmissarũ, cõcurrente earundem transpositione, infertur euidenter eadem cõclusio, vel alia in ipsam potens cõuerti. exẽpla primi membri sunt tres modi primæ figuræ indirectè concludentes, qui sunt apud Boetium in libro de categoricis syllogismis, scilicet Baralipton, Celantes, Dabitis. Horũ enim præmissæ euidenter inferũt in modis perfectis Barbara, Celarent, & Darij cõclusiones, per accidens vel simpliciter conuertibiles in illas conclusiones obscurè illatas. Sub secunda parte continentur Cæsare, Festino, Darapti, Felapton, Datisi, & Ferison. Egent enim vnius dumtaxat præmissæ cõuersione. Sub tertia verò cõprehenduntur Fapesmo & Frisesomorũ. Sub quarta, Camestres, & Disamis. Nam in illis duobus per reductionẽ ad Ferio, colligitur euidenter eadem conclusio. In his verò per reductionẽ ad Celarent & Darij inferuntur conclusiones conuertibiles in imperfectorũ syllogismorum

De ostẽsiua reductione.

gismorum complexiones, vbiq; tamen ad conuersionem alicuius vel ambarũ præmissarũ, accedente harũ transpositione. Sed quo pacto vnusquisq; modus imperfectus sit ostensiuè reducendus ad modum aliquem perfectũ, facili cõpendio te docere poterunt consonantes literæ, in nominibus modorũ (quæ vocabula artis dicuntur à quibusdã) contentæ. Eæ sunt, b, c, d, f, m, p, s. Nam omnẽ syllogismũ aliqua quatuor primarũ inchoat, significans ipsum si imperfectus fuerit, ad eum perfectũ modum reduci debere ostensiuè, qui eandẽ possederit initialem literã, vt omnes syllogismi imperfecti ostensiuè reducibiles, quorũ initium est prima consonãs b, reducuntur ad barbara. quorũ verò c, ad Celarent. quorũ d, ad Darij. & quorũ f, ad Ferio. Alibi verò positæ eædẽ consonantes, nullã habent in hac re significationẽ. nisi quod c, in medio posita, indicat eum modum non posse ostensiuè perfici, quod in solis Baroco & Bocardo vsu venit. Cæterarũ aũt consonãtium p, designat in reductione propositionẽ eam quę per vocalem pręcedentẽ intelligitur, per accidens esse conuertendã, nisi fortè in fine collocaretur. Tum enim significaret, conclusionẽ imperfecti syllogismi non per accidens conuertendã, sed potius conuersionẽ conclusionis perfecti syllogismi in illã, vt accidit in Baralipton. s, verò indicat conuersionẽ simplicem propositionis significatæ per præcedentẽ vocalem. m, aũt vbilibet posita, transponendarũ præmissarũ est signũ. Hæc qui diligenter obseruauerit, promptissimè quemlibet perfectũ syllogismũ ostensiuè reducet ad primæ figuræ euidentes modos, modò in principio frequentiuscula adfuerit exercitatio. Intelligenda aũt sunt iam dicta, de syllogismis ex medio cõmuni constantibus. Si enim medium foret singulare, non posset talis reductio per eiusmodi conuersiones procedere ad aliquẽ quatuor principalium primæ figuræ, sed ad expositorium quempiam syllogismũ primæ vel tertiæ. Ratio autem cur Baroco & Bocardo nequeant ostensiuè perfici est, quia si id fieret, cõponendus esset syllogismus primæ figuræ ex ambabus particularibus præmissis, aut conuertenda esset particularis negatiua in vniuersalem, quæ sunt impossibilia. Quis autem posset esse vsus huiusmodi reductionis, vno exemplo ostendemus. Si quis inficiabitur syllogismum in Cesare esse vtilem & firmã consequentiam, propterea quòd obscurè colligat, is hoc pacto est redarguendus. Præmissæ in Cesare inferunt præmissas dispositas in Celarent, per conuersionẽ simplicẽ maioris, sed hæ præmissæ in Cælarent efficaciter colligunt eam conclusionẽ quæ prius in Cesare inferebatur, ergo & præmissæ eius modi, qui dicitur Cesare, necessariò inferebãt conclusionem suam. Nam quicquid sequitur ad consequẽs, ita sequatur necessum est ad antecedens. Apparent hæc euidentissimè in his syllogismis, nullus equus est bipes, & omnis homo est bipes, ergo nullus homo est equus. nullum bipes est equus, & omnis homo est bipes, ergo nullus homo est equus.

Altera reductio quæ dicitur per impossibile, in omnibus imperfectis syllogismis locũ habens, est qua probãtur esse boni, eò q; ex opposito cõtradictorio conclusionis cum altera pręmissarum, infertur in modo euidenti contradictoriũ alterius præmissæ vel contrariũ. Exempla ex dicendis patebũt. Accipit autẽ hęc reductio robur suũ ex hac maxima. Omnis ea consequentia bona est, ex cuius consequentis opposito cũ altera antecedentis parte (si plures sint) necessariò infertur contrarium vel contradictoriũ reliquæ partis ipsius antecedentis. Hac reductione cogitur is qui pertinaciter negauerit, syllogismũ aliquẽ imperfectũ esse bonã consequẽtiam, cõcedere duo contradictoria aut cõtraria simul esse vera, quod est impossibile. Et ob id hæc reductio ad impossibile quidẽ dicitur, q̃d aduersariũ ad impossibile ducat. Vt si neges hunc syllogismũ in Cesare esse bonũ, nulla plãta est animal, & oĩs homo est animal, ergo nullus homo est planta, dicas oppositũ antecedens posse esse verũ, quũ consequẽs sit fallum. Esto igitur ita. Quare erit contradictorium consequentis verũ, aliquis homo est planta. Et cũ vtraq; præmissa dati syllogismi, etiam per te vera sit, accipiam alterã scilicet maiorẽ, conficiens hunc syllogismũ in Ferio, nulla planta est animal, & aliquis homo est planta, ergo aliquis homo non est animal. Hic syllogismus euidens est, quare eum negare nõ potes. Antecedens aũt totũ est a te concessum. Quare & consequens fatearis necesse est, hoc autẽ cõtradicit minori ipsius syllogismi imperfecti, quã etiam dicebas verã esse. Cogeris ergo, velis nolis, duas pariter admittere cõtradictorias veras, aut fateri syllogismũ in Cesare fuisse consequentiam necessariam. Inter modos ab Aristotele assignatos, duo tantũ sunt qui hac reductione indigeant vt perficiantur, nempe Baroco & Bocardo. Reliqui verò omnes gemina ratione possunt perfici. Quoniam autẽ in vnaquaq; figura xvj. sunt modi, & horũ aliqui vbiq; sunt inutiles, vt qui peccant contra regulas generales omnium syllogismorũ. Alij verò hic quidem vtiles, illic verò inutiles, quum cuiusdam figuræ peculiares regulas non obseruent, placuit hanc rem totam in tabula simul spectandam exhibere. Per spacium vacuum inutilitatem agnosces.

De reductione syllogismorum per impossibile.
Maxima propositio.

 In prima

	In prima figura.		In secunda.		In tertia.	
	Directè	Indirectè	Directè	Indirectè	Directè	Indirectè
aa	Barbara	Baralipton			Darapti	
ae		Fapesmo	Camestres	Faresmo		Fapemo
ai	Darij	Dabiris			Datisi	
ao			Baroco			
ea	Celarēt	Celantes	Cesare		Felapton	
ee						
ei	Ferio		Festino		Ferison	
eo						
ia					Disamis	
ie		Friselomorum		Firesmo		Frisemo
ii						
io						
oa					Bocardo	
oe						
oi						
oo						

Palàm quoq; ē ex dictis

In quartam partem, quinq; corollaria ex superius dictis colligentem, adnotatio.

Colligit ex prius traditis in omnibus figuris, quinq; corollaria, quorū primum est. In omni figura ex ambabus particularibus, siue affirmatiuæ siue negatiuæ fuerint, nulla sequitur conclusio. De hac re superius satis diximus in assignatione regularum generalium.

Primū literę corollariū. *Secundum.* Secundum est. In omni figura ex maiori vniuersali vel particulari affirmatiua, & minori vniuersali negatiua, syllogisticè sequitur conclusio indirecta minoris extremitatis de maiore. Hi modi in prima figura dicūtur Fapesmo, & Frisesomorū. In secūda, Faresmo & Firesmo. In tertia verò, Fapemo & Frisemo. Protulit aūt Aristoteles hoc corollariū, vt ostenderet, nō omnē cōiugationem pręmissarū, quæ ante dicta est inutilis ad directè concludendū, simpliciter & prorsus esse inutilem, quū saltē indirectā inferre valeat conclusionē, atq; ideò trium illorū modorum imperfectorū primæ figuræ, quos ante diximus a Boetio adiectos, non meminit: quoniam hi etiam directè possunt concludere. *Tertium.* Tertium est. In omni figura, indefinita pro particulari posita eundē facit syllogismū. *Quartum.* Quartū. Omnes imperfecti syllogismi perficiūtur per primā figurā ostensiuè vel per impossibile. Quo aūt id pacto fiat, ex supradictis est manifestū.

Quintum. Quintū. Omnes alij syllogismi possunt ad vniuersales modos primę figuræ reduci. Quod intelligendū est de reductione ostensiua vel per impossibile, mediata vel immediata. Declaratur hoc corollariū sufficienter in litera. In qua cū dicitur. Primę autē figuræ &c. notabis, aliud esse reduci syllogismū ad modum aliquē, & aliud perfici per ipsum. Vt enim dicitur in secundo huius, syllogismi vniuersales primæ figuræ reducuntur ad alios, per quos certū est eos nō posse perfici, cū sint perfectissimi, adeò vt particulares ad ipsos vniuersales tanq̄ ad perfectiores reduci dicātur. Quidam etiā nituntur reducere Celarent ad Barbara, tanquam modū potissimum & euidentissimū omnium, quod efficiūt reducto Celarēt ostensiuè ad Camestres, & deinde Camestres ad Barbara per impossibile, sumpto cōtrario conclusionis cū maiore de Camestres, & inferendo contrarium minoris. Quod dicitur in litera, particulares syllogismos tertiæ figuræ statim per particulares primæ perfici, intelligitur, nisi ipsi statim per vniuersales primæ possint perfici, vt sunt syllogismi de Bocardo.

Quoniā diuersū ē inesse

In primam partem secundi capitis, docentem syllogisare ex meris de necessario, scholia.

Cur doceat Philosophus prius ex pronūciatis de necessario syllogismum cōnectere. Postquam superiori capite monstratū est, qua via cōstituendus sit syllogismus ex propositionibus de inesse, per octo partes huius secūdi capitis ostēdit Philosophus, q̄modo ex modalibus ꝓpositionib[9] sit syllogisandū, a ꝓnūciatis de necessario inchoās, ob id fortassis, q̄ hęc cū illis quę de inesse sunt, magis sint cognata & affinia. Prius enim dictū est, eas oēs quę de inesse sunt propositiones simili modo cōuerti cū illis de necesse, nō aūt oēs quæ sunt de cōtingēti. In primæ partis exordio monstrat, syllogismos ex propositionibus modò de inesse, modò de necesse & contingere inesse, varios esse atq; diuersos, non quidem secundum syllogisticā formā, sed duntaxat ratione materiæ, siue ob diuersos enūciandi modos in illis propositionibus obseruatos,

obſeruatos, propter quos dicuntur talium ſyllogiſmorum termini non ſimiliter ſeſe habere. Indicat quoq; Philoſophus horũ trium, ex neceſſitate ineſſe, ſimpliciter ineſſe, & contingere ineſſe, id eſt, poſſe ineſſe, tertium quàm duo priora latius patère. & primũ duobus reliquis ſtrictius. Cæterùm quia ſyllogiſmorum ex pronunciatis modalibus ſiue puri ſint, ex ambabus videlicet modalibus conflati, ſiue mixti, non admodum frequens eſt in diſciplinis vſus, in iis declarandis diutius immorandi non eſt nobis animus. Et proinde paucis, vbi non ſatis aperta ſuerit litera annotatiunculis contenti, breuitati ſtudere conabimur. Et ſi plura nonnunquam liceat reperire in Boetiana verſione, quàm in noſtra tranſlatione aut potius paraphraſi, illa non ſtatuimus indicare, niſi plurimum habeant momenti, aut diuerſam attulerint ſententiam.

Docturus igitur Philoſophus ſyllogiſare ex puris de neceſſario in omnibus figuris. Ex propoſitionibus (inquit) de neceſſario ſimiliter ferè fit & non fit ſyllogiſmus, ſicut in illis de ineſſe. Cuius probationis mox ſubiunctæ prior pars de negatiuæ vniuerſalis conuerſione mentionẽ faciens, congruit vniuerſalibus modis ſecũdæ figuræ. Poſterior verò, de in toto eſſe, & de omni dici agens, ſyllogiſmis primæ figuræ eſt applicanda, quod ſatis inſinuat particula ſequens, Eodẽ ergo modo in aliis figuris, &c̃. Porrò ex duabus maximis ſyllogiſmorũ de ineſſe, facilè fuerit has alias duas colligere, ſecundũ quarũ dictamen formnadi erunt ſyllogiſmi de quibus nunc agimus. Vna eſt, Quicquid de ſubiecto vniuerſaliter perfectèq; diſtributo, neceſſario (id eſt, modi neceſſe ad copulam facta adiectione) prædicatur, & de omni quod ſimiliter ſubſumptum eſt, neceſſe eſt cum modo neceſſitatis prædicari. Altera eſt, Quicquid remouetur a ſubiecto perfectè diſtributo, ſimili modo remouetur ab omni eo de quo mediãte copula modo neceſſitatis determinata, tale ſubiectum dici natum eſt. Porrò illud textus (ſimiliter ferè fit ſyllogiſmus) arbitramur ab Ariſtotele expoſitum dum ſubdit. Verùm in hoc differentia eſt &c̃. Et ſi non ignoremus, alios aliò id referre, quorum iudicio non licet ex neceſſariis indirectim colligere. Verùm hæc ſententia non ſatis conſentanea eſt iis, quę de modalium enunciationũ conuerſione prius ſunt tradita. Syllogiſmi igitur perfecti ex propoſitionibus de neceſſario conſtantes, ex regulis dici de omni & dici de nullo ſuũ robur accipiunt. Qui verò imperfecti ſunt, & ad ſyllogiſmos euidentes queũt reduci, eo perſiciuntur modo, quo ſyllogiſmi abſoluti ſeu de ineſſe, ſeruata vtrâq; de neceſſario præmiſſa. Baroco autẽ & Bocardo, quę oſtenſiuè perſici non valent, quanq; per impoſſibile queant reduci ad Barbara, non tamen vtrâq; præmiſſarũ de neceſſario permanente, eo ꝙ concluſionis contradictoriũ neceſſe ſit eſſe de contingẽti ſiue poſſibili. Atq; proinde in textu negãtur poſſe perſici, quemadmodum ſyllogiſmi de ineſſe, qui dum reducuntur, omnes ſeruãt de ineſſe propoſitiones. Verbi gratia hi ſyllogiſmi, omnis homo ex neceſſitate eſt animal, & quoddam albũ ex neceſſitate non eſt animal, ergo quoddã album ex neceſſitate non eſt homo. Quoddam album ex neceſſitate non eſt animal, & omne albũ ex neceſſitate eſt coloratũ, igitur quoddam coloratum ex neceſſitate nõ eſt animal. In hunc modum per impoſſibile perficiũtur, Omnis homo ex neceſſitate eſt animal, & omne albũ poſſibiliter eſt homo, ergo omne albũ poſſibiliter eſt animal. Omne coloratum poſsibile eſt eſſe animal, & omne album neceſſe eſt eſſe coloratũ, ergo omne album poſsibile eſt eſſe animal. In quibus ſyllogiſmis præmiſſarũ vna eſt de contingenti, & altera de neceſſario, de quo quidẽ ſyllogiſandi modo poſterius tractabitur. Oſtendentur igitur illi ſyllogiſmi ex ambabus de neceſſario præmiſsis negatiuã particularẽ exponẽdo, id eſt, ſubſumendo ſub illius ſubiecto ſingulare aliquod, pro quo vera reddebatur eiuſmodi particularis negatiua, ſyllogiſmo in eâdem ſecũda vel tertia figura conſtituto hoc modo. Omnem hominẽ neceſſe eſt eſſe animal. & hoc album, demonſtrata particulari niue, ex neceſsitate non eſt animal. hoc igitur albũ ex neceſsitate non eſt homo. Atq; ex hac concluſione, poſita ſubiecti conſtantia, ſequitur quoddã albũ ex neceſsitate non eſſe animal. Hoc albũ, eadẽ niue deſignata, ex neceſſitate nõ eſt animal. & hoc albũ ex neceſsitate eſt coloratũ, ergo quoddã coloratũ ex neceſsitate nõ eſt animal. Atq; hic poſterior ſyllogiſmus eſt expoſitorius, nõ autẽ ille prior. Poſſunt & iidem aliter expoſitione mõſtrari, nempe ſumpto termino cõmuni ſub particularis negatiuæ ſubiecto, cui ſubiectũ vniuerſaliter cõpetit, & ab eodẽ vniuerſaliter remouetur prædicatũ hoc pacto, Omnis homo ex neceſsitate eſt animal, & omnis nix ex neceſsitate non eſt animal, omnis nix igitur ex neceſsitate non eſt homo, in Cameſtres. Deinde in Felapton. Omnis nix ex neceſsitate nõ eſt homo, & omnis nix ex neceſsitate eſt albũ, ergo quoddã album ex neceſſitate non eſt homo. Aut in Ferio, adiecta eidem maiori hac minore, quoddam album ex neceſsitate eſt nix. Simili modo procedendum eſt in oſtendenda concluſione ſecundi ſyllogiſmi. Vt omnis nix ex neceſsitate non eſt animal, & omnis nix ex neceſsitate eſt alba, ergo

Duæ maximę regulatiuæ ſyllogiſmorũ ex ꝓpoſitiõibus de neceſſario conſtructorum.

De reductione modorũ Baroco & Bocardo ex ꝓnunciatis de neceſſario cõſtãtiũ.

quoddã albũ ex necessitate non est animal. Priorẽ sensum atq; expositionẽ amplectitur Albertus. Posteriorẽ autẽ quã subindicat Commentator, prosequitur Iacobus Faber ex prius declaratis sic colligẽs. Vndè fit, vt nõ satis cõmodè finiretur syllogismus, qui expositione fit is esse, cuius medium terminus est singularis. Nam aliquando (vt modò visum est) vniuersalis terminus est, Verùm ille est, qui ex exposito designatoq; fit termino, siue is terminus extremum sit, vt modò in secũda figura visum est: siue sit mediũ, vt visum est in tertia, siue sit cõmunis siue singularis. Communes tamen disciplinis sunt accommodatiores. Hæc illæ.

Accidit aũt quãdoq; in prima figura.

In secundam partem docentẽ syllogisare ex vna de necessario & altera de inesse, adnotamentum.

Hac in parte cõmonstrat Philosophus, quo pacto syllogisandum sit ex mixtis propositionibus, vna de inesse & altera de necessario. Pro cuius rei pleniori cognitione animaduertendum, propositionẽ de necessario, verbi gratia, omnẽ hominem de necessitate esse animal, duplicem recipere sensum. Vnum secundũ quem designatur, quicquid necessariò homo est, de necessitate esse animal. Atq; hic sensus maximè idoneus est, ac accõmodus, constituendo syllogismo ex vtrisq; præmissis de necessario. Alterum, in quo significatur, omne id quod simpliciter absolutéq; est homo, de necessitate esse animal. Qui quidẽ sensus pręcipuè congruit syllogismis conflandis ex præmissis vna de necessario & altera de inesse. His duobus sensibus, reddi possunt hæ duæ maximæ respondentes. Quicquid pędicatur cum necessitatis modo de subiecto cõpletè distributo, prædicatur de quolibet sub illo cum modò necessitatis subsumpto. Quicquid pędicatur cum necessitatis modo de subiecto cõpletè distributo, prædicatur de quolibet sub ipso subsumpto. Consimili modo de negatiuo de necessario est sentiendum.

Duplex expositiõis de necessario sensus. Prior. Posterior.

Insuper annotandum, duplicẽ esse propositionẽ de inesse. Vna de inesse simpliciter, quæ siue affirmatiua fuerit siue negatiua, semper est vera, aut quia essentialis est prædicatio, aut ex eiusmodi potens inferri. Vt hominẽ esse animal, hominẽ non esse leonẽ. Et hæc, Alberti sententia, secundum rem est de necessario, & si non secundũ enunciandi modũ. Altera est de inesse secundũ quid, siue pro hoc aut illo tempore, quæ nonnunq̃ vera existit, licet nõ perpetuò, Vt omnẽ hominẽ ambulare, omnẽ equum vigilare, & id genus alia. Quibus prælibatis ad literę expositionẽ veniamus. Est igitur trium conclusionũ in literæ exordio positarum hæc sententia. In prima figura ex maiore de necessario, siue affirmatiua sit, siue negatiua, & minori vniuersali vel particulari de inesse simpliciter, immediatè colligitur conclusio de necessario, & proinde etiã ea, quę est de inesse. Contra aũt ex maiore de inesse secundũ quid, & minore de necessario, & si legitimè inferatur conclusio de inesse, non tamen quæ est de necessario, nisi in modis negatiuis maior sumatur extremitas dũtaxat pro præsentibus. Exẽplis abstinemus, ob eam quã prius diximus causam. Cæterùm trium sequentium conclusionũ pro secunda figura assignatarũ hic est sensus. In secunda figura vniuersali negatiua de necessario, & altera de inesse simpliciter vniuersali, aut particulari, inferatur conclusio de necessario.

Duplex de inesse propositio.

Negatiua verò siue vniuersali siue particulari de inesse secundũ quid, & affirmatiua particulari vel vniuersali de necessario, non colligitur conclusio de necessario, sed de inesse dũtaxat. Prima pars declaratur in litera de Cesare, Camestres, & Festino: Et secunda tribus rationibus monstratur. Opinantur attamen nonnulli, sumpto ex quinta parte sequenti argumento, In omni secundæ figuræ modo, constitui syllogismũ ex altera de necessario, modò termini eodẽ modo accipiantur, Aristotelisq; hunc locũ intelligendum esse de eo syllogismo, qui ostensiuo modo perfici queat per primæ figuræ syllogismum. Atq; hunc syllogismũ in Baroco legitimũ efficacémq; esse, Omne vigilans est homo, quidã equus de necessitate non est homo, ergo quidã equus de necessitate non est vigilans, sumpto vigilanti in conclusione pro eo quod est, quẽadmodum in maiore sumebatur. Qui quidẽ syllogismus per impossibile hoc modo perficiendus est in Barbara, omne vigilans est homo, & omnis equus possibiliter est vigilans, omnis igitur equus possibiliter est homo: accepto vigilanti in minori solum pro eo quod est. Sed de hac re forsitan in sequentibus latius dicemus. Insuper quatuor conclusionum in litera sequentium hæc est sententia. In tertia figura in affirmatiuis vniuersalibus modis, altera de necessario, & altera de inesse. Item & in modis particularibus, vniuersali de necessario, & altera de inesse colligitur conclusio de necessario, non autem si vniuersalis de inesse fuerit, & particularis de necessario. In negatiuis autem eiusdem figuræ modis, vniuersali negatiua de necessario, & affirmatiua vniuersali vel particulari de inesse, sequitur conclusio de necessario, aliàs verò minimè. Id quod intelligunt illi, quorum mox mentionem fecimus, de syllogismo ostensiuè ad primam fignrã reducibili. Nam hi asseuerant, in tertia figura vtralibet præmissa de necessario, seruata eadem prorsus terminorum acceptione, inferri

Quo modo in tertia figura syllogisandum ex pręmissis de necessario & inesse.

posse

posse conclusionē de necessario. directè quidem, si maior de necessario fuerit. indirectè autem, si minor de necessario fuerit in affirmatiuis modis. In modis autem negatiuis eiusdem tertiæ figuræ, vtralibet præmissarum de necessario directè inferri conclusionem de necessario. Hinc dicunt, & si absolutè non sequitur in Datisi & Disamis, omne animal est vigilans, & quoddam animal de necessitate est bipes, ergo quoddam bipes de necessitate est vigilans. Ex necessitate quoddam animal est bipes, & omne animal est vigilans, ex necessitate igitur quoddam vigilans est bipes. Et in Bocardo, quidam homo non est vigilans, & omnis homo ex necessitate est animal, quoddam igitur animal ex necessitate non est vigilans. Quoddam animal ex necessitate non est bipes, & omne animal est auis, aliqua igitur auis ex necessitate non est bibes. Et in Ferison, Nullum album vigilat, & quoddā album ex necessitate est animal, quoddam igitur animal ex necessitate non vigilat. Hos, inquam, syllogismos, licet absolutè fateantur inualidos esse, efficaces tamen esse existimant, si ea quæ prius diximus fuerint obseruata. quorum sententiam iis discutiendam relinquimus, quibus lubebit exercitationis gratia sophistarum thesauros eruere. Porrò duorū corollariorū in literæ calce illatorū, posterius quodāmodò prius explicat. Is etenim syllogismus de inesse dicitur, cuius conclusio est de inesse. Et contrà de necessario, cuius cōclusio est de necessario. Posterius corollarium accipiendum est de ea conclusione, quæ immediatè ex assumptis præmissis est colligēda. Nam prius diximus, ex ambabus de necessario aut altera tantùm inferri posse conclusionē de inesse, & si non immediatè. Et posterius dicetur, ex vniuersali negatiua maiori de necessario, & minore affirmatiua de cōtingenti, vel sequi conclusionē de inesse. Verùm quæ proximè ex eiusmodi pręmissis colligitur, est de necessario, ad quam sequitur ea quæ est de inesse. Cæterùm, si quis quasdā formulas huiuscemodi mixtæ syllogisationis ex pronunciatis de necessario atq; inesse requirat, Iacobum Fabrum Stapulensem adeat, qui in talibus descriptionibus exhibendis diligentiam atq; operam non paruam adhibuit, vbi res ipsa postulabat.

In tertiam partem secundi capitis, contingentis definitionem & diuisionem continentem, adnotamentum.

De Cōtingēti aūt post hæc dicemus.

SYllogismos ex propositionibus de contingenti in sequentibus huius secundi capitis partibus conficere docturus præmittit Contingentis definitionem, ac conuersionem in oppositam qualitatem (quæ est principium quoddam perfectiuum huiusmodi syllogismorū) monstrat rectè fieri in hisce propositionibus. Definitio sic habet, Contingens est, quo nō existente necessario, posito autem in esse, nihil erit propter hoc impossibile. Cuius definitum accipitur pro re contingenti, quæ neq; est necessaria neq; impossibilis, sed potest esse, & etiam potest non esse, vt hominē canescere, animal ambulare, & similia, quæ propositione aliqua contingenti significantur. nam his exemplis vtitur Aristoteles in hoc textu, quanquam definitio etiam rebus simplicibus aptari possit, sed harum cognitio non perinde conducit ad statim iudicandum de veritate & falsitate propositionum de contingenti, ob quod tamen traditur ista definitio. & ideò rectius accommodatur rebus per propositiones significatis. Antecedens relatiui quo, est (ens) acceptum pro omni eo quod propositione aliqua significari potest. Illa particula (quo non existente necessario) excludit omnes res necessarias, vt Deum esse, cœlum moueri, exponiturq; ablatiuus ille per cum vel quamuis, sequens verò conditionaliter, ita tamen vt cōditionalis inclusa negatiua sit. Est enim definitionis sensus, Contingēs est ens, quod cùm non sit necessarium, nihil tamen sequitur impossibile si ponatur in esse. Tunc autem dicitur quippiam poni in esse, quando ponitur seu conceditur ita habere sicut significatur. Hac postrema particula excluduntur ea quæ impossibilia sunt, vt Chymæram esse, hominem esse equum. Nam ex omni & solo impossibili rectè infertur aliud impossibile. Est ergo contingens medium quoddam inter necessarium & impossibile, per vtriusq; extremi negationē definitum, diciturq; non minus de his quæ futura sunt, vel quum nunquam sint futura, poterunt tamen esse, quàm de illis quæ iam existunt corruptibilia. Mox à definitione occurrit tacitè cuidam obiectioni. Poterit enim quis dicere, Possibile & contingens sunt synonyma, sed ad necessarium sequitur possibile, vt in secundo Peri Herme. est ostensum, ergo malè hic implicatur in definitione cōtingentis, quod ipsum non sit necessarium. Respōdet Aristoteles necessarium secundum aliam significationem contingentis dici contingens, quàm vt hic definitur. Hic enim propriè capitur, & specialiter, sed quum admittitur contingens, tum largè sumitur vt æquipolleat possibili, quod significat omnē rem quæ potest esse, siue ea possit quoq; non esse, siue non possit. Quod autem necessarium nonnunquam dicatur contingēs, prolixè monstratur in litera, vbi implicitè ex tribus postremis propositionibus de Iliace inter se æquiualentibus,

Sensus definitionis contingētis. *Quid poni in esse.* *Obiectio.* *Dilutio.*

huiusmodi conuersionem, probatur in litera ibi, Quoniam contingens non necessarium, &c. quæ probatio sic est explicanda, omne contingens est non necessarium, omne autem id quod non est necessarium possibile est nõ esse. & quicquid possibile est non esse, quum ipsum etiam sit possibile esse (quod de contingenti non est dubium) id contingens est non esse, ergo à primo ad vltimum, omne quod contingit esse, contingit non esse. Quòd si velis probare, negatiuam conuerti in affirmatiuam, simili modo procedendum erit. Nam si contingat Socratem non esse album, non necesse est ipsum non esse album. & si non necesse est ipsum non esse album, possibile est ipsum non esse non albũ. Et si possibile est ipsum non esse non album, possibile est ipsum esse album. Quare contingit ipsum album esse. Ergo si contingat Socratẽ non esse albũ, contingit etiam ipsum esse album.

Occurrens dubitatio, cur scilicet dixerit Philosophus de contingẽte non negato.

Sed dubitatio incidit, quamobrem in conclusione expresserit & apposuerit Philosophus particulam illam (non negato) cùm etiam accidat, imò necessarium sit omnino, propositiones de contingenti negato, eodem modo conuerti. Certissima enim est regula, Contradictorias æquipollentium seu conuertibilium in veritate propositionum, identidem æquipollentes esse. Cuius prompta est ratio, quia alioqui eueniret, duas contradictorias simul esse veras, aut falsas. Si ergo hæ duæ, Socratẽ contingit ambulare, & Socratẽ contingit non ambulare, sese mutuò inferunt, necesse est earum cõtradictorias eandem inter se vicem subire, quæ sunt hæ, Socratem non contingit ambulare, & Socratẽ non contingit non ambulare. Posset hæc eadem res cõuinci & ex illa maxima, In omni bona cõsequẽtia ex cõtradictorio cõsequentis licet antecedentis cõtradictorium inferre.

Solutio duplex.

Ad hanc dicendũ est, nõ ideo adiectam esse à Philosopho dictam particulã, vt insinuaret propositiones de contingenti negato non posse similiter in oppositã qualitatẽ verti, sed vt moneret, modum nõ negandũ esse in conuertente, si affirmatus fuerit in conuersa. Vel potius id adiectum est, ꝙ propositiones de contingẽti negato, secundũ sensum ipsum sunt de impossibili & necessario, vt ex prædictis satis manifestum est. Quo pacto autẽ sit accipiendum quod sequitur in textu, Sunt autem huiusmodi propositiones affirmatiuæ, &c̃. dictum est in secũdo Peri Herme. & hoc eodem libro post conuersionem modalium in terminis, nimirum habito respectu ipsorũ modorum. Nam alioqui tales propositiones, non simpliciter & omni modo affirmatiuas esse vel id arguerit, quòd sic non fieret illarũ cõuersio in oppositam qualitatem, sed prorsus eandem.

Diuisio contingentis.

Ibi, Dicitur aũt duobus modis contingere, &c̃. Diuidit Aristoteles contingens specialiter dictum in duas partes, quas tamen alij tres faciunt. Aliud enim est, vt in pluribus, aliud in paucioribus, seu rarius, Aliud æqualiter, siue ad vtrumlibet. Sed Aristoteles tria hæc ad duo redigit, videlicet ad contingens natum, & contingẽs infinitum, seu indeterminatum.

Cõtingens natum.

Contingẽs natum dicitur, quod ad esse determinatum est, licet possit impediri, estq; necessariò proximũ, vt hominẽ senem canescere, infantem augeri.

Contingẽs infinitum.

Contingẽs verò infinitum est, quod non est ad esse determinatum, sed sit, aut ad vtrumlibet, aut rarius, vt animal ambulare. homine ambulante, terræ motũ fieri, & quęcunq; à casu vel fortuna fiunt.

De conuersione propositionum de contingenti

Post hęc dicit Aristoteles, vtrunq; contingẽs conuerti in oppositã qualitatẽ, sed non eodem modo, quia contingens natum conuertitur in contingens non necessarium, id est, quod est à necessario remotissimũ. Nam quemadmodum contingens natum est necessariò proximũ, ac ferè necessarium: quia est ad esse determinatũ, vndè etiam nonnunq̃ necessarium appellatur. sic eius cõtradictorium est à necessario remotissimũ, & impossibili proximum. & ideo vocatur non necessarium, vt hominẽ peste correptũ non mori. Contingens verò infinitum si ad vtrumlibet sit, conuertetur in cõtingens ad vtrumlibet. si verò rarius contingat, cõuertetur in contingẽs natum, vel saltẽ in cõtingens quod sæpius euenit quàm suum cõtradictorium, vt homine ambulante, terrę motum fieri. Et quoniam hęc scientia, Priorũ resolutoriorũ ordinatur (vt ipse superius dixit) ad demõstratiuam scientiam, ideo hic obiter dicit, ꝙ ex contingenti infinito fiunt quidem syllogismi simpliciter dicti, sed non demõstrationes, aut quæstiones in disciplinis, eò quòd ipsum sit medium inordinatum, id est, nullum habens ordinem aut cõuenientiam ad concludendum aliquid. sed contingẽs natum, in disciplinis locum habent, possuntq; ex eo demonstrationes perfici, qualibus scilicet vtuntur disciplinæ coniectatoriæ, & quæ ex signis colligere solent, vt medicina prognostica Hippocratis & physiologorũ, &c̃. Sed de hisce exactius in Posteriorũ libro.

Propositio de contingẽti duplicem recipit sensum. Prior.

Dum sequitur in litera, Dupliciter aũt accipitur, &c. docet duplicem posse esse sensum propositionis de contingenti, Vnus est, secundum quem prædicatũ denotatur cõtingenter conuenire alicui, cui actu iam conuenit subiectum, vt si huius, hominẽ contingit esse album, sensus sit, eum qui iam est homo cõtingit esse album. Hoc modo acceptæ propositiones de cõtingenti, re vera sunt contingentes, & redduntur falsæ sublato subiecto, acciditq; hic instantia

enunciationem compositã impossibilem redderent, colligeretur conclusio impossibilis, Verbi gratia, ex his possibilibus inter se dissidentibus. omne currens est leo, omnis homo est currens, consequitur omnẽ hominẽ leonem esse, quod est impossibile. Post hæc in litera ibi (His autem determinatis) probando secundam prædictam partem, monstrat syllogismum in Barbara, ex maiore de inesse simpliciter, & minore de contingenti, colligentem conclusionem de contingenti pro possibili sumpto, esse validum efficacemq;. Verbi gratia hunc, Omne album est coloratum, & omnem hominem contingit esse album, omnem igitur hominem contingit esse coloratum. Etenim qui negat hunc validum, necessum est vt negata cõclusionis veritate, fateatur pręmissas esse veras. Sumatur itaq; conclusionis contradictoria, aliquem hominem necesse est non esse coloratum, vnà cum de inesse huius minoris, omnem hominem contingit esse album, prius concessę, quæ est, omnis homo est albus, ex his in Baroco colligitur, quoddã album necesse est non esse coloratum, quæ quidem conclusio est quodammodo contradictoria illius maioris de inesse prioris syllogismi, omne album est coloratum. Nam si quoddam album ex necessitate non est coloratum, oportet quoddam album non esse coloratũ. Cùm igitur omnis is syllogismus censeatur efficax, in quo ex conclusionis contradictorio cum altera præmissarum, aut aliqua altera in præmissa comprehensa, infertur alterius pręmissæ contradictorium, asserendus erit esse legitimus ille syllogismus, qui prius erat propositus. Cæterùm secunda eiusdem partis approbatio, ibi reddita (Poterit autem hoc idem in prima figura, &c.) robur atq; firmitudinem ex hac maxima propositione videtur accipere. Si propositi syllogismi eædem præmissæ, aut aliæ in ipsis contentæ, legitimè inferant eam conclusionem, quæ contradictoriè repugnet contradictorio conclusionis dati syllogismi, necessum est propositum syllogismum efficacem esse, ac validum. Alioqui concedenda venirent ambo contradictoria, quæ quidem concessio in litera nuncupatur impossibile (id quod adiecimus, ne quis perperàm locum hunc intelligat, arbitrans forsitan, Philosophum hic agere de reductione per impossibile) Exempli causa, si quis neget probum esse syllogismum, cuius suprà meminimus, omne album est coloratum, at omnem hominem contingit esse album, ergo omnem hominem contingit esse coloratum, concessis præmissis conclusionem asserit falsam esse, atq; proinde contradictorium eius verum, quod est, aliquem hominem necesse est non esse coloratũ. At ex eadem maiore, & ea quæ est de inesse minoris, omne videlicet albũ est coloratũ, & omnis homo est albus, euidenter in Barbara colligitur omnem hominem esse coloratum, quod omnino repugnat ei quod est, aliquem hominem necesse est nõ esse coloratum. Nam si omnis homo est coloratus, palàm est omnem hominem possibile esse coloratũ, quod apertissimè opponitur illi, aliquem hominem necesse est non esse coloratum. Cæterùm prænarratæ expositioni obsistere videtur Philosophus, qui superius asseruerit in Bocardo, quinto tertiæ figuræ modo, vtralibet præmissarum de necessario, & altera de inesse, non colligi conclusionem de necessario, adhibito etiam exemplo, quo tamen syllogisandi modo hic vtitur. Præterea propositio de contingenti vniuersalis, non ad vnam vniuersalem de inesse mox est reducenda, quemadmodum alibi est declarandum, id quod agit dum loco huius omnem hominem contingit esse album, assumit omnem hominem esse album in secunda approbatione. Horum, aliorumq; dubiorum dissolutionem breuitatis gratia omittimus.

In sextam partem monstrantem quomodo syllogisandum sit in prima figura ex vna de necessario, & altera de contingenti, annotatio.

Quãdo aũt altera propositionum est de necessario.

EXplicat hoc loco Philosophus, quomodo constituendus sit syllogismus in prima figura, ex vna de necessario, & altera de contingenti, vna conclusione generali, adiectis quinq; specialibus, quarum sensus est huiusmodi. In prima figura, maiore vniuersali affirmatiua aut negatiua de contingẽti, & minore affirmatiua vniuersali aut particulari de necessario, colligitur syllogismo perfecto conclusio contingentis specialiter dicti. Contrà autem, maiore vniuersali affirmatiua vel negatiua de necessario, & minore de contingenti affirmatiua vel negatiua, fit syllogismus imperfectus de contingenti generaliter sumpto. Maiore quoq; vniuersali negatiua de necessario, & minore de contingenti, fit imperfectus syllogismus colligẽs negatiuam de inesse. Aliter autem non fit syllogismus. Huius tertiæ partis, & proinde secundę conclusionis in litera positæ exemplum est, omne intelligens ex necessitate non est equus, & omnem hominem contingit esse intelligentem, nullus igitur homo est equus. Nam rectè sequitur, omnis equus ex necessitate non est intelligẽs, & quidam homo est equus, ergo quidam homo ex necessitate non est intelligens. Ex qua quidem conclusione colligitur rectè à parte disiuncti ad ipsum disiunctum, quendam hominem necessario vel impossibiliter esse intelligentem,

gentem, quod contradictoriæ opponitur illi minori, omnem hominem contingit esse intelligentem. Cæterùm neoterici hic asserunt obseruanda esse. maiorem dum est de necessario, oportere esse de necessario simpliciter. conclusionē in qualitate respondere maiori de necessario, non minori de contingēti, & eam de inesse ad quam minor de contingēti reducēda est, talem habere minorē extremitatem, pro qua in maiore fiat distributio. Sed de his hactenus.

In secūda aūt figura ex vtriusq; de contingenti.

In septimam partem explicantem modum syllogisandi ex vtrisque præmissis, vel altera solum de contingenti in secunda figura, annotatio.

IN huius partis septimæ exordio proponit Philosophus quandàm conclusionem, in summa complectentem ac monstrantem, quomodo fit aut non fit syllogismus in secunda figura ex vtrisque de contingenti præmissis, aut vna tantùm, altera de necessario aut inesse existente. Conclusio est hæc. In secunda figura ex vtrisq; de contingenti, quomodocunq; præmissæ disponantur, nunquam constituitur probè syllogismus. ex altera verò de contingenti, & altera de inesse, aut necessario, si ea quæ est de inesse vel necessario sit affirmatiua, non fit syllogismus. si autem fuerit negatiua, erit syllogismus legitimus. Ante cuius ampliorem declarationem ostendit Philosophus tribus rationibus, vniuersalem negatiuam de contingenti specialiter accepto non conuerti conuersione in terminis, hoc est, mutato prædicato in subiectum, & contrà. Ex tertia ratione, robur accipiente ex hac maxima propositione, In omni efficaci validaq; argumentatione ex opposito illati consequentis contradictorio, licet colligere oppositum contradictorium antecedentis, solent & hæ aliæ depromi. A propositione habenti plures causas veritatis, ad eam quæ pauciores habet, inualidam esse illationem. Vt non sequitur, Album non contingit esse hominē, ergo album necesse est esse hominē. Sed contrà argumentandū est, album necesse est esse hominē, ergo album non contingit esse hominē. Nam contingens negatum idem pollet, quod necesse vel impossibile. Et si igitur & necesse & impossibile repugnent & contingenti, & contingenti non, neutrum tamen per se sumptum reddit enunciationem contradictoriam. sed contingenti & contingenti non, contradicit necesse vel necesse non, quod æquipollet non contingenti, & non contingenti non, quemadmodum contingenti & contingēti non, idem est neq; necesse, neque necesse non, id est, neq; necesse, neque impossibile, quemadmodum indicatur in literæ corollario secundo. Post hæc concusionem illam explicat Philosophus pluribus aliis conclusionibus specialibus, quarum sententia his duabus explicatur.

Conclusio prior.

Prior. In secunda figura ex ambabus de contigenti, quomodocunq; disponantur præmissæ, nulla sequitur conclusio, nec de inesse nec de contingenti vtrouis modo accepto. Ex vno verò de contingenti & altera de inesse, quæ sit affirmatiua, nulius fit syllogismus. Si autem ea quæ de inesse fuerit negatiua, colligitur conclusio de contingenti fusius accepto. Prima pars declaratur. Nam ex præmissis, omnem hominem contingit non esse album, & omnem equum contingit esse album. neq; sequitur omnē equum contingit non esse hominem, neq; equum esse hominem. huius quoq; partis probatio in textu designata satis est manifesta. Secunda pars item probatur. Nam has, omne animal contingit non esse album, & omnis homo est albus, neq; consequitur, omnem hominē non esse animal, neq; omnem hominem contingere non esse animal. Hanc autem partem accipiunt neoterici de syllogismo ostensiuè perficiendo. Existimant enim hi in secunda figura ex maiore de inesse simpliciter, & minore de contingenti, colligi conclusionem directam de contingenti generaliter sumpto. Et ex maiore de contingenti & minore de inesse simpliciter inferri indirectam conclusionem de contingenti generaliter dicto in Cesare & Camestres. In Festino autem & Baroco nullam consequi, obseruata tamen vltima conditione, quam superiori textu commemorauimus.

Posterior.

Posterior est, Ex vna de necessario, & altera de contingenti, si ea quæ est de necessario fuerit vniuersalis negatiua, sequetur conclusio & de contingenti pro possibili, & de inesse. Si verò ea quæ de necessario est fuerit affirmatiua, nulla sequetur conclusio. Hanc similiter secundam partem recentiores intelligunt de eo syllogismo, qui ostensiuè valeat perfici, quibus placet ex maiore affirmatiua vniuersali de necessario rectè consequi conclusionem de contingenti pro possibili sumpto. Nam à quocunq; vniuersalis affirmatiuæ prædicatum necessariò remouetur, necessarium est & ab eodem subiectum dimoueri.

In tertia aūt figura ex ambabus de cōtingenti.

In octauam partem, docentem in tertia figura syllogisare ex ambabus de cotingenti, aut altera dumtaxat, annotatio.

HVic arti ex modalibus syllogisandi finem impositurus Philosophus, in præsentiarum tribus conclusionibus aperit, quo pacto in tertia figura syllogisandum sit. Quarū quidem conclusionum prima est huiusmodi. In tertia figura ex vtrisq; de contingenti colligitur

ligitur conclusio de contingenti peculiariter accepto, quocunq; modo digerantur ordinenturq; præmissæ, nisi ambæ fuerint particulares. Huius declaratio in litera assignata intellectu est facillima.

Secunda.

Secunda conclusio est, In tertia figura ex vna de inesse, & altera de contingenti, colligitur conclusio de contingenti. Verùm si ea præmissa fuerit de contingenti, quę maior sit, dum fit reductio syllogismi ad primam figuram, inferetur conclusio de contingenti specialiter dicto. Si verò in huiusmodi reductione minor extiterit, solùm colligetur conclusio de contingenti amplè sumpto. Ex vtrisq; autem particularibus, aut minore negatiua de inesse, nulla sequitur conclusio.

Tertia.

Tertia conclusio, In tertia figura ex vna de necessario & altera de contingenti, nisi vtræq; præmissæ sint particulares, aut minor negatiua de necessario, colligitur conclusio de contingenti specialiter dicto, si facta reductione ad primam figuram, pręmissa de contingenti sit maior, aut de contingenti amplè sumpto, si illa minoris locum obtineat. Has conclusiones intelligunt neoterici atq; restringunt, quemadmodum in prioribus est dictum. Hactenus de syllogismis ex modalibus propositionibus à nobis sic dictum, in quibus explicandis plura adiecisse poteramus, quæ ideo à nobis omissa sunt, quod non multum momenti vtilitatisue cognita adferãt lectoribus. Nam vti superius meminimus, huiuscemodi syllogisandi modus ab Aristotele inuentus est, & posteris relictus, potius exercẽdi acuendiq; ingenij gratia, quàm q superioribus disciplinis rectè assequendis opem conferat.

Oẽs igitur ĩ dictis figuris syllogismos.

In tertij tractatus, qui est de Præsuppositis, caput primum, quod de primo tractat præsuppositio, annotamentum.

IN superioris tractatus pluribus locis, nõnullis non satis manifestis, & si veluti quibusdam principijs vsus est Philosophus, inter quæ vnum erat, Omnem categoricum syllogismum, qualis qualis is fuerit, (hypothetici enim syllogismi nulla apud Aristotelem fit mentio) in aliqua trium figurarum oportere fieri, id quod nunc monstrat Philosophus. Cæterùm antea quàm ad huius rei probationis declarationem accedamus, explicanda est syllogismi ea partitio, quam indicat litera, dum dicit, Necesse est autem omnem demonstratiuum, & omnem syllogismum ostendere aliquid inesse aut non inesse vniuersaliter aut particulariter, & hoc ostensiuè, aut ex hypothesi. Eius autem qui est ex hypotesi, pars quidem est syllogismus per impossibile. Distribuitur igitur syllogismus hoc in loco, in syllogismum ostensiuum, & syllogismum ex hypotesi.

Quis ostensiuus syllogismus, & ex hypotesi.

Syllogismus ostensiuus est, qui ex præmissis conclusionem colligit nulla facta suppositione. Contrà, is est ex hypotesi, qui ex præmissis ad conclusionem progreditur, certa suppositione prius facta, atq; admissa quadam conditione. Hic autem trifariam dicitur.

Quid per impossibile syllogismus


Vnus enim est per impossibile syllogismus, qui ex contradictoria alicuius enunciationis veræ, & altera pręmissa coassumpta manifesta vera, colligit conclusionem apertè falsam, ex cuius falsitate regressus fit ad interimendum enunciationis veræ assumptum contradictorium, & deinde ad stabiliendam veritatem propositionis veræ in initio negatę. Verbi gratia, negetur hominem esse risibilem, in hunc modum constituetur ad impossibile syllogismus, Omne animal rationale est risibile, at nullus homo est risibilis, nullus igitur homo est animal rationale. conclusionem palàm est esse falsam, quare & præmissarum alteram necessum est esse falsam. Eiusmodi autem non est maior, cùm ipsius veritas sit manifesta, ergo falsa erit hęc minor, nullum hominem esse risibilem. & proinde per legem contradictoriarum colligendum est verum esse, hominem esse risibilem, quod prius negatum erat. Patet igitur, in syllogismo per impossibile quatuor esse processus, siue discursus. Quorum primus est syllogisticus, Reliqui autem tres sunt enthymematici, Quorum primò, ex conclusionis falsitate colligitur alterius præmissæ falsitas. Secundò, huius vel illius præmissæ falsitas ex aperta veritate pręmissæ coassumptæ. Tertiò verò, veritas propositionis veræ in initio negatæ, ex falsitate suæ contradictoriæ infertur, adhibita contradictoriarũ lege. Sed de his forsitan in huius secundo à nobis fusius dicetur. Huic loco satis fuerit, syllogisantem per impossibile progredi ex contradictorio propositionis veræ negatæ, gratuito à respondente concesso, non autem disputationis vi ad id cõcedendum adducto, quemadmodum neq; veram enunciationem in initio propositam cogebatur diffiteri.

Syllogism⁹ secundũ trãsumptum, duas ratiocinationes cõplectens.

Alius dicitur syllogismus secundum transsumptum, qui fit dum syllogisticè infertur conclusio, ex qua rursus altera quædam colligitur facta suppositione, quòd idem sit habendum judicium de ea conclusione quæ syllogismo infertur, & ea quę vltimo atq; principaliter est colligenda. Exempli causa, Esto idem iudicium de veritate harum duarũ, omnem hominẽ esse risibilem, omnem equum esse hinnibilem, sic constituitur ad transsumptũ syllogismus, omne animal rationale est risibile, at omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, Quare & oĩs equus est hinnibilis. In huiusmodi aũt syllogismo

tionem habet ad quadratum, cuius est diameter. Ad cuius quidem approbationem adducere consueuerunt penultimam primi elementorum Euclidis propositionem, quæ est huiusmodi, In omni triangulo, rectangulo, quadratum quod ex latere recto angulo opposito in semetipso ducto distribuitur, æquum est duobus quadratis, quę ex duobus reliquis lateribus conscribuntur. Verùm familiarior intellectuq; facilior est ea, qua ad id approbãdum vtitur Plato in dialogo qui Meno inscribitur, qua monstratur, dato quadrato quatuor pedum, cuius latus bipedanea est linea, non posse dari duplum quadratum, neq; per latus duplum, id est, lineam quadrupedaneam (Nam huius quadratum sedecim cõtinet pedes) Neq; per latus quod proportionem habet sesqualteram ad lineam pedaneam, quæ est tripedanea, procreatur illius quadrupedalis duplum. Nam hoc nouem est pedum, & proinde huius ad illud proportio est dupla sesquiquarta. Quòd si ex dati quadrupedanei quadrati diametro constituatur alterum quadratum, erit hoc illius comparatione duplum. Nam duntaxat octo pedes continebit, quatuor in medio, & circiter singulos angulos bina semipedalia, quæ simul collecta spacium octo pedum efficiunt, quemadmodum ex adiecta in margine figura licet ad oculum deprehendere, quadrato quadrupedaneo designato per a b c d, & duplo per b c e f, quod ex ductu diametri prouenit. Præterea quia symetrum & asymetrũ Græcis, idem Latinis sunt, quod commensurabile atq; incõmensurabile, admonendum est quæ magnitudines sint commensurabiles, quæue incommensurabiles. Magnitudines communicantes siue commensurabiles dicuntur, quas vna cõmunis quantitas mensurat, vt sunt pedale, bipedale, tripedale, &c̃. quæ omnia pluries replicatũ semipedaneum metitur. Contrà, quibus non est vna cõmunis quantitas eas metiens, dicuntur incommensurabiles, quemadmodum traditur in definitionibus x. libri elementorum Euclidis. Cuius quidem libri sexta propositione dicitur, omnium duarum quantitatum communicantium esse proportionẽ, velut numeri ad numerum. Atque sequenti proximè scribitur. Si fuerint duæ quantitates, quarũ sit vnius proportio ad alterã tanquam numeri ad numerum, eas duas communicantes esse necesse est. Exempla non subiicimus, eò q; facilè sit talia afferre. Præterea annotandum est, eum numerum esse quadratum, qui ex ductu vnius numeri in seipsum consurgit, vt sunt 4. 9 16. 25. 36. 49. 64. 81. 100. Nam bis 2. sunt 4. ter tria 9. quater quatuor 16. quinies quinq; 25. sexies sex 36. septies septem 49. octies octo 64. nonies nouem 81. decies decem 100. In his autẽ numeris quadratis facile est perspicere, in posteriori plus quàm in priori contineri. Nam nouenarius super 4. addit 5. Et 16 superaddit nouenario 7. Et 25. 16 addunt 9. Et 36 vltra 25 continet 11. & ita in reliquis progrediendum est, sumptis continuo ordine numeris imparibus. In his insuper quadratis nunquam licet reperire duplam proportionem. Nam vt à primis ordiamur, quaternarius qui secundus post vnitatem quadratus est, (Omnium enim numerorum proprietates, tanquam fons quidam complectitur vnitas) ad vnitatem proportio quadrupla est. & ipsius nouenarij ad quaternarium, proportio dupla sesquiquarta. ad vnitatem verò nonupla. 16 ad 4. quadrupla. ad nouem aũt superseptipartiens. In quadratis numeris primo & secundo, vnitate videlicet & quaternario, vt alij quadrati procreentur, numeri quadratis addendi, maiores sunt quadratis, quibus adiiciuntur. Nam ternarius vnitate maior est, & quaternario quinarius. In reliquis verò quadratus numerus numero impari addẽdo pro alterius quadrati procreatione, perpetuò est maior, id quod ex mox dictis palàm est. His itaq; præmissis, vt ad rem ipsam propius accedamus, nobis in medium afferẽda est septima libri decimi elementorũ Euclidis propositio, illas quas prius enumerauimus proximè sequens, quæ est huiuscemodi. Omnium duarũ superficierũ quadratarũ, quarum latera in longitudine communicant, proportio est vnius ad alteram, tanq̃ numeri quadrati ad numerum quadratum. Si verò fuerit proportio superficiei quadratæ ad superficiem quadratam, tanq̃ proportio numeri quadrati ad numerum quadratũ, erunt latera earum in longitudine communicantia. Quòd si fuerit proportio superficiei quadratæ ad superficiem quadratam, non velut numeri quadrati ad numerum quadratum, latera earum erunt in longitudine incõmensurabilia. Sub tertia igitur huius septimę propositionis parte rei quam monstrandam suscepimus accõmoda, sic subsumendum erit, At superficierũ quadratarum vnius costæ & alterius diametri, non est vnius ad alteram proportio, velut numeri quadrati ad numerum quadratum. Quare illarum latera, costa videlicet atq; diameter, erunt incommensurabilia. Minor subsumpta ex superioribus est manifesta. Nam diametri quadrata superficies, dupla est ad eam quæ ex costa consurgit. Nullus autem quadratus numerus duplus est ad alterũ numerũ quadratũ. Alioqui cùm quaternarius numerus sit quadratus, oporteret (vti inquit Campanus) omnes numeros pariter pares esse quadratos. Non tamẽ inficiamur,

Quadrati diametri ad costæ quadratum.



Quæ magnitudines communicantes, & quæ non.

Quis numerus quadratus.

Ostenditur quadrati diameter incõmensurabilis esse eiusdem costæ seu lateri.

mur vnum quadratum ex pluribus quadratis posse procreari, Nam 4. conflantur ex 16. & 9. vtrisque numeris quadratis. Verùm horum neuter subduplus est ad 25. Hoc igitur modo monstrant geometræ, diametrum propositi quadrati non esse commensurabilem costæ siue lateri eiusdem. Admonet Egidius Romanus, & post hunc Paulus Venetus, Apollinaris Cremonensis, plerique alij, oppositum reperiri posse in tetragonismo. qui altera parte est longior, id est, hic posse reperiri diametrum & latus, quæ ad se inuicem sunt commensurabilia, cuius declaratione in præsentia nobis est abstinendum, eò quòd huius rei non meminerit Philosophus. Cæterùm eius rei, de qua nunc egimus, aliam indicat Philosophus hoc loco rationem, ad hoc impossibile deducentem. Abundantia videlicet perfectis esse æqualia. Nomine perfecti intelligendus est numerus par hoc in loco, eò quòd in duas partes sit sectilis, quorũ neutra alterã ita excedit, vt sibi mutuo sint æquales. Contrà, abundans dicitur numerus impar, quòd in duas nequeat partes æquales diuidi, sed necesse est vnam vnitate alterã excedere. Cæterùm huius impossibilis, numeros, inquam, parem & imparem, esse æquales, approbationem poterit lector offendere apud Campanum prædicta propositione septima decimi libri elementorum, quam in præsentiarum non adferimus, eò quòd non sit vllo pacto redacta ad formam syllogisticam alicuius figuræ, de qua palàm est Philosophum hoc in loco agere. Vt interim subiiceamus alia quædam, ob quæ nobis non videatur recensenda. Nos igitur hoc syllogismo, & si sophisticis cauillationibus obnoxio, illud impossibile sic monstrabimus. Quæcunque ad idem tertium eandem habent proportionem, sibi mutuo sunt æqualia. At numeri par & impar ad idem tertium eandem proportionem habent, si diameter costæ sui quadrati sit commensurabilis, ergo numeri par & impar æquales sunt, si diameter commensurabilis sit lateri sui quadrati. Maior patet ex nona propositione quinti libri elementorum tradente, Si fuerit aliquarum quantitatũ ad vnam quantitatem proportio vna, ipsas esse æquales. Si verò vnius ad eas proportio vna, ipsas æquales esse necesse esse. Minor autẽ ex superioribus declaratur. Sit enim quadrati quadrupedanei latus duorum pedum, diametro commensurabile, horum quadrata secundum vltimam partem septimæ propositionis libri decimi elementorum ad inuicem sese habebunt, velut numerus quadratus ad numerum quadratum. At cùm diametri quadratum duplum sit quadrato costæ, necesse erit numerum quadratum respõdentem diametri quadrato, duplum esse ad numerum quadratum respondentem quadrato costæ, quem supposuimus esse quaternarium. Hic autem nequit esse sedecim. (Nam sedecim ad quatuor proportio est quadrupla) neque aliorum quisquam sequentium numerorum quadratorum. Quare assignandus talis erit proximus quadratus numerus, qui est nouenarius, quique proportionem habebit duplam ad quaternarium. At octonarius, vt ex Arithmeticis planissimum est, ad quatuor dupli rationem subit. igitur nouenarius, qui numerus est impar, & octonarius, qui par est, ad quaternarium eandem obtinent proportionem, nempe duplam. erunt ergo numeri par & impar perfectus & abundans inter se æquales, id quod in minori subsumptum erat, facta hypothesi commensurationis diametri cum sui quadrati latere. Hæc à nobis & si prolixè, lucidè tamen, vt arbitramur, sint dicta, vt ij qui mathematicas nondum attigerint disciplinas, habeant quid respondeant, si quando importunius de huiusmodi rebus nonnihil cogantur disserere, & vt curiosioribus non deessemus ingeniis.

Eiusdem rei alia declaratio.

Euclides.

In secundam partem monstrantem cuiuslibet syllogismi alteram præmissarum esse affirmatiuam, & alteram vniuersalem, adnotatio.


Amplius in omni syllogismo aliquã præmissam affirmatiuam.

HAC parte secunda disserit Philosophus de secundo præsupposito, cuius duæ sunt partes. Prior est, In omni syllogismo necesse esse alteram præmissarum affirmatiuam esse. Posterior, In omni syllogismo oportere alteram præmissarum esse vniuersalem. Sunt enim hæc separatim legenda, & si nõnunquam accidat, ipsius syllogismi eandem præmissam esse & affirmatiuã & vniuersalẽ. Cęterùm priori, velut manifestiori ex superioribus, subiicito, posterius approbat ad aliquod horũ trium incõuenientium deducẽdo. Nullũ videlicet fieri syllogismũ. Non cõcludi propositionẽ propositã, Aut cõmitti principij petitionẽ, quod duobus mõstrat exemplis, vno morali, & altero mathematico. Prioris excẽpli declaratio sic habet, Esto hęc enũciatio syllogisanda, Musica voluptas est studiosa, si assumatur pro maiore hęc indefinita, voluptas est bona, sine vllo vniuersali signo, addita hac minore, musica voluptas est voluptas, ex utique colligatur, musicã voluptatẽ esse bonã, nullus erit syllogismus, cũ neque immediatè neque mediatè perficiatur maxima dici de omni. Quòd si hęc maior particularis assumatur, aliqua voluptas est bona, accipiaturque de alia voluptate, grãmatica scilicet, rhetorica, aut alia

quauis, non probabitur efficaciter syllogismi propositũ, Imò neq; syllogismus erit. Nam quodam modo quatuor sunt termini, latiusq; medium sumi apparet in minore, quàm in maiore, perinde ac si diceretur, voluptas rhetorica est bona, & musica voluptas est voluptas, igitur musica voluptas est bona. Sin verò eadem maior intelligatur de eadem prorsus voluptate, erit quidem syllogismus, sed admittetur principij petitio, eò quòd maior & cõclusio nihil dissideant, quantum ad intelligentiam pertinet, & si voce discrepent. Erit enim hic syllogismus, quædam voluptas est bona, & musica voluptas eadem est voluptas, musica igitur voluptas est bona. Sensus autem maioris est, quædam voluptas, quæ est musica voluptas, est bona, ex quo constat, conclusionem probandam secundum se contineri in maiore, & proinde admitti petitionem principij. Porrò inter neotericos licet nonnullos reperire, qui hæc duo postrema ad syllogismum referant expositorium. Verùm ea expositio quam dedimus, nobis magis probatur, Tum quòd Aristoteles loqui videatur de iis syllogismis, qui medium commune complectuntur (hinc quoq; exclusa est obiectio, quę ex syllogismo expositorio, cuius præmissarum neutra in tertia figura potest esse vniuersalis, induci consueuit contra hanc literam.) Tum quòd non videatur posse reperiri seruariq; principij petitio, de qua agit Philosophus hoc proposito syllogismo expositorio. Hæc voluptas (demonstrata indiuidua musica voluptate) est bona, at musica voluptas est hæc voluptas, est itaq; musica voluptas bona. imò si bonum esse, notiori conueniat modo huic voluptati, quàm voluptati musicæ, erit syllogismus approbans illatam conclusionem, non continens principij petitionem. Insuper palàm est, plæraq; prædicata esse, quæ prius notiusq; singularibus insunt, quàm superioribus, in quibus rationi Aristotelicæ nullus esset locus, nisi contenderit quis, singularem conclusionem esse colligendam, id quod non videtur congruere ipsi literę. Quòd si quis fortassis obiiciat, Aristotelem dumtaxat monstrare syllogismum eum qui probatiuus est, oportere ex præmissa vniuersali esse conflatum, Hic autem agi de syllogismo latè sumpto, qui & eum qui probatiuus est, comprehendit, & eum qui principij petitionẽ admittit. Huic sit responsum, Et si illud solùm immediatè conuincat Philosophus, mediatè tamen idem in non probatiuis syllogisticis probari, eò quòd quiq; syllogismi, siue probatiui sint, siue non sint, (si modò inter se hoc solo dissideant) eiusdem omnino sint formæ, ad quam palàm est pertinere ipsius propositionis quantitatem. Post hæc in litera ibi, Magis autem manifestum) progreditur Philosophus ad mathematicum exemplum, dicens id quod superius dictum est manifestius esse in figuris mathematicis. Cuius causam arbitratur esse Albertus, quòd mathematicæ demõstrationes non sint ex signis, sed colligunt ex causa essentialiq; forma. Huiusmodi mathematicum exemplum in tria secatur membra, quemadmodum tres adferuntur enunciationes syllogismo colligendæ, Quarum prima est, curuilinei anguli a c semicirculi a c d, & b d semicirculi b d c, sunt æquales. Secũda est, Anguli itidem curuilinei c & d qui anguli sunt incisionis, id est, curuæ portiunculæ, sibi mutuò æquales sunt. Tertia, anguli rectilinei e & f, sunt æquales. His autem syllogisandis respondent tres maiores in litera assignatæ, quæ sunt, Anguli semicirculorum eiusdem circuli, qui in infinitum variari valent, sibi mutuò æquales sunt. Anguli incisionis inter se sunt æqui. Ea quæ relinquuntur ex æquis, æqualibus ablatis, æqua sunt. Hæ maiores vniuersaliter acceptæ, non autem aliter, hos syllogismos demonstrationesq; cõstituunt, Omnes anguli semicirculorum eiusdem circuli sibi mutuò æquales sunt; At a c & b d, anguli sunt duorũ semicirculorum eiusdem circuli, sunt igitur a c & b d sibi mutuò æqualia. Omnes anguli incisionis eiusdem circuli sunt æquales, sed huiusmodi sunt anguli d & c, ergo anguli d & c sunt æqui. Omnes anguli qui ex æquis relinquuntur, ablatis æquis angulis, sibi inuicem æqui sunt. At anguli e & f qui sunt anguli æquicruri e g f, ex æquis relinquuntur angulis a c & b d ablatis æqualibus angulis curuilineis incisionis c d, ergo anguli e & f constituti ad basim c d ipsius æquicruri e g f inter se mutuò sunt æquales. Ex his itaque palàm est, duos priores syllogismos, allatos esse in probationem vltimæ conclusionis. Et proinde vnicum ab Aristotele reddi exemplum mathematicum. Cęterùm Isosceles, qui Latinis & æquicrurus & æquipedus dicitur, triangulus est duorum dumtaxat laterum æqualium. Basis autem trianguli quælibet est linea alicui angulo subtensa, quanquam hic in litera basis sit linea quæ subtẽditur angulo duabus lineis æqualibus g d & g c comprehenso. Vtitur autem Philosophus æquicruro in circulo cõstituto, eò quòd dato huiusmodi æquicruro monstrantur duo latera esse æqualia, ob id quòd semidiametri sunt eiusdem circuli à centro ad circumferentiam protracto. Porrò id quod prioribus syllogismis à Philosopho hic ostensum est, alia via monstratur primi elementorum Euclidis quinta propositione.

Obiectio.

Responsio.



Pro mathematico exemplo subiecta sit hæc tabula.

A. recta linea
B. similiter recta linea
C. curua
D. Curua
E. angulus supra basim
F. angulus supra basim
G. centrum circuli
A b c d. circulus
A c d. semicirculus
B d c. similiter semicirculus

A c. angulus curuilineus, quem cõstituit a. linea recta, & pars circumferẽtiæ c d.
B d, angulus curuilineus quem constituit recta linea b & curua d c.
C d. curua particula seu incisio.
E f. linea recta, basis.
E & f. anguli ad basim.
E f g. isosceles seu æquicrurus.

In tertiam partem agentem de numero terminorum & propositionum, ex quibus conflatur syllogismus, scholium.

Perspicuũ est, oẽm syllogismũ tribus terminis.


MOnstraturus Aristoteles hac in parte, numerum & terminorum & propositionum, ex quibus constituendus est syllogismus, initio proponit, omnem syllogismum simpliciter vnum tres duntaxat continere terminos, re aut ratione officióue discretos. Cuius declaratio ex subiectis exemplis absq; ingenti labore valet esse manifesta, adiectis literis, quarum in textu fit mentio.

Syllogismus per vnicum medium conclusionem colligẽs, ex propositionibus duabus b a. & c b.


a Omne corpus est substantia. propõ.
b At omne viuens est corpus. propositio.
c Omne igitur viuẽs est substãtia. cõclusio.

Syllogismus per duo media colligens ex tribus propositionibus, quę sunt c a, b c, e b.

a Omne corpus est substantia. propositio.
c Omne viuens corpus est. propositio.
b Omne animal est viuens. propositio.
c Omne igitur animal est substãtia. cõclusio.



Syllogismus colligẽs conclusionem per tria media ex quatuor propositionibus c a d c b d e b.



a Omne corpus est substantia, propositio.
c Omne viuens est corpus, propositio.
d Omne animal est viuens, propositio.
b Omnis homo est animal, propositio.
e Omnis igitur homo est substantia, conclusio.

Ex suprapositis quoq; figuris palàm est, plures fieri syllogismos, dum per plura media colligitur conclusio eadem.

Cæterùm cùm vtraq; præmissarum fuerit prosyllogisata, fieri plures syllogismos, in subiectis declaratur exemplis. Esto syllogismus, Omne viuens est substantia, omnis homo est viuẽs, ergo

ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Maior in hunc modum ſyllogiſmo ſumitur. Omne corpus eſt ſubſtantia, & omne viuens eſt corpus, ergo omne viuens eſt ſubſtantia. Item & minor ſic ſyllogiſmo ſumitur, omne animal eſt viuens, & omnis homo eſt animal, eſt igitur omnis homo viuens. Poſſunt & hæ duæ præmiſſæ ſumi per inductionem hoc pacto, Omne animal eſt ſubſtantia, & omnis planta eſt ſubſtantia, ergo omne viuens eſt ſubſtantia. Socrates eſt viuens, & Plato cæteriq; particulares homines, omnis igitur homo eſt viuens. Ex quibus palàm eſt, ambabus præmiſſis proſyllogiſatis, tres eſſe ſyllogiſmos ſimplices. Altera autẽ duntaxat proſyllogiſata, reliquaq; per inductionem ſumpta, duos eſſe ſimplices ſyllogiſmos, duasq; ſyllogiſticas concluſiones, & tertiam non ſyllogiſticam inductioni reſpondere. Quòd ſi pręmiſſarum vtraq; inductione fuerit comprobata, vnicus erit ſyllogiſmus ſimplex, vnicaq; ſyllogiſtica concluſio. Atq; inductioni potiſſimùm locus eſſe debet, cum maior aut minor propoſitio eſt immediata. Poteſt inſuper & ille ab initio propoſitus ſyllogiſmus cum ſuarum præmiſſarum approbationibus ſic explicari, Omne viuens eſt ſubſtantia, nam omne corpus eſt ſubſtantia: & omnis homo eſt viuens, eſt enim omne animal viuens: omnis igitur homo eſt ſubſtantia. Ex his itaq; perſpicuum eſt, fieri non vnicum ac ſimplicem ſyllogiſmum, ſed plures, ſiue præmiſſarum altera aut vtraq; proſyllogiſetur, ſiue per diuerſa media ac rationem totius & partis ſubeuntia ſyllogiſetur concluſio. Porrò adnotandum eſt, poſt eam literæ partem (aut plures erunt ſyllogiſmi, aut eadem concluſio per diuerſa media oſtendetur) apud Boetium continenter legi. Si autem aliud quidem præter hæc, plures erunt & inconiuncti ſyllogiſmi ad inulcem. Deinde ſequi, ſi autem c d non ſic ſe habeant, & cæt. Pro quibus admonet Iacobus Faber, biſariàm coniungi ſyllogiſmos, Et coniuncti (inquit) ſyllogiſmi dici poſſunt, quando plurium duabus propoſitionũ eadem eſt concluſio, aut eadem fuerit præcedentium concluſio & alicuius ſequentis propoſitio. Diſiuncti verò, quando non ſunt huiuſmodi. Quo fit, vt propoſitiones diſiunctorum ſyllogiſmorum ſimul eandem concluſionem ex neceſſitate pariant, ſed non ſeorſum, vt hæ quatuor. Omne corpus eſt ſubſtantia, omne viuens eſt corpus, omne animal eſt viuens, omnis homo eſt animal, pariunt concluſionem omnis homo eſt ſubſtantia, quæ neq; ex duabus primis ex neceſſitate efficitur, neq; ex duabus ſecundis, vt agnoſcere facillimum eſt. Pro dictorum clariori intelligentia ſubiecta ſit hæc formula.

Syllogiſmi coniuncti ad concluſionem.	Coniuncti ad propoſitionem.
Omne corpus eſt ſubſtantia, propoſitio.	Omne corpus eſt ſubſtantia, propoſitio.
Omnis homo eſt corpus, aſſumptio.	Omne viuens eſt corpus, aſſumptio.
Omne animal eſt ſubſtãtia, propoſitio.	Omne viuẽs eſt ſubſtãtia, cõcluſio, propoſitio.
Omnis homo eſt animal, aſſumptio.	Omne animal eſt viuens, aſſumptio.
Omnis homo eſt ſubſtantia, concluſio.	Omne animal eſt ſubſtantia, concluſio.

Inconiuncti ſyllogiſmi, qui per tres ſubiunctos exprimuntur.


Omne corpus eſt ſubſtantia, propoſitio.
Omne viuens eſt corpus, aſſumptio.
Omne animal eſt viuens, aſſumptio.
Omnis autẽ homo eſt animal, aſſumptio.
Omnis homo eſt ſubſtantia, concluſio.

1	2	3
Omne corpus eſt ſubſtantia,	Omne viuens eſt ſubſtantia,	Omne animal eſt ſubſtantia,
Omne viuens eſt corpus,	Omne animal eſt viuens,	Omnis homo eſt animal,
ergo, Omne viuẽs eſt ſubſtãtia.	ergo, Oẽ animal eſt ſubſtãtia.	ergo, Oĩs homo eſt ſubſtantia,

Poſt hæc Philoſophus in litera ibi, Cum ergo tres termini duæ ſint propoſitiones, mõſtrat cuiuſuis ſyllogiſmi ſimplicis duas duntaxat eſſe pręmiſſas. In cuius declaratione cum ſatis ſit aperta, nobis non eſt immorandum. Porrò terminorum atq; propoſitionum oſtenſo numero, ex quibus ſimplex conflandus eſt ſyllogiſmus. Mox in litera ibi, Quando autẽ per ſyllogiſmos concluditur aut per plura media non cõtinua &c̃. oſtenditur id quod terminis & propoſitionibus ſimplicis ſyllogiſmi competit, conuenire quoque & terminis & propoſitionibus aucti ſyllogiſmi, nempe terminos vno ſuperàre propoſitiones. Cuius quidem declarationis intelligentia apertior ex ſubiectis ſyllogiſmis erit. Eſto hic ſimplex ſyllogiſmus, omne viuens eſt ſubſtantia, omniſq; homo viuens eſt, eſt igitur omnis homo ſubſtantia. Huius mediũ, neq; continuum eſt maiori extremitati, neq; minori. Nam inter ſubſtantiam & viuens corpus interċidit,

De numero terminorũ ac ꝓpoſitionũ ſyllogiſmi augmentati cũ literę declaratiõe.

tercidit. Item inter viuens & hominē, animal est interceptū. Quod si syllogismū auctum effeceris, altero horū intercidentium duntaxat addito, prouenient eiusmodi duo syllogismi, omne corpus est substantia, & omne viuens est corpus, estque omnis homo viuens, erit itaque & omnis homo substantia. Omne viuens est substantia, omneq; animal est viuens, & omnis homo est animal, est igitur omnis homo substantia. In quorū vtroq; termini numero sunt quatuor, & propositiones tres. Si verò iuxta literæ sententiā vnà adieceris vtrūq;, cōstitueretur hic syllogismus, omne corpus est substantia, omne viuens est corpus, omne animal est viuens, & omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia: cuius termini numero sunt quinque, substantia, corpus, viuens, animal, homo. Propositiones verò solum sunt quatuor, omne corpus esse substantiā, omne viuens esse corpus, omne animal esse viuens, & omnem hominē esse animal. Insuper esto hic syllogismus, omne viuens est substantia, & omne brutum est viuens, omnisq; equus est brutum, omnis igitur equus est substantia. hoc syllogismo colligitur omnem equum esse substantiam per duo media neq; continua ad extremitates, neq; ad se inuicem facta comparatione, id quod facilè est monstrare. Quod si inter hæc media intercepta adieceris, profluet eiusmodi syllogismus, omne corpus est substantia, omne viuens est corpus, omne quoq; animal viuens est, & omne brutum animal, omne autem animal quadrupes similiter brutū est, & omnis equus animal quadrupes, est igitur omnis equus substantia. In hoc termini numero sunt septē, propositiones autē solum sex. Similiter & in reliquis est censendum. Quare syllogismi aucti cuiuscunq; termini, vno duntaxat propositiones eiusdem superabunt. Cæterùm per interualla in litera suspicamur intelligēda esse spacia, quæ inter terminos intercidunt legitimo ordine cum quadam distantia in formulis descriptos ac digestos, cuiusmodi est hæc, in qua licet perpéndere, quid sit discriminis inter terminos propositionesque syllogismi simplicis, eiusque qui auctus dicitur.



Quid noie interuallorū sit intelligendum.

Nempe quod simplicis perpetuò termini sint impares, puta tres, & pares propositiones duæ scilicet. Aucti autem syllogismi accidit & terminos & propositiones pares esse & impares, sed permutatim, hoc est, terminis existentibus imparibus propositiones esse pares, & contra. Sunt attamen nonnulli, qui quaslibet syllogisticas propositiones arbitrentur esse interualla. Alij per interualla eas duntaxat accipiunt propositiones, quæ ex additis terminis procreantur. Ac id quod de terminorum numero dicitur, deq; propositionum cum interuallis æqualitate, referunt ad terminos ac propositiones primi principalis simplicisque syllogismi, argumento fortassis desumpto ex litera mox sequente, ibi. Conclusiones etiam non eundem & cæt. quam ex Philosopho constat simili modo esse referendam.
Porrò huius literæ sensus est. Et si in simplici syllogismo (quemadmodum ex superioribus est palam) conclusionis ad præmissas sit subdupla proportio, & ad terminos subtripla, in aucto tamen syllogismo non semper est eiusmodi proportio conclusionum ad propositiones & terminos præexistentes, ex quibus conflatur simplex præcipuusque syllogismus. Nam vno termino addito, duæ resultant conclusiones, & proinde pares sunt primi syllogismi propositionibus, & ipsarum ad terminos est proportio subsesqualtera, qualis est binarij ad ternarium, Si duo adijciantur termini tres continuis syllogismis colligentur conclusiones numero pares terminis, & ad propositiones primi syllogismi sesqualteræ. Sin verò tres addideris terminos, continuo ductu, sumentur quatuor conclusiones, & ita deinceps. Quamobrem tandem contingit, aucti syllogismi conclusiones numero maiores esse & terminis & propositionibus primi dati syllogismi. Verbi gratia, esto hic syllogismus, omne viuens est substātia, & omnis equus est viuens, omnis igitur equus est substantia: si supra viuens corpus adieceris, aut animal sub eodem, profluent hi syllogismi aucti, omne corpus est substantia, omne viuēs est corpus, omnisq; equus est viuēs, omnis igitur equus est substātia. Omne viuens est substātia, at omne animal viuēs est, omnisq; equus animal est, est itaq; omnis equus substātia: quorū illius conclusiones hæ sunt, omne viuens esse substantiam, & omnē equū esse corpus. huius autem hæ,

omne

omne animal esse substantiam,& omnem equum esse viuentem. Quod si vtrunq; addideris, constituetur hic syllogismus,omne corpus est substantia,omne viuens est corpus, omne animal est viuens,atq; omnis equus est animal,ergo omnis equus est substantia,cuius conclusiones continuo ductu sumptæ sunt hæ tres,omne viuens esse substantiam,omne animal esse corpus,& omnem equum esse viuentem. Addidimus ductu continuo,eò quòd ex secunda conclusione,omne animal esse corpus,& ex subsumptione omnem equum esse animal,colligitur hæc quarta,omnem equum esse corpus. Item tribus adiectis conflabitur iste syllogismus,omne corpus est substantia,omne viuens est corpus,omne animal est viuens,omneq; brutum est animal,& omnis equus brutum est,igitur omnis equus substantia est,cuius similiter conclusiones sunt,omne viuens esse substantiã,omne animal esse corpus,omne brutũ esse viuens,omnem equum esse brutũ. Ex quarum prima & tertia colligitur,omne brutũ esse substantiã,quẽadmodum ex secunda & quarta sequitur omnẽ equum esse corpus,& ex tertia conclusione,& subsumptione omnem equũ esse viuentem. Quod si quatuor addantur termini,erit hic syllogismus, omne corpus est substantia, omne viuens est corpus. omne animal est viuens, omne brutũ est animal, omne quadrupes brutũ est, & omnis equus quadrupes, omnis igitur equus est substantia. Cuius conclusiones numero sunt quinq; eiusmodi,omne viuens esse substantiam,omne animal esse corpus,omne brutũ esse viuens,omne quadrupes esse animal, & omnẽ equum esse quadrupedem. Sed hactenus de hisce a nobis dictum sit,quæ omnia missa fecissemus, nisi Philosophi litera ita perplexa intellectuq; difficilis fuisset, vt cognosci non valeret, præsertim ab iis qui mediocri sunt ingenio,nisi consultis cõmentariis. Cæterùm illud in litera. Ad solam autem minorem extremitatem non fit conclusio. ad alias autem omnes addito termino conclusio fit,intelligendum est de conclusione,quæ eadem esset cum primi syllogismi conclusione. Adiiciunt nonnulli,aut eiusdẽ aliqua propositione. Dato etenim hoc syllogismo,omne viuens est substantia,& omne brutũ est viuens,ergo omne brutum est substantia,si sub minore extremitate hunc in modum fiat subsumptio,omne viuẽs est substantia,omne brutum est viuens,omnisq; equus est brutum,rectè colligitur,omnem equum esse substantiam,quæ quidem conclusio non erat in initio proposita. Sed de hisce satis abundè.

In quartam partem ostendentem, quæ propositiones facile & quæ difficilè sint syllogismis colligendæ, adnotanuncula.

Quoniã aũt ostẽsum est, ex qbus termis.

NOnnullis quæ superius tractata sunt repertis,in huius partis initio clarissime ostendit Philosophus, quæ propositio facilè sit syllogisabilis, quæque difficilè syllogismo colligitur, simpliciter quidem, non autem facta collectione ad hunc vel illum, hoc vel illo modo assuetum. Hoc etenim modo (si quibusdam non paruæ autoritatis commentatoribus habenda sit fides) existimabant nonnulli veterum philosophi,affirmatiuam vniuersalẽ quàm facillimè syllogismo concludi. Propositio itaq; simpliciter facilè syllogisabilis est, quę in pluribus figuris pluribusq; modis syllogisticè concluditur.

Ea cõtra difficile syllogisatur,quę in paucioribus & figuris & modis colligitur. Post hæc minore subsumpta in litera ibi, A ffirmatiua igitur vniuersalis &c̃. colligit dum subdit, manifestum igitur quod vniuersalem quidem affirmatiuam &c̃. vniuersalem affirmatiuã difficillimum esse syllogismo concludere, facillimum verò particularem negatiuã, inter quas medium obtinent locum particularis affirmatiua & vniuersalis negatiua, quarum illa hac facilius syllogisatur. Cæterum illud literæ in calce. Insuper manifestum est,quoniam destruere facilius est q̃ construere,ad vniuersalia problemata referre solent,de quibus pręsertim agebat pars textus proximè pręcedens. Et si in vniuersali quoq; ac generatim loquendo,destruere facilius sit quàm construere,hoc est, negare & confutare, q̃ asserere & approbare. Nam hoc quatuordecim duntaxat viis cõtingit, illud autẽ modis octodecim,quẽadmodum ex formula his inscripta promptum est posse lectorẽ deprehẽdere,modò aduertat in vltimo ordine positas literas indicare earũ propositionum quantitatem, quibus alias confutamus & euertimus.

Destruuntur	EO	AI	E	A
Destruuntur	9	5	3	1
Construuntur	1	3	4	6
Tertia	0	0	3	3
Secunda	0	2	0	2
Prima figura	1	1	1	1
	A	E	I	O

In primam primi capitis quarti tractatus partem, complectentem quædam documenta pro inueniendo medio, adnotatio.

Quomodo autẽ idonei erimus semper.

SCientiæ formandorum syllogismorum subnectit Philosophus obiter hoc quarto tractatu inueniendi medii syllogistici artem, eo consilio (quemadmodum volunt) vt perfectior Prioris Analysis valeat haberi cognitio. Atq; in hac prima prioris capitis parte nouem proponis

proponit præcepta, quibus auditoris lectorisve animus paretur ad sequentiũ intelligentiam.

In primo documento vnam cõplectente diuisionem (quæ ex Porphyrij Isagoge & Aristo. categorijs est vel luce clarior) ideò dicuntur substantialia indiuidua, vt Cleon & Callias, de alio prædicari secundum accidens. quia de accidente prædicantur dum dicitur, hoc albũ est Socrates, & hoc veniẽs est Callias. Sunt etenim eiusmodi prædicationes veræ, eò ꝙ Socrates cui accidit esse album est Socrates, & Callias cui accidit esse hoc veniens est Callias. In quibus id quod in alio inest, ipsius subiecti fungitur munere. Loco illius partis literæ, sic legitur in Boetiana versione, Et quodlibet singulare de nullo prædicatur nisi secundum accidens. Nam sensibilium penè vnumquodq; est huiusmodi, vt de nullo prædicetur, nisi vt secundum accidens. Circa quod admonet Albertus, a Philosopho dictũ esse (penè vnũquodq;) propter ea indiuidua quæ vulgò vaga nuncupantur. hæc enim existimat posse de pluribus prædicari ipsius speciei ratione, de qua re meminimus nõnihil attigisse in Porphyriana Isagoge. Porrò ea eiusdem præcepti portiuncula (& nulla de ipsis nisi secundum opinionem) duplicem admittit interpretationẽ. Nam existimat Albertus, id secundum opinionẽ de aliquibus prędicari, quod de illis secundũ quandã dicitur analogiam. Quomodo ex Aristot. constat, ens de decẽ dici prædicamentis. Nonnulli præterea Aristoteli contemporanei, aut eo priores, arbitrantur ens vniuocũ esse ad decem generalissima, id quod posteriores, Scotus, & alij pleriq; fatentur ac docent, a quorum sententia se quàm longissimè insinuat hic Philosophus alienum esse.

Antecedens quid sit. Cæterùm in secundo documento per antecedens accipiendũ est id, quod alterum legitimè infert, cuiq; vniuersaliter subijcitur, cuiusmodi est minus cõmune cõparatione maioris. & conuertibile, ad id quod cum ipso recurrit. Contra Consequens est, quod ex altero infertur, & de quo vniuersaliter prædicatur. *Quid consequens.* Duplex autem consequentis diuisio in litera posita, partim ex Isagoge Porphyriana, partim ex dictis in superiori pręcepto manifesta est. Contra. Extranea, *Quæ extranea.* quæ antecedentibus & consequentibus opponuntur, sunt quæ de quopiã proposito vniuersaliter negãtur, vt homo & risibile, equo sunt extranea: albũ, ceruo & æthiopi. *Duplex consequens,* Porrò tertium documentum indicat, duplex esse consequens. Vnum simpliciter, quod scilicet ex ipso antecedente secundum se sumpto sine aliqua controuersia infertur, vt animal rationale, disciplinæ capax, & coloratum hominis comparatione. Alterum est, quod particulariter consequitur imperfectè atque diminutè. Id autem est, quod ex aliquo particulari eius quod pro antecedente assignatũ est, perpetuo consequitur, non autem ex quolibet, quomodo ad animal sequitur rationale. Nam hominẽ, qui pars subiectiua est animalis, semper sequitur atq; necessario: Existimamus autẽ, id Aristotelem annotasse hoc præcepto, ꝙ forsitan suo tempore receptæ erant eiusmodi consequentis significationes. Ad hæc, quintum præceptum robur ex eis sumit maximis propositionibus. Quicquid ad consequentiæ firmæ consequens sequitur, ad antecedens quoq; consequi. non contra, Quicquid cum consequente ratiocinationis legitimę pugnat, aduersari & eiusdem antecedenti. Porro sextum pręceptum inducere solent ad suæ opinionis approbationem ij, qui putant omne proprium exigere quoddam subiectũ, quocum recurrat ac conuertatur. Cæterùm septimi documenti hæc est sententia. Si syllogismo colligenda sit conclusio, hominem videlicet esse sensibilem, sumpto medio quod antecedens sit ad prædicatum quod continet, & consequens ad subiectum quod continetur, non est respiciendum an tale medium (vt animal) sit etiam consequens ad ea quæ anteeunt subiectum, cuiusmodi sunt Socrates, Plato, & cæt. (Quicquid enim subiectum consequitur, comitatur & ea omnia quæ subiectum antecedunt) sed potius in solo subiecto figenda est animi acies, videndumque est, an quod pro medio sumptum est, ipsum subiectum consequatur. Illa enim ad ea quæ subiectum antecedunt consideratio plus officit medium electuro, quàm promoueat. Porrò vltimum præceptum nonnulli asseuerant instantiam pati, quum conclusio prædicatum iuxta cum medio illimitatum complectitur, quodque omnia comitetur, quemadmodum in hoc contingit syllogismo, omne ens est bonum, omneq; verũ est ens, est igitur verũ omne bonum. At hic medium (ens) non sumitur quatenus vtriusq; extremitatis sit consequens, verum potius ea ratione, qua minus extremum consequitur & anteit maius.


Adnotatio in secundam partem pro qualibet colligenda conclusione in quauis figura quouisve modo, inueniendi medij regulas tradentem.

Concludere ergo volẽtibus.

POst præcepta superiori parte tradita in præsentiarum exhibet Philosophus quatuor regulas, quibus ceu certissimis ducibus valeamus inuenire medium, pro quauis conclusione in quolibet modo syllogismo concludenda, quas quidem regulas latius fusiusque explicat ibi. Magis autem manifestum erit & cæt. Est autem Aristotelis litera intellectu

satis

satis facilis, modò non fallatur lector circa diuersas pro inueniendo medio assignatas literas. & si namq; diuersæ sint, indicant tamen pro syllogisanda conclusione vera, sumendum esse idem medium, quod aliam atq; aliam ratione subire est necesse. Porrò ab expositoribus, quibus nulla cura fuit nominum fictorũ has regulas designantium, traditur huiusmodi formula ijs quæ hac & sequenti parte traduntur intelligendis accõmoda.



EX hac itaq; formula deprehendere licebit, si medium sit b & f, id est, vtriq; extremi consequens, nullus erit procreatus syllogismus, quippe qui ex vtrisque affirmatiuis in secunda constituatur figura. Quòd si medium fuerit d & h, hoc est, ad vtramq; extremitatem extraneum, conflabitur ex vtriq; negatiuis syllogismus, & proinde infirmus ac inutilis. Si autem fuerit medium c & h, id est, ad prædicatũ antecedens & subiecti comparatione extraneum, procreabit syllogismum ex minore negatiua in prima vel tertia figura, quæ item nullius est efficaciæ. Hæc de inconstanti inutiliq; medio. Porrò si medium fuerit f & c, hoc est, subiecti consequens & antecedens prædicati, accõmodũm erit medium concludendæ affirmatiuæ vniuersali & particulari in prima figura. Quòd si fuerit d f, id est, prædicato extraneum & consequens subiecti, idoneum erit medium ad colligendam vniuersalem negatiuam in prima & secunda figuris. In prima siquidem figura, si a medio remoueatur prædicatũ. Atque id in Celarent, minore existente vniuersali. In Ferio autẽ, si eadem minor particularis fuerit.

fuerit. Contra, si medium de prædicato negetur, erit in secunda figura: In Cesare quidem, si minor vniuersalis fuerit. In Festino verò, si ipsa extiterit particularis. Si autẽ medium fuerit h b, id est, prædicatũ sequatur, & cum subiecto pugnet, colligetur in secundæ figuræ secundo modo Camestres minore vniuersali vniuersalis negatiua, & eadẽ minore particulari in quarto modo Baroco videlicet particularis negatiua. Quòd si medium extiterit c g, id est, & antecedat prædicatũ & subiectum, aptum erit medium ad syllogisandum affirmatiuam particularem in tertia figura. Si autem medium fuerit g d, seu antecedat subiectũ & prædicato repugnet, vtile erit particulari negatiuæ in tertia figura syllogisandæ. Sin verò fuerit g b, hoc est antecedat subiectũ & prædicatũ consequatur, colligitur indirectim in prima figura particularis affirmatiua. Porrò autorũ expositorumque cõplures, quæ nũc dicta sunt etiã tribuũt syllogismis indirectè colligẽtibus, dicẽtes h b idoneũ esse, ad inferendũ indirectã conclusionem in Celantes. Et g d vtilè esse syllogisandis conclusionibus in Fapesmo, Frisesom, Faresmo, Firesmo, Fapemo, Frisemo. Et g b in Dabitis, quẽadmodũ mox dictũ est. Cæterùm & si quę nunc diximus, apud ingeniosum lectorẽ difficultatis obscuritatisque nihil habeãt, posteriores tamen recentioresque cõmentatores pro faciliori harum regularũ intelligentia quædã finxerunt vocabula, quæ designent quicquid in hisce comprehenditur regulis. Atque pro medijs systatis seu constantibus atque vtilibus, hæc sex instituerunt, Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali. Quorum quodque tribus ex syllabis constat. In quarũ vltima vocalis indicat cuius quantitatis qualitatisve sit conclusio syllogisanda. In reliquis vero duabus vocalibus e & a, subiectũ & prædicatũ designãt, e quidem subiectũ, a autem prædicatum, quæ extrema sunt syllogisandæ conclusionis. Atque vocali e secundum Latinorũ interpretationẽ (Nam aliàs apud Aristotelem res sese habet) aliqua istarũ iungitur consonãtium f, g, h, quarum f, significat medium sumendũ esse, quod consequẽs sit ad e subiectũ. g vero, quod sit eiusdẽ antecedẽs. & h, quod sit alienũ ac extraneum. Item ipsi a adijciuntur tres consonãtes b, c, d. quarum b, designat medium oportere esse ad a prædicatum, consequẽs. c, antecedens. d vero, extraneum eiusdem.

Fecana. Prima igitur dictio (Fecana) applicanda est ad vniuersalem affirmatiuam in primo modo primæ figuræ syllogisandam, & proinde ad particularem affirmatiuam concludendam in tertio modo eiusdem figuræ. Nam in his modis medium ad maiorem extremitatem antecedentis rationem subit, & minus extremum consequitur, idque necessum est obseruari in Barbara, & si in Darij nonnunquam aliter eueniat. Hanc etenim, quoddam animal est substantia, homine pro medio accepto, licet sic syllogisare, Omnis homo est substantia, & quoddam animal est homo, est igitur quoddam animal substantia, in quo quidem syllogismo medium ad minorem extremitatẽ, consequentis secundum partẽ habet rationẽ, quod superiori parte asseruit Philosophus ab hac arte reijciẽdum. Hinc facilimè perspiciet lector, Philosophũ non tradere omnẽ cuiusque conclusionis syllogisandæ modum, sed tantum regulas proponere, secundum quas cõmodissimè ac absque vllo errore syllogisabitur conclusionum omne genus.

Cageti. Cæterùm dictio secunda Cageti secundæ regulæ respondens, destinatur ad colligendam particularem affirmatiuam in tertiæ figuræ modis Darapti, Disamis, & Datisi.

Dafenes. Tertia autem Dafenes, ad concludendam vniuersalem negatiuam in secundo modo primæ figuræ Celarent, si modo quemadmodum superius diximus, de medio prędicatum remoueatur, & proinde ad particularem negatiuã in Ferio colligendam. Quod si contra eueniat, hoc est, medium a prædicato tollatur, syllogisabitur negatiua, vniuersalis quidem in primo modo secundæ figuræ Cesare, & particularis in Festino.


Hebare. Quarta dictio Hebare, destinatur concludendæ vniuersali negatiuæ in Camestres, & particulari in Baroco.

Gedaco. Gedaco autem, quæ quinta est vocula monstrat quo pacto colligenda sit particularis negatiua in tertiæ figurę modis particularibus negatiuis, Felapton, Bocardo, Ferison.

Gebali. Sexta vero Gebali, ostendit quomodo sit syllogisanda indirecta conclusio affirmatiua particularis in Baralipton & Dabitis. Hæc autẽ oĩa in hac sequenti figura monstrantur ac describuntur. Illud attamen quidam arbitrantur adnotandum, quasdã inueniri conclusiones, quę nequeãt syllogisari secundum dictarum regularum dictamen atque præscriptũ, Cuiusmodi sunt, omnẽ hominẽ vigilare, quendam hominem esse animal, quoddam animal esse hominẽ. Nequit enim prima in Barbara syllogisari per medium quod hominis cõparatione simpliciter sit consequens, & simpliciter antecedens ad prędicatũ vigilans, sed syllogisabitur per medium quod ad prædicatum vt nunc antecedentis rationem suscipit. Similimodo secunda nequit syllogisari indirectè in Dabitis secundum regulam per Gebali designatã, cum non possit idem dari, quod ad hominẽ sit antecedens, & ad animal consequens. Item tertia, potest quidem directè in Darij colligi, nõ tamen secundum regu-

lam

ſam nomine Fecana comprehenſa, eò quòd nihil offendere valeamus, quod ad ſubiectum ani mal conſequentis rationem habeat, & prædicatũ hominem antecedat. Verùm de hiſce a no bis hactenus ſit dictũ, ne in re non prorſus neceſſaria diutius quàm par ſit immoremur.



X

FECANA		
Prima figura		
A	A	[illegible]
A	i	i
CAIETI		
Tertia figura		
A	A	I
[illegible]	[illegible]	i
A	i	[illegible]
[illegible]		
Prima figura & Secunda		
[illegible]		E
[illegible]	[illegible]	O
[illegible]		
Secunda figura		
A	E	E
A	O	O
[illegible]		
Tertia figura		
E	A	O
O	A	O
[illegible]	i	O
[illegible]EBALI		
[illegible]rim indirect.		
A	A	i
A	i	i

In tertiam partem, quinque corollaria continentem, adnotatio.

Ex dictis manifestũ est.

EX superioribus infert Philosophus quædam corollaria, quorũ tria prima ex prius dictis manifesta sunt. Verùm ante tertium in litera ibi positũ, Manifestũ quoq; est, omnes præter dictas considerationes, & cæt. quo monstrat, alias tres connexiones medij cũ extremitatibus, Febas videlicet, Hecas, & Hedas, inutiles esse. in Boetiana legitur versione, id q̃d se in primo huius capitis partis calce pollicitus fuerat Philosophus monstraturũ, hunc in modũ. Et quoniam non eligendum quæcunque omnibus sequuntur, eo q̃ nullus fiat syllogismus ex ipsis. Nam construere quidem omnia erat ex sequentibus. Priuare autem non contingit per ea quæ omnibus sequuntur. Oportet enim huic quidem inesse, illi vero non inesse. Verùm hanc de transcendentibus literæ portiunculam ideo arbitramur a nostri textus compilatoribus omissam, q̃ eandem sententiã habeat cũ ijs quę mox sequuntur de Hedas, hoc est, medio eodẽ quod ad vtrumq; extremũ syllogisandæ conclusionis est consequens. Porro quarto corollario ibi assignato, Perspicuũ insuper est in hac arte, & cæt. monstrat Philosophus quendam modum colligendæ vniuersalis vel particularis negatiuæ ab antiquis traditũ non esse conuenientẽ, nisi quatenus secundũ artem prius traditã fiat. Arbitrabantur sanè docebantq; hi, negatiuã conclusionẽ syllogisandam esse inspiciendo ad consequentia subiecti & prędicati, quæ quidẽ consequentia si fuerint contraria, per vtrunq; licebit eiusmodi syllogisare conclusionem. Verbi gratia, Esto hæc syllogisanda, nullam iustitiam esse iniustitiam. ad iustitiam virtus sequitur, & vitium ad iniustitiam, Ex illa hoc modo eadem colligetur conclusio in Celarent, Nulla virtus est iniustitia, & o꞉s iustitia est virtus, nulla igitur iustitia est iniustitia. Ex hoc autẽ quòd prædicatũ Iniustitia, sequitur in Camestres, eadem sic colligetur conclusio, o꞉s iniustitia est vitium, at nulla iustitia est vitiũ, nulla igitur iustitia est iniustitia. Hunc syllogisandi modũ bifariam confutat Aristoteles. Primo, q̃ omnẽ syllogisandi artem oporteat docere inueniendi medij rationem, & necessum sit, in vtrisq; præmissis idem esse medium, nõ autẽ diuersum. Secundo, quòd illi colligendi modi regulis prius traditis innitantur. Nam ostenditur nullum e esse a, id est, nullam iustitiam esse iniustitiam, per f, hoc est, per virtutẽ quatenus ad c iustitiam est consequens, & ad a iniustitiam est extraneũ, iuxta significationẽ dictionis Dafenes. Idem quoq; monstratur per b vitium, consequens ad a prędicatũ, quod est iniustitia, quatenus extraneum est ipsi subiecto c, secundum regulam quam insinuat dictio Hebare. Quare concludendo negatiuam vniuersalem, siue per contrarium quod ad subiectum consequentis rationem habet in prima figura, aut in secunda per contrarium quod prædicatum consequitur, res ipsa in prius dictas considerationes rĕcidit. Cæterùm de particulari negatiua colligenda agitur in litera, ibi, Similiter autẽ si g & b sint contraria, concludetur aliquod e nõ esse a, per secundam figurã, & cæt. Cuius intelligentia ex his facilè colligetur. Esto e virtus, a rapina, conclusio monstranda erit, quandam virtutem non esse rapinã. Sit quoq; g iustitia virtutis antecedens, & b rapinæ consequens, iniustitia, quæ sunt contraria. In secunda figura syllogisabitur dicta conclusio hunc in modum in Baroco, Omnis rapina est iniustitia, at quędam virtus non est iniustitia (Nam ob contrarietatem nulla iustitia est iniustitia, & omnis iustitia virtus est, ergo quædã virtus non est iustitia, in Felapton) quædam igitur virtus non est rapina: in quo quidem syllogismo b consequens ad prædicatũ a, extraneum est ad e subiectum, sicque attinet ad regulam per Hebare designatam. Idem quoque per tertiam ostenditur figuram hoc modo, Nulla iustitia est rapina, omnis autem iustitia virtus est, ergo quædam virtus nõn est rapina. Cæterùm in litera ante hunc syllogismum tertiæ figuræ tacitè indicatur quidã prosyllogismus ad secundam pertinens figuram huiusmodi, omne a est b, hoc est, omis rapina est iniustitia, at nullum g est b, id est, nulla iustitia est iniustitia, ergo nullum g est a, siue nulla iustitia est rapina. Nam non contingere b & g, quæ supposita sunt esse contraria, eidem inesse, Idem est quòd g esse d, hoc est, quod medium quod est iustitia extraneum esse ipsi prædicato a, rapina. quod quidem medium g iustitia, anteit e virtutẽ. Nam omne g est e, hoc est, omnis iustitia est virtus. Non igitur ea pars literæ, Nam non contingere, & cæt. legatur per parenthesis modum, sed ad eam textus partem referatur, Et etiam erit per tertiam figuram. Deinde sequentia in quinto corollario posita continuo legantur tractu. Et si b & f sint contrariæ, idem erit b & h, & per hoc erit syllogismus secundum priorem artem. Hic subiecimus exempla vt ad manum haberentur.

Antiquorũ sententia de medio sumendo pro colligenda vniuersali vel particulari.

Antiquorũ reprobatio.

In secunda figura nullum c est a, id est, nulla iustitia est iniustitia.

A Iniu-

A	Iniustitia	Nulla iniustitia est virtus,	Omnis iniustitia vitium est,
B	Vitium	Omnis iustitia est virtus,	Nulla autem iustitia est vitium,
C	Iustitia	Nulla igitur iustitia	Nulla igitur iustitia est iniustitia.
F	Virtus	Iniustitia erit.	

Pro particulari negatiua colligenda, quoddam e non est a, seu quædam virtus non est rapina.

A	rapina	In 2. figura ex extraneo q̃d est iniustitia	Ex extraneo quod est iustitia in 3.
B	iniustitia	Omnis rapina est iniustitia,	Nulla iustitia est rapina,
E	virtus	Quædam virtus non est iniustitia,	Omnis iustitia est virtus,
G	iustitia	Ergo quædam virtus non est rapina.	Quędam igitur virtus nõ est rapina.

Eodem aũt modo p̃ dictã artẽ.

In quartam eiusdem capitis partem, monstrantem per hanc artem sumendum esse medium ex syllogismis ex hypothesi, & ex modalibus, annotatio.

IN huius partis exordio monstrat Philosophus, syllogismos per impossibile fieri secundum artem prius traditã, eò quòd quicquid syllogisatur ostensiuè, etiã syllogismo per impossibile possit colligi, & cõtra, atq; per eosdẽ terminos, In cuius declaratione, quę longè prolixior est apud Boetianã versionẽ, per e & a accipe terminos significatiuos lapidẽ & hominẽ, seu hãc enunciationẽ, nullus lapis est homo: & per b, prędicati consequẽs animal scilicet: ex quibus sic per impossibile syllogisabitur, ōis homo est animal, & aliquis lapis est hõ, aliqs igitur lapis est animal, cõclusio est falsa, igit̃ & pręmissarũ altera. Non maior (Nã ipsam palàm est verã esse, ergo minor falsa est, Et proinde verũ erat nullũ lapidem esse hominẽ, quę quidẽ ostensiuè sic syllogisatur, omnis homo est animal, & nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo. Porro secũdæ probationis ibi in litera positæ, In omnibus enim syllogismis per impossibile & cæ. sententia est. In omni syllogismo ad impossibile præter extrema pręcipuæ cõclusionis, sumendus est tertius terminus cõmunis, quippe qui ingrediatur vtrũq; syllogismũ & ostensiuũ & per impossibile. ostensiuũ quidem veluti medium. per impossibile verò syllogismũ tanquam maior extremitas fallè de minore extremitate enunciata, ob quod dicitur syllogismus per impossibile esse syllogismus mendacij ad terminum cõmunem. Verbigratia, in superiori syllogismo primo discursu colligitur, quendam lapidem esse animal (quod constat falsum esse) ex his, omnem hominem esse animal, & quendã lapidem esse hominẽ, in quibus sunt hi tres termini, animal, homo, lapis, ex quibus fit hic syllogismus ostensiuus, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo. Constituũtur ergo syllogismi per impossibile & ostensiuus ex eisdem terminis, nõ tamen eodẽ seruato medio, sed quod mediũ est in ostensiuo, maior est extremitas in syllogismo ad impossibile, & contra, quod maior extremitas in ostẽsiuo, medij rationẽ accipit in eo qui est ad impossibile syllogismus. Cęterùm in litera, ibi, Differt autẽ syllogismus ostensiuus ab eo & c̃. ne quis errore deceptus arbitretur, ob dictã in eisdem terminis conuenientiam, hosce syllogismos eosdem esse, subiunxit quid inter ipsos sit discriminis, quod quidẽ discrimẽ nõnulli vniuersaliter accipiũt, de omni nẽpe syllogismo ostensiuo: alij verò particulariter, eò quòd illis appareat, ostensiuũ dari syllogismũ ex falsis constãtẽ. Post hæc ibi, In alijs quoq; syllogismis & cæt. ostendit reliquos syllogismos ex hypothesi, ad transsumptũ videlicet, & secũdum æqualitatẽ in subiectis, fieri secundum artẽ in traditis regulis cõprehensam, vbi per particularẽ inspectionem intelliges considerationem ac eam regulam, secundum quam licet vniuersaliter in tertia figura colligere. Mendosa est enim marginalis annotatio dicens, idem est per considerationem valentem ad concludendum particulariter in tertia figurã, sed loco particulariter legendum est vniuersaliter. Porro quæ sequuntur in litera de propositionibus modalibus, Item & duo corollaria illata, intellectu sunt facilia. Apparet quoque secundum corollarium pugnare cum illo primi Topic. Sed non propter hoc vnã in omnibus vniuersalem methodũ quærendum, Neq; enim facilè est hanc inuenire, & cæt. de quo tractabitur a nobis, cũ ad eum peruenerimus locũ. Cæterùm ne quis labatur, arbitrãdo propria singulariũ sentẽtiarũ pricipia hac arte posse monstrari, in epilogo subiũxit.

Quã ob causam syllogismus per impossibile dicatur mẽdacij syllogismus.

Propria autẽ vniuscuiusq; sunt plurima. Quare cuiusuis artis principiorũ notitia experimẽto crescit, de qua quidem re in libro Posteriorũ Analyticorum fusius considerabitur. Porro per apparentia in litera mox sequente, intelligũtur accessus, recessus, progressus, regressus, occultationes, aliaq; id genus, de quibus disserunt astronomi.

Qđ aũt syllogismus diuisiuus.

In secundum caput, reprobationem antiquorum circa medij inuentionem continens, adnotamentum.

QVoniam veterũ philosophorum complures perperã existimabãt, diuisione diuisiuoq; syllogismo definitionem de suo definito monstrari, atq; proinde diuisionẽ necessariã esse, sufficereq; pro medij syllogistici inuentione (Nam demonstratio, potissima est syllogismi species) In huius capitis exordio proponit Philosophus, diuisionem seu diuisiuũ syllogismũ, ideò parum cõducere ad syllogisticum medium inueniendum, quòd infirmus sit, non monstrans quod erat monstrandum, & principij petitionem implicans, colligensque aliquid, quod cõmunius est eo quod præcipuè intenditur. Est autem syllogismus diuisiuus (quemadmodum ex litera licet colligere) qui ex diuiso pro medio sumpto colligit disiunctum ex omnibus membris diuidentibus conflatum, competere alicui subsumpto sub ipso diuiso, Deinde progressus sit ab vnius membri de eodem subsumpto negatione, ad alterius de eodẽ affirmationẽ. Quòd si plura duobus extiterint diuidentia membra, cuncta vnico excepto quod monstrandũ est, ab eodẽ subsumpto erũt remouenda. Verbi gratia, si approbandũ sit, hominẽ esse mortalem, eumq; duos habere pedes, hi duo syllogismi diuisiui ad hunc modũ constituentur. Omne animal est mortale vel immortale, at oĩs homo est animal, est igitur oĩs homo mortalis vel immortalis, Non aũt est immortalis, ergo est mortalis. Omne mortale est duos pedes habẽs, vel nõ habens, sed omnis homo est mortalis, habet igitur homo oĩs duos pedes vel nõ habet. At nullus hõ est nõ habens duos pedes, habet itaq; oĩs homo duos pedes. Ex quibus palàm est, in diuisiuo syllogismo duplicẽ esse discursum. Prior est syllogisticus ex medio constãs, quod non colligit, sed potius supponit, cuius ratione dicitur syllogizare quippiã q̃d cõmunius sit præcipua cõclusione, atq; mediũ sumere latius maiore extremitate, nõ eiusdẽ discursus, sed ea quæ prædicatur in principali cõclusione. Sunt eteni animal & disiunctũ mortale vel immortale, inter se recurrẽtia, & mortali cõmuniora. Alter est enthymematicus, quo fit progressus a negatione vnius membri diuidentis de aliq̃ sub diuiso sumpto, ad alterius affirmationẽ de eodẽ, in quo asserũt Philosophi cõmentatores, principij petitionẽ admitti. Neq; etenim notius nobis est, hominẽ non esse immortalem, q̃ ipsum mortalem esse. His autem cognitis, facilem arbitramur esse ipsius literæ intelligentiã. Porro ante illam textus portiunculam, Si omnis longitudo est symetros vel asymetros &c̃. in Boetiana legitur translatione. Manifestum autem, quoniam neq; destruere hac via est, neq; de antecedente aliquid, aut de proprio syllogisare, neq; de genere, neq; de quibus ignoratur, vtrum hoc modo aut illo se habet, vt putãs ne diameter est symeter vel asymeter? Deinde sequitur in eadem litera, Si enim sumat quoniam omnis longitudo est symetros vel asymetros &c̃. Quibus sanè verbis indicat Philosophus, nullum omnino prędicatũ posse de aliquo monstrari diuisiuo syllogismo. Huic quoq; literæ parti omissæ apertè consentit illud corollarium. Manifestũ est igitur, syllogismũ diuisiuũ neq; ad cuiusq; medij inuentionẽ congruere, neq; etiã eius ad quod maximè videtur conuenire illis antiquis, nempe ipsius definitionis.

Quid sit syllogismus diuisiuus.

In diuisiuo syllogismo duplex inest ratiocinatio.

Quõ aũt reducemº syllogismos.

In quinti tractatus primi capitis priorem partem, agentem de syllogismorum in propositiones resolutione, adnotamentum.

IN præsentis literæ exordio pollicetur sese Philosophus, huic priori libro finem impositurus, determinaturum de resolutione syllogismorum duas ob causas, in quarum secunda assignatur illa vulgatissima propositio. Oportet omne quod verum est, sibijpsi consentiens esse penitus. Cuius sententia est. Oportet verũ ita non pugnare cũ vero, vt dũ in aliq̃ disciplina traduntur, & in eundem destinãtur finem, sibijpsis mutuã præstent intelligentiã. Cæterũm anteaquàm literę expositionem aggrediamur, adnotandum est, Philosophum diuersimodè considerare in hoc tractatu de syllogismorũ reductione atq; resolutione. Nam (omissa interim reductione ostensiua ac per impossibile, de qua posterius) duplex est syllogismorũ resolutio in suã principia. Vna est, qua resoluitur, eæ consequentiæ quę re vera sunt syllogisticę secundũ regulas traditas, in sua principia materialia & ꝓpinqua & remota, propositiones inquã & terminos. Atq; de hac apparet Philosophũ agere dũ dicit, Primũ ergo resoluendi sunt syllogismi &c̃. Altera est, qua cõsequẽtia nõ syllogistica, necessaria tamẽ, ad eã reducitur, quę re vera est syllogistica, & hac mediãte in sua principia materiæ ratione subeuntia, queadmodũ testatur huius literæ finis. De hac quoque agetur ibi, In aliquibus ergo facilius est videre &c̃. Imò de hac duntaxat in hac parte considerare Philosophũ, contendere apparet Albertus. Resoluere igitur aliquam ratiocinationem, si modò syllogistica fuerit, est monstrare, in ipsa seruari materiam & formam syllogisticam. duas solum esse propositiones, tresque terminos.

Duplex syllogismorũ resolutio.

Prior.

Posterior.

hos autem digeſtos eſſe ſecundum legitimã ſubiectionem & prædicationem. illas autem certam habere quantitatem & qualitatem. Sin verò non fuerit ſyllogiſtica, ꝙ aut deſit aliquid, aut ſuperabundet, ea reducetur, dum oſtenſum fuerit ipſam eundem habere ſenſum quem habet argumentatio verè ſyllogiſtica, in qua ſyllogiſtica obſeruantur principia. His itaque ſic præmiſſis ad literæ expoſitionem accedimus, quæ pro ſyllogiſmorum in propoſitiones reſolutione, tria habet documenta. Primum eſt, Prius reſoluendos diuidendoſq; ſyllogiſmos in duas propoſitiones, quàm terminos. Probatio ſubditur, quia facilius eſt quicquã in maiora q̃ minora diuidere (quod intelligunt, quando maiora ex æquo diuiſibilia ſunt, ſeu a ſeinuicẽ reſolubilia, vt & minora) In omni autẽ arte a facilioribus eſt inchoandum. Secundum documentum admonet inſpiciendum, vtra ſit vniuerſalis, vtráve particularis. Ex vtriſq; enim particularibus nihil conſequitur. Et maiore particulari in vna figura, nulla colligitur concluſio: in alia, aliqua ſequitur. Deinde ſi argumentatio non ſit ſyllogiſtica, ſi non ſint ambæ propoſitiones aſſumptæ, id quod contingit in enthymemate, in quo præmiſſarum altera tantũ mente concipitur, non autẽ exprimitur, conſiderandũ eſt vtra deſit, an maior an minor, an vniuerſalis an particularis. Si vero argumẽtatio plures duabus cõplectatur propoſitiones, quẽadmodum accidit in auctis ſyllogiſmis, conſiderandũ an acceptæ ſint propoſitiones, per quas propoſitũ concluditur. Tertiũ eſt, neceſſaria ad formã ſyllogiſticã eſſe aſſumẽda, & ſuperflua reijciẽda. Hæc autẽ elegãtius habet Boetiana verſio ad hunc modũ. Deinde conſiderare, vtra in toto, & vtra in parte. Et ſi nõ ambæ ſumptæ ſint, eum qui ponit alterã. Aliquoties enim vniuerſalem protendentes, eã quæ in hac eſt non ſumunt, neq; ſcribentes (id eſt, geometræ) neq; interrogãtes (hoc eſt, dialectici) Aut has quidẽ protendunt, per quas autẽ hæ cõcluduntur, omittunt. Alia verò vanè interrogãt. Si igitur proponatur enthymematica argumentatio, ea per minoris vel maioris adiectionẽ ad ſyllogiſmũ reducetur. quemadmodũ fuſius in fine ſecundi huius libri monſtrabitur. Sin verò plures duabus aſſumuntur propoſitiones, aliquando eueniet, tertiam aut quartã ad proſyllogiſmũ pertinere, quæ conſtituendo proſyllogiſmo neceſſaria erit, non aũt principali ſyllogiſmo. Aliquando verò adiectæ propoſitiones, neutri ſyllogiſmo ſunt neceſſariæ, eò ꝙ aſſumũtur aut inductionis gratia, aut elationis, aut maioris manifeſtationis, quẽadmodũ in Topicorũ octauo libro explicabitur, quæ omittendę ſunt tanquam vanæ & ad ſyllogiſandum inutiles. Porro quæ dixerat Philoſophus, duobus explicat exemplis, ibi. In aliquibus ergo facilius eſt videre, & cætera. Prius eſt argumentatio nõ ſyllogiſtica categorica, (Nam de hoc ſolo ſyllogiſmo cura eſt Ariſtoteli) eò ꝙ prior propoſitio negatiua ſit, concluſione exiſtente affirmatiua. Atq; hoc ad hunc reducitur ſyllogiſmũ. Omne id quo interempto interimitur ſubſtantia, eſt ſubſtantia: At pars ſubſtantiæ id eſt, quo interempto interimitur ſubſtantia, eſt igitur pars ſubſtantiæ ſubſtantia. Nihil autẽ intereſt, an verũ an falſum colligatur. id enim ex maioris ſenſu pendet. Poſterius aũt exẽplum, quod ratiocinatio eſt a primo ad vltimũ, ad hunc reuocatur ſyllogiſmũ. Omne id quo poſito atque exiſtente ponitur animal, eſt ſubſtantia. ſed homo id eſt, quo exiſtente, exiſtit animal. eſt igitur homo ſubſtãtia. Hic autẽ ſyllogiſmus, omne animal eſt ſubſtãtia, & omnis homo eſt animal, ergo oĩs homo eſt ſubſtãtia, nõ explicat vniuerſum integrumq; exẽpli Ariſtotelici ſenſum. Cæterùm deceptio, cuius litera meminit, ad fallaciam figuræ dictionis videtur pertinere.

Documentũ ſeu præceptum primũ.

Secundum.

Tertium.

Literæ duo exempla.

Prius.

Poſterius.

Deinde reſoluẽdi ſunt ſyllogiſmi.

In ſecundam partem, docentem ſyllogiſmos reſoluere in tres terminos, annotatio.

CVm huius partis exordium (quo admonet Philoſophus, facta ſyllogiſmi in duas propoſitiones reſolutione, ipſum deinde in tres diſtribuendũ terminos, certã ſubijciendi prædicãdiq; rationẽ habẽtes) cognitu ſit facillimũ, reliquũ eſt, vt ad alia quæ expoſitione egẽt, progrediamur. Quemadmodũ igitur ſuperiori parte monſtrauerat Philoſophus, argumentationẽ nõ ſyllogiſticã nõnunq̃ apparere ſyllogiſticã, eò ꝙ præmiſſæ ex neceſſitate concluſionẽ colligãt, ita quoq; & hic in litera dicente, Aliquoties autem propter ſimilem poſitionem &c. Oſtendit, ſimilẽ deceptionẽ manare poſſe ex ipſis terminis, per quandã ſimilitudinẽ quã habẽt cum terminis alijs, argumentationem re vera ſyllogiſticã conſtituentibus. Id quod duobus hiſce exemplis declarat. Intelligibilis Ariſtomenes ſemper eſt, Ariſtomenes eſt intelligibilis Ariſtomenes, igitur Ariſtomenes ſemper eſt. Micalus muſicus corrumpetur cras, at Micalus eſt Micalus muſicus, Micalus igitur corrumpetur cras. Fuerunt autem Ariſtomenes & Micalus Platonis diſcipuli atq; auditores. Porro vndè proueniat eiuſmodi deceptio, quã creduntur dictæ ratiocinationes eſſe ſyllogiſticæ, explicat poſterius litera, dicens id fieri, quia paululum & nihil differre videtur, ſiue aſſumatur vniuerſalis propoſitio, ſiue indefinita, quæ nonnunq̃ vniuerſalis vim obtinet. Cæterùm ſuper exemplorum propoſitorũ expoſitione variæ

Duo literæ exempla.

ſunt

sunt scriptorum sententiæ, inter quos plurimum miramur Albertum posteris reliquisse, hos syllogismos neq; secundum se probos esse, neq; legitimos fieri adiecto ad maioris subiectũ vniuersali signo, eò quòd singulari termino nequeat iungi signũ vniuersale. imò veluti somniũ habet, rectè signũ vniuersale adijci posse ob determinationem termino singulari adhibitã, id quod nõnulli fieri posse asseruerũt. Nam cũ hac Alberti sententia, apertè pugnat litera, dicẽs. Oportebat autẽ vniuersaliter sumere, omnẽ intelligibilem Aristomenẽ semper esse &c̃. Ab hoc quoq; sensu nullatenus dissentit Boetiana versio græcanicum sequens codicem, Alberti igitur arbitrantis dictorũ exemplorũ media esse singularia, expositione omissa, secundũ aliorũ sententiam dicemus, horũ syllogismorũ media, Aristomenẽ intelligibilem, Micalumq; musicum, terminos esse cõmunes. Cæterùm quo pacto id euenire posfit, diuersorum scriptorũ variæ sunt sententiæ, quarum vnã (reliquis silentio transmissis) prosequemur. Hæc tradit, nomẽ Aristomenis secundum se acceptũ, suppositione propria accipi, nempe pro ipso substantiali cõposito, quod est ipse Aristomenes. Cum verò iungitur illi dictiuncula intelligibilis (quantũ ad hunc pertinet locum) sumi quadam mixta acceptione, ex propria impropriaq; quodam modo conflata, pro ipso Aristomene & intellectiua ipsius anima, quę ideò intelligibilis dicitur, quod posfit intelligere, nomine verbali intelligibile in actiua significatione sumpto. Erit itaq; sensus maioris prioris syllogismi. Id quod est ipse Aristomenes vel ipsius anima quę intellectiua est, semper existit. cuius veritas prouenit ipsius secundæ partis ratione, id est, ob animę intellectiuæ immortalitatẽ, quamq; si in vniuersalem cõmutaueris sensum, falsa reddetur, ob ipsius Aristomenis corruptibilitatẽ, quẽ necesse est aliquando corrumpi. Simili quoq; modo in posteriori exẽplo. Micalus per se sumptus pro ipso duntaxat Micalo accipitur. dum verò illi adijcitur musicus, pro eodem accipitur & pro ipsius musica, vel quod eodem recidit, pro eo quod vnũ est per accidẽs integratũ ex Micalo & ipsius musica. Atq; sententia maioris hæc habebitur. Id quod est Micalus vel eius musica, aut quod ex vtrisq; conflatũ est, cras corrũpetur, quę vera est, si ipso Micalo permanente, pereat eius musica. Quod si ex indefinita vniuersalem feceris propositionẽ, eam facile deprehendes esse falsam. Ex his igitur, & si paucioribus, aperta satis erit Aristo. litera. Nonnulli fortassis plura desiderarent a nobis, quę certo consilio omittuntur, quòd videantur ad sophisticen potius, q̃ ad dialecticam pertinere. Cæterùm quibus ex autoribus hæc exempla deprompserit Philosophus, non constat. Neq; apud commentatorẽ vllum quicquã de hac re potuimus reperire. Auerrois autem Philosophi cõmentator horũ exemplorum nihil prorsus meminit. Porrò in litera, ibi. Frequenter autem male concludere contingit &c̃. monstrat Philosophus, nõ constitui syllogismũ ob terminorũ mutationẽ, modò concretim modò abstractim designatorum. Dum enim eiusmodi fit mutatio, nõ bene ponuntur termini secundum locutionẽ. huius exemplum subditur in prima figura tale. Omnem ægritudinem non contingit esse sanitatẽ, at omnis homo est æger, igitur omnẽ hominem non contingit esse sanũ: qui quidem syllogismus omnino nullius est momenti. Imò si abstracti maioris termini varientur, quẽadmodum subiungit litera hoc modo, omnem ægrum non contingit esse sanũ, non erit syllogismus, intellige ex veris colligens. Nam quemadmodum conclusio falsa est, ita quoq; & maior. Quòd si sumantur termini omnes concretim, modò contingens non negato, erit syllogismus de contingẽti non negato, habens conclusionem atq; maiorem verã. Sin verò termini sumantur abstractim, neq; modus negetur, erit absolutè quidem syllogismus, & si ex falsis omnibus progrediatur. Postremò ibi in litera, Non autem semper oportet &c̃. admonet Philosophus eum, qui sit syllogismũ resoluturus, non semper, resolutionem oportere fieri in tres terminos qui sint incomplexi, eò quòd subinde accidet trium terminorum vnum aut plures complexos esse, qui ad incomplexos nequeant reduci. Ea autem literæ portiuncula, Aliquoties etiam fallimur) quæ pro secunda superius dicti ratione inducitur, apud Boetium sic legitur. Aliquoties autẽ & falli accidit propter huiusmodi inquisitionẽ, vt quoniam immediatorum erit syllogismus. Cuius sensus vnà cũ nostro textu hic est reddendus. Aliquoties etiam fallimur, eò quòd arbitramur, semper ponenda esse simplicia nomina loco orationũ, id quod contingit, dum syllogismo immediatã colligimus conclusionem. Quare cuperemus in litera legi, vtpote cum ad immediata fit syllogismus, non autẽ ex immediatis, nisi cõplura subintelligere velit lector. Porro hic adnotandum est, aliquã propositionẽ bifariam dici immediatã. Priore modo propriè, cum inter illius extrema nullum omnino medium intercidere valet, quale quale id sit, per quod tanquam prius monstrari possit. Hanc autẽ vulgò immediatam nuncupant causæ immediatione. Atque hac in significatione, triangulum habere tres angulos duobus rectis æquos, nõ est immediata enunciatio.


Exemplorũ explicatio.

In syllogismis vitanda est mutatio terminorũ penes abstractionem & concretionem.

Duplex immediata ꝓpositio.

enunciatio. Nam id demonstratur à priori, aut per trianguli definitionem, aut aliud medium, quemadmodum inspicere licet primi elementorum Euclidis 32. propositione. Altero modo propositio immediata dicitur ratione subiecti, nempè quia prædicatum subiecto immediatè competat, suiq; ratione, non autem ob alterum prius subiectum. In qua acceptione, immediata est propositio, omnẽ triangulum habere tres duobus rectis angulos æquales. Mediata verò, æquicrurum tres duobus rectis habere, &c. Nam tres duobus rectis habere huic competit, mediante triangulo tanquam priori subiecto. Atq; in hac acceptione vtitur Philosophus immediata & mediata propositione. Propositio igitur mediata, & quæ per se non est, sed per aliud prius subiectum, vt æquicrurum habere tres, &c. per medium simplex, quod subiectum prius designat, syllogismo colligitur. Ea verò quæ simili modo est immediata, non syllogisatur per simplex medium, sed complexum, nempè trianguli, vel ipsius passionis definitionem, aut complexum hoc, figura rectilinea habens angulum extrinsecum duobus extrinsecis sibi oppositis æqualem.

Postremo.



Nõ aũt semper in syllogismo inuenire oportet.

In secundum caput, pertractans de resolutione syllogismorum ex terminis obliquis constantium, annotamentum.

POstquàm in superioribus aperuit Philosophus, quo pacto resoluendi sint syllogismi ex terminis rectis conflati, hoc secundo capite monstrat, quemadmodum diuidendi sunt ij syllogismi, qui ex terminis obliquis componuntur, in initio proponens, non perpetuò prædicatum conuenire subiecto, aut ab eodem remoueri in recto, sed & in aliis quoq; casibus sumpto. Deinde pro formandorum ex terminis obliquis syllogismorum recta familiariq; cognitione, quasdam subnectit regulas. Quarum prima est, In prima figura maiore ex medio recto, & minore de obliqua minore extremitate, colligitur conclusio de obliqua eadem minore extremitate, non autem recta. Exemplum hoc proponitur, Omnis sophia est disciplina, (hic enim vtitur Philosophus indefinita vniuersalis loco) boni est sophia, boni igitur est disciplina. Secunda est, In prima figura, Maiore de medio obliquo, & minore de recto ex parte medij minorisq; extremitatis, sequitur conclusio minoris extremitatis in obliquo, non autem in recto acceptæ. Tertia, In prima figura ex vtrisq; de obliquo nonnunquam colligitur conclusio de obliquo, nonnunquam de recto, secundum varium ipsius maioris sensum. Cæterùm quoniam hæ regulæ pro syllogismis duntaxat affirmatiuis sunt traditæ, subiungit Philosophus, par iudicium habendum esse de negatiuis. In prima figura hæc reddi possunt exempla, Nulla scientia est deceptio, veri autẽ est scientia, igitur veri non est deceptio. Nullius falsi est scientia, at omne impossibile est falsum, nullius ergo impossibilis est scientia. Cuiuscunq; est scientia, illius non est deceptio, sed veri est scientia, nõ est igitur veri deceptio. Cuiuscunq; est scientia, id neq; falsum est, neq; impossibile. at huius, trianguli tres duobus rectis æquos habere angulos, est scientia, igitur id neq; falsum est, neq; impossibile. Porrò Aristotelis subiuncta exempla ad secundam figuram pertinent. Quorum duo prima contra Platonem apparẽt inducta esse, qui arbitrabatur voluptatem & motum generationẽ esse. Cæterùm plurimum miramur, cur tertij exempli minorẽ affirmatiuam admonet Albertus accipiendam esse in recto, cùm in priori exemplo nihil prorsus ab hoc dissidente, ex obliquo planè constituatur affirmatiua, Græceq; legatur, γέλωτος ἐστὶ σημεῖον, non autẽ γέλως ἐστὶ σημεῖον. Cæterùm quartum in litera ibi assignatum, Amplius Deo non est tempus oportunũ, in Græcanico codice ad hunc legitur modum, πάλιν ὅτι ὁ καιρὸς οὐκ ἔστι χρόνος δέων θεῷ, γὰρ καιρὸς ἔστι χρόνος δ' οὐκ ἔστι δέον διὰ τὸ μηδὲν εἶναι θεῷ ὠφέλιμον, quæ ad verbum sic vertit Boetius, Rursum quoniam occasio non est tempus oportunũ, Deo enim occasio quidẽ est, tempus aũt oportunũ non est, eò quòd Deo nihil sit cõferens. Quibus verbis insinuatur hic syllogismus secundæ figuræ, Nullũ tempus oportunũ seu necessarium est Deo, Occasio aũt est Deo, occasio igitur non est tempus oportunũ seu necessarium, quæ quidem cõclusio pugnat cum ea occasionis descriptione, Occasio tempus est ad quippiam peragendum necessarium. Quare patet, hoc exemplum à superioribus duntaxat discrepare, quòd ex medio obliquo, eoq; quod datiui casus sit, constituatur, extremitatibus in recto sumptis, cuius oppositum in illis accidebat. Cæterùm interpretes alij commentatoresq;, loco χαιρὸς legisse videntur καῦσων, quod æstatem designat. Atq; horum quidam exemplum hoc ad secundam referant figuram, hunc in modum, Nullum tempus oportunum est Deo, est autem æstas Deo, igitur æstas non est tempus oportunum. Atq; illius maioris sensui planè consentit approbatio sequens, eò quòd nihil sit Deo conferens. Alij ad tertiam reuocant figuram hoc pacto, Deo non est tempus oportunũ,

Prima regula pro obseruandis syllogismis ex obliquis terminis.

Secunda.

Tertia.

& Deo

li per ens simpliciter intelligit quoduis medium, non sumptum cum reduplicationis adiectione ad maiorem extremitatē, Et per quid ens, medium quidem idoneum, sed acceptum cum reduplicatione maiori extremitati apposita, hoc modo, Omne honestum est disciplinatum, quoniam bonum, omneq; bonum est honestum, est igitur omne bonum disciplinatum quatenus bonum. Omnis honesti est disciplina, quoniam bonum, at omne bonum est honestum, omnis igitur boni disciplina est, quatenus est bonum. Omne vitium est fugiendum quoniam malum, at omne malum est vitium, est igitur omne malum fugiendum, quoniam malum. Cuiusq; vitij est fuga, quoniam malum, & omne malum est vitium, igitur mali est fuga, quoniam malum. Ex quibus licet colligere, non sequi ex literæ hac parte, reduplicationem medij esse determinationem, sed ipsam duntaxat maiorem determinare extremitatem. Alioqui non valeret colligi reduplicatiua conclusio. Porrò id quod in litera sequitur, Erit enim quid ens propriæ substantiæ signum, ad hunc explicant modum, Medium cum adiecta ad maiorē extremitatem reduplicatione acceptum, signum est propriæ conclusionis colligēdæ, quæ reduplicatiua erit. Atq; per medium sic sumptum, cognoscere valemus, eiusmodi reduplicatiuam conclusionem esse syllogismo concludendam. Hæc quoque expositio nostro textui satis congruit, à quo dissentit Boetiana versio, hunc in modum habens, Non est autem eadem positio terminorum, quando simpliciter quidem syllogisatum fuerit, & quando hoc aliquid, aut quo, aut quomodo. Dico autem vt quoniam bonum, disciplinatum ostensum erit, & quando disciplinatum quoniam bonum. Sed si simpliciter quidem disciplinatū ostensum est, medium ponēdum ens. Si aūt quoniam bonū, quid ens. Sit enim, a, disciplina quoniam quid ens, in quo aūt b ens quid, in quo aūt c bonum, verum ergo est a de b prædicari. Erat enim disciplina alicuius entis quoniā quid ens, sed & b de c. Nam in quo c ens quid, quare & a de c. Erit igitur disciplina boni, quoniam bonum. Erat enim quid ens, propriæ substantiæ signum. Ex qua quidem translatione planè apparet, Philosophum medio tribuere esse quid ens, vel in subsumptione accepto, quemadmodum & in maiore. Cùm ergo in minore non valeat dici medium quid ens ob adiectam reduplicationē (Est etenim minor omnino simplex) non videbitur & in maiore dici quid ens ob eandem causam. An aūt huic rationi factum satis sit, si dicatur medium ideo in minore dici quid ens, quòd in maiore acceptum fuerit, subsumptumq; cum reduplicatione, doctiorum censuræ iudicioq; cōmittimus. Egidius aūt Romanus prædictam expositionem amplectens, locum allatum accipit de eo syllogismo reduplicatiuo, in quo sit minoris extremitatis reduplicatio in vtrisq; præmissis, hoc pacto, Omnis honesti est disciplina quoniam bonum, at omne bonum quoniam bonum est honestum, igitur boni est disciplinā, quoniam bonum. Aut in recto sic, Omne honestum est disciplinatū, quoniam bonum, &c. Cæterùm Iacobus Stapulensis hunc explicans locum, Et passus hic (inquit) patitur obscuritatem, cùm dicitur, Si simpliciter disciplinatum esse monstratū est, medium ponendum ens, hoc est, quodcunq; simpliciter, siue accidentarium sit, siue substantiale, vt prosequendum, vt secundum naturam, vt æquabile: hoc pacto, omne æquabile est disciplinatū, & omne bonum æquabile, omne ergo bonum disciplinatum. Aequabile ens dicitur, similiter & prosequendū, & secundum naturam. Cùm aūt dicitur, si aūt ostensum disciplinatum esse quatenus bonum, medium ponendum quid ens, hoc est, ens substantiale, duplato quod prædicato adiicitur, vt si capiatur quale hoc pacto, omne quale disciplinatum est in eo quod bonum, & omne bonum quale est, igitur omne bonum disciplinatum in eo quod bonum. Similiter, si quis ita dixerit, omne animal quale quatenus coloratum, & omnis homo animal, omnis igitur homo quale quatenus coloratum, non peritè facta est positio terminorum. Nam poni debuit medium substantiale, omne animal coloratum quale quatenus coloratum, aut quid simile. Hactenus Iacobus Faber. Porrò huic expositioni non satis consentit ipsius literæ exemplum, pro medio honestum assumens, cui non competit bonum essentialiter. Nam bonum propriè sumptum, honesto idem est, aut cum ipso recurrit ac cōuertitur, non veluti illius differentia. Ad hæc, in superioribus exemplis, eadem sunt medium atq; reduplicatus terminus. Ex parte enim medij, vti diximus, facta est reduplicatio. Neq; perspicimus, quomodo valeat honestum essentialiter subiici bono, aut contrà. Insuper neq; ex literæ deductione palàm est, Philosophum de eo duntaxat considerare syllogismo, procedēte ex minoris extremitatis reduplicatione, ad maius extremum adiecta, & si exemplis ab Aristotele in literæ initio inducti, arbitrentur Albertus compluresq; alij, ipsum hic solùm agere de syllogismis ex reduplicatione medij ad maiorem extremitatē apposita, procreatis. Præterea reddi possunt firmi efficacesq; syllogismi, medio nō subeunte rationem essentialis subiicibilis vel prædicabilis col-

latione

latione ad terminum reduplicatiuum facta, quemadmodum ex frequenti probatorum autorum lectione licet deprehendere, apud quos hæ syllogismorum maiores reperiuntur, Omne corpus cœleste simplex, quoniam circulare, est circulariter mobile. Elementum, secundum quod graue vel leue, est recto motu mobile, & ita in aliis compluribus. Quid autẽ super hac re senserit Albertus, non facile est deprehendere. Arbitratur tamen quid ens, medium esse, cui per se insit conueniatque præcipuum maioris prædicatum. Cæterùm illarum trium particularum ex Boetiana traslatione propositarum primam (hoc aliquid) refert idem ad determinationem, quæ sit subiectiua pars medij in reduplicatione sumpta. Secundam (quo) ad determinationem essentialiter restringentem. Tertiam verò (quomodo) ad accidentariam determinationem. Sed his tandem esto finis. Porrò ex ipsius literæ deductione palàm est, Philosophum solùm eos syllogismos reduplicatiuos considerare, qui vniuersales sunt affirmatiui, in quibus sola fit medij aut minoris extremitatis ad maiorem adiecta reduplicatio, non autem de iis qui tertium aliud reduplicant, eiusmodi est, Omnis disciplina est eligenda quatenus bonum, Omnis musica est disciplina, Ergo omnis musica eligẽda est, quatenus bonum. His autem literæ percipiendæ sufficientibus, adiicere solent quidam commentatores hasce regulas.

Adiectæ regula pro syllogisatione ex pronunciatis reduplicatiuis. Prima.

Prima, In prima figura ex maiore affirmatiua vel negatiua reduplicatiua, & minore simplici, colligitur reduplicatiua conclusio. Contrà, maiore simplici, & reduplicatiua minore, sequitur simplex conclusio, non aũt reduplicatiua. Ex vtrisq; autẽ reduplicatiuis colligitur reduplicatiua reduplicationis adiectæ maiori extremitati, non autem alterius in subsumptione acceptæ.

Secunda.

Secunda, In secunda figura nunquam consequitur reduplicatiua conclusio, quocunq; modo sese habeant, sequitur attamen simplex conclusio, ex altera vel vtraq; reduplicatiua.

Tertia.

Tertia, In tertia figura maiore reduplicatiua, & minore simplici, colligitur reduplicatiua conclusio, non aũt si maior simplex fuerit, & minor reduplicatiua, sed duntaxat simplex. Ex vtrisq; verò reduplicatiuis sequitur conclusio reduplicatiua, quemadmodum in prima est expositum. Cæterùm contra secundam regulam autumat Albertus, in secunda figura syllogisari reduplicatiuam, si fiat non medij sed minoris extremitatis duplatio, hoc pacto. nullum malum est eligendum, & omne bonum eligendum est, in eo quod bonum, ergo nullum bonum malum est, quatenus bonum. Iacobus autem Stapulensis exempla secundæ figuræ proponit, in quibus adhibetur medij duplario, quæ sunt eiusmodi in Cesare & Festino constituta, Nulla fuga quatenus bonum est bonum, omnis iustitia bonum est, ergo nullius iustitiæ est fuga, quatenus bonum. Nulla fuga quatenus bonum est, est boni. quædam iustitia est bonum, igitur alicuius iustitiæ non est fuga, quatenus bonum. An autem hæc Alberti & Fabri asserta rectè sint tradita, an secus, aliorum relinquimus iudicio. Non enim suscepimus prouinciam cuncta definiendi. Hactenus igitur de hisce syllogismis à nobis dictum sit.

In formandis aũt syllogismis.

In secundam partem eiusdem tertij capitis, quædam documenta continentem, adnotamentum.

PRO syllogismorum occultorum ad manifestiores reductione plenius cognoscenda, tradit Philosophus octo documenta, quę nobis tantùm sunt perstrigẽda. Primum itaq; intelligendum venit de nominibus ac orationibus notioribus substituendis in ignotiorũ locum, deq; breuioribus assignandis pro prolixioribus, si id liceat fieri, seruata nihilominus semper eadem vtrorumq; significatione.

Primũ præceptum.

Secundum.

Secundum documentum refert Albertus ad resolutionẽ eorum syllogismorũ, qui ex reduplicatiuis conflantur propositionibus, argumẽto forsitan sumpto ex Boetiana versione, sic habente, Quoniam autem non est idem, voluptatem esse bonum, & esse voluptatem quoddam bonum, atq; hoc in sensu aperta est huius documẽti ex superiori parte intelligentia. Quod aũt Græcè dicit Philosophus, τὸ ἀγαθόν, vertit Boetius, quod bonum. Alij verò ipsum bonum legentes, ipsius boni nomine summũ accipiunt bonum seu felicitatẽ, quæ est ipsa diuina bonitas, semper eadem atq; inuariata perseuerãs. Atq; hic posterior sensus à priori longius dissidet.

Quintum.

Porrò quintum documentum accipiendum est de vno syllogismo aucto, cuius pręmissæ prosyllogisantur, in quo non necessum est prosyllogismos eiusdẽ esse figurę, aut inter se mutuò, aut cum syllogismo principali, cuiusmodi est iste. Nullus homo est lapis, nam nullus lapis est animal. & omnis homo est animal, nam omne rationale est animal, ergo quoddã animal nõ est lapis.

Septimum bifariàm exponitur.

Septimum aũt præceptũ bifariàm reperitur expositũ à commentatoribus: Albertus, quem plures sequuntur, arbitratur sensum esse, ꝙ ad interimẽdam aliquam definitionẽ sit satis, vnam illius partem interimere, eamq; pręsertim, quam nõ omnino palàm est definito cõpetere. Verbi causa, describatur aqua potus esse humidus, quomodo fortassis eam finiuerũt veterũ aliqui, cùm aquam esse humidã experientia sen-

tia sensuq; constet, ex hac finitionis particula non deprometur syllogismus illius definitionis interemptiuus, sed potius ex altera, quam minus palàm est aquæ conuenire. Et potu pro maiore extremitate sumpto, hic constituetur syllogismus. Nullum purum elementum est potus, omnis aqua purum est elementum, nulla igitur aqua est potus. Aut iste, Omnis potus in substantiam conuertitur aliti, nulla autem aqua in aliti substantiam conuertitur, igitur aqua non est potus. Albertus hunc in medium profert. Nihil quod alteri accidit, in illius ponitur finitione, aquæ autem accidit potum esse, non igitur in aquæ finitione collocandus est potus. Ex hoc quoq; sensu deprompta est illa vulgaris maxima propositio, cuius meminit marginalis annotatio. Ad interimendam definitionem, sufficere vnum terminum interimere. Verùm cum hac expositione planè pugnare videtur illa eiusdem documẽti portiuncula finalis. Vt si ostendatur, aqua esse potus humidus, potus & aqua ponendi sunt termini. Nostro igitur iudicio rectius sentiunt, qui ad oppositũ sensum hoc documentum referunt, dicẽtes, si definitio de aliquo sit syllogismo concludenda, in qua quibusdam terminis rectè aptè q; collocatis, ob alium quendam, qui minus conuenienter videtur assignatus, oriatur difficultas, hic solus terminus reliquis omissis syllogismo probandus erit conuenire definito. Exempli gratia, esto aquæ definitio potus humidus. Experientia cognitum est, aquam humidam esse, non autem constat ipsam esse potum, quod syllogisabitur hoc modo, Quicquid restringit sedatq; sitim (quæ Philosophis dicitur esse appetitus humidi & frigidi) est potus. Aqua autẽ eiusmodi est, erit igitur aqua potus. Fatemur tamen, ob id non sufficienter monstratum esse, aquæ finitionem esse potum humidum, nisi quis præconfiteatur, eam orationem esse aquæ definitionẽ, si ostensum fuerit potum aquæ competere. Huic expositioni adiicit Iacobus Faber, ꝙ si ex tali finitione, qualem proposuimus, aliquid sit monstrandum, satis esse, si omissa longiore finitione, is solus sumatur terminus, qui non conuenienter videbatur prius assignatus esse, & nunc monstratus est definito competere, ratione fortassis sumpta ex Boetiana translatione, quæ ad hunc habet modum. Et ad definitiones orationũ, quæcunq; ad vnum quiddam sunt argumentatæ in eorum quæ insunt termino, ad quod argumentatum est, ponendum terminum, & non totam orationem. Minus enim contingit perturbari propter longitudinem, vt si quis aquam ostendit, quoniam est humidus potus, potum & aquam terminos ponendum. Hactenus de resolutione terminorum ostensiuorum. Pro resolutione autem eorum quę sunt ex hypothesi subiungitur octauum præceptum, in quo, cùm satis sit manifestum, non est nobis diutiùs immorandum. Cæterùm vt ea quæ de syllogismis ad impossibile & ad transsumptum sint manifestiora, hanc formulam ex Fabro subiecimus.

Syllogismus ex hypothesi ex transsumptione.

Propositio	Sani & ægri non est vna potestas, seu naturalis potentia.
Approbatio	Nam idem simul bonæ esset valetudinis & malæ.
Assumptio	Omnia autem sana & ægra sunt contraria.
Conclusio.	Non igitur omnium contrariorum est eadem potestas.
Propositio	Præterea si non omnium contrariorum eadem est potestas, per hypothesim, neq; eadem disciplina.
Propõ aliena	Atqui non omnium contrariorum eadem potestas (vt monstratum est.)
Conclusio	Non igitur omnium contrariorum est eadem disciplina. quę conclusio cõcedenda est ex hypothesi, non autem syllogismo prædicatiuo.

Syllogismus ad impossibile.

Propositum	Aliquod animal non est equus, propositum positum falsum, quo posito ducitur ad incommodum hoc pacto.
Propositio	Omne animal est equus,
Assumptio	Omnis homo est animal,
Conclusio	Omnis igitur homo equus.
Aliena propositio	Id autem impossibile est.
Aliena	Et vera est assumptio, omnis homo est animal. Nam manifestè vera.
Aliena	Falsa igitur propositio, omne animal est equus.
Aliena	Et pariter falsa ex hypothesi, aliquod animal non est equus.
Aliena	Et sunt cõtradictoria, omne aial est equus, & quoddã animal nõ est equus
Aliena propositio	Sunt igitur contradictoriæ simul falsæ, quod est impossibile.

Propo-

Propositum. Vera igitur erat, aliquod animal non est equus. Et id non syllogismo monstratum est, sed ex hypothesi deducendo ad impossibile. Deducitur autem syllogismo ostensiuo in tertia figura idem propositum hoc modo, Nullus homo est equus, & omnis homo est animal, igitur quoddam animal non est equus.

Syllogismũ cóclusioné cócludété.

In quartum caput, quod agit de reductione syllogismorum ad se inuicem, annotatiuncula.

HOC quarto capite succinctè admodum considerat Philosophus, de reciproca reductione syllogismorum vnius figuræ ad aliam, ea quoque quę ostensiua ac assertoria nuncupatur, quemadmodum palàm est ex literæ decursu, in quo nobis non est immorandum, quòd intellectu sit facillimus, duobus tantùm exceptis, quæ subiicimus strictim, vt litera sit exactius cognita. Vnum est, quòd Philosophus insinuet, bifariam Darapti reduci ad primam figuram. Priori modo per minoris secundum accidens conuersionem, quemadmodum superius est traditũ, cum de tertia figura consideraretur. Altero modo per maioris conuersionem secundum accidens, accedente præmissarum transpositione, colligendo conclusionem, ad quam per simplicem conuersionem sequitur conclusio, quę prius in Darapti erat illata, id quod facilè fuerit exemplo adhibito monstrare. Posterius est, vnius figuræ syllogismum ad alterius figurę syllogismum alterum, esse reducibilem, posse Alberto teste, tripliciter accipi. Primò, vt is qui reducitur syllogismus, per alterum perficiatur. In qua significatione syllogismi omnes secundæ & tertiæ figuræ, ad eos qui primę existunt figuræ superius sunt reuocati. Secundò, vt is ad quem alter reducitur, quodammodo destinetur ad alteram reductionem procreandam ex perfectiori syllogismo. Atq; hac reductione vsus est ipse Philosophus in secundi tractatus primi capitis quarta parte, dum syllogismos particulares primæ figuræ ad eiusdem vniuersales reuocaret. Tertiò, ea reductio ideo fit, vt perspiciamus cognoscamusq;, quo pacto eadem conclusio in diuersis figuris valeat colligi ex tribus eisdem terminis, ob modicam sui variationem diuersas constituentibus propositiones.

Duobus modis ostensiue reducitur Darapti.

Tripliciter intelligitur syllogismus vnius figuræ ad alterius alterum reduci.

Nó aũt idem significat nó esse hoc.

In quinti capitis priorem partem, agentem de resolutione syllogismorum ex terminis infinitis, annotamentum.

ABundè tradita arte resoluendorum syllogismorum ex terminis finitis constantium, In præsenti priori parte capitis vltimi huius libri docet resoluere diiudicareq; syllogismos ex terminis infinitis. In literæ initio refellit quorundam opinionem, ex qua manabat error super illorum syllogismorum resolutione. Existimabant quidem antiquorum nonnulli, affirmatiuam prædicati infiniti, atque negatiuam de prædicato infinito prorsus easdem esse, nihilq; dissidere, & proinde eas simili modo colligendas esse syllogismo, syllogismosq; ex ipsis constitutos pari modo resoluendos. Aduersus igitur illorum opinionem in literæ initio asseuerat, illas propositiones ex prædicato finito & infinito non omnino esse easdem. Quod tribus monstrat rationibus. Primæ summa est, quòd eisdem propositionibus necesse sit easdem esse contradictorias, id quod hic non accidit. In cuius declaratione dum fit mentio similitudinum, id accipies de omnimoda similitudine, quantum attinet ad sumendam contradictionem. Alioqui enim facilè fuerit dissimilitudinem offendere. Porrò secundæ rationis ad eiusdem approbationē hæc est sententia, Esse non æquale, & non esse æquale, non sunt eadem, ergo neque propositiones ex illis veluti prædicatis constantes. Patet antecedens, quia datis omnino eisdem propositionibus, si vnius prędicato aliquid subiiciatur tanquam inferius minusq; cōmune, necesse est idem eodem modo subiici alterius prædicato (hanc aũt propositionē putamus ab Aristotele non expressam, q̃ apud antiquos indubitata foret) At huius prędicato est non æquale, supponitur velut inferius inæquale, non aũt alterius prædicato. Quare non erunt illa eadem, esse nō æquale, & non esse æquale. Subsumptio probatur. Nam palàm est, inæquale esse inferius ad esse non æquale. Nam omne inæquale est non æquale, non contrà, Punctus enim qui est non æqualis, non est inæqualis. Atq; idem etiam constat non esse inferius ad æquale, quod prædicatum est huius, non esse æquale. Hæc autem est Iacobi Fabri cæterorumq; neotericorum expositio. Alteram sequuntur plures, quam suis in commentariis tradidit Albertus, Secunda (inquit) ratio ad idem probandum est, & fundatur in hoc, quòd affirmatiua de prædicato infinito aliquid ponit. Negatiua autem de prædicato finito nihil ponit, Quod patet ex hoc, quòd esse non æquale, & non esse æquale, non sunt idem. Huic enim, quę dicit, esse non æquale subiacet aliquid, quod quidem est inæquale, quando ad magnitu-

Opinionis antiquorũ reprobatio.


magnitudinem comparatur. Illi verò quę dicit non esse æquale, nihil subiacet, siue ad magnitudinem comparetur, siue non. Quia negatio nihil relinquit eorum quæ posuit affirmatio. Et sicut inæquale aliquid ponit propter priuationem, sic & terminus infinitus ponit aliquid, quamuis sit infinitum quod ponit. hæc Albertus. Cæterùm tertia eiusdem ratio apparet suam vim ex hac communi animi conceptione sumere, Ad propositiones consentientes omnino, easdemq; etiam eadem sequi. Subindicat autem hac tertia ratione Philosophus, Non tantùm errasse antiquos circa affirmatiuam & negatiuam ex prædicatis incomplexis, verùm & circa eas quæ ex prædicatis complexis conflarentur, negatione infinitante tantùm alteram prædicati partem continenter subsequentem. Porrò ne quis ex superioribus in errorem lapsus arbitretur, dictas propositiones omnino diuersas esse, ita vt illis nihil sit commune, ostendit ibi, Habent autem prædictæ propositiones, &c. quem inter se habent ordinem, quæq; aut alias inferant, aut ex aliis inferantur, & quę non, idem faciens in affirmatiuis & negatiuis propositionibus, constantibus ex terminis priuatiuè oppositis, quales erant inæquale & æquale, quibus est vsus. Aut quia antiqui pro eisdem habebant contradictoriè & priuatiuè opposita, vt pro eodem inæquale & non æquale. In qua sententia esse videtur & Laurentius Valla 32. capite 2. libri de inuentione Dialectica. In nonnullis tamen (inquit) quidam arguti homines, publicos mores ac leges emendare conantur, ostentandi ingenij gratia, si ingeniosum est falsum loqui, tradentes, aliud esse in cum adiectiuo compositum, & idem adiectiuum simplex cum aduerbio negatiuo, vt omnis homo est iniustus, & omnis homo est non iustus, &c. In quo se aut ignorare vsum loquẽdi indicant, aut illum velle corrumpere, &c. quippè cùm hæc duo sint non modò significationis, sed penè vocis eiusdem. Cæterùm quæ hic à Philosopho traduntur, vtcunq; clara sunt, & ex iis quæ in probationem adferuntur, & quæ in Peri Hermen. 2. initio dicta sunt. Quòd autem negatiuas non hic consequuntur affirmatiuæ, id duntaxat in prædicatis complexis, non autem incomplexis contradictoriis, explicat Aristoteles. & proinde in dubium vel in pręsentia reuocatur. An illi Philosophi dicto locus non sit in prędicatis incomplexis contradictoriis. Pro apertiori eorum, quæ hic dicuntur intelligentia, tres subiiciuntur formulæ.

Laurentius Valla.




Cęterùm quoniam veteres nō tantùm errabant, eò quo prius dictum est modo, nempe ratione prędicatorum, verùm & respectu subiecti, super quātitate oppositionis in contradictione obseruanda. Ideo in litera sequenti ibi, Quando vniuersales propositionenes, &c. aduersus ipsos ait, Negationem contradictoriè oppositam vniuersali affirmatiuę de prędicato finito, siue ex terminis pluratiuis constituatur, siue singularis numeri, non esse eiusdem veritatis cum vniuersali negatiua respondente. Atq; hoc (nisi fallamur) idem est cum illo quo in secundo Peri Herm. dictum est, non sequi vniuersalem affirmatiuam de prædicato infinito, si ad vniuersalem negatiuam de prædicato finito detur responsio negatiua. Post hæc in litera ibi, Quoniam non idem significat, est non album, &c. docet resoluere dictos syllogismos ex terminis infinitis compositos, cuius sententia per se manifesta est. Atque ob id in litera explicāda non est nobis insistendum. Porrò nōnulli præter Aristotelis sententiam monstrare conantes, quomodo medio penes finitum & infinitum variato syllogisari possit, hanc conclusionem veluti coronidem quandam subnectunt. In omni figura ex vtrisq; pręmissis vniuersalibus negatiuis medio dicto modo mutato, colligitur negatiua conclusio. In prima item & secunda figura ex maiore negatiua vniuersali, & minori negatiua particulari, medio similiter variato, consequitur cōclusio negatiua. In secunda figura ex ambabus affirmatiuis colligitur conclusio negatiua. In prima & secūda ex vtrisq; affirmatiuis, & in tertia ex negatiuis nulla colligitur cōclusio. Quisquis voluerit indagare ac discutere, an hæc sic sese habeant, caueat ne in rebus non necessariis tempus malè expendat, & quendam inter Sophistas principatū nanciscimoliatur.

Est album lignum | Non est album lignum
Est album lignum | Non est lignum album



Non est non album lignū | Est non album lignum
Non est non lignum albū | Est non lignum album

Est æquale | Non est æquale



Non est inæquale | Est inæquale

Quoniam sic se habēt cōsequēs & suū oppositū,

In secundam partem vltimi capitis, consequentiarum regulas continentem, adnotatio.

QVIA in præcedente parte huius capitis tractauerat de consequentiis quibusdam terminorum finitorum & infinitorum, assignat hic quatuor consequentiarum regulas, præmittēs initio quod in omnibus præsupponitur, nimirum se loqui de oppositis contradictoriis, quæ non possunt eidem inesse, sed cuilibet ipsorum alterum necessariò inest, & de his quæ se non conuertibiliter inferunt. Et accipiuntur hic rectius antecedens & consequens pro

pro terminis, quorum vnus alterum infert in consequentia essendi, quàm pro propositionibus, vt probat verbum inesse, quo vtitur Aristoteles. Addimus, eiusmodi terminos tales esse debere, vt vnus de altero verè affirmetur. Nam alioqui non haberent veritatem sequẽtes regulæ, aut saltem earum declarationes ac probationes, vt facilè monstratur in istis terminis, homo, & caput. quorum ille antecedens est, & hic consequens, quum sequatur, homo est, igitur caput est. Nam hic possunt antecedens & oppositum consequentis eidem simul inesse. Idem manifestè colligitur ex probationibus regularum, quæ sunt in litera, imò hæ magis videntur illuc spectare, vt fiant propositiones de est tertio adiacente, in quibus antecedens & consequens de eodem prædicentur subiecto.

Consequentium prima regula.

Prima regula est, Si ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis. Vt si sequitur, homo est, ergo animal est. etiam sequetur, non animal est, ergo non homo est. Item, si homo est, non equus est. ergo si equus est, non homo est. Huius probatio ex litera potest sic disponi. Cuicunque inest oppositum consequentis, ei non inest antecedens. & cuicunque non inest antecedens, ei non inest oppositum antecedentis. ergo cuicunque inest oppositum consequentis, illi inest oppositum antecedentis. Maior ibi probatur, Quum antecedens inferat, & cætera. hoc modo, Quòd si alicui inest oppositum consequentis, & antecedens, sequitur illi simul inesse consequens, & oppositum consequentis, cùm ex antecedente sequitur consequens. Minor verò ibi ponitur, Quia cuilibet ex necessitate, & cætera.

Secunda.

Secunda regula, quæ ibi innuitur, Et non econtrariò, est hæc. Ad oppositum antecedentis, non oportet sequi oppositum consequentis. Vt quamuis sequitur, homo est, ergo animal est, non tamen necesse est sequi, non homo est, ergo non animal est. Huius probatio in textu clara est, sicut & sequentium.

Tertia.

Tertia, Consequens & oppositum antecedentis eidem simul contingit inesse, vt leoni insunt simul animal & non homo. Hæ duæ non habent veritatem in consequentia conuertibili.

Quarta.

Quarta est, Antecedens & oppositum consequentis non contingit simul eidem inesse. Vt non possunt vlli simul inesse homo, & non animal. Duæ autem posteriores ex prioribus apertè consequuntur. Statim à probationibus dictarum regularum declarat, quomodo aliquoties contingit quempiam falli, credendo contra regulam secundam, ex opposito antecedentis sequi oppositum consequentis, ob non rectam assignationem oppositorum. Vt si quis concedat. a. id est, animal, esse consequens, & b. non animal, oppositum consequentis. c. verò hominem, esse antecedens, & d. non hominem antecedentis oppositum, quemadmodum re vera sunt. Deinde credat. f. id est, neq; animal, neq; non animal, esse oppositum vtriusq;, scilicet a & b, quæ sunt animal, & non animal. Et similiter. g. id est, neq; hominem, neque non hominem oppositum esse, c & d, hoc est, antecedentis, & sui oppositi, quæ sunt, homo & non homo. Tum his suppositis ita quis argumentabitur secundùm primam regulam, Si c est, a est, ergo si f est, g est, eò quòd cõcessum est f esse oppositum ipsius a, quanquam non solius, & similiter g oppositum ipsius c. Et rursum iuxta eandem regulam sequitur, si f est, g est, ergo si d est, b est. (Nam suppositum est, g esse oppositum ipsius d, & f. ipsius b) Quum igitur d sit oppositum antecedentis, & b consequentis, accidit ex opposito antecedentis non conuertibilis cum consequente, inferri oppositum consequentis. Quæ quidem deceptio prouenit ex eo, quòd malè putabatur idem esse oppositum antecedentis, & sui oppositi, & similiter cõsequentis, & sui oppositi. Nam vnum vni tantùm contradictoriè opponi potest. Neque solent autores imperfectis orationibus contradictoriè opposita assignare, sicut alibi diximus.

Pro propositionibus cõsequentiarũ regula prima.

Licet autem iam declaratæ regulæ ex mente Aristotelis applicandæ sint hoc loco, ipsis terminis. similes tamen propositionibus, quarum vna alteram infert, & non ediuersò, conuenire necessum est, Quarum hæc est prima, Contradictoria consequentis bonæ consequentiæ semper infert contradictoriam antecedentis. Vt quando sequitur, Aliquis homo est bipes, ergo aliquod animal est bipes. necessarium est vt etiam sequatur, nullum animal est bipes, ergo nullus homo est bipes. Quòd si alia opposita vsus fueris quàm contradictoria, non valebit illatio. Nam ad contrariam vel subcontrariam consequentis, non oportet sequi cõtrariam antecedentis, aut subcõtrariam, quod non est difficile exemplis monstrare.

Secunda.

Secũda est, Ad contradictoriam antecedentis, non oportet sequi cõtradictoriam consequẽtis.

Tertia.

Tertia est, Consequens, & cõtradictoria antecedentis possunt simul esse vera.

Quarta.

Quarta, Antecedens, & contradictoria cõsequentis nunq̃ possunt simul in veritate constare. Exempla sunt in promptu.

FINIS Annotationum in priorem librum Priorum Analyticorum.

LIBER SECVNDVS PRIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

In quātis ergo figuris.

In primum caput secundi Priorum Analyticorum Aristotelis, quod consyderat de prima syllogismorum potestate, quæ est, Plura posse syllogisare, adnotatio.

SVPERIORI quidem libro docuit Philosophus formare syllogismos ex suis principijs, & in eadem resoluere. Nunc autē in hoc secundo volumine agit de quibusdam in syllogismo composito repertis, adhibita etiam consyderatione aliarum specierum argumētationis, quatenus tanq̄ imperfectiores, ad syllogismum vt magis perfectum & firmum reducuntur. In primo igitur præsentis libri tractatu, de sex syllogismorū potestatibus, hoc est, proprietatibus quibusdam, quæ tamen non omnibus competant, vt ex sequentibus dilucebit, sermo est. Quæ sunt, Potestas plura concludendi, Potestas colligendi ex falsis verum, non cōtrà, Potestas circulariter syllogisandi, Item syllogisandi conuersiuè, & per impossibile, & ex oppositis. Ac in initio statim primi capitis, veluti per epilogū cōmemorat in summa, de quibus in superiori est determinatū, vbi facilè intelligitur, quātis, abusiuè positum esse pro quot. Quod verò sequitur, Et per quales & quot propositiones) ad qualitatem, quantitatemq́;, & numerum propositionum refertur. Quando, ad vtiles coniugationes seu combinationes, & quomodo, ad diuersos modos vtiles in singulis figuris. Porrò illud, Amplius autem ad quæ perspiciendum, &c. ad media, antecedentia, consequentia, opposita pertinet, quorum respectus habendus est ei, qui destruere voluerit, aut construere, hoc est, negatiuam, vel affirmatiuam quampiam conclusionem colligere. Propositum autem (Græcè θέμα dicitur) est propositio syllogisanda, ad quam oportet quærere medium congruum, secundum vnamquamque artem seu consyderationē ac regulam superius in quarto tractatu præcedentis libri traditam. Principia aūt in singulis seu singulorū (de quibus consequenter fit mentio) sunt materia tam propinqua quàm remota ipsorum syllogismorū, propositiones, inquam, & termini. His ita commemoratis, primam syllogismorū potestatem compendiosè exponit quatuor conclusionibus: quas anteq̄ declaremus, cōmodum videtur, vt præmittamus diuersos modos, quibus eundem aliquem syllogismum contingit concludere plura, id est, multas conclusiones. Vnam quidem immediatè. Reliquam verò vel reliquas mediatè seu remotè. Vnus est innitens legi subalternarū propositionum, secundum quem syllogismus concludens vniuersalem, siue affirmatiuam, siue negatiuam, ex consequenti concludere potest particularē illi subiectam, sed huius non meminit Aristoteles, ob nimiam forsitan eius facilitatē. Secundus est per conuersionem conclusionis prælatæ, secundum quem syllogismus quilibet potest concludere eam vel eas, in quas sua conclusio legitimè cōuertitur. Atq́; hic, cum primo, fundatur in hac maxima, Quicquid sequitur ad consequens bonæ consequētiæ, idem ad antecedens sequitur. Tertius modus plura syllogisandi est, quum sub eodem medio in maiore propositione distributo, subsumūtur plures minores extremitates. Subsumi aūt terminum aliquem sub altero, est eum alteri in precedente propositione distributo subiici affirmatiuè. Patet hoc in primis ex definitione & maxima dici de omni. Deinde si subsumptio minoris extremitatis sub medio, nihil aliud foret, quàm illam huic quolibet modo in secunda propositione cōiungere, malè diceret Aristoteles, particulares syllogismos non posse plura cōcludere per subsumptionem sub subiecto conclusionis, quia faciendo huiusmodi conclusionem maiorem in Bocardo vel Disamis, posset cōuenienter subiecto eius, tanq̄ medio, cōiugari aliqua minor extremitas in secunda præmissa, & ita concludi efficaciter secūdum talem modum. Hinc liquidum est, in Camestres & Baroco, ac omnibus tertiæ figuræ modis, non fieri subsumptionē sub medio, neq́; posse eos plura syllogisare per subsumptionē sub medio, permanēdo in eodem modo, licet per alium modum possint. Solet autē hic tertius plura concludendi modus, appellari per subsumptionē ad latus, eò q̄ ipsæ plures minores extremitates, quasi collaterales sunt respectu medij distributi. Exemplum est, vt si detur hic syllogismus, omne animal habet sensum, & omnis homo est animal, ergo omnis homo habet sensum. sic subsumuntur sub eodem medio plura minora extrema, omne animal habet sensum, & omnis equus est animal, ergo omnis equus habet sensum. Omne animal habet sensum, & omnis bos est animal, ergo omnis bos habet sensum, & sic de cęteris. Quartus est, quando fit subsumptio sub subiecto conclusionis, hoc est,

Procemialis propositionis explanatio.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

hoc est, sub ipso minore extremo syllogismi in conclusione accepto vniuersaliter, quæ quidem solet vocari subsumptio in postsumendo, eò quod minor extremitas posterioris syllogismi habet rationem inferioris, comparatione minoris extremitatis, quæ erat in primo. Vt dato hoc syllogismo, Omne viuens nutritur, & omne animal est viuens, ergo omne animal nutritur, fiet subsumptio sub subiecto cõclusionis, ad hunc modum, Omne animal nutritur, & omnis homo est animal, ergo omnis homo nutritur. Omne animal nutritur, & piscis est animal, ergo piscis nutritur, &c. Hæc subsumptio semper fit in prima figura, vt ex Aristotele & iam dictis colligitur, hocque differt iste modus à præcedente. Differt præterea hic quartus plurium concludendorum modus à tertio, quòd secundum hunc conclusiones posteriores syllogisentur ex propositione prędemonstrata, hoc est, priori syllogismo probata seu conclusa, non autem secundum illum. Atque hanc non incongruè quis causam existimauerit, cur in vno dicatur fieri subsumptio in postsumendo, & in altero ad latus.

Tertij & quarti modi discrimẽ.

Sed iam dubitabit forsitan quispiam, quomodo & qua ratione in hisce quatuor modis dicamus secundũ Aristotelem, vnum eundemque syllogismum plures concludere conclusiones, quum re vera sint plures syllogismi.

Obiectio.

Cui respondendum est, quod idem numero syllogismus non potest actu & secundum veritatem inferre plures conclusiones, sed vnam duntaxat actu, reliquas verò potentia. Nam quicquid inferri potest ex ambabus præmissis, aut ex conclusione alicuius syllogismi, imò etiam ex maiore propositione facta subsumptione alicuius contenti sub medio, id vniuersum censetur etiam ex ipso syllogismo ostendi, quia omnis huiusmodi conclusio inferri potest ex aliqua parte prioris syllogismi, virtute dicti de omni, aut dicti de nullo, quod in ipso ponitur. dicitur ergo plures conclusiones concludi per eundem syllogismum, quia inferuntur ex eodem dicto de omni aut de nullo, In quo tota syllogismi vis consistebat. Quò fit, vt huius passus gratia nihil opus sit in dubium reuocare, an cõclusio sit pars syllogismi, an solæ pręmissæ syllogismi integritatẽ perficiant. Nam in his syllogisandi modis non semper permanẽt eædem pręmissæ.

Responsio.

Quõ idem syllogismus dicitur concludere plura.

His præcognitis, parata erit quatuor conclusionũ, quæ in litera assignãtur, intelligentia. Prima est, Omnes syllogismi vniuersales tam affirmatiui quàm negatiui, & particulares affirmatiui, possunt plura concludere per conuersionẽ, particularis verò negatiui minimè. Quia eorum conclusiones non recipiunt conuersionem, secundum ea quæ superius tradita fuerãt. Vniuersalis syllogismus hoc loco nuncupatur, cuius conclusio est vniuersalis. Alibi enim latius accipiebatur, quum tertiæ figuræ tribuerẽtur vniuersales modi. Et adiungit Philosophus in litera, conuertentẽ propositionẽ aliam esse à conuersa, ne quis falso crederet, ipsas easdem esse. itaque syllogismum ob id non concludere plura. Neque enim in illis tantùm est nominum seu verborum transpositio, quæ sola dicta est in Peri Herme. nõ inducere orationis diuersitatẽ, sed & ipsorum extremorũ commutatio.

Primæ literæ cõclusio.

Secũda conclusio (vt ex declaratione colligere licet de modis vniuersalibus primæ figuræ loquens) est hæc, Syllogismi vniuersales primæ figuræ possunt & aliter plura concludere, nempè per subsumptionem sub medio, & per eam quæ fit sub conclusionis subiecto, Non autem meminit particularium syllogismorũ primæ figuræ, quia his solùm alter modus competit, vt patebit ex sequentibus.

Secunda.

Tertia est, Syllogismi vniuersales secundæ figuræ solùm possunt plura syllogisare ex prædemõstrata propositione, per subsumptionẽ sub subiecto cõclusionis. Additũ est ex prędemonstrata, &c. Nam id apertè indicat Aristotelica declaratio, & alioqui falsa foret cõclusio, quia in Cesare etiam per subsumptionem sub medio plura syllogisantur, Neque hoc voluit Arist. inficiari.

Tertia.

Dicet aliquis, In prima etiam figura vsuuenit, vt non possint plura cõcludi ex prædemonstrata propositione, nisi subsumẽdo sub subiecto cõclusionis, ergo non rectè videtur Arist. differentiam insinuare syllogismorũ secundæ figuræ, ab iis, qui sunt primæ.

Obiectio.

Respondemus, quod Arist. in secunda conclusione loquẽs de subsumptione sub medio facienda in syllogismis primę figuræ, colligendũ nobis reliquit, idem contingere posse & in secunda. Simili modo quod hic docet, syllogisationem plurium ex prædemõstrata propositione non fieri in secundę figurę syllogismis, nisi subsumendo sub conclusionis subiecto, manifestum est, parem habere rationẽ in syllogismis primæ, quare nullum discrimen hisce duabus conclusionibus intendit inter dictarum figurarum syllogismos innuere, sed quod de vna reticebatur, de altera proposuit explicatius, vt sic sese mutuò perficerent conclusiones.

Solutio prior.

Altera est responsio quorundam, ideo hic tacitum esse de subsumptione sub medio, & non in præcedente cõclusione, quia syllogismi secundę figurę ineuidẽter, primæ verò euidẽter colligũt.

Posterior solutio.

Porrò quod in declaratione huius cõclusionis habet textus. Quum illud per quod syllogisaretur b nõ inesse his quæ sub a sunt sit demonstratũ, nihil aliud indicat, quàm maiorẽ illam nullum b est a, non esse præsyllogisatã ad ostendendũ b non

inesse

Quarta. inesse his, quæ sub a in secunda figura subsumi possunt. Quarta conclusio duas habet partes. Prior, Particulares syllogismi cuiuscunq; figuræ fuerint, non possunt plura syllogisare per subsumptionem sub subiecto conclusionis. Cuius probatio subiungitur, Nam sic maior esset particularis, sub qua non potest subsumptio fieri. Posterior est, Particulares syllogismi possunt plura concludere per subsumptionem sub medio. Nam in omni syllogismo de medio communi, oportet medium ipsum in altera præmissarum vniuersaliter accipi. Hæc pars vniuersaliter veritatem non continebit, si (quod verisimilius est) intelligatur de plurium syllogisatione in eodem modo, cuius erat ipse syllogismus particularis, sub cuius medio subsumitur. Alioqui omnibus æquè poterit accommodari, vt ex præmissis est manifestum. Summam huius capitis spectare licet ad oculum in subiecta tabula.

Prima figura.

	sub medio	sub subiecto conclusionis	per conuersionem	ex subalter.le.
Barbara	fit præter syllo.	fit ex syllo.	i	i
Celarent	fit præter syllo.	fit ex syllo.	e. o.	
Darij	fit præter syllo.	non fit	i.	
Ferio	fit præter syllo.	non fit		

Secunda figura.

	sub medio	sub subiecto conclusionis	per conuersionem	ex subalter.le.
Cæsare	fit præter syllo.	fit ex syllo.	e. o.	o.
Camestres	non fit	fit ex syllo.	e. o.	
Festino	fit præter syllo.	non fit		
Baroco	non fit	non fit		

Tertia figura.

	sub medio	sub subiecto conclusionis	per conuersionem	ex subalter.le.
Darapti	fit præter syllo.	non fit	i.	
Felapton	fit præter syllo.	non fit		
Disamis	non fit	non fit	i.	
Datisi	fit præter syllo.	non fit	i.	
Bocardo	non fit	non fit		
Ferison	fit præter syllo.	non fit		

In secundum caput, tradens secundam syllogismorum potestatem, annotatio.

Contingit & aliquãdo ex veris propositionib9.

TRactaturus Philosophus de secunda syllogismorum potestate, Posse videlicet ex falsis verum syllogisari, prælibato quomodo aliter atque aliter sese habeant præmissæ conclusionesq; syllogisticæ, mox subnectit hanc bimembrem conclusionem. Ex veris non contingit falsum syllogisare, Ex falsis autem contingit syllogisare verum, non tamen propter quid, sed quia. Approbatio prioris partis, quam in sensu composito soliti sunt accipere, assignatur mox in litera ibi, Quòd autem ex veris syllogisari falsum, &c. qua deducitur ad impossibile, nempè contradictoria simul vera, quod vt clarius fit manifestiusq;, pro literis, termini sumantur significatiui, atq; per a accipiatur homo, & per b animal. Si igitur hæc cõsequentia bona sit, homo est, ergo animal est, deturque antecedens verum consequente falso, tunc antecedens & suum oppositum erunt simul vera. Nam ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, Sed oppositum consequentis est verum (quia consequens ponebatur esse falsum) ergo etiam oppositum antecedentis est verum. porrò antecedens positum erat esse verum, ergo antecedens & eius oppositum sunt simul vera. Sed instabit fortasse quispiam, hac in ratione principij petitionem committi. Dum enim sic ratiocinamur, At nullum animal esse est verum, ergo nullum hominem esse est verum, supponitur quod erat approbandum, nempè consequens esse verum, si antecedens verum fuerit. Huius obiectionis dissolutionem doctorũ iudicio relinquimus, id duntaxat admonentes, subinde apud Aristotelem

offendi

offendi rationes,quæ sint ad hominem solum,nisi pleraq; ab aduersarijs subintelligantur con fessa. Post hæc in litera ibi, In omni autem figura &c. secundã dictę conclusionis partem,qua dicebatur ex falsis nonnunq̃ verum colligi,monstrat atq; prosequitur Philosophus quàm plu rimis verbis,amplissimaq; in singulis figuris declaratione,quemadmodum ex versione Boe tiana licet deprehendere. Verùm nostri textus, in quem cõmentaria cudimus, compilatores, breuitatis amplectendæ gratia,atq; ne in re non admodum necessaria, sine magno fructu suã impenderent operam,cuncta hæc breuiori conclusione sunt cõplexi. In omni figura ex vtrisq; siue in toto siue in parte falsis,aut altera tantum, contingit verum syllogisari, nisi in modis vni uersalibus primæ figuræ maior sit in toto falsa & minor vera, Alioqui enim duo contraria si mul esse vera esset necesse. Vt esto hic syllogismus in Barbara ex maiore in toto falsa & mino re vera. Omne animal est lapis,at omnis homo est animal,ergo omnis homo est lapis, si sit ve ra conclusio illa, omnem hominẽ esse lapidem, sic syllogisabitur in Celarent, nullum animal est lapis,& omnis homo est animal,ergo nullus homo est lapis,præmissæ veræ sunt,ergo & cõ clusio. Quare & omnem hominem esse lapidem, & nullum hominẽ esse lapidem, quæ contra ria sunt,existunt simul vera. Simili modo agendum est de modo vniuersali negatiuo. Porro hæc,in toto verum esse,in toto falsum,in parte verum,& in parte falsum, solis propositioni- bus, quæ vniuersales sunt tribuuntur. Ea in toto falsa est, cuius contraria vera est, vt nul- lum hominem esse animal,omnẽ equum esse quercũ. Illa in toto est vera,cuius contradictoria est falsa, vt omnẽ hominem esse animal, nullum equũ esse quercum. In parte vera est item & in parte falsa,nullum hominem esse albũ. Est etenim vna eademq; propositio,quæ sit in par- te vera,cuius contradictoria sola vera est, non autẽ contraria, vt omnem hominẽ esse albũ est in parte falsa. Post hæc in litera ibi, Causa autẽ est & cæt. Ostendit Aristot. quòd licet in bo- na consequentia ex falsis interdum sequatur verum, tamen consequens nunq̃ ideò verũ est, quia antecedens est falsum,quod sic ostenditur. Si antecedens sit verũ,necesse est consequens esse verum,ergo si antecedens sit falsum,non propterea oportet consequens esse verum,con- sequentia probatur,quia alioqui idem efficeretur ex cõtradictorijs,quod est impossibile. Ver bi gratia,si ex veritate huius antecedentis, Socrates est, sequatur veritas huius consequentis, homo est,tunc non sequetur ex falsitate eiusdem antecedentis. quia alioqui etiam sequeretur ex veritate contradictoriæ antecedentis,videlicet Socrates non est. Impossibile est autem ex contradictorijs idem effici,quia alioqui contradictoriũ sequeretur ex suo contradictorio,quod sic demonstratur, Si sequitur,Socrates est,ergo homo est,etiam sequitur,nullus homo est, er- go Socrates non est: nam ex opposito consequentis sequitur oppositũ antecedentis, ergo si ex contradictorio primi antecedentis Socrates non est, sequebatur primũ consequens,videlicet homo est,etiam sequetur,nullus homo est ergo homo est, quia si ex antecedente sequatur con sequens,& ex illo aliud consequens: ex primo antecedente sequitur vltimum consequens, id quod clarè monstrat subiectus consequentiarum ordo, Si Socrates est, homo est. ergo si nul- lus homo est, Socrates nõ est: sed si Socrates non est,homo est,ergo si nullus homo est, hõ est.

Nõ si antecedens est falsum,consequens est verum.

In tertium caput, quod considerat de circulari syllogismo, scholia.

Circulo aũt ex se inuicẽ ostẽde- re.

QVoniam omnis potestas ex suo actu debeat cognosci,sitq; tertia syllogismorũ potestas, Posse circulariter syllogisare, cuius actus est circularis syllogisatio, rectissimè in huius li teræ exordio monstrat, quando circulariter syllogisatur, ex quo hæc circularis syllogis mi descriptio depromi solet. Syllogismus circularis est, qui ex prioris syllogismi cõclusione, vnà cum alterius præmissarũ conuertente, reliquã syllogisat. Sumitur autẽ hic circularis syl logismus propriè, pro eo quo perfectè circulo syllogisatur prioris syllogismi altera præmissa. Alioqui plura forent addenda atq; subintelligenda. Nam in vniuersum & a toto (vt dicunt) genere sic solent describere. Circularis syllogismus is est,qui ex prioris syllogismi conclusio- ne posita pro maiore,& minoris simpliciter conuertente, infert maiorem. Vel ex eadem con clusione pro minore collocata,& maioris conuertente,minorem colligit: Aut qui ex conclusi onis conuertente posita pro minore,& minore maioris locũ assumente, colligit maioris con- uertentem. Vel qui ex eiusdem conclusionis conuertente locum maioris obtinente, & maio- ris conuertente ad minoris locũ detracta,infert minoris conuertentem. Aut qui ex ambarum præmissarum conuertentibus transmutatis,ipsius conclusionis syllogisat cõuertentem. Cæ- terùm illius,quod in initio literæ proposuit Philosophus, declaratio atq; approbatio,ibi posi- ta, Nec est possibile, &c. hanc habet sententiam. Si idem medium cum eisdem extremitati- bus sumatur,id est,si eædem assumantur præmissæ quæ prius acceptæ erãt,similiq; modo aut directè aut indirectè colligant, eadem prorsus syllogisabitur conclusio, & proinde nullus erit

Quid syllogismus circularis.

circulus, cum ad id quod prius sumptum fuerat, nullo modo fiat regressus. Si verò in posteriori syllogismo medium sumatur, quod aliud sit a quolibet prioris syllogismi termino, aut huiusmodi medium sumetur inter prius illatæ conclusionis extremitates, quo casu eadem syllogisabitur conclusio. Atque ob id nulla erit cyclica ratiocinatio, Aut hoc medium accipietur inter extrema maioris aut minoris, Quod si fiat, prosyllogisabitur quidem, seu priori syllogismo monstrabitur aut maior aut minor altius petito principio, non autē ex eo quod prius erat syllogisatum, Aut si aliud sumatur medium alijs cum extremitatibus, palàm est, conclusionē colligendam omnino discretā esse a prioris syllogismi & conclusione & ex vtrisque præmissis. Post hæc Philosophus ibi, Quando igitur termini non sunt conuertibiles &c. explicat quales oporteat esse terminos, ex quibus constituendus est circularis syllogismus, nempe conuertibiles. Nam alioqui conflaretur syllogismus ex altera propositione indemonstrabili, hoc est, quę non valeret colligi per simplicem conuersionem. Vt enim habet Boetiana versio, non est demonstrare per hos terminos, quādo medio inest tertium, aut primo medium, intellige tanquā pars subiectiua suo toti. Verbi gratia, esto hic syllogismus, omne animal est substantia, & ois homo est animal, ergo omnis homo substantia est, non licebit per conuersionē simplicem maioris & minoris, colligere omnem substantiam animal esse, & omne animal esse hominem, cùm conuersis existentibus veris, constat apertè cōuertentes falsas esse. hoc autem in loco considerat Philosophus dūtaxat de eo circulari syllogismo, qui ex veris conflatur pręmissis. Aliàs locus esset huiusmodi syllogismo in terminis non recurrentibus inter sese. Illud præterea nō prætereundum est, dupliciter terminos posse conuerti mutuò, affirmatiuè videlicet & negatiuè. Affirmatiuè quidē, dum vniuersaliter affirmatiuè de seinuicē dicuntur, vt homo & risibile. Negatiuè verò, cū vniuersaliter a se mutuo tolluntur, vt animal & planta. Porro vt ea quæ in litera sequuntur manifestiora euadant, subijciemus exēpla, significatiuis dictionibus literarum loco positis. Sint tres recurrentes conuertibilesque termini, a risibile, b rationale, c homo, ex ijs sex coalescēt propositiones eiusmodi, omne rationale esse risibile, omne risibile esse rationale, omnē hominem esse rationalem, omne rationale esse hominem, omnem hominem esse risibilem, & omne risibile esse hominē. Esto præterea hic syllogismus in Barbara (cuius textus meminit) omne rationale est risibile, & ois homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Primo circulo monstrabitur eius maior ad hunc modum, ois homo est risibilis, & omne rationale est homo, ergo omne rationale est risibile. Deinde eiusdem minor hoc pacto. Omne risibile est rationale, at omnis homo est risibilis, est igitur ois homo rationalis. In his autē duobus syllogismis duæ assumptæ sunt propositiones, quæ non sunt syllogismo collectæ. In priori quidē hæc minor, omne rationale esse hominē, quæ minoris prioris syllogismi est similiter conuertens, quaque hoc modo circulariter ostenditur, ex eiusdem syllogismi conclusione & cōuertente maioris, omne risibile est homo, & omne rationale est risibile, igitur omne rationale est homo. In posteriori verò syllogismo hæc maior indemonstrata, omne risibile esse rationale, quæ similiter circulo sic ostenditur, omnis homo est rationalis, omneque risibile est homo, omne igitur risibile est rationale. In quo rursum syllogismo assumitur pro minore nondum syllogisata, omne risibile esse hominē, quæ sic circulo colligitur, omne rationale est homo, & omne risibile est rationale, omne igitur risibile homo est. Sex itaque propositi sunt syllogismi. Primo, syllogisatur prima conclusio. Secundo, circulo ostenditur eiusdē syllogismi maior. Tertio, minor. Quarto, conuertens minoris. Quinto, maioris conuertens. Sexto aūt conuertens cōclusionis, quæ enunciationes oēs ab initio fuerant propositæ, atque ex tribus terminis aliā atque aliā rationē habentibus procreatæ. Quare ex ijs palàm est, in eodē modo, nēpe Barbara, contingere oia circulo syllogisari, si termini fuerint conuertibiles. Post hæc in litera, ibi. In omni ergo cuiuscunque figurę fuerit vtralibet præmissa &c. quæ prolixè, attamen clarius, dicta sunt ab Aristotele, ad percipiendū cognoscendumque quo modo in singulis figuris constituendus sit circularis syllogismus, textus noster succinctè, & si obscurè, explicat tribus conclusionibus. Quarū prima est. In omni modo cuiuslibet figuræ vtralibet præmissarū similis qualitatis & quantitatis cū conclusione, circulo ostenditur ex conclusione & alterius præmissæ conuertente, exceptis maiore vniuersali negatiua in Cesare, & minore particulari affirmatiua in Datisi. Nam hæ non ostenduntur, sed earū conuertētes. Exempla sunt. Esto hic syllogismus in Celarent, Nullum rationale est non risibile, & omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est nō risibilis: Maior sic monstratur, Nullus homo est non risibilis, & omne rationale est homo, ergo nullum rationale est non risibile. Sit similiter hic in Darij, Omne rationale est risibile, & quidā homo est rationalis, ergo quidā homo est risibilis. Minor hoc pacto circulariter ostenditur,

Termini dupliciter conuertuntur.

Literæ primæ cōclusio.

ditur, omne risibile est rationale,& quidam homo est risibilis, est igitur quidam homo rationalis. Insuper huius in Camestres syllogismi, Omne risibile est rationale, nullus nō homo est rationalis,nullus ergo non homo est risibilis. minor sic syllogisabitur,omne rationale est risibile,at nullus non homo est risibilis,ergo nullus non homo est rationalis. Item huius in Disamis,quoddā rationale est risibile,& omne rationale est homo,igitur quidam homo est risibilis, Maior ita monstratur circulo,quidā homo est risibilis,& oīs homo est rationalis,igitur quoddam rationale est risibile. Ex ijs itaq; exemplis palàm est,in his omnibus retineri & eandem figurā & eundem prorsus modum,colligiq; eandem ac inuariatā præmissam. Atq; proinde hic circulariter syllogisandi modus,dicendus erit esse perfectus. Quòd si in Cesare hunc constitueris syllogismū, nullū non risibile est rationale,& oīs homo est rationalis, igitur nullus homo est non risibilis. Et hunc in Datisi,omne rationale est risibile,& quoddā rationale est homo,ergo quidam homo est risibilis,mutata figura & proinde modo, per primā maioris illius & huius minoris conuerrentes,hoc pacto syllogismo circulari colligentur. Nullus homo est non risibilis,& omne rationale est homo,ergo nullum rationale est non risibile. Omne risibile est rationale,quidam autē homo est risibilis,est igitur quidā homo rationalis. Atq; hic circulo syllogisandi modus imperfectus est,ob eam quā superius diximus causam. Secunda cōclusio est eiusmodi. Præmissa similis quantitatis cū conclusione, diuersæ autē qualitatis, non similiter ostenditur. Sed in secunda figura ipsa vniuersalis negatiua: in prima verò & tertia figuris eius cōuertens est resoluēda. In tertia aūt figura maiori vniuersali negatiua & minore particulari affirmatiua,ostēditur minoris cōuertens. Prima pars accipiēda est de perfecto circulari syllogismo. Porro resolutio,cuius meminit secūda pars,ea est,qua prædicatiuā ꝓpositio trāsmutatꝰ in hypotheticā,in q̄ designat si modò fuerit colligēda vniuersalis affirmatiua,q̄d a q̄cunq; tollitur subiectū,eidē vniuersaliter tribuendū est prædicatū: Sin verò particularis assertoria,significabitur a quo particulariter negatur subiectū,eidē particulariter prædicatū cōuenire. Exēpli gratia, esto syllogismus huiusmodi in Celarent. Nullū rationale est non risibile, at oīs homo est rationalis, igitur nullus homo est non risibilis. Et in Ferio iste. nullum rationale est non risibile,at quidā homo est rationalis,igitur quidam homo non est non risibilis. Maior simpliciter est in hanc conuertēda,nullum non risibile est rationale,quā si in hanc resolueris hypotheticam affirmatiuā, Cuicunq; nulli inest nō risibile,illi omni inest rationale,& subsumpseris, nullum hominē esse non risibilem,syllogisabis omnē hominē esse rationalem,id quod erat minor in Celarent. Si verò illam cōuertentē in hanc transformaueris hypotheticā,cuicunq; particulariter non inest non risibile,illi particulariter inest rationale,& subsumpseris quendam hominem non esse non risibilem, colliges quendam hominem esse rationalem,& proinde minorē in Ferio. Quod si quis diligentius attenderit,in huiusmodi circulari syllogisatione,prioris syllogismi conclusionem locum minoris subire,prædicatumq; quod antea maius erat extremū, nunc medij habere rationē,facile colliget perpēderetq;, quā ob causam maior vniuersalis negatiua prius sit cōuertenda,deindeq; cōuertēs resoluenda. Præterea huius in Cesare syllogismi, nullū non risibile est rationale,& oīs homo est rationalis,igitur nullus homo est nō risibilis. Minor hunc in modū circulo declaratur, Cuicunq; nulli inest non risibile, illi vniuersaliter inest rationale,at nullus homo est non risibilis,erit igitur omnis homo rationalis. Porro si maior de Camestres circulo sit colligenda,opus fuerit minoris resolutione in eā hypotheticā,quæ in maioris locū succedat,& conclusionis conuertente accipienda pro minore. Verbi gratia, esto huiusmodi in Camestres syllogismus, oīs homo est rationalis,& nullum non risibile est rationale, ergo nullū non risibile est homo. Huius syllogismi maior hoc modo syllogisabitur. Cuicunq; nulli inest non risibile,illi omni inest rationale,at nullus homo est non risibilis (id quod conuertens est huius,nullum non risibile esse hominē) omnis igitur homo est rationalis. Sunt autē eiusmodi ratiocinationes re vera non syllogisticæ. Imprimis etenim ea in qua fit vniuersalis negatiuæ resolutio,(si Alberto credimus) hypotheticū habet sensum, perinde ac si diceres,si de aliquo vniuersaliter non risibile negetur, eidem omni necessum est cōpetere rationale, & ita in reliquis iudicandū. Insuper secundo,plures sunt numero termini tribus,terminorum quoque est æquiuocatio,& si hæc nullam adferat deceptionē. Quadam igitur similitudine,hi syllogismi circulares existimandi sunt syllogisticæ argumentationes,præsertim ad tertiæ figuræ syllogismorū formā accedentes,id quod testatur Philosophus,eò quòd quodam modo, nēpe virtute,vtriusq; & prædicatiuæ & hypotheticæ idem sit subiectū. Ex ijs igitur quę diximus,colliget facilè lector,triplicē esse circularem syllogismū. Vnum perfectū,& duos imperfectos. quorū hic, huiusmodi est propter conclusionis syllogisandæ collectā conuertentē. Ille autem

Secunda.

Quæ sit resolutio cuius littera meminit.

Albertus.

Triplex circularis syllogismus.

autem ob resolutionē. Ad hæc post tertiam conclusionē, quæ satis manifesta est ex superioribus infert Philosophus duo corollaria, quorū intelligentia ex subiecta tabula facilè deprehenditur. Cæterùm, quid cōmodi circularis adferat syllogismus aut demonstratori aut dialectico, aut quando quomodoq; in ipso fiat committaturq; principij petitio, non decreuimus in præsentia aperire, cum de his alius sit in sequentibus disputandi locus atq; occasio.

	Circulo syllogisatur	Maior perfectè	Maior imperfectè	Minor perfectè	Minor imperfectè
1.	Barbara	In prima	o	In prima	o
	Celarent	In prima	o	o	In 2. per resolutionē.
	Darij	o	o	In prima	o
	Ferio	o	o	o	In 3. per resolutionē.
2.	Cesare	o	In 1. per cōuersionē	o	In 3. per resolutionē.
	Camestres	o	In 1. per resolutionē	In 2.	o
	Festino	o	o	o	In 3. per resolutionem.
	Baroco	o	o	In 2.	o
3.	Darapti	o	o	o	o
	Felapton	o	o	o	o
	Disamis	In 3.	o	o	o
	Datisi	o	o	o	In 1. per cōuersionē.
	Bocardo	In 3.	o	o	o
	Ferison	o	o	o	In 3. per resolutionē.

Cōuersiuè syllogisare, ē ex opposito,

In quartum caput, quod de syllogismo conuersiuo agit, annotamentum.

EX initio huius literæ atq; sequentibus, in quibus pertractat Philosophus de conuersiuo syllogismo, colligere licet duplicē conuersiui syllogismi acceptionem. Vno modo sumitur pro eo qui ex opposito contradictorio, contrario, vel subcontrario prioris syllogismi conclusionis, syllogisat contradictorium, contrarium, vel subcontrarium alterius præmissarū eiusdem syllogismi. Contrarij enim nomine, apertè indicat Philosophus cōprehendi sub contrarium. Oppositi autē vocabulo, id duntaxat quod contradictorij rationē habet. Atque hic conuersiuus dicitur, eò quòd alterā prioris syllogismi præmissam in oppositā conuertat qualitatē, hoc est, eam colligit conclusionē, quæ cum altera præmissarū pugnat in qualitate. Altero modo propriéq; accipitur pro syllogismo qui ex prioris syllogismi conclusionis opposito, aut contrario, assumpta eiusdem præmissarū altera, reliquā interimit, hoc est, falsam esse ostendit, concessa vtriusque & oppositi conclusionis, & præmissæ syllogismi prioris veritate. Qui duplex est. Vnus contrarius, qui alterius præmissæ contrarium colligit. Alter oppositus, qui contradictorium syllogisat. Atq; de hoc vtroq; literę initium est accipiendum, in quo nihil refert an contrarij nomine etiam accipias subcontrarium. Nam particula subsequens (interimens reliquam) apertè reijcit eum syllogismum, qui duntaxat conuersiuus est, non autem interimens. Atq; proinde in ea parte literæ, Necesse est enim conclusionē in oppositū vel contrarium conuerti &c. vocabulo contrarij accipiendum est solum contrarium, non autē subcontrarium. Alioqui aut Aristoteles non sibi constabit, aut eius verba venient restringenda. Post hæc in litera, ibi. Multum autē interest &c. proponit Philosophus, multū differre, si in cōuersiuo syllogismo assumatur modò oppositū, modò contrarium, simul explicans quid per vtrumq; horum sit accipiendum. Id quod diximus, breuiter etsi obscurē, cōprobat tribus subiunctis conclusionibus. In quarum tertia, illud literæ, Et sic aut nihil concludetur vt in tertia figura, referendum est ad syllogismos particulares affirmatiuos tertię figuræ. Negatiuis enim competit pars sequens, Aut particularis quæ non interimit suam cōtrariam, hoc est, subcontrariam. Nam contrarij nomine ad particularē relati, semper intelligenda venit subcōtraria, quemadmodum pro ea quæ propriè contraria est, perpetuò accipitur, dum ad vniuersalem confertur.

conferetur. Porro quantũ momẽti vtilitatisve cõuersiui syllogismi cognitio conferat disciplinę demonstratiuę atq; dialecticæ, imprę̈sentiarũ non statuimus pluribus aperire. Cæterùm vt litera planior intellectuq; facilior sit, has subiecimus formulas pro singulis figuris.

In prima figura conuersiuè syllogisatur.

	Maior, manente eadem minore			Minor, seruata eadem maiore.		
	Ex cõtra dictorio	Ex contrario	Ex subcontrario	Ex contra dictorio	Ex contra rio	Ex subcontrario
Barbara	Bocardo	Felapton	o	Baroco	Camestres	o
Celarẽt	Disamis	Darapti	o	Festino	Cesare	o
Darij	Ferison	o	nõ fit quia ex puris particulari. in 3. nõ	Camestres	o	fit in Ferio non interimens
Ferio	Datisi	o	fit quia ex particularibus.	Cesare	o	fit in Darij non interimens.

In secunda figura conuersiuo colligitur syllogismo.

	Maior, minore posita pro maiore			Minor, manente eadem maiore.		
	Ex cõtra dictorio	Ex contrario	Ex subcontrario	Ex contra dictorio	Ex contra rio	Ex subcontrario
Cesare	Datisi	Darapti	o	Ferio	Celarent	o
Camestres	Ferison	Felapton	o	Darij	Barbara	o
Festino	Disamis	o	non fit, quia ex particularibus	Celarent	o	fit in Ferio non interi.
Baroco	Bocardo	o	Eadem causa non fit	Barbara	o	fit in Darij non interi.

In tertia figura conuersiuè syllogisatur.

	Maior, eadem seruata minore			Minor, maiore posita minoris loco.		
	Ex cõtra dictorio	Ex con trario	Ex subcontrario	Ex contra dicto.	Ex con trario	Ex subcontrario
Darapti	Celarent	o	Nõ fit, quia maior particularis in 1.	Cesare	o	Non, quia maior particularis in secunda
Felapton	Barbara	o	Non, quia maior particularis in 2.	Camestres	o	Nõ, quia maior affir. particularis in 1.
Disamis	Celarent	o	Nõ, q̃a maior par. negatiua in prima	Festino	o	Nõ fit, q̃a part. nega. in 1. fit ob eãdẽ causam
Datisi	Ferio	o	Non, quia ex puris particularibus	Cesare	o	
Bocardo	Barbara	o	Nõ, q̃a maior partic. affir. in prima	Baroco	o	Non, quia ex particularibus.
Ferison	Darij	o	Nõ, quia ambabus parti. in secunda.	Camestres	o	Nõ, quia maior affirmatiua in secunda.

Per impossibile autẽ ostẽdit syllogismus.

In quintum caput, de syllogismo per impossible pertractans, scholia.

Antequàm expositionem huius capitis, in quo considerat Philosophus de quinta syllogismorũ potestate, aggrediamur, operæpretium fuerit, quid sit syllogismus per impossibile monstrare. Neq; enim in huius literæ exordio constituitur exacta illius definitio. Est igitur per impossibile syllogismus, qui ex contradictorio enunciationis veræ, cum altera præmissa manifestè vera, conclusionẽ colligit apertè falsam, ex cuius falsitate interimitur propositionis veræ assumptũ contradictorium: Atq; deinde ponitur ac infertur veritas propositionis prius negatæ. Verbi gratia, si quis hanc inficiatur, aliquod animal non esse rationale, hunc in modum constituetur per impossibile syllogismus, Omne animal est rationale, & oĩs equus animal est, est igitur omnis equus rationalis: conclusionẽ palàm est falsam esse, & proinde erit falsa præmissarũ altera, Non autem minor, quippe quæ apertissimè sit vera, Quare

Quid syllogismus per impossibile.

maior,

maior, omne animal esse rationale, est falsa: At hæc cõtradicit huic, quoddam animal nõ esse rationale: igitur secundum contradictoriarũ legem cõmunissimumq; primum principium, verum erit, quoddam animal non esse rationale. Ex quo sanè exemplo facile fuerit deprehendere, in per impossibile syllogismo quadruplicẽ esse ratiocinationem. Prima prorsus est syllogistica, ex enunciationis veræ, quæ negata est, contradictoria, cũ altera manifeste vera, apertè colligens falsam conclusionẽ. Reliquæ tres vulgò solent dici enthymematicæ. In quarum prima, ex manifesta illatę conclusionis falsitate, arguitur alterius præmissarũ falsitas. Secunda ex aperta coassumptæ præmissæ veritate colligit contradictorij propositionis veræ prius negatæ falsitatẽ. In tertia aũt ex huiuscemodi contradictorij falsitate secundũ primũ principium, De quolibet est affirmatio vel negatio vera, & cæt. concluditur veritas propositionis prius negatæ. Ex his quoq; palàm est, in quẽ vsum paremus per impossibile syllogismũ: nempe ad confirmandam veritatẽ propositionis veræ prius alicui propositæ ac ab ipso negatæ, qua de re mox latius dicemus. His prælibatis textũ aggrediamur. In initio igitur monstrat Philosophus figuraliter, atq; rudi (vt dicunt) Minerua, quid sit per impossibile syllogisare. Nam multa subticentur, quorum mox meminimus, vtpote manifesta coassumendæ præmissæ veritas, & aperta conclusionis illatæ falsitas, &c̃. Deinde alter ab eo quem diximus, effectus syllogismi per impossibile indicatur, dum dicitur, syllogismo per impossibile ostendi alter priorq; syllogismus, hoc est esse legitimus atq; efficax. Verùm hic effectus syllogismo per impossibile duntaxat per accidens cõpetit, hoc est quatenus conuersiui syllogismi rationem induit. nisi voluerimus duplicem statuere syllogismi per impossibile acceptionẽ, id quod nonnulli faciunt. Deinde in litera, ibi. Fit autẽ in omnibus figuris, & cæt. Ostenditur, quibus in figuris constitui valeat per impossibile syllogismus, adiecta conuenientia & discrepantia vtriusq; syllogismi & per impossibile & conuersiui. Consentiunt etenim ■, quòd procreentur ex terminis & propositionibus vel numero eisdem, dum videlicet conuersiuus syllogismus conclusionis contradictorium assumit, non autem cum ex contrario constat. Nam hoc modo solum forent ijdem termini, non autem propositiones eædem. Porro ea literæ pars, Et in quacunq; figura fit per impossibile syllogismus, in eadem & conuersiuus (& si veritatẽ contineat, non tamẽ reddita est ex Aristotelis sentẽtia, qui vt apertè habet Boëtiana versio, vbi duos primæ figuræ syllogismos assertorios, priorem vniuersalem & posteriorem particularem, per impossibile monstrauit validos esse & efficaces, per duos secundæ figuræ syllogismos in Baroco & Camestres colligentes minorum priorũ syllogismorum contrarias, subiecit, Similiter autẽ & in alijs figuris (subintellige à prima) per impossibile monstrãtur syllogismi. Quęcunq; enim conuersionem suscipiunt, & per impossibile syllogismum, sic Aristoteles. Cæterùm horũ syllogismorum conuersiui & per impossibile, quinque enumerat Albertus discrimina, ex quibus quatuor duntaxat recensebimus. Primum est, q̃ conuersiuum syllogismũ necessum est fieri altero prius facto syllogismo, id quod nõ semper in syllogismo per impossibile obseruatur. Secundum, qui conuersiuus est, iuxta & contrarium & cõtradictorium assumit, qui verò per impossibile, solo vtitur contradictorio. Tertium, Ille solam prioris efficaciã commonstrat, Hic autẽ propositionem ab initio propositã conuincit veram esse, & perperàm abnegatam. Nam ille robur oẽ ex hac accipit maxima propositione, Omnẽ consequẽtiam esse validã, ex cuius consequentis opposito contradictorio vel contrario, infertur eiusmodi oppositum aut antecedenti, aut antecedentis parti. Huic verò vis colligendi adest ex primo communissimo principio, quemadmodum prius dicebamus. Quartum, In illo supponitur concluditurq; ex æquo & verum ex falsum siue latens siue patens, In hoc autem coassumptam contradictorio præmissam, necesse est manifestè veram esse, & illatam cõclusionem apertissimè falsam. Atq; hoc discriminis submonstrare videtur Arist. dum dicit, sed alicuius (veri videlicet) sumpto opposito cum manifesto vero. Cæterùm in litera, ibi. In omni ergo figura, &c̃. quę fusè ab Aristotele per singulas figuras de syllogismo per impossibile traduntur, nostri textus autores breuitatis studiosi, succinctè satis apertè vnica conclusione exposuerunt. Cuius sentẽtia est. Omne propositionis genus siue vniuersale siue particulare, siue affirmatiuũ siue negatiuum, cõtingit per impossibile syllogismo monstrari in qualibet figura, ex oppositi contradictorij suppositione, non autem contrarij vniuersalis aut particularis, hoc est, contrarij vel subcontrarij, excepta vniuersali affirmatiua, quæ solum in secunda & tertia figuris hoc modo ostenditur, non autem in prima. Porro ea propositio per impossibile syllogismo in aliqua figura monstratur, cuius oppositum in ea figura assumi valet, aut veluti propositio aut subsumptio. Et proinde cum negatiua particularis vniuersali affirmatiuæ opposita in prima figura nequeat esse,

Vsus syllogismi p impossibile.

Quatuor discrimina inter syllogismũ cõuersiuũ & per impossibile.

Oẽ propositionũ genus monstratur p impossibile.

neq;

neq; propositio neq; subsumptio, hoc est, neq; maior neq; minor (vt superius ostendit Philosophus) palàm omnino esse debet, vniuersalem affirmatiuam per primā figurā non posse monstrari syllogismo per impossibile. Post hæc in litera, ibi. Ex contrarij verò positione, & cæt. Ostendit Aristoteles, nec contrariā, nec subcontrariam oppositionem seruire ad ostendendā aliquā propositionem per impossibile, quia si eius contraria sumatur, inferetur quidem manifeste falsa, ex qua rursus ostendetur hypothesis falsitas, sed ex falsitate hypothesis nō rectè inferetur veritas propositionis veræ prius negatæ, quia contingit contrarias esse simul falsas. & ideò hæc oppositio nunq̄ seruit proposito. Si verò sumatur subcontraria propositionis veræ prius negatæ, facile continget ipsam hypothesim simul esse veram cum propositione negata: quia subcontrariæ sunt simul veræ. ac proinde non poterit ex ipsa cum alia manifeste vera, colligi conclusio manifeste falsa: quia ex veris non sequitur falsum. Si tamen contingeret subcontrariam propositionis negatæ esse falsam, tunc non minus ostenderetur propositū per impossibile, q̄ si hypothesis esset contradictoria, sed quia istud rarius contingit, ideò nec iste modus conuenit proposito. Differt aūt ad impossibile syllogismus, &c̄. Vt syllogismi per impossibile plenior habeatur cognitio, subiungit Philosophus, quæ sint discrimina, quæue consentiones ipsius cum syllogismo ostensiuo, quæ omnia ex superioribus intellectu facilia sunt attento lectori, & singula diligenter expendenti. Insuper illud quod subnectit Philosophus de ostensiuo syllogismo, nempe quod ex veris progrediatur atque indubilitabibus præmissis, referunt nonnulli ad syllogismum ostensiuum, qui sit demonstratiuus, argumento forsitan sumpto ex Aristotele, qui vti Boetiana habet translatio, nō syllogismi vtitur nomine, sed demonstrationis. At Albertus arbitratur, ostensiuum ex veris & indubitabilibus constare, eò q̧ talia sint non simpliciter, sed ponentis cōparatione. Cæterùm quo pacto in vniuersum idem non duntaxat in vna figura, sed in diuersis & ostensiuè & per impossibile monstratur, id quod amplè explicat Aristoteles: omittit autē noster textus, pluribus enuclearemus exemplis, nisi scribendi breuitas, præsertim in eiuscemodi rebus, nobis esset amplectenda, subijciemus nihilo secius tabellam cōmonstrantem, qua in figura, quoq; in modo queat quoduis propositionis genus, per impossibile syllogismo monstrari, literis a e i o indicantibus vniuersalem affirmatiuā, vniuersalem negatiuam, affirmatiuā particularem, & particularem negatiuā, spacio in quo nihil depictum est denotante propositā propositionem in ea figura non posse hoc modo syllogisari. Ex qua similiter formula facillimè deprehendet lector, vniuersalem affirmatiuam difficillimè hac via posse ostendi, particularem verò negatiuā facillimè, id quod & in priori libro assertum est in syllogismo ostensiuo. Figura autem huiusmodi existit.

Oppositio contraria & subcōtraria nō seruit syllogismo ad impossibile.

Quandoq; oppositio subcōtraria seruit syllogismo ad impossibile.

	In prima figura	In secunda	In tertia
A		Baroco	Bocardo
E	Darij	Festino	Disamis
	Ferio		Datisi
			Ferison
I	Celarent	Cesare	Felapton
	Ferio	Camestres	Ferison
		Festino	
O	Barbara	Cesare	Darapti
	Celarent	Camestres	Felapton
	Darij	Baroco	Disamis
			Datisi
			Bocardo

In sextum caput, quod agit de syllogismo ex oppositis, scholia.

DEterminaturus Arist. de syllogismo ex oppositis ac sexta vltimaq; syllogismorū potestate, quę est ex oppositis syllogisandi facultas, In huius sexti capitis exordio ad pleniorem sequentium cognitionem percipiendam, præmittit quadruplices esse propositiones secundum locutionem oppositas, hoc est, in quibus idem prædicatum de eodem subiecto

In qua aūt figura ex oppositis.

modò affirmatiuè, modò negatiuè enunciatur, atque harum triplices duntaxat oppositas esse secundum veritatẽ, id est, in veritate repugnantes, nẽpe vniuersalem affirmatiuã & negatiuã, quæ cõtrariæ nuncupãtur. Itẽ vniuersalem affirmationẽ & negationẽ particularẽ, atq; negationem vniuersalem & particularẽ affirmationẽ, quæ re vera sunt contradictoriæ, & subinde in litera oppositorũ nomine designantur, quemadmodũ ex textus decursu facile est deprehendere. Porro particulares affirmatiua ac negatiua (quam quidem negatiuã indicat Philosophus, dum dicit, non alicui) secundum rem non sunt oppositæ (Nam simul eas esse veras contingit) atque proinde reijciendæ sunt à syllogismi ex oppositis constitutione, quem perpetuò necessum est falsum colligere. Ex veris autem nunquam licet falsum inferre. Insuper huiuscemodi secundum locutionem solum oppositæ propositiones, vtræque particulares existunt. Ex ambabus autem particularibus præmissis inutilis & incollectilis est ipse syllogismus.

Cæterùm post hanc oppositarum discrepantiam vtcunque explicitam tribus monstrat Aristoteles conclusionibus, In primis, in prima figura nullum ex oppositis confici syllogismũ. Deinde, in reliquis duabus constitui & ex contrarijs & ex contradictorijs, quẽadmodum ex ipsa litera haud difficile licet deprehendere. Porro ex secundæ conclusionis declaratione dicente similiter, Si omnis disciplina est studiosa, & nulla medicina est studiosa, aliquam disciplinã oportet non esse studiosam, & cæt. Et ea textus parte subsequente, Verùm non semper, & cæt. suboritur dubitatio, quo pacto hæ aliæq; similes ratione subiecti vel prædicati, omnis disciplina est studiosa, nulla medicina est studiosa, sint oppositæ. Non enim vtroq;, sed altero duntaxat participant extremo, nempe prædicato. Insuper ambigitur, quomodo ex ijsdem præmissis syllogisticè colligatur, aliquã disciplinã non esse disciplinã. In hac etenim ratiocinatione, omnis disciplina est studiosa, nulla medicina est studiosa, igitur aliqua disciplina non est disciplina, quatuor sunt termini, id quod consideranti facile est perspicere. Nam dictio, disciplina, in conclusione veluti subiecti loco sita, altera apparet esse minor extremitas à medicina, quæ in minore propositione sub medio (studiosum) subsumebatur. Hæc sunt quæ lectori ingerũt difficultatẽ, quibus bifariàm responderi potest. Albertus enim, quẽ penè omnes adferunt ac approbant, duplices distinguit oppositas. Quasdam quidem per se ac propriè, in quibus idem prædicatum de subiecto eodem affirmatur & negatur. Atq; de his prius locutus est Aristoteles, donec ad eum deueniretur locum, qui mox est allatus. Alias verò oppositas esse solum per accidens, hasq; eas esse, in quibus modo superius dicto idem prædicatum de diuersis enunciatur subiectis, eam inter sese habitudinẽ habentibus, quæ est totius ad partem, id est, communioris ad minus commune, aut contra, in quibus huiuscemodi diuersa prædicata de eodem enũciantur subiecto. Exemplis abstinemus, eò quòd ex litera queant depromi. Ex vtrisq; oppositis & per sese & per accidens conflatur syllogismus. Verùm is qui ex per se oppositis progreditur, eam colligit conclusionem, in qua idem à seipso remouetur ac negatur. Qui autẽ ex ijs, quæ per accidens sunt opposita coalescit, infert totũ de parte negari, aut contra, partẽ de toto, id quod exemplis non difficile est monstrare in dictis figuris. Cæterùm circa hæc occurrit dubitatio. In primis nanq; omne quod per accidens est, omniũ doctiorũ vulgata sententia ex ipso Aristotele desumpta, id ad reuocandum reducendumq; est quod per se est. Quãobrem is syllogismus, qui ex per accidens oppositis cõflatur, ad alterũ reuocãdus erit, qui ex per se oppositis constet. Quod quo pacto fieri valeat, non est manifestũ. Insuper inferius de suo superiori verè negatur. Non igitur ad inconueniens falsumq; deducitur concedendum, si quis eum admittat syllogismum ex oppositis, qui inferius colligit de suo negari superiori. Horum priori, ij qui se existimant Alberti doctrinã imitari, respondent, opposita per accidens ad per se opposita reduci, cum ex altera per accidens oppositarũ colligitur altera præmissa, quæ reliquæ est per se opposita, adhibita inferioris (si opus fuerit) constantia. Ab omnibus enim receptũ est, constantiam inferioris subintelligendã esse, dum ab eo negatiua ducitur ratiocinatio. Verbi gratia, supposita medicinæ constantia, sequitur, omnis disciplina est studiosa, igitur & omnis medicina est studiosa, ex qua quidem conclusione in secunda figura huiusmodi syllogismus construitur ex per se oppositis. omnis medicina est studiosa, & nulla medicina est studiosa, ergo nulla medicina est medicina. Hic autẽ reducendi modus totius ad partem, quantum ad secundam pertinet figurã eiusq; modos, satis est accommodus. Sic etenim persistunt præmissæ vniuersales, quarum alteram necesse foret esse particularem, si secundum aliorũ sententiam pars ad totum reuocaretur. Nam ex hac, nulla medicina est studiosa, nequaquam sequitur, nullam disciplinã esse studiosam, sed duntaxat aliquã disciplinã non esse studiosam. Huic nihilominus posteriori reductioni fauere apparet ea pars literæ,

Eodem etiam modo si altera non fuerit vniuersalis, quā nonnulli referunt ad eam, quæ minoris propositionis munus suscipit. Cæterùm hi cum illis in id consentiunt, quòd aliquam disciplinam non esse disciplinā, non colligitur proposito syllogismo, nisi mediatè atq; adiecto syllogismo, Nulla medicina est disciplina, & omnis medicina est disciplina, igitur quædam disciplina nō est disciplina. Porro Iacobus Faber Stapulensis, his per accidens oppositis reiectis, arbitratur hunc Arist. locū subobscurū, non exemplum continere secundæ figuræ, sed materiam duntaxat tradere conficiendis syllogismis. Nam ex illa propositione maiore, omnis disciplina est studiosa, in prima figura fit hic syllogismus. Omnis disciplina est studiosa, & omnis medicina est disciplina, omnis igitur medicina est studiosa. Deinceps ex hac conclusione tanquam maiore, cui adiungatur hæc minor nulla medicina est studiosa, procreabitur in secunda figura, ex per se oppositis hic syllogismus, omnis medicina est studiosa, & nulla medicina est studiosa, ergo nulla medicina est medicina. Post hęc ex prioris syllogismi maiore & posterioris minore in ipsa litera positis, prouenit hic syllogismus secundæ figuræ, omnis disciplina est studiosa, & nulla medicina est studiosa, igitur nulla medicina est disciplina. Ex hac autem conclusione sumpta pro maiore, & primi syllogismi minore construitur in tertia figura huiusmodi syllogismus. Nulla medicina est disciplina, omnisq; medicina est disciplina, igitur quædam disciplina non est disciplina, id quod in litera erat colligendum. Verùm hi duo respondendi modi, si diligenter excutiantur examineturq;, non multum à se inuicem (nisi nos fallat nostra opinio) reperiuntur dissentire. Ad id quod secūdo loco obiiciebatur, respondebimus, syllogismo ex oppositis nunq̄ colligi particularem negatiuā, in qua pars à suo toto abnegetur. Porro illius literæ partis, Per opposita ergo contingit syllogizare (quæ Alberti, vulgatæq; magis arridet opinioni) hæc est sententia. Ex prædictis mox licet colligere, in secūda figura posse constitui syllogismū per opposita & contraria & contradictoria. Sed non semper neq; omnino, (quēadmodum habet Boetius) hoc est, non omnis syllogismus secundæ figuræ ex ijs quæ aut per se aut per accidens conflatur, Neq; præterea quilibet syllogismus qui ex eiusmodi oppositis conficitur, in secunda figura est locandus. Non enim ille qui in tertia figura oppositas per accidens accipit. Sed ille duntaxat in secunda figura ex oppositis est statuendus, in quo ambo extrema sub eodē medio, modò affirmatiuè, modo negatiuè de ipsis enunciato, vel eadē sunt, hoc est, prorsus synonyma, aut diuersiuoca, vel vnū altero superius, sic sese habētia, vt premissæ ex eis constitutæ cōplectātur contineātq; ea, quæ per se opposita sunt, aut cōrrariè aut cōtradictoriè. Alioqui propositiones assumptæ nullo modo oppositæ erūt, quod declarasu non est difficilè. Quid super his, de quibus nunc tractauimus, sentiat Commentator, idcirco subiiciemus, quòd nullius veterum commētarios, hoc vnico excepto, penes nos habemus. Et in figura (inquit) secunda est quidem possibile vt sit syllogismus ex propositionibus oppositis, siue sint oppositæ secundum viam contrarietatis, siue secundum viam contradictionis, cuius exemplum est nostrum dictum, omnis scientia est studiosa, & nulla scientia est studiosa, & concluditur nobis nulla scientia est scientia. Et similiter cum accipiuntur propositiones oppositæ, id est, contradictoriæ, vt dicamus omnis scientia est studiosa, & si dicitur, quia medicina non est studiosa, & concluditur quòd quædam scientia vt medicina non est studiosa. Et causa huius in secunda figura est, quòd prædicatum in duabus suis propositionibus est vnum & idem. Et non est possibile concludi opposita in veritate in hac figura, nisi cū hoc quod accipimus affirmationē & negationē eandem, vt si dicamus, omnis scientia est studiosa, non omnis scientia est studiosa: aut accipiamus id quod est pars propositionis oppositarum, quæ est contenta sub loco propositionis eiusdem, cuius est pars, siue sit propositio affirmatiua, siue negatiua, vt si accipiamus loco huius, non omnis scientia est studiosa, dictum nostrum, medicina non est studiosa. Deinde adnectemus ei nulla scientia est studiosa, Quoniam nō est differentia inter hoc quod adnectamus eam causam propositione opposita eadem, aut cū ea quæ est contenta sub ea. Sed quoniam non accipiuntur propositiones secundum viam harum duarum formarū, non erunt quidem oppositæ, neq; erit vis earū vis oppositarum. Quia neq; in his quę opponuntur secundum contrarietatis, neq; in his quæ opponuntur secundū viam contradictionis. Hæc Commētator, quæ ideo adiecimus, vt ex ipsis deprehēderetur, quid probabilitatis cōplectantur ea quæ à nobis prius sunt dicta. Porro illud nullatenus est prætereundum, ex illis duabus literę particulis in secūdæ & tertiæ cōclusionū explicatione positis, (Eodē aūt modo si altera nō fuerit vniuersalis. Similiter & si altera nō fuerit vniuersalis) colligendū esse, in vtraq; figura & secunda & tertia sex modis posse ex oppositis constitui syllogismum, id quod licet in Boetiana versione inspicere, dum de secunda agit figura. Primo ex vniuersalibus

negatiua maiore & minore affirmatiua in Cesare & Felapton. Secundo cōtra, ex vniuersali-
bus maiore affirmatiua & negatiua minore in Camestres, modo secūdę figuræ. Tertio, maio
re vniuersali negatiua & minore particulari affirmatiua in Festino & Ferison. Quarto ediuer
so, Ex maiore particulari affirmatiua & minore vniuersali negatiua. Quinto ex maiore vni
uersali affirmatiua & minore particulari negatiua, vt in Baroco. Sexto, ex maiore particu-
lari negatiua & minore vniuersali affirmatiua, vt in Bocardo. Sed obijciet nō immeritò quis
piam, ex ijs quæ superiori libro sunt tradita, ac rationibus cōmonstrata, vtputa maiore parti
culari, siue affirmatiua siue negatiua, in secunda figura nihil syllogisticè colligi. Item & in ter
tia nō fieri syllogismū, existēte minore negatiua, aut vniuersali, aut particulari. Quāobrem in
dictis duabus figuris duntaxat quatuor erūt modi, quibus cōtinget ex oppositis confici syllo
gismū. Huic responsum fuerit, allatas regulas subsistere veritatemq; cōtinere, modò argumē
tetur à termino in præmissis indistributo ad eundē in collectione vniuersaliter sumptum. Id
quod nō contingit reperiri in ijs quæ per se sunt opposita. Nam cū in his idem de eodem nege
tur, indifferēs fuerit omnino, siue maiorē extrēmitatem à minore abstuleris, siue contra.

Petere quod in princi- pio.

In secundi tractatus primum caput, de principij petitione agens, adnotamentum.

Quid petere qđ est in principio.
Boetius.
Petitio prīcipij fit 4. modis.
Primus modus.
Secundus.
Tertius.
Quartus.
Textus.
Circa q̄ principia fieri potest petitio pricipij.
Petitio principij aliquādo implicita, aliquādo explicita.
Explicitè petere id quod est in principio.
Implicite.
Quid petere principiū

HOc secundo tractatu determinaturus Philosophus de quibusdam peccatis defectibusq;
syllogismorū, præsertim ijs, qui fieri habeant circa nonnullas syllogisandi facultates su
periori tractatu explicatas, orditur hoc in capite à principij petitione, cui locus apparet
esse in circulari syllogismo. Atq; in huius literæ frōtispitio hoc modo in summa ac generatim
hunc describit defectū. Petere quod in printipio, est non ostendere propositum, vel vt habet
Boetius, Principium petere est, quod in quæstione est non demonstrare, sed sumere. In defini
to per principiū intelligendum est principale porpositū quod probādum erat. Hoc autē qua
tuor modis petitur. Primo, quando omnino non syllogisatur, hoc est, quādo propositio ali-
qua demonstrabilis tanquā per se nota assumitur sine vlla probatione. Secundo, cū id quod
ad probandum assumitur, est ignotius proposito. Tertio, cum est æquè dubium aut ignotū.
Quarto, cū id quod prius est, per posterius probare contendimus, vt causam per effectum.
Nam licet interdum ab effectu ad causam apparēs, & quo ad nos sumatur probatio, de qua in
Topicis agitur: absolutè tamen & secundum naturæ ordinē, sicut hic loquimur, semper prin-
cipij petitio est. Post hæc in litera, ibi. Horum ergo nullum, & cæt. Docet Aristoteles, princi
pij petitionem non habere locū circa prima principia, quæ per se nota sunt, sed solum circa ea
quæ per alia probari debēt, quia dictio (Principium) in hac disputatione sumitur, pro eo quod
per aliud probandū est. quæ autem per se nota sunt, probatione non indigent. Nam quando
quis per se conatur ostendere quod non est per se notum, is petit quod est in principio, hoc aūt
duobus modis cōtingit, explicite & implicite. Explicite, vt quādo quis statim sine vlla ratioci
natione sumit quod probandū est. Verbi gratia, si quis aliquod demonstrabile in numerum
priorum principiorum retulerit, quod tanq; per se notum assumat, ad alia problemata mon-
stranda, quēadmodum refert Proclus fecisse Euclidem Megarensem, qui quartam & quintam
petitiones tanquam demonstrabiles posuit, quum tamen alioqui demonstrari possint. Im-
plicitè verò, vt quando ad aliquid probandum alia quidem assumuntur, sed quæ nata sunt
per ipsum ostendi, quemadmodum in secundo & quarto membro diuisionis superius positæ
contingit, vt si a ostendatur per b, & b per c, c autem natum sit ostendi per a, tunc si quis pri-
mum antecedens ad vltimum consequens referat, deprehendet a per semetipsum demonstra
ri, quasi per se notum esset. hoc autē est petere principium, per se ostendere quod non est per
se manifestum, sicut inferius dicit textus. Post hæc in litera, ibi. Si quis ergo maiore assum-
pta dubia, & cæt. Postquàm Aristoteles ostendit, in primo membro diuisionis superius positę
contineri manifestam ac explicitā principij petitionem. In secundo verò & quarto solum im
plicitā, aggreditur tertiū membrū, in quo licet difficile sit explicare, quomodo idē, per semet
ipsum ostēdatur, tamē semper manifestū est quòd nō demonstretur propositū, quia principiū
demōstrationis debet esse certius consequēte, ac proinde generaliter loquēdo semper principij
petitio est, sicut initio dicebatur. Si tamen maior sit æquè dubia cum conclusione, & medium
conuertatur cum minore extremitate, facile explicabitur, quomodo etiā in hoc tertio idē per
seipsum ostendetur, si quis in mentē reuocet, quæ de syllogismo circulari sunt dicta. Nam ma
ior ex conclusione & minoris conuertente monstrabitur, vt sit hic syllogismus, omnis volup-
tas est bonum, omnis delectatio est voluptas, ergo omnis delectatio est bonum. Ex conclusio
ne & minoris conuertente rursus per circulum inferetur propositio maior, hoc modo, omnis
delectatio est bonū, omnis voluptas est delectatio, ergo omnis voluptas est bonum. In quo
circulo

circulo si primum antecedens conferas cum postremo consequente, inuenies maiorem propositionem (videlicet, omnis voluptas est bonum) per semetipsam demonstrari. Similiter quando minor æquè dubia est cum conclusione. Si contingat medium conuerti cum maiore extremitate, tunc ex maioris cõuertente & conclusione pro minore, rursus circulo per semetipsam monstrabitur minor prioris syllogismi, vt omne bonum est appetendum, omnis voluptas est bonum, ergo omnis voluptas est appetenda. & rursus, Omne appetendum est bonum, omnis voluptas est appetenda, ergo omnis voluptas est bona. Idem quoque ostendi potest circa vtranq; præmissam in modis affirmatiuis secundæ & tertiæ figuræ: Dico affirmatiuis, quia in negatiuis ea præmissa quæ affirmatiua est, non potest ostendi ex conclusione & conuertente alterius præmissæ; quia tunc ambæ præmissæ essent negatiuæ, inferreturq; affirmatio ex negationibus, quod est impossibile. Hic disputant quidam, verũ petitio principij sit vitium syllogismi simpliciter dicti, an potius syllogismi demonstratiui, aut dialectici. Cuius solutionẽ satis indicat Aristoteles in fine textus, quòd petitio principij secundum veritatem (de qua hic agitur) sit demonstrationis vitium. Petitio verò principij secundum apparentiam, de qua in octauo Topicorum, est vitium syllogismi dialectici.

Disputatio.

Solutio.

In secundum caput, quod pertractat de secundo syllogismorum defectu.

Contingit & aliquádo.

SEcundus syllogismorum defectus est, Non propter hoc accidere falsum. Tunc autem dicitur non propter hoc accidere falsum, quando facta aliqua hypothesi, quæ nihil facit ad inferendam conclusionem, ex alijs duabus iunctis præmissis infertur conclusio falsa, ex qua fit regressus ad interimendã hypothesim, qua sublata & nulla alia in loco eius posita, nihilominus sequebatur conclusio falsa. Verbi gratia, Dicat aliquis omnẽ coruũ esse nigrũ, quod si quis abneget, sumatur eius cõtradictoria pro hypothesi, videlicet aliquis coruus nõ est niger, ex qua sic instituatur syllogismus ad impossibile, Aliquis coruus non est niger, omne volatile est albũ, & omnis coruus est volatilis, ergo omnis coruus est albus: cõclusio est impossibilis, ergo etiã hypothesis, aliquis coruus non est niger: Dicet itaq; respondens, falsam quidem esse conclusionem, sed eam non sequi propter dictã suppositionẽ. Ex quo patet, quòd hic defectus potissimùm inueniatur in ijs syllogismis qui videntur propositionem aliquam monstrare deductione ad impossibile, quamuis re vera non monstrent. quia in syllogismo ad impossibile fit regressus ad interimendam hypothesim, propter quã re vera falsum accidebat, & qua sublata nõ amplius falsum accidet. hic verò fit regressus ad interimendã eã hypothesim propter quã non accidebat falsum, & qua sublata nihilominus accidet falsum. Habet ergo textus iuxta Boetium (nam noster videtur esse imperfectior) Non propter hoc accidere falsum est, cum ad contradictionem fuerit eius, quod deductione ad impossibile monstrabatur, id est, cum ex conclusionis falsitate fit regressus ad interimendam contradictoriam eius propositionis negatæ, quam opponens conatur monstrare deductione ad impossibile, quanquam non monstret. quia sophisticè agit. Sequitur in textu iuxta Boetium. Nam neq; qui nõ contradicit, dicit nõ propter hoc, sed qui qđ falsum aliquid prius positorũ sit, dicit. Neq; q id in ostensiua facit &c. Cuius sensus est, q quando nulla facta hypothesi ex præmissis infertur falsum, tunc non est dicendum quòd conclusio accidit, nõ propter hoc. sed dicendum est q accidat, quia aliquid prius positorum est falsum, id est, quia aliqua præmissa prius posita falsa est. Similiter etiã in syllogismo ostensiuo nunq̃ dicitur conclusio falsa non propter hoc accidere, quia nulla facta est hypothesis, ad quã interimendam fiat regressio. Deinde etiam si contingat, syllogismo ostensiuo propositionem aliquã interimi, tamen nulla præmissa superest qua sublata manet syllogismus integer, & ideò relinquitur q iste defectus solũ inuenitur in syllogismo qui habet speciem syllogismi ad impossibile. Post hæc in litera, ibi. Manifestissimus ergo modus est &c. duos proponit Philosophus modos, quibus contingit nõ propter hoc falsum accidere. Prior prorsus est manifestus, dum coassumpta hypothesis nullo eodem participat termino, ex quo constituitur syllogismus. In huius autem modi declaratione, per Topica accipies locos sophisticos. Nam in Elenchorum duntaxat libro, de non causa vt causa agitur, cuius rei hæc litera meminit, non autem fallaciæ secundum non causam vt causam. Alter modus non manifestus est, cum videlicet id quod syllogismo falsum esse colligitur, cum hypothesi in aliquo termino communicat, id quod dupliciter accidit. Primò, dum sub hypothesis subiecto subsumitur. Secundò, dum supra eiusdem prædicatum aliud sumitur. Exempli gratia, sub hypothesis subiecto subsumendo, sit a animal, b homo, c planta, d pyrus, constituetur in Barbara hic syllogismus, Omnis homo est animal, omnis planta est homo, & oĩs pyrus planta est, est igitur oĩs pyrus homo, conclusio falsa est atq; impossibilis, igitur & illa hypothesis, omnis

Quid sit nõ propter hoc accidere falsum.

Boetius.

In q syllogismo inueniatur iste defectus.


Huius defectus duo modi.

Prior.


Posterior.

 homo

homo est animal. Supra verò prædicatū sumendo, sit b homo, a animal, c planta, f insensibile, penes priorē anteprædicamentalem regulam procreabitur hęc ratiocinatio, Omnis homo est animal, omne animal est planta, omnis planta est insensibilis, est igitur omne animal insensibile. conclusio falsa est, igitur & falsitati subiacet ea hypothesis, quæ dicit, omnem hominem esse animal. Quod si in priori exēplo a de d, id est, animal de pyro concluseris, & in vniuersum hypothesis prędicatū de minore extremitate, & in posteriori f insensibile de b homine seu vltimum prædicatum de primo subiecto, non continget non propter hoc accidere falsum. Atq; id est, quod in litera dicitur, ibi. Si autem impossibile conclusum ad terminos hypothesis copulatur, propter ipsam falsum accidit. Porro illius exempli in calce solutionis ad subiectam obiectionē positi, vt parallelas concurrere & cæt. hæc est declaratio. Esto interior angulus, c a b, exterior verò a b d. & sit a b d minor, & positæ sint lineæ g c & d e parallelæ. Quia per 13. primi elementorū Euclidis, a b d, & a b e æquātur duobus rectis, similiter per eandē c a b & b a g. Et per hypothesim c a b, maior est a b d, ergo c a b & a b e simul maiores duobus rectis. Et hæc iusta est demonstratio, Quòd si dixerint æquales simul duobus rectis, argumentetur, c a b & a b e simul æqui sunt duobus rectis. Et similiter a b d & a b e simul. Per cōmunem igitur conceptū, si ab illis æqualibus idem cōmune demātur a b e, relinquūtur æqualia. Atqui relinquuntur anguli c a b & a b d. Sunt igitur illi anguli æquales. Hoc autē est contra hypothesim. Et hæc monstratio ad impossibile est. Sunt igitur c a b & a b e maiores duobus rectis, Quare b a g & a b d residui quatuor rectorum, minores sunt duobus rectis. Per postulatū igitur, si linea recta super duas lineas rectas ceciderit, duoq; anguli ex vna parte duobus rectis angulis minores fuerint, istas duas lineas in eandem partē protractas procul dubio cōiunctim iri. lineæ igitur g c & d e, quæ positæ sunt parallelæ, concurrent ad partē g, quod est impossibile.



De triangulo aūt, Esto a b f triangulus constitutus inter parallelas g c & d e. Et sint tres eius anguli a b f, b f a, f a b, maiores duobus rectis, si possibile est. Cum angulus g a b exterior, per primā partem 32. primi æquetur duobus intrinsecis a b f & b f a sibi oppositis, & f a b æquetur a b d per 29. primi, quia sunt coalterni. Erunt igitur a b f, b f a & f a b, æquales duobus g a b & a b d. Sed tres anguli a b f, b f a & f a b per hypothesim maiores sunt duobus rectis. Quare & g a b & a b d simul maiores, duobus rectis. Cum igitur quatuor anguli g a b, b a c, a b d, a b e per 13. bis sumptam, sint quatuor recti, demptis igitur ab illis quatuor rectis, duobus g a b & a b d maioribus duobus rectis, reliqui duo ex eadem parte b a c & a b e minores sunt duobus rectis. Per prædictum igitur postulatum, lineæ g c & d e concurrent, sic igitur ex vtraq; hypothesi geometricè effectū est, quod astruebat Aristoteles.



 Hæc ex Fabri annotatione adiecimus, propter eos qui geometricis gaudent oblectāturq;. Cæterùm quæ in litera sequuntur, haud difficile intelliguntur, præter illud in calce positum. Nam eadem erit definitio & syllogismi & elenchi, hoc est, eadem erit vtriusq; determinatio. Nam eisdem modis monstratur nō esse elenchus, quibus ostenditur non esse syllogismus. Nempe si vtraq; præmissæ fuerint negatiuæ, aut earum neutra vniuersalis fuerit. Est autē elenchus, redargutionis syllogismus. Et quia maximè redarguimus concludendo propositi contradictorium, ideò definiri solet elenchus, quòd sit contradictionis syllogismus. Redarguere etiam solemus per contrarium. Nam si concludimus contrarium, & propositū falsum esse necesse est. Ideò elenchus duas videtur habere species. Primam, qua syllogismo redarguimus colligendo contradictorium. Secundā, qua redarguimus colligēdo cōcludendoq; contrariū. Pro prima specie definiri solet, quod frequentius accidere soleat. Secunda rarentius. ἔλεγχος tamen id significat, quod redargutio & argumentum, ἀπὸ τοῦ ἐλέγχω, quod redarguo & arguo significat.

Accidit aūt quādoq;.

In tertium caput secundi tractatus, quod de tertio syllogismorum defectu pertractat, adnotatio.

HOc tertio capite explicatur tertius syllogismorū defectus, qui est fallacia secundum opinionē, in quo ostenditur, quomodo contingit & non contingit opinari contraria secundum formā, hoc est, propositiones contrarias vel contradictorias. & postea in fine contraria secundum materiam, id est, contraria prædicata de se inuicem, vel eodem tertio prædicari. Sed priusquàm ad ipsius contextus interpretationem perueniamus, operæ precium videtur, generalia quædam veluti principia præmittere, sine quorum cognitione nequaquam possunt quæ hic traduntur plenè percipi. Sunt igitur in primis describendi nobis nonnulli termini, quibus hoc toto capite præcipuè vtitur Aristoteles, videlicet, scientia, ignorantia, opinio, fallacia. Nam reliqui ad hoc negotium spectantes ijdem sunt cū aliquo horū quatuor, vt putare & existimare idem sunt quod opinari, & decipi idem quod falli. Nomen

Scientia.

Scientia non sumitur hic propriè, vt in libris Posteriorum (tametsi in nonnullis locis hæc significatio non malè congrueret, sed communiter pro quauis notitia iudicatiua vera, siue firma, vel euidens fuerit, siue non. Nam & opinio vera dicitur hic scientia. Neq; de hac, omnis cygnus est albus (cuius in litera mentio fit) haberi potest scientia propriè dicta. Scit ergo quis in præsentia propositionem aliquam, quum eam iudicat verā esse, quæ re ipsa talis est.

Ignorantia.

Ignorantia autem non accipitur pro priuatione scientiæ, sed praua dispositione, quæ est dissensus propositionis veræ: aut si magis placet, assensus falsæ propositionis, quæ contraria est vel contradictoria veræ: aut certè eiusmodi, vt ad eam sequatur oppositum veræ propositionis. Vt qui iudicat, nullum cygnum esse album, is ignorat omnem & aliquem cygnum esse album. Et qui opinatur hanc mulam esse fœtam, ignorat hanc mulam esse sterilem.

Opinio.

Opinio aūt hoc loco vocatur quiuis assensus seu iudicium, quo iudicat quis propositionem veram esse, siue re ipsa talis fuerit, siue minus. Opinari ergo propositionem, est ei assentire.

Fallacia.

Fallacia autem siue deceptio, nihil aliud est, quàm error, siue falsus assensus. Vt iudicium, quo quis iudicat, hanc mulam esse fœtam, fallacia est atq; deceptio. Opinio ergo communior est scientia, ignorantia, & fallacia, seu deceptione. Ignorantia verò & fallacia reuera idem sunt, sed aliud & aliud videntur respicere. Est enim ipsa, assensus falsæ propositionis. Ignorantia aūt, licet sit assensus falsi, etiam respicit propositionē veram, contrariam vel contradictoriam falsæ, quæ vera iudicatur. Qui enim opinatur hanc mulam esse fœcundam, non dicitur illam propositionē ignorare, sed hanc potius, hæc mula est sterilis, quæ illi virtute contradicit.

Scientia duplex. Scientia in actu. Scientia in habitu.

Secundò præmittendum, duplicem distingui scientiam alicuius propositionis. Vnam actualem, quæ est operatio quædam intellectus, qua quis actu propositioni conceptę & veræ assentitur. Alteram habitualem, quæ nihil aliud est, quàm habitus, quo promptus redditur intellectus, ad assentiendū alicui propositioni veræ. Et hic etiam in dormiente permanet.

Scientia in particulari.

Rursum vtrâq; scientia dupliciter dicitur quis aliquid scire. Nam aut in particulari, quod vocat Philosophuss scire simpliciter & propriè, siue in forma propria, aut scire in vniuersali, siue vniuersali scientia. Id scitur in particulari, quod est immediatum scientiæ obiectum. Vt hæc propositio, Socrates est risibilis, scitur in particulari seu propria forma, quando de ipsamet secundum conceptus terminorum in ea positorū, habetur cognitio vel actualis vel habitualis.

Scientia in vniuersali.

Sed in vniuersali id sciri dicitur, quod tanq; minus cōmune potest inferri ex alia propositione scita in particulari. Vt cognoscēs in propria forma omnem hominē esse risibilem, habet scientiam in vniuersali de hac, Socrates est risibilis. Scit enim hanc non in se, sed in sua vniuersali, ex qua cōsequitur, supposita saltem constantia subiecti. Similiter habens propriam cognitionem huius, nullum animal est insensibile, in vniuersali nouit omnes istas, nullus homo est insensibilis, nullus equus insensibilis est, Socrates non est insensibilis, & alias infinitas. Ex his patet, eandem scientiam dici posse vniuersalem & particularem comparatione diuersarū propositionum. Similem distinctionē duplicem subeunt etiam ignorantia, seu deceptio, & opinio, &c. Vt decipitur quis in actu vel in habitu. Item in vniuersali vel in particulari.

Scientia & ignorātia, quādo sunt inter se cōtraria.

Porrò inter has scientias & ignorātias, cōtrariæ, id est, eidem intellectui simul inesse non potētes, sunt solùm scire aliquid actu in particulari, & idem ignorare actu in particulari. Item, Scire habitu in particulari, & habitu ignorare in particulari. Non aūt contrariæ seu repugnantes sunt scientia & ignorantia eiusdem in vniuersali, siue ambæ sint habitus, siue ambæ actus, nisi ad idem vniuersale, hoc est, eandem vniuersalem propositionem propriè scitam & ignoratam, relatio fiat. Nam qui assentitur his duabus, omne animal est corpus, & nullum album est corpus, scit & ignorat in vniuersali, sed non eodem, hanc, omnis cygnus est albus. Post hæc præmittenda nobis est declaratio maximæ illius seu sententiæ in fine huius capitis positæ, & qua per totum ferè decursum textus vtitur. Cognitis præmissis, necesse est conclusionem quoq; cognitam esse. Limitatur hæc in primis ab ipso Aristotele hoc additamento, modò præmissæ ipsæ pertractentur, & comparentur inter se, consideretur q; subsumptio minoris sub maiore. Id quod non tantùm in imperfectis syllogismis intelligendum est, verùm etiam perfectis. Tali vtitur Aristoteles, dum hoc insinuat. Secundò limitanda est, modò quis aduertat circa conclusionem inferēdam, & sciat consequentiam bonam esse. Si enim de consequentiæ bonitate dubitaret cognitis ambabus præmissis, non assentiretur tamen cōclusioni. Verùm quia Aristoteles vtitur ferè syllogismis primæ figuræ, qui sunt euidentes, ideo hanc restrictionem fortassis omisit. His igitur obseruatis, ab omnibus conceditur, q cognitis seu opinatis præmissis, necessarium est quoq; cōclusionem cognitam esse, & opinatam. Est enim assensus præmissarum inter se pertractatarū, vnà cum attentione bonitatis consequentiæ, necessaria & naturalis causa efficiens assensus

 conclu-

conclusionis, sicut ignis est causa caloris. Arbitratur tamen quidam fieri posse, vt intellectus alicuius assentiat præmissis, & bonitati consequentiæ, sine assensu conclusionis, propter maiorem apparentiam quam habet de opposito talis conclusionis, quæ quidem maior apparentia, seu firmior assensus oppositi, tanquam fortior impediet priores causas, ne suum effectum huic contrarium producant in eodem subiecto. Et deducit rem huiuscemodi exemplo. Sit a linea modico maior quàm sit b, & adeò modico, vt imperceptibilis sit excessus, & similiter b imperceptibiliter maior quàm c, sit tamē a perceptibiliter maior quàm c, & hoc aduertat intuens. Tum fiat hic syllogismus, Quæcunq; sunt æqualia vni tertio, sunt inter se æqualia, a & c sunt æqualia vni tertio, nempè b, ergo & a & c sunt inter se æqualia. Hic maior propositio est per se nota, & minor ponitur per sensum patère, & consequentia euidens est, nec tamen sequitur assensus conclusionis, quia per sensum iudicatur euidenter, oppositum esse verum. Ad istud dici potest, ꝙ intellectus incipiens aduertere consequentiam esse bonam, incipiet statim dubitare de antecedente, an totum sit verum, & ita nunquam simul assentiet vtriq; præmissæ cum bonitate consequentiæ, quin & conclusioni assentiatur. Iam verò, vt omnia euadant magis perspicua, quid sit hic defectus, quo de præsentis capitis tractatio est, & circa quam potestatem syllogismorū fieri habeat, breuiter pręmittemus. Vocatur ergo fallacia secundum opinionē, aut fallacia contrarię opinionis. Nam & si etiam circa contradictoria versetur, hæc tamen in contrariis continentur, non econtrariò. Huiusmodi aūt fallacia contrarię opinionis, si considerētur attentè quæ hic tradit Aristoteles, nihil aliud esse videtur, quàm falsus assensus duorum contrariorum, vel contradictoriorū, amborū. in vniuersali, aut vnius in vniuersali & alterius in propria forma, vt assensus harum duarum in propria forma, omne animal est corpus, & nullum album est corpus, qui est istarū in vniuersali, omnis cygnus est corpus, & nullus cygnus est corpus, quæ sunt formaliter cōtrariæ, nec non harū, omnis cygnus est corpus, & aliquis cygnus non est corpus, quæ sunt cōtradictoriæ. Item assensus harum in propria forma, omnis mula est sterilis, & hęc mula est fœta, secundum quem assentitur quis duobus quodammodo cōtradictoriis, vni in propria forma, & alteri in vniuersali. Et videtur hæc fallacia vnicum esse iudicium, & simplex, quo iudicat quis, propositiones illas esse simul veras, aut copulatiuam ex eis constantē veram esse, quod quidē iudicium falsum est, non propter scientiam, sed opinionē falsam, quam virtute includit, hincq; dicta est fallacia secundum, hoc est, propter opinionē scilicet falsam. (Neq; enim quælibet opinio falsitatē inuoluit) vel fallaciæ contrariæ opinionis, seu contrariarū & repugnantium opinionum. Ex pręmissis patet, ꝙ & si voce possint admitti à quopiam cōtraria vel contradictoria etiam in propria forma, quia tamen id mente nequaq; fieri potest (vt alibi ex Aristotele adductum fuit) non poterit contingere hæc fallacia secundum opinionē circa ipsa sumpta in propria forma. Insuper, quamuis ea vniuersalia, ratione quorū in vniuersali dicuntur cognosci contraria vel cōtradictoria formaliter, possint illata esse ex aliis cōmunioribus, vt hæ, omne animal est substantia, & nullum brutum est substantia, ex istis, omne corpus est substantia, nullum viuens est substantia, circa tamen ipsa quatenus conclusa sunt, non est hæc fallacia, sed in quantum possunt inferre, atque virtute continent in se contraria vel contradictoria simpliciter. Restat, vt dicamus, cur huiuscemodi fallacia, defectus vocetur syllogismorū. Plærisq; videtur ipsam defectū esse syllogismorū, non tanq; subiectorū, seu eorum per quę & in quibus accideret, sed potius vt signorū quorundam arguentium talem defectum. Constitutis enim syllogismis ex illis vniuersalibus, in quibus opinabatur quis contraria vel contradictoria tanquā in vniuersali, concluduntur apertè talia opposita in propria forma, quibus cum nemo queat præbere assensum, videatq; quilibet cōsequētiam euidentē, & minores propositiones subsumptas veras esse, statim agnoscet sese fuisse deceptū, & ab errore suo resiliet, alterā illarū vniuersalium propositionū refutando. Ab aliis dicitur hic defectus esse syllogismi simpliciter dicti, & locū habere in syllogismo ex oppositis. Sed nos priori sententiæ magis accedimus. Quibus ita prælibatis, textum ipsum Aristotelis explicare aggedimur. Id quod initio dicitur, Quemadmodum in positione terminorū fallebamur, &c. autore Alberto referendum est ad præcedentē syllogismorū defectum, videlicet non propter hoc accidere falsum. Quemadmodum enim ibi decipitur quis, propter positionem eiusdem termini positi in altera præmissarū, & hypothesi coassumpta, sic etiam accidit quandoq; fieri deceptionē propter opinionem, qua quis contrariis vel contradictoriis virtute atq; in vniuersali assentitur. Quod sequitur, Eiusdem secundum idem habebit, &c. hanc habet sententiam, Si quis opinetur simul quatuor propositiones in litera præmissas, quæ sunt præmissæ duorum syllogismorum contraria concludentium, accedentibus illis,

Quid sit fallacia cōtrariæ opinionis.

Cur hæc fallacia dicatur syllogismorum defectus, quorundā opinio.

illis, quæ in explicatione cuiusdam maximæ statim à nobis dicebantur, is simul habebit sciẽtiam & ignorantiam particularem eiusdem subiecti, comparati ad idem prædicatum. Sed an hoc quod supponitur in conditionali fieri possit, paulò post definietur. In eo quod subiungitur, Rursum si quis fallatur circa media, &c. Media eiusdem coniugationis intelliguntur, quæ inter proposita extrema habent se vt superius & inferius, vt datis extremis cygnus & substantia, media eiusdem coniugationis sunt animal & corpus. Diuersæ verò coniugationis sunt animal & album. Et complenda est orationis periodus subintellectione huius (continget hæc secundum opinionẽ fallacia) vel similis cuiuspiam proposito congruentis. Et illud mox subiunctum, Simul enim sciet aliquo modo, &c. sic explicabitur, Simul enim sciet, seu scire poterit, omnem cygnum esse corpus, in illa vniuersali, omne animal est corpus, & pariter omnino, hoc est, in propria forma existimabit nullum cygnum esse corpus, si scilicet sub maiore illa, nullum brutum est corpus, subsumpserit & simul opinatus fuerit hanc minorẽ, omnis cygnus est brutum: hoc autem, videlicet omnẽ cygnum esse corpus, & nullum cygnum esse corpus est impossibile, quare deceptus fuit talis opinator. Vndè patet relatiuum quod, quum in litera dicitur, quod est impossibile, non referendum esse ad scire in vniuersali, & existimare in particulari duo illa repugnantia. Nam hoc non impossibile esse constat ex dictis, sed ad copulatiuam ex his ipsis compositam. Quòd si quis cum altera etiam opinata propositione, quę in textu ponitur, nempè omne animal est corpus, simul opinatus fuerit minorẽ subsumptam istam, omnis cygnus est animal, habebit eiusdem secundum idem scientiam & ignorantiam, non aliter quàm in præcedenti exemplo, in quo media diuersarũ fuerant coniugationum. Et sicut hic sub vna tantùm propositione vniuersali opinata, facta subsumptione, accidet idem sciri in vniuersali, & ignorari in particulari, ita & illic fieri poterat, quare non alio different huiusmodi exempla: quanquam hoc eiusdem, illud verò diuersarũ coniugationum media obtineat, quodq; in vno expressum in altero similiter relictum sit intelligendum. Quia verò sub conditione prius locutus fuerat de assensibus præmissarũ in diuersis syllogismis opposita concludentibus, ideo mox ibi, In his aũt quæ dicta, &c. apertè id explicans & determinans, dicit, non posse fieri, vt quis simul opinetur ambas præmissas duorum syllogismorũ contraria vel contradictoria concludentium, seruatis iis quæ superius tradita sunt in præmissis. Nam alioqui accideret, eundem simul huiusmodi oppositis assentiri, quod est prorsus impossibile, vt patet ex dictis. Hanc probationẽ, quæ est præcipua, & statim obuia, omisit Aristoteles, aliam quandam adducens, quum ait, Sic enim accideret simul opinari maiorem scilicet prioris syllogismi, quæ est, omne animal est corpus, & eius contradictoriam vel contrariam, quod quidem disiunctum veritatem continet pro secunda parte. Nam cõtradictoriam dictæ maioris opinabitur per hunc syllogismum in Felapton, constantẽ ex minore prioris syllogismi, & posterioris conclusione, nullus cygnus est corpus, omnis cygnus est animal, ergo aliquod animal non est corpus, Et hic intelligendum est, modò is aduertat illationẽ huiusmodi, &c. Simili modo ex maiore secundi syllogismi, & conclusione prioris, concludere licebit contrarium minoris prioris syllogismi in Celare, Vt nullum album est corpus, & omnis cygnus est corpus, ergo nullus cygnus est albus, quanq̃ huius omnino non meminit Aristoteles. Ideo aũt dixit concludendam esse cõtrariam vel cõtradictoriam maioris alterius syllogismi, quia hæc fallacia tantùm in maioribus ipsius consistit, non in minoribus, quæ simul sunt veræ. Sed quare nominauit contrariam vel cõtradictoriam, quum de sola contradictoria verum sit, quod ab ipso dicitur, fortasse quia nonnunq; ex præmissis modi Felapton, quamuis non formaliter, licet vniuersalem propositionẽ concludere per syllogismum, qui dicitur secundum æqualitatẽ in subiectis, quãdo medium est cõuertibile cum minore extremitate. Et poterit exemplũ huius accipi, si in exemplo literæ loco animalis, quod medium est primi syllogismi, & medium tertij, sumpseris animal cantillans suauiter appropinquante morte, quod dicitur esse proprium cygni, de quo & Martialis,

Dulcia defectâ modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Deinde ibi, Contingit aũt vtriusq; alteram, &c. declarat tandem, quomodo cõtingat hanc fallaciam fieri, intelligens per alteram & vnam, non minorem propositionem, sed maiorem ipsam. Alioqui enim non verum erit quod sequitur, Nam sic fiet fallacia, &c. Potest enim quis extra omnem fallaciam & deceptionem assentiri ambabus præmissis prioris syllogismi, & minori posterioris, quippè cùm omnes hæ sint veræ. Illud autem posse fieri, vt sic decipiamur, manifestat Philosophus ex eo, quòd possibile est quempiam falli circa aliquid in particulari, quod tamen optimè nouit in vniuersali. Et est exemplum mathematicum de propria scientia

Quæ sint eiusdem cõiugationis media, & quæ diuersarũ coniugationum.

An omnis scientia dicẽda sit reminiscentia

nifcentia, quẽadmodũ arbitratus eſt Plato cũ Socrate.

entia huius, Omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales, qua in vniuerſali ſcitur hic triangulus habere tres angulos æquales duobus rectis, quem tamẽ fortè ignoramus in propria tres angulos duobus rectis æquos habere, eò ꝙ putamus eius tres angulos maiores eſſe vel minores duobus rectis, Vt ſi conſtet ex vno angulo obtuſo, qui maior eſt recto, & duobus acutis, quos ſimul ſumptos putamus vnum rectum valere, aut ſi cõſtet ex tribus acutis, & putemus horum duos tantùm æquare vnum rectum. De hac re alibi copioſius eſt tractandum. Poſt hæc per digreſſionẽ quandam reprehendit Philoſophus, & ſoluit rationẽ Platonis in Menone (dialogus eſt ſic ab interloquente perſona dictus) qua oſtendere conatur, omnem ſcientiam eſſe reminiſcẽtiam, nihilq; recens à nobis ſciri, quod nõ ante diu fuerit cognitũ. Eam hoc modo ſolent proponere. Quicquid addiſcitur & prius ſciebatur, id per reminiſcẽtiam cognoſcitur, ſed omne quod addiſcitur tale eſt vt prius fuerit ſcitũ, ergo quicquid addiſcitur, reminiſcẽdo cognoſcitur. Quare omnis noſtra ſcientia ſeu diſciplina, nihil eſt aliud, q̃ præcognitorũ reminiſcentia. Minor hoc pacto docetur, Vt qui diſcit & ſciturus eſt, ꝙ hic triangulus habeat tres angulos duobus rectis æquales, tali id aſſequitur ſyllogiſmo, omnis triangulus habet tres angulos, &c̃. ſed hic triangulus eſt triangulus, ergo hic triangulus habet tres angulos &c̃. hac aũt cõcluſione nihil noui videtur addidiciſſe, quod prius non cognouerit. Nam hunc triangulum habere, &c̃. non potuit latere eum, qui omnẽ triangulũ pręſciuit tres angulos, &c̃. Atq; ita arbitratur Plato, ſingularẽ ſcientiam habitã de concluſione, eſſe verã reminiſcẽtiam. Sed multũ aberrat à verò, Nam reminiſcentia dicitur iterata ſcientia illius quod prius cognitum fuit in propria forma, non aũt eius, quod duntaxat in vniuerſali, aut virtute quadam, in ſua cauſa vel antecedẽte cognoſcebatur, niſi abutẽdo nomine reminiſcẽtiæ. Iam non oportet eum qui vniuerſalem maiorem propriè cognoſcit, concluſionem quoq; ex illa conſequentẽ in propria cognoſcere forma. quum poſſit ipſum, quod huius ſubiecto ſignificatur neſcire eſſe, aut ſi ſciat eſſe, non tamẽ actu ſcire, ipſum ſub medio cõprehendi, quod vbi cognouerit, & ſimul maiori aſſenſus fuerit, tum eius propriam notitiam accipiet, veluti reminiſcẽs, id eſt, quodam modo & impropriè reminiſcens, quum cognoſcat iam propriè & per ſe, quod præſciuit ſolùm in vniuerſali. In eo quod paulò pòſt dicitur in litera, Verùm non cõtrariè, ſed ſcire quidem, &c. Quid ſit ſcire & ignorare contrariè, colligendum eſt ex præmiſſis in initio huius adnotationis. Illic enim determinatum eſt, quæ ſcientia, cui ſit ignorantiæ contraria atq; repugnans. Et quod continuè connectitur, Non enim contraria eſt deceptio, &c. ſic legitur in alia translatione, Non enim cõtraria, quæ eſt ſecundum medium, ei quæ eſt ſecundum ſyllogiſmũ diſciplinæ, nec quæ eſt ſecundum vtrumq; mediorũ opinatio, ſupple, contraria eſt diſciplinæ, quæ eſt per ſyllogiſmũ. Vbi per vnum medium intelligimus vnam pręmiſſarũ, & per vtrumque mediorũ, ambas præmiſſas. Quocirca deceptio, ſecundum vnum medium, erit error ſeu falſus aſſenſus propter vnam præmiſſam, vt omne animal habẽs prętumidũ ventrem eſt fœcundũ, ſeu fœtum, ergo hæc mula, cuius venter prætumidus eſt, fœcunda eſt. Deceptio verò ſecundũ vtrumq; mediorũ eſt, quę fit per ambas pręmiſſas, vt omne animal geſtans vterũ tumidum eſt fœcundũ, hæc mula eſt animal geſtans vterũ tumidũ, ergo hæc mula eſt fœcunda. Per eam diſciplinã ſeu ſcientiam aũt, quæ ſecundum ſyllogiſmũ eſt, intelligitur vera cognitio ſeu aſſenſus præmiſſarũ ſyllogiſmi, concludentis contradictorium vel contrarium formaliter, vel virtute eius de quo deceptio per vnum vel vtrumque medium habebatur, huic planè conſonat declaratio ſubiuncta, Nihil namq; prohibet, eum, &c. Ex qua manifeſtè datur intelligi, poſſe aliquem opinari ſimul ambas præmiſſas duorum ſyllogiſmorũ, oppoſita etiam ſecundum formã concludentium euidenter, modò alteras ad inuicem non cõparauerit, aduertens firmam earum connexionẽ ad inferendam huiuſmodi concluſionẽ, Omnem mulam eſſe ſterilem (cuius propoſitionis frequens eſt hic mentio) quæ, excepto ꝙ per inductionẽ palàm ſit, hac etiam ratione ſuaderi poteſt, Omne animal quod ex diuerſorũ generũ cõmixtione natum eſt tertij generis, eſt ſterile, & omnis mula eſt animal, quod ex diuerſis generibus, videlicet aſino & equa progenitũ eſt tertij generis ſeu ſpeciei, igitur omnis mula ſterilis eſt. Illius autem ſententiæ ſeu vniuerſalis propoſitionis, Nullum ſenſibilium cum extra, &c. qua conatur veriſimile reddere quod præceſſit, nimirum fieri, vt nonnunquam vniuerſale ſciamus, particulare ignorantes, variæ dari ſolent expoſitiones. Nos vna contenti erimus, quæ tradit, nullum ſenſibile ſingulare à nobis ſciri certò & euidenter, ſeu intuitiuè ſecundum actum, & in propria forma, quando abeſt à ſenſu, hoc eſt, quando illud non percipitur vllo ſenſuum exteriorũ, Vt parietem, quem heri videbas album, & nunc non vides, non potes nunc euidenter & certo ſcire eſſe album, quia potuit interea eſſe deſtructus, & non extare, & ſic de aliis.

Quid ſit in litera deceptio ſecundum mediũ & ſecundũ vtrunque.

aliis. Quia igitur de absente singulari huiusmodi, non possimus certam & euidentem habere cognitionem, haud difficulter euenire poterit, vt circa ea singularia decipiamur, retinētes tamen interim vniuersalem scientiam in actu, secundum quam eadem scienius, sed non in propria forma, aut propriam eorundē scientiam secundum habitū. Et hæc vt fiant apertiora, minusq; lectorē perturbent, distinguit Aristoteles triplicem scientiam, ac etiam ignorātiam alicuius. Vna est vniuersalis & habitualis. Alia habitualis est, & propria. Tertia actualis, quę etiam in vniuersalem & propriam similiter subdiuiditur. Sed hæc cum iis quæ statim sequuntur ex supradictis facilem intelligētiam habent. Ostenso hactenus qualiter fiat fallacia secundum opinionē in contrariis seu contradictoriis complexis, & secundum formam, declarat in fine huius capitis, quomodo contingat vel non contingat decipi, circa contraria materialia, ac incomplexa, docēs prius fieri non posse, vt quis assentiatur propositioni, in qua vnum contrarium de altero prædicatur, sicut nec illi, in qua ambo eidem singulari simul attribuuntur. Quum enim ad contraria certum sit naturali saltem necessitate sequi cōtradictoria, & ad horum prædicationē de eodem consequantur propositiones formaliter contradictoriæ, necesse esset, aliquem huiusmodi oppositis simul posse assentiri. Dicit ergo Aristoteles, Qui opinatur bonum esse malum, id est, si quis opinetur bonum esse malum, is opinabitur, q idem scilicet bonum, (vt ipsemet pōst exprimit) sit bonum & malum. In primis opinatur bonum esse malum ex suppositione, & ex syllogismo facto secundum primam regulam antepræd icamentalem, opinabitur bonum esse bonum hoc pacto, Bonum est malum ex suppositione, & per conuersionem simplicem, idem malum est bonum, ergo bonum est bonum. Et quia verificatio consequentis fieri debet pro eodem bono, pro quo verificabatur maior, sequitur quòd idem bonum sit malum & bonum, quod est contraria dici de eodem, non tantùm cōmuni, sed singulari. In dicto syllogismo Aristotelis maluimus medio in secūda propositione addere relatiuum identitatis, quàm (vt alii) signum vniuersale, eò q concedenti bonum esse malum, necessariò fatendum sit per conuersionē, q idem malum sit bonum, non aūt q omne malum bonum sit. Postremò ibi, Sed fortassè non contingit, &c. insinuat quomodo possumus vnum contrarium de altero opinari, nimirum per accidens, & nō per se. Ait enim, Sed fortasse non contingit opinari, malum esse bonū, nisi secundum accidens. Quod declarans subiungit, Multipliciter enim hoc, supple malum esse bonum contingit opinari, sed id alibi diligētius est inquirendum, hoc est, in Ethicis, vbi exactius oportet inuestigare naturam boni & mali. Particulam illam, Per accidens, & (quæ sub hac intelligenda est) Per se, inuenimus à nonnullis addi bono & malo, volentibus bonū per se esse, id quod semper, aut vt in plurimum est bonum, vt virtus, scientia, membrorū conseruatio, &c. Id aūt per accidens bonum, quod tantùm bonum est in quodam casu seu euentu, vt resectio membri alicuius, propter salutē totius corporis facta. Malum per se dicunt, quod secundum se semper est malum, aut vt plurimum, vt resectio membrorū, proiectio mercium in mare. Et malum per accidens, quod tantùm in casu malum est, vt reddere alicui quod suum est, si id sit gladius, quo verisimile est ipsum mox scelus perpetraturū. Item seruare fratrem in vita malum est, si quis in eo casu sit, vt si fratrem seruet, non possit patrem eādem necessitate pressum seruare. Qui igitur opinatur resectionem membri, vbi putruerit, esse bonum, opinatur malum per se, esse bonum per accidens. Et qui censet retentionē talis membri esse malum, id quod per se bonum est, iudicat esse malum per accidens, neq; in huiusmodi opinionibus sit aliqua fallacia contrariæ opinionis, quum talia iudicia vera sint omnia, licet ex eis videantur contraria inferri posse de eodem. Alii, Per accidens, & Per se referūt ad opinari, vt is dicatur per se opinari bonum esse malum, qui rem sub ratione boni apprehēsam, iudicat esse malam in eodem genere. Et e diuersò per se dicatur opinari malum esse bonum, qui rem sub ratione mali apprehēsam, iudicat esse bonum in eodem genere bonitatis. Triplex enim est boni genus, nempè honestum, delectabile, & vtile. Similiter malorū aliud inhonestum, aliud contristatiuum, aliud inutile seu damnosum. Si quis igitur iudicet, honestum esse inhonestum, delectabile esse contristatiuum, vtile esse damnosum, & contrà, relatione ad idem facta, & idem inspiciens, per se opinabitur bonum esse malum, & malum esse bonum. Per accidens verò opinari bonum esse malum, est rem, quæ re vera est bona, licet vt sic non apprehendatur, opinari esse malam in eodem genere: aut rem etiam apprehensam quatenus est bona in vno genere, arbitrari esse malam in alio genere: aut rem, quę secundum vnam circunstantiam bona est in aliquo genere, iudicare esse malam in eodem genere, propter aliam circunstantiam. Exempla sunt, vt si quis acceptionem rei alienæ inuito domino (quæ re vera est inhonesta, licet ab eo sic non iudicetur) censeat esse rem honestam,

aut

Triplex scientia & ignorantia.

Vna vniuersalis & habitualis.

Alia habitualis propria

Tertia actualis.

Explicatio illius literæ, Qui opinatur bonum esse malum.

Quid per se bonū & malū, & cōtra, quid bonū & malū per accidens.

Aliorū sententia.

Triplex genus boni.

aut medicinalem potionem, quæ est vtilis sanitati recuperandæ, inutilem esse, & noxiam. Item, si quis honestum iudicet esse contristatiuum, vel delectabile esse inhonestum aut inutile. Item, si quis proiectionem mercium in mare ob metum submersionis, iudicet esse vtilem simul & damnosam, ob diuersas circunstantias. Et simile accidit de morte propinqui, relinquentis nobis amplam hæreditatem. In huiusmodi opinionibus, quibus bonum per accidens iudicatur esse malum, vel contrà, non semper est error seu deceptio, quum nonnullas veras esse accidat, vt patet consyderanti, & approbat hoc distichon ex Græco versum,

> Res vxor grauis est, poterit tamen vtilis esse,
> Si properè moriens, det sua cuncta tibi.

Porrò non dissimiliter in cæteris etiam contrariis distingui poterit opinio per se vel per accidens vnius de altero. Qui enim opinatur, niuem esse nigram, & coruum esse album, per accidens opinatur album esse nigrum, & nigrum esse album, atq; fallitur. Similiter, qui opinatur Aethiopem nigrum, esse album secundum dentes. & sanum pectore, laborare ex oculis, per accidens, & sine errore opinabitur nigrum esse album, & sanum ægrum esse. Sed si quis simpliciter arbitretur album esse nigrum, aut sanum esse ægrum, is per se opinaretur contrarium de contrario. Sed hoc fortassè (vt inquit Aristoteles) fieri nequit. Prolixiores fuimus in hoc capite exponendo, tum propter obscuritatem, tum ob vehementer vtilem, vel potius necessariam cognitionem eorum quæ hic tractantur.

Quãdo côuertũtur extrema inter se.

In tertij tractatus caput primum, quod quasdam pro cognoscendis terminorum conuersionibus regulas tradit, annotatiuncula.

AD syllogismum reducturus Philosophus alias argumentationis species, quæ quodam modo imperfectæ sunt, In hoc primo capite quasdam exhibet proponitq; regulas, ad dinoscendam terminorum conuersionem, quæ sunt sex numero, adiecta septima, quæ dicitur esse moralis. Termini ij conuertuntur, qui de se inuicem vniuersaliter prædicantur. Id quod bifariam contingit, affirmatiuè scilicet & negatiuè, vt homo & risibile affirmatiuè recurrunt, ac conuertuntur. Nam quemadmodum omnis homo risibilis est, sic & omne risibile est homo. Homo verò atq; equus negatiuè. Vt enteim nullus homo est equus, ita & nullus equus homo est. Prior terminorum conuersio locum duntaxat habet in syllogismis affirmatiuis. In vtrisq; autem & affirmatiuis & negatiuis, locus est vtriq; terminorum conuertibilitati. Porrò primæ regulæ hæc est sententia, Si syllogismi affirmatiui vniuersaliter colligentis in prima figura extremitates inter se recurrant, necesse est & medium cum extremitatum vtraq;, assertoriè affirmatiueq; conuerti. Et contrà, si medium cum extremitatibus conuertatur, necessum erit & extremitates sibi mutuò esse côuertibiles. Quòd si syllogismus eiusdem figuræ vniuersaliter concludens fuerit negatiuus, sitq; medium in negatiua cum maiori extremitate negatiuè conuertibile, conuertetur negatiuè eadem maior extremitas cum minore extremitate. Quòd si in affirmatiua cum minore extremitate affirmatiuè conuertatur medium, cum eadem negatiuè recurret ipsa maior extremitas. Idem quoq; accidet, si hæc ambo vnà coniungãtur. Sin verò extremum cum extremo negatiuè recurrat, mediumq; affirmatiuè cum minore extremitate, negatiuè conuertetur medium cum maiore extremitate. Quæ omnia citra magnum laborem ex ipsa possunt colligi litera, Quippe quæ solùm duorum meminerit modorum, Barbara videlicet & Celarent. Cæterùm textus deductio his exemplis fiet manifestior. Esto in Barbara hic syllogismus, Omnis homo est risibilis, & omne flebile homo est, est igitur omne flebile risibile. Syllogismus maioris conuertentem colligens est huiusmodi, Omne flebile est homo, & omne risibile est flebile, omne igitur risibile est homo. Is autem qui minoris syllogisat conuertentem est, Omne risibile est flebile, omnisq; homo risibilis est, ergo omnis homo est flebilis. Insuper esto in Celarent hic syllogismus, Nullus homo est hinnibilis, omne flebile est homo, nullum igitur flebile est hinnibile, syllogismi conclusionis conuertentem colligentes sunt hi, Omne flebile est homo, at nullum hinnibile homo est, nullum igitur hinnibile est risibile, in modo Camestres, Omnis homo est flebilis, & nullus homo hinnibilis est, nullum igitur hinnibile est flebile. Nam ex vniuersalibus maiore vniuersali affirmatiua, & minore negatiua, licebit vniuersalem concludere negatiuã, modò medium cum maiore recurrat extremitate. Tertius autem in Camestres maioris côuertentem, inferens est iste, Omnis homo est flebilis, nullum hinnibile est flebile, nullum igitur hinnibile est homo. Hactenus à nobis dictum sit, super prioris regulæ sensu, eò q obscuritatis nonnihil videbatur complecti. Cæterùm quinque sequentium regularũ explanatione abstinendum esse duximus, eò q attentiori lectori citra magnam operam queant esse nota. Porrò

septimam

septimam moralibus tribuendam actionibus, praecipientemq; de eligendis atq; fugiendis, solent accipere de diuersis oppositis, quorũ vnum, alterum non praerequirit, neq; ex eo pendet. Nam Philosophus de iis agit, quorũ vtrunq; consistit cum alterius opposito, vt velle concedere, hoc est, quemadmodum Faber explicat, cordi esse regratiari, secum permittit non regratiari. Item & nolle concedere, concedere. Praeterea illam maximam propositionem, quam satis hoc in loco insinuat Philosophus, Magis eligendo opponi magis fugiendum, aeque eligendo, aeque fugiendum, & minus eligendo, minus fugiendum. interpretatur Albertus de iis eligendis, quorum vnum in altero non est. Cuiusmodi sunt virtus & scientia, quarum illa hac magis est eligenda. Et proinde magis fugiendum erit vitium, quàm ignorantia. Idem accidit in sanitate & aegritudine, diuitiis & paupertate. Sed de his hactenus sit à nobis dictum.

Virtus — Vitium
Scientia — Ignorãtia
Sanitas — Aegritudo
Diuitiae — Paupertas.

In secundum caput, quod de inductionis ad syllogismum reductione agit, scholia.

Quod aũt non solũ dialectici & demõstratiui.

Qui syllogismi rhetorici.

IN initio proponit de quo dicturus est in sequentibus, nempe quomodo reliquę argumentationes omnes tanquã imperfectiores & infirmiores, ad syllogisticam formam secundum aliquam praedictarum trium figurarum reduci debeant. Qui sint dialectici syllogismi & demonstratiui (quos in propositione nominat) patebit in sequenti libro, & primo Topicorum. Per syllogismos autem rhetoricos, intelligit Albertus enthymemata & exempla, quorum vsus paratior est & frequentior apud Rhetores. Cui interpretationi propè consonat ipse Aristoteles primo rhetoricorum libro. Eorum (inquit) quibus probamus, vt & in dialecticis, aliud inductio est, aliud syllogismus. Nam enthymema quidem syllogismum rhetoricum, exemplum verò rhetoricam inductionem appello. Et per argumentationes alias quaecunq; in quauis arte fidem faciunt, intelliguntur inductiones perfectae, & si quae restant adhuc aliae argumentandi rationes. Porrò illud quod ait Philosophus. Et vniuersaliter quaecunq; &c̃. interpretandum videtur veritatem continere vt plurimum, ita vt rara sit exceptio, ne quis nimium anxiè laboret reducendis nonnullis à categoricorum syllogismorum forma multum abhorrẽtibus argumentationibus, ad aliquam trium figurarum, quales sunt hypothetici syllogismi, & nonnullae aliae argumentationes. Constat enim, loqui Aristotelem de figuris categoricorum syllogismorum, ex ea particula quam adhibuit, Per pręd ictas figuras, &c̃. Quòd si generaliter de cuiuslibet syllogismi siue categorici siue hypothetici figura loqueretur, facilius esset tueri in omnibus quod dicitur. Vt argumentatio à minore ad maius. De omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij: nonnissimi, multo magis ergo de obscoenis sermonibus, & quibus alterius detrahitur bono nomini, reduci poterit ad hunc hypotheticum syllogismum, Si de omni verbo ocioso quod, &c. multo magis ergo de obscoenis, &c. sed de omni verbo ocioso, &c. multo ergo magis, &caet. quanquàm & hoc ad categoricum etiam syllogismũ vtcunq; erat reducibile, hoc modo, Quicquid de verbo ocioso statuetur in iudicio, id de obscoenis sermonibus multo amplius est exigendum, sed de omni verbo ocioso, &c. ergo, &c. Quod sequitur, Omnia enim syllogismo aut inductione credimus, accipere oportet secundum accõmodam quandam distributionem de iis solis quibus per argumentationem quampiam praebemus assensum. Sunt enim nonnulla, quibus citra discursum mox assentimur, Vt omne totum maius esse sua parte, Solem lucere, si eum intueamur lucentem. Deinde in eadem oratione sub syllogismo intelligendum est enthymema, quod est imperfectus quidam syllogismus. Et sub inductione, exemplum, quod ad illam reducitur, & ex ea efficaciam habet colligendi. Sunt enim enthymema & exemplum, imperfectae quaedam argumentandi species, quae (vt attestatur Rodolphus libri 2. capite. xiij.) nisi captiosae sint, & non in speciem tantùm, sed verè conficiantur, ad syllogismum ac inductionem semper redigi possunt, Atq; inter perfectas argumentationes & imperfectas hoc interest, quòd in istis non modò antecedens, sed & consecutionẽ accidat in dubium vocari. In illis verò solùm antecedens. His itaq; generatim praemissis, declarat Aristoteles vno exemplo reductionem inductionis ad syllogismum, ibi, Si ergo inductio, &c̃. Pro cuius cognitione apertiore habenda, sciendum est, Aristotelem hic non agere de quauis inductione, sed solùm de ea quae ad syllogismi naturam proximè accedit, quae est perfecta, probatiua, affirmatiua, & facta sub subiecto ordinatae pr ędicationis. In qua reperiuntur tres termini distincti, videlicet maior extremitas seu primum, medium, & tertium.

Rodolphus

Tres termini in inductione.

Maior extremitas. Medium. Tertium.

Maior extremitas dicitur is terminus, qui positione primus est, id est, qui seruato debito ordine natus est de reliquis duobus prædicari, vndè & primum appellatur. Medium verò dicitur is terminus, qui est medius positione, id est, qui natus est primo subiici, & prędicari de tertio. Tertium verò dicitur terminus, qui natus est reliquis duobus subiici. verbi gratia, sumptis tribus his terminis, corpus, animal, homo, Primū est corpus, medium animal, tertium homo.

Tertium in definitione est restringēdum.

Cæterùm (vti etiam mouet textus) per tertium in definitione inductionis non oportet intelligere quemuis terminum, qui natus est reliquis duobus subiici, sed restringi debet ad aggregatū ex omnibus singularibus contētis sub medio. Nam inductio per omnia sit singularia, vt in hac inductione, Iohannes est disciplinæ capax, Petrus est disciplinæ capax, & sic de cæteris, ergo omnis homo est disciplinæ capax, Maior extremitas est (disciplinæ capax) medium (homo) tertium verò aggregatū ex omnibus singularibus sub homine cōtentis, quæ in inductione quidē enumerātur per cōiunctionē copulatiuā, copulatiuè sumptā, in propositione hypothetica. In syllogismo aūt inductiuo per coniunctionē copulatiuam, diuisim sumptam in vtraq; præmissa, quia præmissæ debent esse categoricæ. vndè patet, ꝙ in inductione & syllogismo inductiuo sit idem tertium, sed paulò aliter & aliter sumptū.

In inductione & syllogismo inductiuo est idē tertium.

Scio plærosq; existimare, ꝙ singularia in syllogismo inductiuo enumerāda sint per coniunctionē disiunctiuam, eò ꝙ vulgò ferè sic reddi soleant præmissæ syllogismi inductiui, quicquid est Ioannes, vel Petrus, vel Paulus, &c̄. est capax disciplinæ, verùm falluntur, non attendentes hanc propositionem, quicquid est Ioannes, vel Petrus, vel Paulus, &c̄. est capax disciplinæ, planè huic æquiualere, Ioannes, & Petrus, & Paulus, &c̄. est capax disciplinæ. Vnde etiam, quod habet textus noster, (oportet aūt per minorē extremitatē, seu tertium ex omnibus singularibus intelligere disiunctum) Aliter legit Boetius & alij interpretes, videlicet, oportet aūt c, id est, tertium e singularibus omnibus compositū esse intelligere. Porrò, quia inductio ad tertiam figuram reducitur, in qua medium est vltimū positione, minor extremitas media, & maior prima (vt patet ex libro præcedenti) hinc fit, vt tertium reductionis efficiatur medium syllogismi, & medium inductionis minor extremitas, & primum maior extremitas. Imò potius, quia ambo extrema quæ in conclusione ponuntur, nata sunt prædicari de indiuiduis, quæ in syllogismo debent esse medium. Hinc fit, vt inductio ad tertiam figurā reducatur, in qua necesse est terminos sese prædicto modo habere, si propositiones ordinatę sint, vt sit hæc inductio, Omnis homo est longæuus, omnis equus est longæuus, & sic de cæteris animalibus non habētibus choleram, ergo omne animal non habens cholerā est longęuum, sic ad syllogismū reducitur, Omnis homo, omnis equus, omneq; animal aliud simile, est lōgęuum, Omnis homo, omnis equus, omneq; aliud animal simile, est animal non habens choleram, ergo omne animal non habens cholerā est longæuum, in quo satis patent quæ diximus. Sed iam ad definitionē veniamus. Est igitur inductio, quę ostendit extremū de medio per tertium. Definitū accipitur pro inductione perfecta, affirmatiua, probatiua, & facta sub subiecto cōclusionis, vt dictum est.

Definitio inductionis. Sensus definitionis.

Definitio verò sic intelligenda est. Inductio est argumentatio non syllogistica, quæ ostendit extremū de medio distributo per tertium, quod constat ex omnibus sigularibus sub medio contentis, copulatiuè enumeratis. Dico in primis, argumentatio non syllogistica, ad excludendum syllogismum inductiuum, qui etiam ostendit extremum de medio per tertium. Deinde subiunxi (de medio distributo) ad excludendum hanc argumentationē, Ioannes est risibilis, Petrus est risibilis, & sic de cæteris, ergo aliquis homo est risibilis. Tertiò, addidi (per tertium quod constat ex omnibus singularibus, &c̄.) quia tertium alioqui appellari potest quiuis terminus positione tertius, sed hoc loco est peculiariter restringendum ad aggregatum ex omnibus singularibus contentis sub medio. At quia plęrunque infinita singularium multitudo distinctim enumerari non potest, solemus, compluribus eorum recēsitis, adicere clausulam, & sic de cæteris, vel aliam æquipollentē, vt hic Philosophus legit, & ille, & sic de cæteris, ergo omnis Philosophus legit. Neq; hoc stultum est dictu, vt vult Valla, Nam si (inquit) hoc constat, quid attinet concludere, ergo omnis Philosophus legit. Cui responsum sit, conclusionem inferri, vt respondens expressè vniuersalem propositionem cōfiteatur, cuius non audebat vlli singulari dissentire. Pari sanè ratione de syllogismo euidenti quæreret, si pręmissas concedit aduersarius, quorsum attinet conclusionem inferri?

Quō excluditur inductio nō probatiua. Responsio.

Quòd si roges, quomodo excludatur inductio non probatiua? Respondendum, ꝙ ostendere & probare eadem sint, & ideo inductio quę non probat etiam non ostendit.

Triplex differentia inter inductiuum.

Ibi, Syllogismus aūt huiusmodi, &c. Ponit Aristoteles triplicem differentiam inter syllogismum inductiuum, & alios syllogismos, qui per medium concludunt, tanquam per terminum inferentem seu medium syllogismi. Prima, est syllogismus indu-

Inductiuus est ostensiuus primæ & immediatæ propositionis. qui verò per medium concludit, solùm est ostensiuus mediatæ propositionis. Secunda est, inductio, seu syllogismus inductiuus (Nam de his idem est iudicium) quodammodo opponitur syllogismo, qui per medium concludit, quia inductio concludit extremum de medio per tertium. Dictus verò syllogismus concludit extremum de tertio per medium, igitur medium & tertium transuerso oppositoq; ordine sese habent in inductione & syllogismo, qui per medium concludit. Tertia diuersitas est, syllogismus qui per medium concludit, est natura prior & euidentior, id est, procedit ex præmissis natura prioribus ac notioribus conclusione, Inductiuus autem est nobis notior, id est, procedit ex præmissis nobis notioribus conclusione, sed non natura. Pro quarum differentiarum intellectu sciendum est in primis, quòd isti termini, extremum, seu primum, & tertium, sumuntur hoc loco, sicut superius descripti sunt, in sua generalitate: vndè cùm dicitur, q̄ syllogismus inductiuus ostendit extremum de medio per tertium, per medium non oportet imaginari medium syllogismi, quia omnis syllogismus ostendit conclusionem per suum medium, sed oportet intelligere terminum positione medium. Nam in syllogismo inductiuo, medium syllogismi est tertium ac vltimum positione, sicut dictum est. Medium verò positione, est minor extremitas syllogismi. Deinde annotandum est, quòd propositio immediata (sicut docet Aristoteles quinto tractatu primi libri Posteriorum) sit propositio necessaria, cuius prædicatum immediatè inest subiecto, id est, inter cuius prædicatum & subiectum nullum est medium, vt animal rationale est risibile, homo est animal rationale. Dico necessaria, quia licet contingentes interdum immediatè appellentur (vt capite vltimo primi libri Posteriorum.) tamen hoc loco puto solùm esse sermonem de necessariis, quæ sunt principia demonstrationum, quia hæc vltimo capite secundi Posteriorum dicuntur peculiariter debere cognosci inductione. Mediata verò est, cuius prædicatum mediatè inest subiecto, seu inter cuius prędicatum & subiectum datur medium, vt homo est risibilis. Medium autem appellatur terminus, qui necessariò & ordinatè de subiecto prędicatur, & similiter prędicato subiicitur, vt animal rationale medium est inter hominem & risibile, quia dicto modo de homine prædicatur, & risibili subiicitur. Tertio obseruandum est, quòd quanto prædicatum alicuius propositionis est subiecto vicinius, tanto manifestius ac euidentius ei competit, quanto verò magis distat, tanto obscuriorem constituit propositionem. Ex quo patet, q̄ omnis propositio immediata sit primò vera, nullamq; habeat natura priorem aut notiorem, per quam possit syllogisticè concludi, vt patet ex his quæ de inuentione medij tradita sunt libro superiore, & ideo si quo modo probari debeat, necesse est id per tertium fieri in tertia figura, quod magis distat à prędicato quàm medium. Nam secunda figura affirmatiuam non concludit, de qua sola hic disputatio est. Omnis verò propositio mediata potest in prima figura ostendi per duas præmissas natura priores ac notiores conclusione, quia præmissæ constituuntur ex medio vtriq; extremorũ iuncto, quibus semper vicinius est euidentiusq; iungitur, quàm extrema inter se. Ex his facile est intelligere triplicem differentiam superius expositã. Nam licet syllogismo inductiuo possint concludi propositiones probabiles, aut mediatæ, vt Ioannes est risibilis, Petrus est risibilis, & sic de cæteris, ergo omnis homo est risibilis, tamen quia propositio immediata non potest cõuenientius ostendi quàm syllogismo inductiuo, hinc fit vt hic syllogismus peculiariter dicatur ostensiuus primę & immediatæ propositionis. Qui verò per medium est syllogismus, semper ostendit propositionẽ mediatam, quanq̃ non solus, cùm inductiuus etiam mediatã ostendere queat. Secũda diuersitas superius satis explicata est. Tertia verò etiam ex dictis patet, quia syllogismus qui per medium cõcludit aut ex primis & immediatis, quæ natura notissima sunt, cõcludit mediatã: aut ex minus mediatis, ac proinde natura notioribus, concludit mediatiorẽ minusq; notam. Inductiuus verò qui concludit immediatam, semper procedit aut ex ambabus præmissis mediatis minusq; notis natura, aut altera. Cæterùm, quia per tertium ostendit quod cõponitur ex singularibus, quæ nobis sunt notiora, hinc fit, vt syllogismus ipse ex nobis notioribus procedat, sed de his hactenus.

Margin: Differentię inter inductionẽ seu syllogismũ inductiuũ, & syllogismũ qui per mediũ cõcludit. Prima. Secunda. Tertia. — Mediata propositio. Mediũ quid — In qua figura ostẽdi possit propõ mediata.

In tertium caput, quod est de exemplo, adnotatio.

QVoniam hoc capite determinat Aristoteles de tertiæ argumẽtationis specie, quę dicitur Exemplum (Gręci paradigma appellant) ostendens quo pacto ad syllogismũ mediante inductione imperfecta reducatur, operæpretium est pręmittere aliquot Exempli acceptiones ad hunc locum facientes, necnon quorundã terminorũ, in quibus cardo totius negotij versatur, descriptiones. Accipitur ergo trifariam exemplũ, si Alberto Magno credimus, alijsq; pluribus. Primo modo propriè, vt sit argumẽtatio, in qua ex vno particulari infertur

Margin: Exẽplũ autẽ est. Triplex exempli acceptio secũdũ Albertum. Prima.

 tur

tur aliud ſub eodem vniuerſali contentum. Huius pòſt ſequitur deſcriptio, Eſtq; à Boetio in ſecundo libro de differentiis topicis, hoc modo definitũ. Exemplum eſt, quod per particulare propoſitũ, particulare quoddam contẽdit oſtendere, Vt Gracchus à Scipione eſt interfectus, ergo Catilina erat à Tullio conſule occidendus.

Secunda.

Secundò, capitur exemplum impropriè, pro imperfecta inductione, ad quam reducendum eſt exemplum propriè dictum, priuſquã poſſit ad ſyllogiſmũ reduci. Ea eſt, cùm ex vno particulari, vel aliquibus, & non omnibus infertur vniuerſale. Talis eſt hæc, Gracchus eſt occidendus, ergo omnis ſeditioſus eſt occidendus, qui hunc ſyllogiſmum præcedit, Omnis ſeditioſus eſt occidendus, & Catilina eſt ſeditioſus, ergo Catilina occidendus eſt.

Tertia.

Tertiò, magis adhuc impropriè, pro toto aggregato ex huiuſmodi inductione & ſyllogiſmo adiuncto, ad quem exemplum propriè acceptũ reducitur. Hæc de exempli acceptionibus huc ſpectantibus.

Quæ ſint primum & mediũ in exemplo.

Porrò termini deſcribẽdi ſunt quatuor, quibus textus potiſſimũ vtitur, nimirũ extremũ ſeu primum, medium, tertium, & ſimile tertio, inter quæ primum & medium eandem hic ſortiuntur ſignificationem, quàm in capite proximè præcedenti, vt id dicatur primum ſeu extremũ, quod ſemper prædicatur, Medium verò quod primo ſubiicitur, & prædicatur de tertio.

Quid tertium.

Per tertium autem non ſunt intelligenda omnia ſingularia medij copulatiuè aut diſiunctiuè ſumpta, quemadmodum in inductione & ſyllogiſmo inductiuo, ſed vnum aliquod ſingulare ſub medio comprehenſum, & in exemplo propriè dicto illatum.

Quid tertio ſimile.

Simile tertio, eſt aliud ſingulare eiuſdem medij, ex quo in huiuſmodi exemplo infertur alterum quod dicitur tertium. Verbi gratia, In litera exemplum propriè dictum eſt hoc, Thebanos pugnare contra Phocenſes eſt malum, ergo Athenienſes pugnare contra Thebanos eſt malum. In hoc exemplo tertium eſt, Athenienſes pugnare contra Thebanos, quod eſt ſubiectum conſequentis exempli. Simile tertio, Thebanos pugnare contra Phocenſes, quod ſubiicitur in antecedente. Extremum verò malum, quod vtrobiq; prædicatur. Illa autem duo ſingularia conueniunt ambo in hoc communi medio, quod eſt, affines ſeu finitimos pugnare contra confines, quod non ponitur in exemplo propriè dicto. Quòd ſi aliquoties reperiatur à nonnullis exemplo iam prolato adiici in hunc modum, quia vtrumque eſt pugnare confines contra confines, non erit id accipiendum tanquam pars exempli propriè ſumpti, ſed veluti quoddã probamentum vel ſignum, quodammodo inſinuans reductionem exempli ad ſyllogiſmum.

Quo pacto ad ſyllogiſmum reuocatur exemplum.

Quæ quidem reductio hoc pacto eſt inſtituenda. Ex antecedente exempli per imperfectam inductionẽ inferenda eſt vniuerſalis propoſitio, in qua extremum de medio enuncietur vniuerſaliter, vt Thebanos pugnare cõtra Phocenſes eſt malum, ergo omnes affines contra affines pugnare eſt malum. In qua quidem inductione tantùm inſunt tres termini, ſcilicet, extremũ, medium, & ſimile tertio. Conceſſa aũt illa vniuerſali, & oſtenſa ex eo quod dictum eſt ſimile tertio, cõſequenter inſtituendus eſt talis ſyllogiſmus, Omnis pugna affinium contra affines eſt mala, & pugna Athenienſium contra Thebanos eſt pugna affinium contra affines, ergo mala eſt. Quem quidem ſyllogiſmũ tres ingrediuntur termini, nempè extremum, medium, & tertium, in toto aũt aggregato ſunt quatuor. Ex his facillimum erit vnamquamq; exemplarem argumentationẽ, ſi bona fuerit, ad ſyllogiſmum reducere, mediante inductione imperfecta. Nam initio ex ſimili tertio, quod erat antecedens exempli, inferetur per inductionem extremum vniuerſaliter ineſſe medio comprehẽdenti & tertium, & ſimile tertio. Deinde ex huius inductionis imperfectæ conſequente, officium maioris propoſitionis ſubeunte, facta ſubſumptione ipſius tertij ſub medio, concludetur concluſio eadem, quæ prius inferebatur ex exemplari argumentatione. Et quia certiſſimum eſt, Quicquid ſequitur ad cõſequens bonæ conſequẽtiæ, ſequi ad antecedens eiuſdem, ideo neceſſarium erit, ex ſimili tertio, quod eſt primũ antecedens, ſequi tertium quod concludebatur in ſyllogiſmo. Iſtis ſic prælibatis, peruius erit intellectui totus decurſus literæ.

Varia de exempli deſcriptione opinio, ac eius Interpretatione.

Et principium quidem præſentis capitis, vbi definitionẽ quandam omnes ferè poſitam intelligunt, variè à diuerſis ſumitur & exponitur. Quibuſdam namq; placet, ſolùm hoc eſſe definitionem, quando medio extremum ineſſe oſtenditur, per id quod eſt ſimile tertio. Hi accipiunt exemplum, pro inductione imperfecta, quorũ eſt præter cæteros & Iacobus Faber Stapulenſis, ſic inquiens, Exemplum inductio imperfecta eſt. Sic enim hoc in loco definitur. Inferius aũt alio etiam modo ſumetur, vt quod vt particulare ad particulare ſe habet, quum alterum, per quod alterũ oſtenditur, notum fuerit, Sic ille.

Iacobus Stapulenſis.

Addunt aũt alij, hic definiri inductionẽ imperfectam, non tam quatenus talis, quàm quatenus ad ipſum reducitur exemplum propriè dictum. Non enim prorſus ſunt eadem, exemplum, & inductio imperfecta. Hæc enim definitur ab vno ſingulari, vel pluribus, non tamen omnibus, ad vniuerſale progreſſio. Aut quando medio extremum ineſſe oſtenditur,

ostenditur per vnum singulare, aut plura, sed non omnia. Vt Cęsar est mortalis, ergo omnis homo est mortalis. hic ignis vrit, & item ille, ergo omnis ignis vrit, qualis sanè imperfecta inductio induit rationem exempli secundo modo dicti, quando singulare assumptum accipit rationem similis cum ipso tertio. Sumitur ergo ab istis definitum, pro huiusmodi imperfecta inductione affirmatiua, facta sub subiecto prædicationis ordinatæ, quatenus per eam reducitur exemplum propriè dictum ad syllogismum. Particula (quando medio extremum inesse ostenditur) excludit enthymemata & syllogismos, quę ostendunt primum seu extremum inesse tertio, non medio. Et per medium, accipiendum est medium distributũ. Subsequens clausula, Per id quod est simile tertio (quę etiam extendẽda est ad numerum pluralem, quemadmodum admonet textus, dicens, Eodem aũt modo, & per plura similia, &c.) separat à definitione inductionẽ perfectam, in qua id quod dicitur tertium, etiam assumitur ad ostendendum extremũ inesse medio. Similiter aũt excluditur inductio imperfecta, quatenus talis est, eò ꝙ singulare vt singulare assumit, non vt simile est tertio. Et quia Philosophus loquitur de exemplo probatiuo, ideo secundum hos adiunxit in litera, Oportet aũt medium tertio, &c. Alij tamen, in quibus est Albertus, accipiunt hoc tanquam partem definitionis traditę de exemplo tertio modo sumpto, vt hæc sit Aristotelis sentẽtia, Exemplum est oratio, cuius vna parte ostenditur medio inesse extremũ per id quod est simile tertio, in qua extremum manifestius inest simili tertio, quàm insit medio, vel ipsi tertio, in reliqua verò primũ euidentius inest medio, & medium tertio, quàm primũ tertio. Nam alioqui non probabitur per notiora primum inesse tertio, quum omnia quę nunc dicta sunt, necessaria sint ad illud. Et quamuis non omnia quæ explicuimus habeat textus, sunt tamen sub eo intelligẽda. Sub illo enim primũ simili euidentius inesse quàm tertio, insinuatur idem primum simili euidẽtius inesse quàm medio. Nam vtrumq; est inferendum. Et sub illo, Medium tertio euidentius inesse q̃ primum tertio, intelligẽdum est primum euidentius inesse medio, q̃ tertio, Vtrũq; enim est illatiuum tertij. Quod dicitur in litera, Huius enim fides ex similibus est, significat assensum huius vniuersalis proloquij, Omnis pugna affinium contra affines est mala, sumendum esse ex vno vel pluribus similibus illi tertio, quod statuitur probandũ, scilicet, Athenienses contra Thebanos pugnare malum esse. De bello aũt Phocensium aduersus Thebanos, q̃ infeliciter & calamitosè gestum sit, ducibus eorũ Philomeno & Enomao, patet apertè apud Iustinum historiographũ in principio lib. 8. Dum sequitur postea, Manifestum ergo est, &c̃. Ex prius dictis rectè perpensis infert corollarium quoddã, complectens vtcunq; definitionẽ exempli propriè accepti, cuius reductionẽ ad syllogismũ hoc capite præcipuè molitur. Deinde mox annectitur duplex exempli ab inductione differentia, In hoc cõsistens, ꝙ inductio perfecta ex omnibus singularibus sufficienter enumeratis ostendit primum inesse medio, & reducta ad syllogismũ non cõcludit extremum de extremo suo, hoc est, syllogismus ad quem reducitur inductio, non concludit vnum extremũ inductionis de reliquo, sed de medio. Idq; sibi vult autor, cùm ait, Et ad extremũ non copulat syllogismũ, &c. Contrà verò, exemplum, quatenus reducitur ad syllogismum exemplarẽ, cõcludit primum extremũ de tertio, quod est alterũ extremũ, per ipsum medium. Et idem reductum ad imperfectam inductionẽ, non ostendit primum inesse medio per omnia singularia huius. Semper enim relinquendum est saltem ipsum tertium, propter vitandam petitionẽ principij. Et quemadmodum dictum est de exemplo affirmatiuo, similiter iudicandum est de negatiuo, quomodo in præcedenti capite positum est de affirmatiua & negatiua inductione. Definitio autem exempli propriè dicti, ex corollario prædicto elicita, est hæc. Exemplum est argumentatio, cuius antecedens ad consequens sese habet, non vt pars ad totum, neq; vt totum ad partem, sed vt pars ad partem, quandoquidem ambo sunt sub eodem, euidens autem alterum. Et est hic sermo de toto vniuersali, quod est per prædicationis cõmunitatem, & parte subiectiua, quomodo Socrates pars est ad hominẽ, & homo ad animal. Debent aũt hæ partes eiusdem esse totius, non quidem necessariò, essentialis. sed vel accidentalis, in quo tamen certum aut saltem probabile est, eas conuenire, quodq; in causa est cur priori conueniat prædicatum in antecedente. Vndè patet, hæc exempla non vera esse, Socrates ambulat, ergo hęc grammatica ambulat. Plato fuit doctissimus, ergo Gorgias fuit doctissimus, Germani sunt candidi, ergo & Hispani. Sed hoc proprium est exemplum, Plato est capax disciplinę, ergo & Gorgias disciplinæ capax est. Conueniunt namque Plato & Gorgias in eodem toto, scilicet, homine, qui in illo est ratio tota capacitatis disciplinæ. Quod verò postremò adiectum est definitioni, Euidens autem alterum, indicat alterum, nempè antecedens exempli debere esse euidens & manifestum, Alioqui frustra ad probationem ignoti assumeretur. Ad hanc

Exẽpli atq; Inductionis duplex discrimen.

autem

Deductio est, quando maior est manifesta.

autem exemplarem argumentandi formam, pertinere videntur argumentationes ductæ à comparationibus similium & dissimilium, Poetarum fabulis, apologis, parœmiis, parabolis, & id genus aliis, de quibus apud Rhetores.

In quartum caput, quod modos deductionis seu deductiui syllogismi explicat, annotatio.

IN huius literæ exordio, duos proponit Philosophus deductionis modos, quæ Græcis ἀπαγωγὴ dicitur, & quam Politianus nuncupat auocationem. Idcirco autem (teste Boetio) hic de deductione agitur, quòd minus communis sit syllogismo, & inductioni, de qua superius determinatum est, quodam modo opposita. Cæterùm ex litera facile est, hanc deductionis colligere descriptionem. Deductio syllogismus est, cuius maior manifesta est, & minor dubia, æquè tamen aut magis credibilis conclusione. aut quæ ex minore mediata est, paucioribus mediis indigens ad sui ostensionẽ, quàm conclusio. Definitum deductio, præter ea quæ per descriptionẽ designãtur, videtur quodam modo exigere, vt eo syllogismo is coram quo ipso vtimur, deducatur, seu disponatur vtcunq; ad assequutionem alicuius scientiæ. Nam id planè apparet indicare literæ decursus, dum subinde replicat. Sic enim propinquior erit scientiæ. Porrò an scientia propriè hoc loco sit accipienda, id quod insinuare videtur illa literæ portio, Neque si immediata sit, Tunc enim est disciplinæ syllogismus, An generatim pro qualibet vera notione, aliorũ esto censura. Quibus insuper discutiendũ relinquimus, An deductiuus syllogismus à demõstrationis ratione longius discedat, dum ex necessariis progreditur, & abs dialectici syllogismi natura deficiat, cùm probabilia accipit, quemadmodum tradit Albertus. Cæterùm in descriptione primo loco ponitur, cuius maior est manifesta, quod accipiunt plærique, inter quos est Albertus, pro maiore per se nota, quod an rectè, an secus, similiter modo aliorum iudicio cõmittimus. Deinde subnectitur, Minor verò dubia, &c. qua quidem particula separatur deductio à demonstratione, cuius vtrasq; præmissas necessum est esse euidenter cognitas, non aũt dubias aut credibiles duntaxar. Porrò hic occurrit duplex dubitatio. Prior est, an deductiuus syllogismus minorẽ assumat velut dubiam ei qui illam adfert seu opponenti, An ei, quo coram adducitur, id est, respondentis officio fungenti. Quòd si posterius concedatur, erit quoq; & dubia conclusio. Quare huiusmodi syllogismo non efficietur quis scientiæ propinquior. Posterior est, Qui fieri valeat, vt minor dubia cum conclusione sit æquè credibilis, aut ea credibilior. Nam huiusmodi credulitas non apparet esse referenda ad minorem secundum se sumptam, sed versus ad illum, qui deductiuo vtitur syllogismo. His quàm possumus breuissimè respõdendo dicimus, minorẽ quidem secundũ se dubiam esse, verùm à syllogisante accipi non vt ambiguam, sed tanq; concessam, seu cui præbeatur assensus. Quòd si conclusioni æquè credatur vt minori, in huiusmodi deductione eueniet principij petitio. Nam ex noto ad æquè notum progredietur. Sin verò minori magis quàm conclusioni credatur, non erit ille defectus, nisi aliunde proficiscatur. Verùm hæc finitionis pars apparet cum illa finali clausula pugnare, quę dicit, Quando autem neq; credibilior conclusione est minor, neq; ipsius pauciora sunt media, non est tunc deductio. nisi dixerimus, hunc allatum locum esse de ea deductione accipiendum, in qua non committitur principij petitio, & largius locutum esse Aristotelem de deductione in ipsa descriptione. Porrò particula subsequens, Paucioribus scilicet mediis indigens, &c. hanc admittit difficultatem ac dubitationem. An ad deductionis rationem sit satis, sola ad minorem seu subsumptionem probandam mediorũ paucitas. Non enim in huius partis ipsius definitionis declaratione meminit Philosophus minoris dubiæ. Sanè apud Albertum & quosq; alios commentatores, reperire poterit lector, id quod super dubio minoris assensu dicitur, vtrique parti esse tributum. Sunt insuper & alia quædam, quæ à nobis forsitan desyderaret lector curiosus, à quibus omnino duximus esse abstinendum. Nam, teste Alberto, in scientiis artibusq; tradendis, nunquam aut rarenter vtuntur autores deductione. Cæterùm reliquum est, vt quàm paucissimis literæ exempla prosequamur. prioris partis iam traditæ finitionis exemplum, ex Platonico dialogo, qui Meno inscribitur desumptum, est hoc. Omnis disciplina est docibilis, iustitia est disciplina, est igitur iustitia docibilis: In quo docibilis nomine, id intelligendum est, quod per experientiam aut alterius doctrinam incrementum potest accipere. Nam hac sola via solemus disciplinas assequi, quemadmodum pluribus in locis sequentis libri Posteriorum Analyticorum testatur Philosophus. Porro exempli secundi sentẽtia, alibi a nobis data maiori occasione enucleabitur, nempe vbi explicanda erit ea ratio, cuius adminiculo Hippocrates Chius conatus est tetragonismum circuliq; quadraturam demonstrare. Cuius demonstrationem affert Georgius Valla capite octauo secundi suæ geometriæ.

Deductionis finitio.

Prior dubitatio.

Posterior.

Responsio.

In quar-

In quartum caput, considerans de instantiuo (vt aiunt) syllogismo, adnotatio.

IN huius literæ exordio monstrat Philosophus, quid sit Instantia, à qua suam nuncupationem accipit instantiuus syllogismus, dum ait. Instantia est propositio propositioni contraria, hoc est, contrariè vel contradictoriè opposita. Deinde mox subnectit, quidnã sit discriminis inter instantiam & propositionẽ contra quam instatur, volens instantiam posse esse & vniuersalem & particularem: Propositionem vero aduersus quam instatur duntaxat vniuersalem. id quod accipies de ea propositione, quæ queat esse præmissa vniuersalis syllogismi, quemadmodum ipsa litera indicat, & contra quam multifariàm valemus instare, per vniuersalem videlicet & particularem oppositam, cuiusmodi est sola vniuersalis, non autem particularis propositio. Post hæc in litera, ibi. Fit autem instantia &c. aperit Philosophus, colligi instantiam, seu instantiuum syllogismum fieri, solum in prima & tertia figuris. Quod interpretes intelligunt de syllogismo quo alterius propositionis instantiam manifestè colligimus, hoc est, cuius maior per accidens opponitur propositioni contra quam instãdum est, eò quòd cum eadem eodem termino, aut subiecto, aut prædicato participet, & eidem per se opponatur illata conclusio, perficiaturq; huiusmodi syllogismus immediatè regulis maximisq; de dici de omni & nullo, aut per expositionem. De qua quidem re sic tradit Iacobus Faber. Quod opposita in solis prima & tertia figuris perficiantur: hoc ideò est, quòd vniuersales affirmatiuæ & vniuersales negatiuæ, statim perficiantur in prima figura, per id quod est omni inesse, & nulli inesse: Et particulares & affirmatiuę & negatiuæ, in tertia figura propter expositionem, In secunda autem figura nullæ enuntiationes perficiuntur, quòd neq; de omni, neq; de nullo, neq; expositio, locũ in ea ad quippiam perficiendum habeat vllum. Instantia autem q̃ fieri potest manifestissima ratiocinatione colligi debet. Quo fit, vt iure sola prima ac tertia figura, omnis perfici debeat instantia. Maximè enim omnium hæ argumentandi formæ claræ manifestæq; sunt. Litigiosi cum instare putant, latebras inuolucraq; quærũt. Hæc Stapulensis. Proposita igitur vniuersali propositione, aduersus quã ferenda est vniuersalis instantia, id per primã efficietur figurã, sumpto syllogistico medio in maiore, supra subiectum illius propositionis contra quã adhibenda est instantia. Quod si particularis adferenda fuerit instantia, Id cõmodè manifestèq; fiet, instãtiuo syllogismo constituto in tertia figura, subsumpto medio sub subiecto eius propositionis, contra quam instandum fuerit. Quæ omnia ex ipsius Philosophi verbis haud difficile possunt cognosci. Quòd si in secunda figura instantiuus cõponatur syllogismus, poterit quidem instantia colligi, sed non satis apertè. Nam in primis maior assumpta, illi propositioni non opponetur per accidens, eò q; neq; eodem participabit subiecto, neq; prædicato. Deinde propositus syllogismus, neq; immediatè dictis maximis perficietur, neque per expositionem poterit perfici. Verbi causa. Esto propositio contra quam adferenda sit instantia, omnẽ hominem esse platanum, in secunda figura in Cesare poterit quis hunc syllogismum constituere. Nulla platanus est animal, omnis homo est animal, igitur nullus homo est platanus. Huius vniuersalis præmissa negatiua, quæ maioris locum obtinet, cum illa propositione non cõmunicat neq; eodem subiecto neq; prædicato eodem. Atq; proinde illi non est vllo modo opposita per accidens. Huius quoq; rei ratio est, quoniam propositionis, cõtra quã instatur, prædicatum oportet in maiore subiici, & medium quod necessum est esse aliud, prædicari, ob quam rem nequibunt ea maior & proposita propositio, eodem extremo participare. Quòd si mox redditũ instantiuum syllogismum, per alium manifestum perficere velimus, erit illa negatiua simpliciter conuertenda in hanc, nullum animal est platanus, quæ quidem per accidens illi opponitur quæ dicit, omnẽ hominẽ esse platanum. Ob hanc quoq; causam in litera dicitur, Amplius & si negatiuè feratur in secunda figura, longa probatione indiget. At non oportet instantiam ad alia cõuerti, sed manifestam habere alteram propositionem. Post hæc in fine literæ, ibi, Considerare aũt oportet & ad alias instantias, &c. agit Philosophus de omni ea argumentatione qua instatur, quam constat communiorem esse syllogismo quo instamus. Cuius declaratio facilior est, quàm vt in ea re diutius lectorem detineamus.

Instãtia autẽ est proposi tio. Quid instantia.

In sexti capitis priorem partem, quæ est de enthymemate, annotatio.

EIKOΣ neutrum nomen apud Græcos, Latinè sonat par, decens, consentaneum, seu verisimile. Nam & Cicero in Partitionibus τὰ εἰκότα, verisimilia vocat. Id hoc pacto ab Aristotele est definitum, aut si (quibusdam creditur) definitione nominis interpretatũ. Icos est propositio probabilis. Vbi notandum, bifariàm intelligi, propositionem aliquã probabilem esse. Vno modo in se, quæ scilicet probabiliter est vera, vt matrem diligere filium suum, omnes homines diligere se amantes, & odisse sibi inuidentes. Huiusmodi probabilia de-

Icos aũt & signũ nõ idẽ ẽ. Quid icos designet. Icois descriptio. Duplicit dicit aliq̃ ppositio pbab. Primo.

Secundo. finientur in libro Topicorũ. Altero modo dicitur propositio probabilis, facta relatione ad alteram quam infert, estque ea quæ aliam probabiliter infert, siue ipsa in se probabilis extiterit, siue non. Sic hæ propositiones, Cælius est studiosus literarũ, Clitemnestra est mater Orestis, Nunc sol est sub cane, probabiles dicũtur ad istas, Cælius non est voluptuarius, Clitemnestra amat Orestem, Nunc non pluit. In prædicta ergo definitione icotis (omissis aliorũ phantasijs) commodissimè nobis congruentissiméque accipi videtur probabile priore modo. Id enim planè consonat ipsius definitionis declarationi mox in litera subiunctæ. Quod enim in pluribus, id est, plerũque, non autem semper & necessariò constat sic factum vel non factum esse, vel nõ esse, hoc est icos. vbi insinuatur paucis, multiplex varietas propositionũ contingentiũ probabilium, quòd nonnullæ sint de præsenti, aliæ de præterito, & vtræque vel affirmatiuæ vel negatiuæ. Quæ autẽ de futuro sunt relinquũtur sub illis intelligendæ, omissæ forsassis, propter minus constantem & determinatã in eis varietatis probabilitatẽ. Neque enim ita sunt de futuris experientiæ, atque de præsentibus præteritisque. Consentit huic lib. v. Fabius. Debet (inquit) nota esse rectè argumenta tractaturo vis & natura omniũ rerũ, & quid quæque earũ plerumque efficiat. Hinc enim sunt quæ εἰκότα dicuntur. Quod verò additur in litera, Sic factum, & cæt. admonet, nõ solum contingentiam probilitatemque accipi in ipsius rei generatione aut euẽtu, sed etiam in modo generationis atque euentus. Vt enim contingit & probabile est, homines esse vitiosos, & item homines nasci, sic etiam homines esse vitiosos per intemperantiam, gulam, vel libidinem, ipsosque nasci cũ quinque digitis in vna manu. Sed hæc leuiora fortasse cuiquam videbuntur.

Quo pacto accipiẽdũ sit pbabile in icotis descriptione.

Definitio signi. Signum (quod Græcis σημεῖον dicitur) sic definitur ab Aristotele. Signũ est propositio demonstratiua, vel necessaria, vel probabilis. Per propositionem demonstratiuã intelligimus omnẽ eam, quæ alterius est probatiua, siue necessario illam inferat, siue tantũ probabiliter. hinc patet, signũ ad aliud referri, sicut etiam nomen ipsum satis indicat. Quod sequitur, vel necessaria vel probabilis, ostendit eam propositionem quæ signũ dicitur, posse esse vel necessariam vel probabilem in se. Ex quo patet, omne icos relatũ ad aliam propositionẽ quã necessario vel probabiliter infert, etiam esse signum, non tamen omne signum esse icos.

Quid p demõstratiuã ppositionẽ intelligatur

Omne icos est signum.

Quæstio. Quòd si roges, an hæc propositio, homo est animal rationale, sit signũ huius, homo est capax disciplinæ, videtur esse respondendũ affirmatiuè, quia Aristoteles in fine textus dicit, ea signa esse potissima, quæ sunt positione media, & scire faciunt: tale aũt est animal rationale respectu capacis disciplinæ. Sed instabis, hæc propositio, homo est capax disciplinæ, videtur esse alterius prioris signũ, ergo prior non rectè dicitur huius signũ. Cui respondendum est, non esse inconueniens, quasdam esse sibi mutuo signa in diuerso ordine. nam prior propositio est natura notior & manifestior posteriore, & secundum hunc ordinem est signum posterioris. Posterior verò propositio nobis est notior priore, & sic etiam potest prioris signum dici. Post hæc enthymema sic apud Aristo. definitur. Enthymema est syllogismus imperfectus ex icotibus & signis. In nonnullis codicibus desideratur particula imperfectus, sed addendã esse constat tàm ex græcis exemplaribus, quàm ex versione Boetiana. Definitũ est enthymema probatiuum, ad syllogismũ formalem, vel saltem probabilem, reducibile. Syllogismus imperfectus hoc loco vocatur non qui ineuidens est, vt libro superiore dicebatur, sed cui deest altera præmissarũ quæ certa est aut verisimilis, qua addita, efficeretur formalis syllogismus, aut argumẽtatio probabilis, syllogismi formã præ se ferens. Hinc Boetius de enthymemate disputans, syllogismũ imperfectum vocat orationẽ in qua non omnibus præmissis antepositis, festinata infertur cõclusio. hac igitur definitionis parte excluduntur in primis omnes integri syllogismi, deinde multæ aliæ argumentationes, quæ speciem quidem enthymematis præ se ferunt, sed non possunt reduci ad syllogismũ categoricũ per additionem præmissæ veræ, aut probabilis, de quibus postea. De inductione imperfecta dubiũ est, an à definitione reijci debeat: nam Arist. in textu pro enthymemate assignat hanc inductionẽ imperfectã. Pictacus est studiosus, ergo omnis sapiens est studiosus, per additionem minoris reducitur ad syllogismum hoc pacto, Pictacus est studiosus, & Pictacus est sapiens, ergo omnis sapiens est studiosus. Ad qđ videtur respondendũ, quòd inductio imperfecta quæ pro antecedente vnicam habet categoricã, nõ videtur reijcienda à definitione enthymematis, quia per solam vnius præmissæ additionem efficitur syllogismus. Sed si contineat plura singularia copulatiuè enumerata, quæ in vnã categoricam contrahi debent, vt ad syllogismũ reducatur, tunc excludenda est à definitione enthymematis, quia non reducitur ad syllogismũ per solam additionem vnius præmissæ. Secunda pars definitionis (ex icotibus & signis) sic explicari debet. Enthymema est syllogismus imperfectus, ex icotibus & signis, id est, ex antecedẽte, quod simul est icos & signum consequentis,

Responsio.

Obiectio.

Quodã ppositiones sunt sibi mutuo signa.

Definitio enthymematis

Syllogism⁹ imperfectus

Boetius.

An inductio imperfecta sit enthymema

Nõ ois inductio imperfecta, est enthymema.

Ex Icotibus & signis.

consequentis, vel quod est tantum signum consequentis & non icos. Per quā partē excludun
tur quæuis argumentationes in quibus antecedens non est probatiuū consequentis. Sed quor
sum adiecit Aristoteles definitioni particulam (ex Icoubus) eum sufficiat antecedens enthy-
mematis esse signū consequentis? Vt indicaret, quod quemadmodum syllogismorū alius est
demonstratiuus, alius verò dialecticus, sic & enthymematū, aliud constat antecedente necessa
rio, aliud probabili tantum. Ibi, Accipitur autē signum tripliciter, ponit Aristot. quandam
signorū diuisionem, Pro cuius intellectu sciendum est, hanc dictionem (signum) in hoc textu
bifariàm sumi. Aliquando enim tota aliqua propositio signum dicitur, in qua significatione
sumitur tam in definitione signi, quàm in definitione enthymematis. Aliquādo verò signū ca
pitur pro termino inferente qui in syllogismo quidem semper efficitur medium. In enthyme
mate verò ex hoc dignoscitur, quòd semper in antecedente ponatur & non in consequente,
verbi gratia, in hac argumentatione. Omnis homo est risibilis, ergo Petrus est risibilis, signū
seu terminus inferens est homo, qui terminus in syllogismo semper efficitur medium, quo fit
vt hi tres termini signum, terminus inferens, & medium, in enthymemate semper eundem ter
minū designent. Dicit ergo Aristot. quòd signum hoc secundo modo dictū tripliciter acci
pitur in enthymemate, id est, tribus modis se habere potest ad extremitates quæ in consequen
te ponuntur. Nam quoddam sese habet vt medium primę figuræ, Aliud vt medium secun-
dæ, Et tertium vt medium tertiæ figuræ. Loquitur autem Aristot. de signo posito in enthy-
memate reducibili ad syllogismū constantem ordinatis propositionibus, saltē quoad affirma-
tiuas propositiones. Nam si propositiones inordinatæ sint, tunc non oportet ipsum signū cer
tam aliquā habitudinem habere ad extremitates. Similiter etiam in negatiuis propositioni-
bus non requiritur ordo inter prædicatum & subiectū, sed repugnantia, vt nullus homo est
equus, nullus equus est homo. Illud igitur signum sese habet vt medium primæ figuræ, quod
ad extremitates in consequente positas eam habet habitudinem, quā habere debet medium
primæ figuræ. Illùd verò vt medium secundæ, quod eam habet habitudinem ad extremita-
tes, quā habere debet medium secundæ, & tertię similiter. porro quā habitudinem ad extremi
tates in consequente positas habere debeat medium per singulas figuras, dictum est libro supe
riore, cum de inuentione medij tractaretur. Nam medium primæ figuræ in modis affirmati-
uis debet ordinatè prædicari de minore extremitate, & maiori ordinatè subijci. In negatiuis
verò debet quidem ordinatè prædicari de minore & repugnare maiori. Nam de modis in-
ordinatè concludentibus, quę minorem admittunt negatiuā, nullus ibi sermo est. Medium ve
rò secundæ figuræ in affirmatiuis quidem syllogismis, qui valde sunt infirmi, debet ordinatè
prædicari de vtraq; extremitate, vt omnis pariens est pallida, hæc mulier est pallida, ergo pe-
perit. In negatiuis verò medium ordinatè prædicatur de altera extremitate, alteri verò re-
pugnat. Similiter medium tertiæ figurę in modis affirmatiuis vtriq; extremitati ordinatè sub
ijcitur. In negatiuis verò subijcitur ordinatè minori & repugnat maiori. Nam minore negati
ua nihil sequitur. Ex his patet, nullum signum in enthymemate affirmatiuo positum, posse ad
plura huius diuisionis membra pertinere, sed si in negatiuo ponatùr, fieri potest vt ad primū
& secundum membrum pertineat. Nam quæcunq; enthymemata ad Cesare & Festino re-
ducuntur, possunt indifferenter reduci ad Celarent & Ferio, per conuersionē præmissæ nega
tiuæ, cuius termini non ordinem sed repugnantiam inter se habent, vt hoc enthymema, tem-
perantia est virtus, ergo non est vitium: sic reducitur ad primam figuram, nulla virtus est vi-
tium, temperantia est virtus, ergo non est vitium. Ad secundam verò sic, nullum vitium est
virtus, temperantia est virtus, ergo temperantia non est vitium. In reliquis verò membris, vt
in primo & tertio, item in secundo & tertio non potest idem signum sub pluribus contineri.
Nam in prima & secunda figura semper necesse est medium de altera extremitatum ordina-
tè dici, siquidem in prima minor propositio debet esse affirmatiua in qua medium prędicatur.
In secunda verò figura mediū semper prædicatur, Verùm in tertia figura medium nō potest
de aliqua extremitate ordinatè dici, sed potius subijci. Deinde verò, ibi. Si vna igitur suma
tur, & cęt. apertè differentiam ponit inter enthymema & syllogismū, quòd hic duas assumat
in antecedente propositiones, Illud verò vnicam. Quare non possumus accedere illorum sen
tentiæ, quibus (vt narrat Rodolphus) persuasum est, Aristotelem non discreuisse forma argu
mentandi à ratiocinatione seu syllogismo enthymema, sed certo tantum rerū genere constare
voluisse, vt sit in verisimilibus & signis. Quàm variè incertéq; vtātur hoc nomine & consimi-
libus diuersi rhetores, non magnopere refert nostra, quibus Aristotelis insequi vestigia propo
situm est ac præfinitū. Quare illud ex quinto Quintiliani libro petatur. In exemplo textus

Quæstio.

Responsio.

Diuisio signorum.

Dictio, signū, dupliciter sumitur.

Terminus iferēs signū & medium semper incidunt in eundē terminū.

Signū tripliciter in enthymemate sumitur.

vbi nos habemus ambitiosi, Grȩcè est φιλότιμοι, quo nomine significantur ambitiosi & magno studio conantes quippiā efficere, gloriosi, & magnifici. His igitur qui magnificentia prȩditi sunt, verè cōpetit liberalitas, vt in Ethicis traditur. Ambitiosis autē non nisi vmbra quȩdam & apparentia liberalitatis. Dant enim quibus non oportet, & propter quod non conuenit. Post assignatur discrimen quoddā inter syllogismos ad quos enthymemata iam ab ipso assignata reducuntur, quòd ille syllogismus primæ figuræ, ad quem enthymema cuius signū se habebat ad extremitates, vt eiusdem figuræ medium, est insolubilis, id est, irrefragabiliter cōcludit, vt nulli sit tergiuersationi locus, si modò ex veris procedat. Qui verò per tertiam fit figuram syllogismus, est solubilis, etiam si tam præmissæ, quàm conclusio veræ præmittantur. Non enim potest vniuersalem conclusionem concludere ad rem, id est, efficaciter, violentè, necessariò atq; formàliter, quomodo ille qui in prima instituitur figura, quod tamen conatur efficere. Similiter qui per mediam secundamq; figuram fit, semper & omnino solubilis est. Nunquam enim fit syllogismus verus & necessarius ac formalis sic se habentibus terminis, id est, medio affirmatiuè prædicato de ambobus extremis. Nam nec vniuersalem nec particularem conclusionem, necessariò & formaliter colligit huiusmodi dispositio præmissarum, quum interim illæ quæ in tertia figura erant ordinatæ, particularem potuerint inferre, nempe quòd aliquis sapiens sit studiosus. Sed hic cauēdum est, ne quod modò dicitur, ad alia enthymemata, quàm quæ exempli gratia ab autore suprà sunt prolata, & quæ his consimilia sunt, extendamus. Sunt enim pleriq; ad quos enthymemata reducuntur syllogismi secundæ & tertiæ figurarum, necessarij & formales: & rursus deprehendentur primæ figuræ syllogismi solubiles, ad quos probabilia quædam enthymemata reduci possunt. Vt non difficile fuerit docere exemplorum cōplurium testimonio. Circa finem subiungit, aut potius ex præcedentibus infert Aristoteles, quandam signorum diuisionem, verbis duntaxat & maiore quadam explicatione ab iis quȩ prius dicta sunt, diuersam. Ea est. Signorum aliud est medium. Atq; hoc, prodigium meretur vocari: eò q; scire, id est, certò cognoscere faciat, & non solum verisimiliter. Tale autem est medium primȩ figuræ, quod propriissimè & principaliter inter omnium figurarum terminos, medij appellationem obtinet, quia solum inter extremitates continetur, vt patuit in priore libro Priorum Analyticorum, quum de figuris ageretur.

Syllogismorū ad q̄s enthymemata ab Arist. allata reducūtur diuersitas.

Signorū diuisiōis in litera positæ explicatio.

De enthymematū ad syllogismos reductione variaq; ac multiplici enthymematū diuersitate.

Alia verò signa omnia, quorum enthymemata ad reliquas figuras reducuntur, tantum signa, & non media propriè, neque prodigia sunt dicenda, quia extra extremitates collocantur, & non faciunt scire, hoc est, non necessario certoque colligunt, maximè si eiusmodi fuerint, qualia sunt superius exemplorum gratia prolata. Superest, vt quod hucusque distulimus, de reductione enthymematum ad syllogismos integros per additionem expressam alterius præmissæ, quæ quodammodo in mente seruabatur concepta, dicamus. Prȩmittendum est igitur, omnem syllogismum constare duabus tantum præmissis & tribus terminis, vt intelligamus, omnem argumentationem quæ per additionem vnius præmissæ ad syllogismum reducitur, duabus duntaxat categoricis propositionibus posse constare, videlicet antecedente & consequente, ac tribus terminis, è quorum duobus, nempe inferente & illato semper constituetur præmissa addenda. Terminus inferens dicitur, qui in antecedente tantum ponitur, quem superius diximus in enthymemate quidem esse signum, in syllogismo verò ad quem enthymema reducitur, medium. Terminus verò illatus est, qui tantum in consequente reperitur. Reliquus verò qui tam in antecedente quàm consequente reperitur, vocatur terminus communis, ex quo non potest confici præmissa addenda, quia alioqui idem terminus poneretur in vtraque præmissa syllogismi & in consequente. Ex his patet, argumentationes quæ quatuor terminis constant, enthymemata non esse, vt albedo est color, ergo album est coloratum, sed nec omnis argumentatio duabus tantum propositionibus & tribus terminis constans potest ad syllogismum reduci, quia contingit interdum terminum inferentem & illatum, ex quibus facienda esse præmissa affirmatiua, inter se disparatos esse, ac proinde non posse constituere veram propositionem affirmatiuam, vt ædificator est excellens, ergo domus quam fecit est excellens. Et similia a causa vel ab effectu, & ideò talia argumenta solum reducuntur ad syllogismos hypotheticos, de quibus postea. Aliud esset, si addenda esset negatiua præmissa, quia tunc oporteret terminū inferentē & illatū inter se repugnare. Quòd si roget quispiam, quomodo possimus cognoscere, an maior, an minor desit propositio. Dicimus inspiciendū esse ad cōclusionē, cuius prædicatū est maior extremitas, subiectū verò minor. Nam si in antecedente desit prædicatū conclusionis, tunc deest maior propositio, si verò subiectū desit, tunc deest minor propositio. Quòd si etiam quærat, ad quā figurā reduci debeat quodcunq;

De reductione enthymematum.

Terminus inferens.

Terminus illatus.

Terminus cōmunis.

Nō ōis argumētatio cōstās duabus ꝓpositionibus & trib⁹ terminis est enthymema.

Quæstio.

Responsio.

Quādo maior & qñ minor propositio desit in enthymemate.

Quæstio.

quodcunq; enthymema propositū. Dicimus obseruandam esse signorū diuisionem superius positā. Nam enthymemata quæ constant signo se habente vt medium primæ figuræ, reducuntur ad primā figuram. Quæ verò constant signo se habente vt mediū secundæ, ad secundam: & quę vt tertiæ, ad tertiam: Aut si mauis illud attende, omne enthymema in quo signū prædicatur, reducitur ad primā aut secundam figurā, non aūt ad tertiam, quia medium in tertia semper subijcitur. & similiter omne enthymema in quo signū subijcitur, reducitur ad primā aut tertiam figurā, non ad secundam, quia medium in secunda nō subijcitur. Ex quo patet, quòd licet idem enthymema possit reduci ad primā & secundam figurā, item ad primā & tertiam figurā, tamē impossibile est idem reduci ad secundā & tertiam. Sed quæres vlterius, dato enthymemate cuius signū in antecedente prædicatur, quomodo sciri queat, vtrū ad primam, an ad secundam figurā reducatur? Respondeo, id facilè posse deprehendi ex habitudine signi ad terminū illatum, seu ad eam extremitatē quæ in antecedente deest. nam si signum de ipsa prædicari debeat, tunc mediū in syllogismo bis prędicabitur, fietq; secunda figura, vt mulier est pallida, ergo peperit. Si verò signū debeat illi extremitati subijci, tunc medium in syllogismo semel subijcietur, & semel prædicabitur, fietq; prima figura, vt Ioannes est homo, ergo Ioannes est animal, Si verò signū possit indifferenter subijci & prædicari de dicta extremitate, tunc enthymema indifferenter reducetur ad primam & secundam figurā. Exempla sunt argumenta ab oppositis, in quibus præmissa addenda est vniuersalis negatiua, quæ indifferenter conuerti potest: Itē argumenta à conuertibilibus prędicando, maximè si neuter terminus de altero ordinatè prædicetur, vt Ioannes est risibilis, ergo Ioannes est flebilis: Quanꝗ reductio huius posterioris semper conuenientius fiat ad primā figuram, quia in secūda figura affirmatiuè nihil formaliter sequitur. Similiter etiam dato enthymemate, cuius signū in antecedente subijcitur, si ipsum rursus natū sit subijci termino illato, tunc medium in syllogismo bis subijcietur, fietq; tertia figura, vt Pictacus est studiosus, ergo omnis sapiens est studiosus. Si verò signū natum sit prædicari de termino illato, tunc medium in syllogismo semel subijcietur & semel prædicabitur, fietq; prima figura, vt ōis homo est risibilis, ergo Ioannes est risibilis, quòd si forte signū indifferenter possit subijci & prædicari de termino illato, vt contingit in argumentis à conuertibilibus subijciendo, tunc enthymema poterit ad primā & tertiam figuram reduci, facilè tamen continget alterā reductionē fieri per additionem propositionis inordinatæ. Ex his patet, nullum argumentum à genere ad speciem posse reduci ad tertiam figuram, quia necesse est medium quod est genus in præmissa addenda prędicari, sed prædicando quidem semper reducetur ad secundam figurā, subijciendo verò ad primā. Similiter, nullum argumentū à specie ad genus reducitur ad secundam figurā, quia necesse est medium quod est species in præmissa addenda subijci, sed prædicando reducitur ad primā, subijciendo verò ad tertiam. Patet secundo, omne argumentū à conuertibilibus prædicando posse reduci ad primā & secundam figurā, & subijciendo ad primā & tertiam, si modò propositiones inordinatas recipere velimus, in quibus etiam facilè inuenientur nonnullæ exceptiones à duabus præcedentibus regulis. Exempla breuitatis causa prætereo, quia à studiosis facilè reperientur, qui si pleniorem huius rei cognitionē adipisci velint, diligenter animo percurrant omnes locos dialecticos, ac perpendant ex quibus potissimū enthymemata aut exempla sumantur, & qua ratione vnumquodq; ad syllogismū reduci queat, vt non solum ex maximis illis dialecticis, quæ pro rudioribus tradi solent, possint discernere argumenta legitima à reprobis, sed etiam ex reductione ad syllogismū, ad cuius formā exigendæ sunt omnes argumētationum regulæ, vt de eis iudicetur, vtrum legitimæ sint, an non.

Responsio.

Enthymema reducit ad primā & secūdā figuram.

Enthymema reducit ad primā & tertiā figuram.

Quæstio.

Responsio.

Quæ argumenta possint reduci ad primā & secundam.

Enthymema reducit quādoq; ad primā & tertiā.

Nō quoduis argumentū potest reduci ad tertiam figuram.

Nō quoduis argumentū reducitur ad secūdam figuram.

Argumentū à cōuertibilibus reducit ad primā & secūdam.

Naturales autē passiones.

In septimum caput, quod pertractat de naturalium passionum signis, annotatiuncula.

HVius septimi capitis in Græcis codicibus præfigitur hæc inscriptio, περὶ τῶν φυσιογνωμονικῶν, apud Latinos autē, de syllogismo physiognomico, de quo Faber in hunc modū scribit. Syllogismus physiognomicus est, qui ex signis indicijsq; rerum sumitur, quo naturas coniectamus. Est enim physiognomia, coniectatio naturarum ex signis. Vndè physiognomes, naturarū coniectores, qui certis notis indicijsq; res cōminiscuntur atque coniectant, & quorū affectuum illis potissimū insit procliuitas. Sic ille. Pro dignoscendis igitur ijs signis, quæ (vt in superioris capitis calce dictum est) sunt verè media & prodigia, quibus medij loco vtuntur & enthymemata & syllogismi physiognomici, proponit Philosophus in huius literæ initio duas suppositiones. Prior, Naturales passiones, cuiusmodi sunt iræ, odium, concupiscentiæq; naturales transmutare corpus & animā, id est, ipsum corpus animatū, fieriq; cū sanguinis & spirituum corporali motu, quemadmodum aliàs superius est fusius declaratum.

Quis syllogismus physiognomic?

Prior literæ hypothesis.

Posterior

Posterior. Prius literæ documētū.

Posterior est. Vnius naturalis passionis secundum totā speciem, vnicū esse in corpore signum, Post quas duo subduntur documēta, pro naturalis passionis inueniendo signo. Prius ibi positum, Quare si aliqua passio, &c. hunc sensum habet. Si aliqua naturalis passio cōpetát alicui speciei indiuiduæ seu specialissimę vniuersaliter, nec valeamus certò huius passionis signū coniectare ex eiusdem speciei indiuiduis, attendendum erit ad alterius speciei indiuidua, quibus non omnibus sed aliquibus duntaxat conueniat eadem proprietas ac passio, in quibus respiciendum erit, quodnam sit signum, cuius ratione cognoscamus eisdem indiuiduis illam passionem competere, quo deprehenso cognitoq;, idem asserendum erit esse signum, cur talis passio omnibus illius speciei indiuiduis conueniat, Exemplum proponitur de fortitudinis seu animositatis passione, conueniente omnibus leoninæ speciei indiuiduis, & aliquibus non autem omnibus hominibus, nempe ijs, qui magnas habent summitates, id est, superiores partes, cuiusmodi sunt thorax, humeri, & armi. Cæterùm alterius documenti sententia, cum sine labore sit lectori aperta, non est cur eam explicemus, illud nihilominus addentes, per fortitudinem & liberalitatē intelligendas esse, non virtutes morales, sed naturales affectus pronitatesq;, quibus inclinantur animalia ad ea repellenda, quæ sibi sunt noxia, & alijs ea quæ sua sunt, cōmunicanda. Porro cū in litera subsequente, ibi. Possumus ergo naturales passiones, & cæt. dicitur signū recurrere cum maiore extremitate, hoc est, naturali passione, intelligunt nonnulli vt in plurimum veritatem continere, eò quòd existiment hominū quosdam fortes esse, quibus non sint magnę summitates atq; prominentiæ. Pro maiori huiusmodi signorum indiciorumq; cognitione, hanc ex Fabro subiecimus descriptionem, quam existimamus non fore lectori incommodam.

Descriptio signorum, a Iacobo Stapulensi ex Aristotele & Adamantio Physiognomone collecta.

Signa	Naturæ	
CAPVT.		
Magnum	Hebetes	Asini
Minutulum	Fatui	
Mediocre	Boni sensus	Naturale
Pineatum cacuminatumq;	Inuerecūdi	Iactatores vngui curui
Erecti capillum	Timidi	Passio
Plani capillum	Simplices	
Crispi capillum	Timidi	Aethiopes
Densi capillum	Praui	
Crispum in extremo	Boni animi	Leones
FRONS.		
Valde parua	Indociles	Sues
Rotunda	Hebetes	Asini
Longa	Adulatores	Canes
Quadrata	Magnanimi	Leones
Tensa	Adulatores	Passio
Tranquilla	Mites	Passio
Seuera	Audaces	Leones
Demissa	Tristes	Passio
Eleuata	Liberales	Leones
AVRES.		
Paruæ	Scurriles	Simiæ
Magnæ	Hebetes	Asini
Flaccæ	Stolidi	Asini
Moderatæ	Boni sensus	Naturale
SVPERCILIA		
Coniuncta	Tristes	
Diuulsa	Fatui	Porci
LABRA.		
Subtilia mollia	Magnanimi	Leones
Subtilia dura	Immundi	Sues
Grossa, superius propendulum	Fatui	Sues
OCVLI.		
Subrubentes	Verecundi	Passio
Humidi lucidi	Hilares, proborū morū	
Lippientes	Temulenti	Passio
Lippientes	Somniculosi	Passio
Perparui	Pusillanimi	Simiæ
Permagni	Tardi	Boues
Mediocres	Bonę dispōis	Naturale
Concaui	Malitiosi	Simiæ
Eminentes	Fatui	Asini
Parum concaui	Magnanimi	Leones
Grandiusculi parum concaui	Mansueti	Boues
Nictantes	Timidi meticulosi	Passio
Subrubescentes	Iracundi	Passio
Pernigri	Timidi	
Cæsij	Timidi	
Nigri flauentes	Boni animi	
Biliosi	Furiosi	Capræ
Ignei	Iucundi	Canes
Discolores	Timidi	Passio
Cæsij flauentes	Boni animi	
Lucentes	Luxuriosi	Galli

NA-

Signa	Naturæ	
NASVS.		
Rotundus obtuſus	Magnanimi	Leones
Aquilinus	Magnanimi	Aquilæ
Extremitates groſſæ	Cōcupiſcētes	Boues
Acutus	Iracundi	Canes
Simi	Luxurioſi	Ceruí
Patens & apertus	Iracundi	Paſſio
FACIES.		
Pernigra	Timidi	Aethiopes
Peralba	Timidi	Mulieres
Fuſca	Fortes	Mediocre
Flaua	Boni animi	Leones
Rufa	Aſtuti	Vulpes
Rubea	Ingenioſi	
Flammea	Aperti, iracūdi.	Paſſio
MEMTVM.		
Acutum	Fideles	Canes
COLLVM.		
Piloſa ceruice	Liberales	Leones
Groſſum	Fortes	
Longum	Timidi, edaces.	Leones
Gracile	Debiles	Mulieres
Carnoſum	Iracundi	Tauri
Perbreue	Doloſi	Lupi
Moderatum	Magnanimi	Leones
DORSVM ET SPONDILES.		
Cum pilo	Inuerecundi	Beſtiæ
MANVS.		
Copulati digiti	Immundi	Sues
Curti & Craſſi	Temerarij & immanes	
Vngues lati albi ſubrufi	Viriles	
Anguſti oblongi	Feri	
Obliqui	Impudentes rapaces	
Exigui	Veteratores	
PECTVS ET VENTER.		
Cum pilo	Inſtabiles	Aues
Glabra & ſine pilo	Inuerecundi	Mulieres
Pectus amplum & compactum	Fortes	Leones
VMBILICVS.		
Longum a pectore interſtitium		Voraces

Signa	Naturæ	
Aequale	Laudabiles	
PECTEN.		
Oſſeus acutus	Fortes	Maſculi
Carnoſus pinguis	Molles	Fœminæ
COXAE.		
Neruoſæ	Fortes	Maſculi
Carnoſæ	Fluxi molles	Fœminæ
CRVRA.		
Neruoſa groſſa	Fortes	
Neruoſa ſubtilia	Luxurioſi	
Groſſa informia	Inuerecundi	
CAVILLAE.		
Neruoſę informatę	Fortes	Maſculi
Carnoſæ formes	Molles	Fœminæ
PEDES.		
Neruoſi cōmēſurati	Fortes	Maſculi
Stricti parui	Molles	
Curui vngues	Inuerecundi	Rapaces
Recti	Laudabiles	Naturale
CORPVS.		
Perparuum	Ingenioſi, acuti	
Prægrande	Tardi	
Medium	Sapere optimum	
Incōmenſuratum	Aſtuti	
Commenſuratum	Fortes	
Leues carne	Apti ſapere	
Molles fluxi	Obliuioſi	
Duri	Hebetes	
MOTVS.		
Percitus	Inconſtantes	
Segnis	Hebetes	
Tardus	Graues & magnanimi	
VOX.		
Fortis	Graues, iniurioſi	Aſini
Grauis in acutum finiens	Timidi querulosi	Boues
Grauis moderata	Fortes	Canes
Mollis ſine intēſiōe	Manſueti	Oues
Acuta fortis	Iracundi	Capræ

TRACTATVS BREVIS DE HYPOTHETICIS SYLLOGISMIS.

Enunciatio hypothetica

Prima diuiſio hypotheticæ enũciationis.

Copulatiua

Diſiũctiua.

Alia diuiſio.

Propoſitio hypothetica affirmatiua.

Negatiua ꝓpoſitio hypothetica.

Principalis copula.

ET ſi, teſte Boetio, de ſyllogiſmis hypotheticis nihil ſit ab Ariſtotele conſcriptũ, ne tamen omnino deeſſe videamur ſtudioſis adoleſcentibus, quos inſtituendos ſuſcepimus, Breuiter pauca quædã de eiuſmodi ſyllogiſmis ſubijciemus, quę & ſcitu digna, & ſuperioribus diſciplinis acquirendis videbuntur magis accõmoda: Eſt igitur enũciatio hypothetica, ſeu cõpoſita (nam his pro iiſdem vtimur) quæ plures habet categoricas pricipales ſui partes ſimul iunctas, vt ſi dies eſt, lux eſt. Dantur tamen quædam hypotheticæ enunciationes, quæ non expreſſè conſtant categoricis, ſed virtute duntaxat, vt ſi dies eſſet, lux eſſet. Item quædã etiam aliis cõpoſitis enunciationibus cõſtant, quarũ exempla breuitatis cauſa prætereo. Diuiditur autẽ hypothetica propoſitio in copulatiuã, diſiunctiuã, cõditionalẽ, rationalẽ, & cauſalẽ. Copulatiua eſt, cuius partes principales cõiunguntur per coniunctionẽ copulatiuã, vt Ioannes ſtudet & Petrus diſputat. Diſiunctiua, cuius partes principales coniunguntur per coniunctionem diſiunctiuã, & ſic de cæteris. Rurſus enunciationũ hypotheticarum, alia eſt affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua eſt, cuius copula principalis non negatur, ſiue partibus affirmatiuis conſtet, ſiue non, vt ſi dies eſt, lux eſt. Si lux non eſt, dies non eſt. Negatiua verò dicitur, cuius principalis copula negatur, vt nõ ſi malè nunc, & olim ſic erit. Non & dies eſt, & nox eſt: Non quia Petrus doctus eſt, ideo bonus eſt. Principalem copulam voco, a qua propoſitio ſuam ſpeciem ſumit, & a qua dicitur copulatiua, diſiunctiua, conditionalis, rationalis, aut cauſalis. Porro quia hypotheticis propoſitionibus tribuitur affirmatio & negatio, hinc fit, vt etiam in ipſis reperiatur contradictoria oppoſitio, quæ ex affirmatione & negatione naſcitur, vt hæ ſunt contradictoriæ, ſi lux eſt, dies eſt; & non ſi lux eſt, dies eſt. Itẽ quia Ioannes eſt prudens, ideo eſt bonus, & non quia Ioãnes eſt prudens, ideo eſt bonus. Contraria verò & ſubcontraria oppoſitio certã qualitatem requirunt, quæ hypotheticis non cõpetit, & ideo non reperiuntur in hypotheticis enunciationibus: Sed iam de veritate & falſitate harum enunciationum pauca ſubijciamus.

Hypotheticę propoſitioni nõ cõuenit oppoſitio cõtraria, vel ſubcontraria.

Quæ ad veritatẽ copulatiuæ requirantur.

Ad veritatẽ diſiũctiuę.

Ad veritatẽ propoſitionis copulatiuæ affirmatiuæ, requiritur vtriuſq; partis veritas, vt ad veritatem huius, homo natus eſt ad laborem, & auis ad volatum, requiritur veritas vtriuſque categoricæ, ex qua componitur. At verò ad diſiunctiuæ veritatem requiritur & ſufficit alterius partis veritas. Nam quod quidam veterum ſenſiſſe videntur, eam duntaxat diſiunctiuam eſſe veram, quæ pugnantibus inter ſe categoricis conſtet, eò duntaxat ſpectare puto, vt intelligamus apud autores non temerè diſiunctiuas reperiri, quin partes aliquam repugnantiæ ſpeciem præ ſe ferant, ſiue re vera pugnent, ſiue non. vndè & apud magnos autores interdum reperiuntur quædam, quarum partes non magnopere pugnant: verùm recentiores in diſputationibus horum nihil obſeruant.

Ad veritatẽ conditionalis requiſita.

Conditionalis affirmatiua eſt vera, ſi ex antecedente rectè inferatur conſequens, id eſt, ſi ſit bona conſequentia, ſiue partes veræ ſint, ſiue falſæ, vt ſi cælum non mouetur, cælum quieſcit. Ex quo patet, facilè dari conditionalem veram, cuius vtraq; pars eſt falſa, & falſam cuius vtraq; pars eſt vera. his nõ incommodè addi poteſt, quòd omnis vera conditionalis ſit neceſſaria, & omnis falſa impoſſibilis.

Ad veritatẽ rationalis.

Ad veritatẽ cauſalis.

Propoſitio rationalis in ſe virtute continet copulatiuam & conditionalem, & ideo ad ſui veritatem duo requirit, videlicet, vtriuſq; partis veritatem, & integritatem conſequentiæ, vt Petrus ſtudet, igitur non dormit. Idem ſentiunt quidam de cauſali propoſitione, ſed falſo, quia non ſemper oportet propoſitionem cauſalem eſſe bonam conſequentiam, ſed ad veritatem eius requiritur & ſufficit vtramq; partem eſſe veram, ac eam partem quæ ſtatim ſequitur coniunctionem, aliquo modo eſſe alterius partis cauſam, ſiue bonã efficiat conſequentiam, ſiue non: vt quia peccaſti, punitus es. Nam quemadmodum cauſarum aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ probabiles, & vt in plurimũ. Aliæ verò arbitrariæ, & ad vtrumlibet. Aliæ rarò & per accidens. Sic & cauſaliũ propoſitionum, Aliæ includunt neceſſariã conſequentiam, Aliæ probabilem, Aliæ nullam, &c. Sunt aliæ quædam hypotheticæ propoſitiones, quarum partes copulantur per aduerbium temporis, ſimilitudinis, aut aliud quippiam ſimile, de quibus nihil dicimus, quia facilè intelligi poſſunt ex iis quæ de propoſitione copulatiua diximus: eãdẽ ratione etiã præterimus, quid ad vniuſcuiuſq; dictarũ falſitatẽ, aut quid ad negatiuarũ veritatẽ requiratur, quia id etiã ex dictis facilè intelligitur. Reſtat igitur, vt ad ſyllogiſmorũ hypotheticorum explicationẽ accedamus.

Syllogiſ-

Syllogiſmus hypotheticus.

Syllogiſmus hypotheticus deſinitur eſſe argumentatio, quę ex vna principali hypothetica propoſitione concluſionem colligit. Definitio videtur eſſe deſumpta ex priori libro Boetij de ſyllogiſmis hypotheticis. In quibus (inquit) hypothetica propoſitio prima eſt (poteſt nãq; & aſſumptio & concluſio eſſe prædicatiua) ij tantum per vnius hypotheticæ propoſitionis naturam hypothetici & conditionales vocantur. Poterit igitur fieri ſyllogiſmus hypotheticus ex ſola priore propoſitione hypothetica, vt ſi dies eſt, lux eſt: ſed dies eſt: ergo lux eſt. Item ex priori propoſitione & concluſione hypotheticis, vt ſi nullum animal eſt candidum, nullus homo nullusq; equus eſt candidus, ſed nullum animal eſt candidum, ergo nullus homo nullusq; equus eſt candidus. Inſuper ex ambabus præmiſſis hypotheticis & concluſione prædicatiua, vt ſi homo ſit ſenſibilis, & leo eſt ſenſibilis, aliquod animal eſt ſenſibile: ſed homo eſt ſenſibilis, & leo ſenſibilis: ergo aliquod animal eſt ſenſibile. Præterea ex hypotheticis omnibus, vt ſi homo ſit rationalis, & leo irrationalis, aliquod animal eſt rationale, & aliquod irrationale: ſed homo eſt rationalis, & leo irrationalis: ergo aliquod animal eſt rationale, & aliquod irrationale. Porro quod ſint ſyllogiſmi hypothetici partes, autorum variæ ſunt ſententiæ, ſuper qua re ad hunc modum ſcribit Boetius. Hypotheticos (inquit) ſyllogiſmos, alij quinque, alij quatuor, alij tribus conſtare partibus arbitrantur, quorum mox controuerſiam diiudicabo, ſi prius quibus nominibus talium partes ſyllogiſmorum appellentur, oſtendero. Quoniam enim omnis ſyllogiſmus ex propoſitionibus texitur. Prima, vel propoſitio, vel ſumptũ vocatur. Secunda, dicitur aſſumptio, Ex his quæ infertur, concluſio nuncupatur. Cum enim ita dicimus, ſi homo eſt, animal eſt, homo autem eſt, animal igitur eſt: ea quidem enunciatio per quam dicimus, ſi homo eſt, animal eſt, propoſitio vel ſumptum vocatur, Ea verò quam huic adiunximus, eſt autem homo, aſſumptio dicitur. Tertia concluſio nominatur, per quam oſtendimus, eſſe animal, qui homo fuerit. Sed quoniam ſæpe euenit, vt propoſitionis enunciatæ conſequentia non ſit veriſimilis, propoſitioni ſæpe adiungitur approbatio, per quam id quod eſt poſitum, verum eſſe monſtretur. Aſſumptio quoque ſæpe ad fidem per ſe non videtur idonea, huic quoque iuuamen probationis adiungitur, vt vera eſſe videatur. Quo fit, vt ſæpe quinque partes, ſæpe quatuor, interdum tres hypotheticos ſyllogiſmos habere contingat: Nam quinque conſtabit partibus, ſi & propoſitio & aſſumptio probationibus indigebunt. Quod ſiue propoſitio ſiue aſſumptio probationum indigebit, quadripartitus eſt ſyllogiſmus. Quod ſi neutra eſt approbanda, tripartitus relinquetur: In hac verò ſententia & Marcus Tullius eſſe deprehenditur. In Rhetoricis enim, ſyllogiſmos quoſdam in quinque partitos eſſe, quadrupertitos alios confirmat. Quibus verò talium ſyllogiſmorum non placet partes vltra ternarium numerum propagari, ij propoſitionum probationes atque aſſumptionum non putant in ſyllogiſmi partibus ponendas: Neque propoſitionem eſſe, de qua ſyllogiſmus poteſt exiſtere, cui non conſentit auditor. Quod ſi per ſe dubia eſt, ea quæ propoſitioni dubiæ adiungitur faciens fidem eidem, cui adiungitur propoſitioni, facit vt idonea ſit ſyllogiſmo. Ac per hoc tunc incipit eſſe ſyllogiſmi propoſitio, cum talis per probationem redditur, vt ex ea aliquid colligi poſſit. Tunc verò aliquid colligi poteſt, cum probationis auxilio poterit ab auditore concedi. Quocirca membrum quoddam, & quaſi fulſimentum dubiæ propoſitionis vel aſſumptionis probatio eſſe videtur, non pars etiam ſyllogiſmi: Sed noſtra ſentẽtia ijs potius accedit, qui tribus partibus cõſtare eum pronũciant. Etenim quælibet probatio, quæ vel propoſitioni vel aſſumptioni copulatur, propoſitionis eſſe vel aſſumptionis probatio dicitur. Cum igitur non ad ſyllogiſmum, ſed ad propoſitionem vel aſſumptionem referatur, cuius eſt probatio, nõ oportet eam ſyllogiſmi propriè partẽ videri. Nam illud quod obijci poteſt, nullus ignorat, quòd partiũ partes, etiam totius partes eſſe dicantur, ſed plurimum refert, vt ipſæ ſint primitus partes totius: An in ſecundarum partium poſtremitate ponantur. Amplius, ſi ſit per ſe nota probabilis propoſitio, totus ſyllogiſmus probatione non indiget. Quòd ſi per ſe propoſitionis nulla fides eſt, neceſſe eſt vt ea propoſitio quodam velut teſtimonio probationis indigeat. Non igitur ſyllogiſmus probatione, in eo quod ſyllogiſmus eſt indigebit: ſed propoſitio, ſi fide propria deſtituta ſit. Idem etiam de aſſumptione dici poteſt. Quare manifeſtum eſt, eorum ſententiam proponendam, quòd ſyllogiſmus tribus partibus tantum iungitur. Præterea ſi quæ propoſitio probationis indigeat, vt eam vera fides ſequatur, aliquo demonſtrabitur ſyllogiſmo: Quocirca quidẽ fieri poteſt, vt rectè ſyllogiſmus, pars ſyllogiſmi ſimplicis eſſe dicatur. Ipſam enim probationem propoſitionis, ſyllogiſmũ vel ex ſyllogiſmo eſſe neceſſe eſt, hactenus admodum pulchrè Boetius. Ex quo patet, quod quemadmodum ſyllogiſmus categoricus propriè duabus

Quot ſint partes ſyllogiſmi hypothetici. Boetius.

constat præmissis & conclusione: sic & hypotheticus. si verò dictis pręmissis etiam suę probationes adiungantur, tunc videbitur quidē syllogismus pluribus constare pręmissis, quàm duabus, sed re vera non constabit, quia probationes adiunctæ nō sunt partes syllogismi, sed constituunt nouā argumentationē.

Diuisio syllogismi hypothetici.

Diuiditur syllogismus hypotheticus in conditionalem, copulatiuū, & disiunctiuū. Conditionalis dicitur, cuius prior præmissa est conditionalis. Copulatiuus, cuius prior propositio est copulatiua, &c.

Syllogism⁹ cōditionalis

Conditionalis duobus fit modis, quorū prior ab antecedentibus dicitur, Altera consequētibus. Syllogismus ab antecedētibus ad hunc fit modum, Si homo est rationalis, homo est capax disciplinæ, sed homo est rationalis, ergo homo est capax disciplinæ. Syllogismus verò a consequentibus nihil aliud est, quàm argumētatio ab opposito contrario vel cōtradictorio consequentis ad contradictoriū antecedentis. Nam ad contrarium antecedentis nō semper valet argumentatio, vt si homo est quadrupes, homo est brutū, sed nullus homo est brutum, ergo nullus homo est quadrupes. Prior modus omniū iudicio perfectus est & euidens, vndè & vltimo capite primi Priorū Analyticorum nullam habet probationem: sed posterior est imperfectus. hunc dicto loco primi Priorum ad hunc modū probatur ab Aristotele. Primū ergo, ꝙ ad oppositum consequentis sequatur oppositū antecedentis, ex hoc manifestum est, quia cuilibet ex necessitate inest antecedens vel eius oppositū, sed cui inest oppositum consequentis, huic non inest antecedens, cum antecedens inferat consequens, quod repugnat suo opposito, ergo oppositum antecedentis sequitur oppositum consequentis. Nec est ꝙ quis cauilletur, hanc probationem consequentijs terminorum duntaxat esse accommodatā: quia simili planè ratione confici potest probatio pro consequentijs propositionum, hoc modo, quolibet tempore necesse est antecedens vel eius oppositum esse verum, sed quando oppositum consequentis est verum, tunc antecedens non est verū, quia antecedēs infert consequens quod repugnat suo opposito, ergo oppositum antecedentis sequitur ex opposito consequentis. Addunt etiam tertium modum, quē a repugnantibus vocant, secundum quē (posita conditionali negatiua vera ex ijs partibus constante, quæ ita inter se pugnant, vt vna posita altera tollatur, & contra, vna ablata altera statuatur) ex positione antecedentis colligitur ablatio consequentis, & ex antecedentis destructione consequentis positio: & contra, ex positione consequentis antecedentis destructio, & ex eius destructione antecedētis positio, vt non si dies est, nox est, sed dies est, ergo nox non est. Item, Non si dies est, nox est, sed nox est, ergo dies non est: verùm hi videntur pręmissam illam conditionalem, Non si dies est, nox est, accipere quasi huic æquiualeat, si dies est, nox non est, ac proinde cum sic colligunt, non si dies est nox est, sed dies est, ergo nox non est, incidunt virtute in primum modum superius positum. Si verò sic. Non si dies est, nox est, sed nox est, ergo dies non est, incidunt in secundum.

Syllogismus copulatiuus.

Copulatiuus syllogismus duobus fit modis. Prior est, quando ex positione alterius partis propositionis copulatiuæ negatiuæ, infertur destructio alterius, vt nō & dies est, & nox est, sed dies est, nox igitur non est, vel nox est, igitur dies non est. Alter est, cum contra ex destructione alterius partis infertur alterius constructio, vt non & dies est, & nox est, sed dies non est, igitur nox est. Addunt quidam tertium, a negatione alterius partis copulatiuæ affirmatiuæ ad negationem totius, sed non videtur esse magni momenti. Is verò modus, secundum quem a veritate totius copulatiuæ, ad veritatem alterius partis progredimur, videtur non esse syllogisticus, quia non habet sumptionem.

Syllogism⁹ disiūctiuus.

Porro disiunctiuum syllogismum duobus etiam modis fieri tradunt. Prior est, cum ex positione alterius partis interimitur reliqua, vt aut dies est, aut nox est, sed dies est, ergo nox non est. Verùm hic modus solum habet locum in disiunctiuis, quæ constant partibus repugnantibus in veritate. Aliter est, cum vna pars disiunctiuę tollitur, vt altera pars affirmetur, vt Petrus aut dormit aut vigilat, sed non dormit, ergo vigilat. Hæc de syllogismis hypotheticis breuissimè dicta sufficiant, si cui fortè incesserit libido plura de his cognoscendi, legat Seuerinum Boetium, qui duobus libris infinitos propè horum syllogismorum modos est persecutus, magno quidem studio ac diligentia, sed nescio an pari fructu, maximè pro discipulorum turba, quam nos instituendam suscepimus,

F I N I S.

IN LIBRVM POSTERIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

EXpositio inscriptionis huius libri, ex procemio Priorum petēda est, & in memoriam reuocanda. Subiectum autē scientiæ huius seu materia, quā docet præsens opus, citra controuersiam est Demonstratio, hoc est, syllogismus demonstratiuus. Neq; hic quicq̄ retulerit, an demonstratiuus syllogismus vera sit species syllogismi, an tantum minus cōmune ac pars in modo, hoc est, aggregatum ex subiecto & accidente, de qua quidem re alibi fortassis certius quiddam determinabitur. Nam in scientia subalternata (qualem constat hanc esse ad ipsam logicam) nihil prohibet, subiectum esse eiusmodi, vt ex infra dicendis patebit. Propria vero passio subiecti, est generatiuum scientiæ. Cùm ergo tractationi huius voluminis subiecta sit demonstratio, quæ est proculdubio perfectissima specierum syllogismi, vt quę necessitati illationis etiam necessitatem materiæ seu partium cōniunxerit, cæteris probabilitatē vel apparentiam duntaxat adiungentibus, certum est, optimo iure, & ratione decentissima, post Priorum Analyticorum libros, vbi de syllogismo absoluto tractabatur, succedere & sequi. Habet autem hæc logices portio seu scientia de demonstrationibus magnam vtilitatem & momentum in omni scientiarum genere. Nam quum per solam demonstrationem acquiritur scientia, vtendum est sane hac disciplina, demonstrationum naturam rationemq; exprimente, ei qui nouam quampiam scientiam meditatur inuenire, & in lucem proferre, ac in illis quæ olim inuentæ & posteris relictæ sunt, artificium modusq; procedendi scientificus, hac ipsa tanquam certa quadam amussi deprehenditur & agnoscitur, sine qua nemo est, qui se quicquam scire certo possit cognoscere vel affirmare.

Huius disciplinæ materia.

Ordo.

Vtilitas.

In primum caput, quod de disciplinæ ortu atque præcognitionibus considerat, adnotatio.

QVemadmodum in principio secundi huius tradit Philosophus, cuiuslibet scibilis quatuor sunt demonstratiuæ quæstiones, certū inter se habentes ordinem, sine quarū solutione, nō potest perfecta rei notitia haberi, scilicet, An est, Quid est, Quia est, & Propter quid est, vt ibidem latius est declarandum. Quum igitur demonstrationem in numero scibilium posuerit, in propositione procemiali libri primi Priorum Analyticorū, sitq; ipsa huius scientię subiectum, neq; ab omnibus concessum sit eam esse, vt qui scientiam omnē conantur tollere, optima sane ratione in primo hoc capite ostendit Aristo. demonstrationē esse, ex effectu suo proprio, quoniam contingit scientiam in nobis ex præexistenti cognitione generari. Postea quoque reliquis quæstionibus tribus satisfacturus est, vt suis locis indicabitur, sicque (quemadmodum Alexander ait) demonstrando docet demonstrare. Comprehenditur autem præsentis capitis summa in quatuor omnino conclusionibus seu propositionibus, quarū prima procemij loco posita est hæc. Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua ex præexistenti fit cognitione. Quam ponit contra duas falsas de scientia (quam demonstrationis effectū & finē esse dicimus) opiniones. Vnā Heracliti & hunc sequentium, qui asserebāt, nihil posse sciri propter rerū ipsarū instabilitatē, vt narratur apud Arist. in quarto Metaphysicæ, vel quia omnia incerta sunt ob latentē veritatem ceu obrutā vel confusam, aut propter naturæ tenebras quasdam, & rerū inter se indistinguibilem similitudinē, quēadmodum dicebant Academici præsertim noui. De his plura desiderans cognoscere, adeat libros Academicorū Cice. & D. Augustini contra Academicos. Alteram Socratis atque Platonis, qui omnium Academicorum parens dicitur. Horum enim sententia aut nihil scimus, aut si quid scimus, id non recenter didicimus, sed prius cogniti reminiscimur, atque ita omnis nostra scientia nihil erit aliud, quàm quædam reminiscentia. Sed de hac re latius dicetur infra. Vtramq; ergo opinionem apertè exclusit Philosophus, statuens aliquam doctrinam & disciplinam, & hanc ex præexistente cognitione non sibi eadem, sed diuersa fieri, tanq̄ scilicet ex efficiente causa saltē partiali, quā non oportet ad solam sensitiuam notitiam limitare atq; restringere, quum ipse Aristot. in sequentibus manifestè & ex proposito declarat, qualia sint ante cōclusionis doctrinam (de qua ei hic sermo est) præcognoscenda. Accipimus enim doctrinam ac disciplinam, non vt quidam, pro omni notitia intellectus complexa vel incomplexa, apprehensiua vel indicatiua, siue versetur circa antecedens siue consequens, (qui quidem sensus licet verus sit,

Oīs doctrina & oīs disciplina.

Literæ priā conclusio.

Falsa Heracliti opinio.

Quid ī litera doctrina & disciplina.

quum

quum intellectiua cognitio ſenſitiuã prſupponat, non tamen perinde eſt huic loco conſonus, ſed pro certa euidentiq; cognitione, habita de concluſione per ſua neceſſaria principia, aut eti am generalius pro qualibet cognitione vera, vel ſaltẽ probabili, quæ ratiocinãdo acquiritur. Manifeſtè namq; falſorũ nemo dixerit eſſe doctrinã vel ſcientiam. Quòd ſi poſteriorẽ ſententiam à nobis approbatã amplexus fueris, dicas concluſionẽ literæ in eadem probari per inductionẽ. Sin autẽ prior magis arriſerit, vt propius ad intentionẽ Ariſtot. accedens, monſtrabitur tibi concluſio bifariàm, nimirũ inductione perfecta, in qua aſſumi videbis particulam, & aliarũ vnaquæq; artium (quæ æquipollet illi à Laurentio reiectę & reprobatæ, & ſic de cæteris) & argumento à ſimili vel minori, quum etiam argumentationes probabiles ſyllogiſticã vel inductiuã formam retinentes, quibus dialectici vtuntur, enthymemata quoq; & exempla, quæ rhetoribus ad veriſimile perſuadendum accommodata ſunt inſtrumenta, ex prius notis conceſſiſq;, ſuã qualemcunq; faciant doctrinã, hoc eſt, opinionẽ vel fidẽ. Triplex itaq; cognitio, virtute argumentationis & præexiſtentis cognitionis paritur, ſcilicet certa & clara, quam ſcientiam propriè dicimus: probabilis & veriſimilis ſeu coniecturalis, quã oratores ſectantur, quũ certioribus fortè deſtituti fuerint. Quamobrem aũt enthymema dicatur hic ſyllogiſmus, & exemplum inductio, ex in præcedenti libro dictis manifeſtũ eſſe poteſt. Porro doctrina & diſciplina, quæ in concluſione copulata ſunt, à ſcientia, & inter ſe nihil differunt, niſi quòd doctrina connotare videtur profectionẽ a docente, diſciplina verò receptionẽ in diſcente. Quo fit, omnem doctrinã dici poſſe diſciplinã, & non econtrario, omnem diſciplinã doctrinam. Huius rei teſtis eſt Faber, & ipſa loquitur dictionum ethymologia.

Quid ſit diſcriminis inter doctrinã & diſciplinam & ſcientiam.

Secũda concluſio q̃ eſt de pręcognitionibus & pręcognoſcendis.

Secunda cõcluſio, explicans quæ & quotuplex ſit præexiſtens cognitio, ex qua ſit doctrina atq; diſciplina, nec nõ quæ ſint præcognoſcenda, ibi ponitur. Dupliciter autẽ neceſſarium eſt, &c̃. & eſt hæc. Duplex ante illationẽ concluſionis demonſtrabilis habenda eſt præcognitio, ſcilicet quia eſt, ſeu potius quòd eſt, & quid eſt id quod dicitur. Præcognitio quòd eſt, eſt res qua præcognoſcitur rem eſſe, vel propoſitionem eſſe veram. Præcognitio verò quid eſt quod dicitur, eſt, qua præcognoſcitur quid ſit quod per vocabulum ſignificatur. Priorem attribuit Ariſt. principijs cõplexis ipſarum demonſtrationũ, ſecundam paſſionibus. ambas verò ſubiectis, vt patet ex eius exemplis, in quibus eſt illud principium cõmune ſeu dignitas, De quolibet eſt affirmatio vel negatio verã, quod omnem demonſtrationem virtute ingreditur, ſed non formaliter & explicitè, vt poſtea ſuo loco dicetur. Et ſub hoc intelligendæ veniunt propria principia, nempe præmiſſæ in demonſtrationibus aſſumptæ, quas non minus oportet præcognoſci eſſe veras ante ſcientiæ generationem. Secundum exemplum eſt triangulus, Accipiturq; hic concretè pro triangulari, vt ſignificet paſſionem cuiuſpiam, de qua loqui volunt primũ theorema primi libri geometriæ Euclidis, ſcilicet, ſuper datam lineam rectã triangulum æquilaterũ conſtituere. Ibi enim (autore Roberto Linconenſi) non tantũ oſtenditur linea in æquilaterum poſſe euadere, ſed & in triangulum. Tertium autẽ, nempe vnitas, ponitur vt ſubiectũ alicuius paſſionis. De hac traditur prima propoſitio in primo Arithmeticæ, quæ eſt hæc. Vnitatẽ eius ſolius numeri, qui proximus eſt, medietatẽ eſſe, Addit Boetius. Quare conſtat, primã eſſe vnitatẽ cunctorũ, qui ſunt in naturali diſpoſitione numerorũ, & eam ritè totius quamquis prolixæ genitricem pluralitatis agnoſci. Aliter hæc exempla reperies declarata apud Egidium Romanũ & nonnullos alios, nobis in re non magnopere neceſſaria aut vtili, non eſt diutius immorandũ. Hoc ſatis eſt admonuiſſe, nõ oportere ſubiectũ & paſſionem quæ hoc loco ab Ariſtot. aſſignantur, ad eandem referri ſcientiam.

Quid pcognitio hoc in loco, quæ præcognoſcenda, & q̃ pacto.

Pro pleniore autẽ huius concluſionis intelligentia notandum eſt, licet quæ hic dicuntur ad alia etiam notitiarũ genera fortaſſis aptè poſſent extendi, commodius tamen & congruentius ea ad ſolas demonſtratiuas ſcientias, hoc eſt, quæ demonſtratione pariuntur, & ſuperius doctrinæ diſciplinæq; ſunt nuncupatæ, applicari, vt præcognitio hic dicatur non quælibet cognitio alterã pręcedens, ſed ea tantum, ex qua diſcurſus diſciplinalis ſit. Deinde ſupponendum eſt, concluſionẽ ſcibilem conſtare ex ſubiecto & eius propria paſſione, tanquam prædicata affirmatiuè vel negatiuè, notitiam verò illius quã ſcientiam dicimus, neceſſario generari ex aſſenſibus duarũ præmiſſarum, cõpoſitarum ex illis eiſdem duobus terminis & tertio quodam adiuncto qui medium appellatur. Sunt igitur hæc ante ſcientiam concluſionis demonſtratæ pręcognoſcenda, ſed diuerſimodè. Verbi gratia, data hac demonſtratione, omne animal rationale eſt riſibile, & oĩs homo eſt animal rationale, ergo oĩs homo eſt riſibilis. Subiectũ eſt homo, paſſio verò riſibile, & animal rationale, medium.

Prima principia vnico modo præcognoſcũt.

Præmiſſas ergo necnon principia cõmunia, quæ demonſtrationem formaliter non ingrediuntur, oportet præcognoſcere tantũ priore pręcognitionis genere, nempe quòd veræ ſint, nõ autem

quid

quid sit id quod significent, cùm complexorũ per se non sit definitio, neq; quid rei, neq; quid nominis exponens, sed per accidens duntaxat, videlicet ratione partium suarũ incomplexarum, à quibus suam accipiunt significationẽ. De passione verò est præcognoscendum quid sit quod dicitur, hoc est, quid per nomen significetur. Alioqui enim non intelligerentur præmissæ, neq; conclusio ipsa scibilis. De subiecto verò passionis dicit Aristoteles, debere præcognosci, & quid nomen ipsum significet, & quòd res per nomen significata existat. Cæterùm quid sit, rem per subiectum significatam existere, non satis inter expositores conuenit. Quibusdam sanè videtur res per subiectum significata tunc esse, cùm est possibilis, aut cùm ficta non est, sed ex rerum vniuersitate sumpta, siue eius indiuidua semper existant, siue non, vt homo, linea, rosa, & similia. Hi pro ratione adducunt, quòd scientia omnis abstrahat ab actuali existentia, quæ accidit essentiæ rei, quòdq; principia demonstrationũ semper debeant esse necessaria, cuius tamen alioqui oppositum accideret, si rosam contingeret esse subiectum alicuius scientiæ. Ab his parum distant alij, dicentes, in scientijs realibus subiectum esse, si eius indiuidua aut semper aut certè temporibus suis existant. In scientiis aũt rationalibus volunt sufficere, subiectum existere secundum esse obiectiuum intellectus, quod an sit verum, aliis discutiendum relinquo. Verùm circa iam dicta existunt aliquot difficultates, quarũ prima est de propria passione. Anne etiam præcognosci debeat, quòd res per ipsam significata existat sicut res significata per subiectum. Secunda est de subiecto ipsius propriæ passionis, de quo tradi videtur initio secundi libri quòd præcognoscendum sit quid sit, seu quæ sit eius definitio, cuius tamen hic nulla sit mentio. Tertia est de medio ipsius demonstrationis, quod in demonstratione potissima semper est definitio ipsius subiecti, quid de ipso præcognosci oporteat. Ad primam difficultatẽ, omissis quorundam ambagibus videtur respondendum, quòd de passione quidem oportet præcognoscere, quòd non sit res ficta. Nam alioqui maior propositio seu principium non præcognosceretur esse verum, sed quia in demonstratione semper accipitur in modum accidentis, cuius esse est inesse, quod per ipsam demonstrationẽ vtcunq; ostenditur. Subiectum verò etiamsi alioqui accidens sit, tamẽ sumitur tanq; res per se subsistens, ac tanquam subiectum, in quo est ipsa passio. Hinc fit, vt Aristoteles dicat de subiecto peculiariter esse prænoscendum, quòd sit, non aũt de ipsa passione. Ad secundam dicendum est, duplicẽ esse demonstrationem. Alteram propter quid & potissimam, cuius medium semper est definitio subiecti. Alteram verò quia est, de quibus infrà. In priore demonstratione, ante conclusionẽ semper præcognosci debet, quid sit subiectum, non autem in posteriori, vndè Aristoteles initio huius libri tradens generales præcognoscendi modos, qui in omni demonstratione sunt necessarij, huius tertij modi qui demonstrationi potissimæ peculiaris est, non meminit. Ad tertiam verò respondendum est, Eandem esse debere medij & subiecti in hac parte rationẽ. Vt enim præmissis assentire nequeas ignorato subiecto quid significat, & an sit, ita similiter eueniret consentaneum fuerit, si circa medium alterutra harum ignorantiarũ laboraueris. Quomodo enim ignorans quid hoc nomine Non scintillans designetur, aut vtrùm quippiam sit non scintillans, certò intelliges, & assensu approbabis, quod non scintillat propè esse, aut planetas non scintillare. Non est ergo arbitrandum, certum & sufficientẽ numerum præcognoscendorũ ab Aristotele esse assignatũ, licet modos præcognoscendi omnes tradiderit. Tertia conclusio ibi tacta, Contingit aũt cognituri, &c. in qua vtcunq; tractatur, secundum quem modum prioris, præcognoscenda sint principia cõplexa, hoc est, præmissæ demonstrationum, est hæc, Demonstratiuè cogniturus conclusionẽ, prius tempore vniuersale principium cognoscit, scilicet, maiorem propositionẽ: aliud verò quod particulare est, plerunq; simul tempore discit cum conclusione, nempè minorẽ, per quam maioris vniuersalitas & amplitudo, ad propositũ subiectum applicatur, semper tamen prius natura, quia principij cognitio causa est scientiæ conclusionis. Verbi gratia. Is qui probè est in geometricis institutus, longè antè præcognouit, omnem triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, quàm sciat hunc singularem triangulum in semicirculo descriptum, tres angulos duobus rectis æquos habere. Verùm vbi inducens, id est, per sensum subsumens, didicerit, hunc quoq; triangulum esse (quæ est minor propositio) mox assentietur conclusioni, nempe hunc triangulum habere tres, &c. Addebatur aũt, Plærunq; quia potest euenire, vt cognito particulari principio, hoc est, minore, iam non in mentem veniat maior, aut hæc inter se non pertractentur, quo posito non sequeretur cognitio conclusionis, vt ex alibi dictis manifestum est. Deinde contingit etiam frequenter conclusionẽ cognitam, sed non sciram esse, ante omnis principij præcognitionẽ. Quod verò in litera subsequitur, Quorundam enim, &c. declaratio est eius quod mox præcessit, simul inducens



Quid cognoscendũ de subiecto.

Quid sit subiectũ existere.

Quæstio.

Alia quæstio

Tertia quæstio.

Responsio ad primã quæstionem.

Responsio ad secundã quæstionem

Ad tertiam quæstionem responsio.

Tertia literæ conclusio.

ducens cognouit. vult enim q; singularium simpliciter, quæ scilicet de nullo subiecto dicuntur, hoc modo, nempe per sensum inducendo, est scientia, id est, euidens firmaq; cognitio, & vltimum, id est, minus extremum contineri sub medio, non cognoscitur per aliquod medium prius, vt hunc triangulum esse triangulum. Sensus igitur nos docet, neq; ad hoc vllum potest medium adduci probatiuum à priori. Licet autem hic tantùm meminerit Aristoteles ipsorum singularium simpliciter seu indiuiduorũ, quia id satis erat exemplo proposito, non tamen arbitrandum est, non eandem etiam esse rationem in aliis minus communibus, quę simpliciter singularia non sunt, quum & hæc sub proximis potissimum generibus, sine medio noscantur contineri. Simili modo licet de demonstrationibus particularibus, hoc est, in quibus non est terminorũ inter se cōuertibilitas, potissimùm loqui videatur in conclusione, vt ex declaratione colligitur, non negandum est tamen, eam in cæteris quoq; veritatē continere. Cæterorum huius loci interpretationes, vt Themistij, Alberti, Egidij Romani, ac Fabri, & quodnam discrimen hic inter discere & cognoscere constituerint, prolixitatē fugientes, omisimus.

Quarta cõclusio.

Quarta conclusio assignata illic, Antequàm inductio fiat vel syllogismus, &c. est. Priusquã fiat syllogismus aut inductio (& eadem habenda est de cæteris quoq; argumentationibus ratio) cõclusio quam quis discit, quodammodo est præcognita, scilicet virtute in suo principio, simpliciter verò, hoc est, in propria forma, minimè. Hoc enim nisi dicamus, incidimus in ambiguitatem seu perplexitatem Menonis cuiusdam, Aristippi ac Gorgiæ discipuli, cui apud Platonē in dialogo de virtute (qui ab illius nomine Meno inscriptus est) persuadere nititur Socrates, & ad id perducere, q; impossibile sit nos inuestigando aliquid cognoscere, aut si inuestigando assequimur quippiam, cognoscimusq;, illud non recenter à nobis disci atque sciri, sed alias fuisse cognitum, & iam in memoriam reuocatum, sicq; scientiam nostram non aliud quàm reminiscentiam esse. In hanc sanè perplexitatē necesse est nos incidere, non vtentes prędicta distinctione præcognitionis in virtute, & in propria forma. Qui enim nunc sibi primum cognitam singularem dualitatem discere videtur esse parem, longè prius cognouisse probatur, quoniam omnem dualitatē esse parem præsciuit: sed solutio vera est, præsciuisse quidem eum in virtute ac in vniuersali, hanc dualitatē esse parē, non tamen simpliciter & in particulari, atq; in propria forma. sed hoc ipsum per syllogismũ iam recens addiscit, nõ ergo illud quod præsciuit, eo modo quo præsciuit discit, & proinde reminisci iure negatur. Dictum est autem de hac re & alibi. Neq; porrò magni roboris existit dilemma illud Socratis, Conclusio quam quæris, aut est tibi nota, aut non. Si nota, ergo discis quod nouisti, & ita tantùm reminisceris. Sin autem ignota fuerit, ergo quum inueneris eam necessariò nescies te scire illam, quam addubitando inquirebas, & consequenter non scies. Consequentia probatur exemplariter de quærente seruum fugitiuum, Si enim illum non nouerit, quum fortè inuenerit, nesciet se inuenisse. Id enim facilè soluitur per distinctionē geminæ cognitionis, quam de propositione quapiam possumus habere, scilicet apprehēsiuę, & iudicatiuę. Qui enim de propositionis veritate inquirit, nouit quidem ipsam apprehendendo quid significet, sed iudicium assensus ferre dubitat, donec ex præcognitis principiis certiorem firmauerit cognitionē. Ibi aūt in litera, Non enim conandum, &c. refutat ineptam quandam solutionē superioris rationis. Erant enim qui absurditatem illatam cupientes euadere, tergiuersando dicerent, non omnia singularia, scito vniuersali cognosci, sed tantùm ea, quæ nota sunt esse singularia illius. Verbi gratia, in cognitione huius, Omnis dualitas siue binarius est par, aiunt non omnem dualitatem cognosci esse parem, sed tantùm illas quas prædicta vniuersali cognitione informatus, nouerit esse dualitates. Atq; ita omnino negabant, conclusionem vllo pacto ante argumentationem quæ discitur cognosci, ex diametro scilicet repugnantes Platonicæ sententiæ. Hos igitur veluti inter illas contrarias extremasq; opiniones medius incedens Aristoteles, iure refellit, quoniam in vniuersali propositione non proponebatur, omnem dualitatem quam tu scis, vel quam alius quispiam agnoscit existere, parem esse. Sed de omni simpliciter dualitate, vt patet. Ignorantes ergo aliam veriorémque solutionem, ex necessitate sunt ad illam phantasiam tergiuersationémque compulsi. Cur in hac quarta conclusione textus, particulam (quodammodo) exposuerimus virtute, in suo principio scilicet, non autem in vniuersali, manifestum erit, si quis considerer cognoscere in virtute alterius, generalius esse quàm cognoscere in vniuersali. Quippe consequens inductionis virtute præcognoscitur in suo antecedente, non autem in vniuersali. Idem etiam vsu venit in demonstrationibus vniuersalibus adæquatum principium & conuertibile, non modò cum prædicato, sed & subiecto conclusionis assumentibus.

Dilemma Socratis.

In secundi capitis priorem partem, de Demonstrationis descriptionibus, aliisq; rationibus pertractantem, adnotatio.

OStensa in praecedenti capite syllogismi demonstratiui necessitate, auspicatur nunc Aristoteles tractationem quaestionis Quid est, de illo assignans in hac secundi capitis parte duas demonstrationis (Graeci ὁρισμοὺς appellant) finitiones cum aliis nonnullis eodem spectantibus. Ac statim quidem in principio indicat nobis definitionē ipsius scire, quod est finis demonstrationis. Ea est haec, Scire simpliciter & non sophistico modo, qui est secundum accidens, est causam cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa, & quod non est contingere hoc aliter se habere. Quę licet ab Aristotele per modum definitionis nominis assignetur, ac mox etiam probetur à signo, quia omnes tam qui re vera sciunt, quàm qui se scire putant, sic scientiæ nomine vtuntur: non absurdè tamen in definitionem rei naturam explicantem à nobis est commutata, præsertim quum ex superiori capite iam constet, rem ipsam esse. Definitum aūt multis restrictum est particulis, vt indicetur propriè esse accipiendum. Vsurpatur enim multis modis scientiæ vocabulum, vt indicat litera ibi, Si igitur & alius, &c. quos modos diuersissimè assignant expositores, nos breuitati studentes, Roberti Linconensis sententiam amplectemur, eò φ facilior videatur, & satis cōformis modo loquendi ipsius Aristotelis in diuersis locis. Is igitur enumerat quatuor significationes ipsius scire, hisce verbis. Non lateat nos, φ scire dicitur multipliciter. Communiter, propriè, magis propriè, & maximè propriè. Est enim scientia communiter veritatis comprehensio, & sic sciuntur contingentia erratica. Et dicitur scientia propriè comprehensio veritatis eorum, quæ semper vel frequētius vno modo se habent, & sic sciuntur aliqua contingētia naturalia, quorum est demonstratio cōmuniter dicta. Dicitur aūt scientia magis propriè, comprehensio veritatis eorum, quæ semper vno modo se habent. Et sic sciuntur in mathematicis tam principia quàm conclusiones. Quum autem veritas sit illud quod est, & comprehensio veritatis sit eius quod est. esse autem eius quod dependet ab aliquo, nō cognoscitur nisi per illud esse, à quo dependet, Manifestum est, φ maximè propriè scire dicitur, comprehensio eius quod immutabiliter est, per comprehensionem eius à quo illud habet esse immutabile, & hoc est per comprehensionem causæ in essendo & in causando. hoc est igitur simpliciter & maximè propriè scire, cognoscere causam incōmutabilem rei in se, & incōmutabilitatē in causando. Et respectu huius scire vocat Aristoteles alios modos sciendi, sophisticos & secundum accidens. Hactenus Liconensis. Ex quo patet, solùm quartum modum sciendi esse simpliciter & non sophistico modo dictum. Priores aūt modi dicentur sophistici, quia apparēt esse veri atq; proprij modi scientiæ, & non sunt. Neq; enim sunt per causam primam, sed aut per probabilia tantùm, aut per effectus, aut per causam non primam, aut per aliud quippiam simile. Sed nunc ad ipsius scire definitionē transeamus. Ea igitur sic habet, Scire, est causam cognoscere propter quam res est, quoniam illius est causa, & non est contingere hoc aliter se habere. Hanc definitionem accipiunt quidam concretiuè ad hunc sensum. Sciens est, qui causam rei cognoscit, &c. quem sensum satis videntur admittere verba textus, verùm si reddatur sicut eam statim retulimus, multo conuenientius accipientur infinitiui illi (scire) & (cognoscere) abstractim pro scientia & cognitione. Ita tamē, vt definitio non intelligatur in sensu formali, sed causali, quia scire non est cognitio causæ, sed est cognitio effectus per causam. Debet autem hæc causæ cognitio non qualiscunq; esse, sed certa, leu firma, ac euidens, acceptaq; in syllogismo euidenti. Qualem aūt oporteat hanc esse causam, ex inferius dicendis circa secundam definitionem demonstrationis est colligendum. Verùm quia non satis est, rem illam, quæ causa est, cognosci, nisi hæc ad effectum suum fuerit relata, & nisi cognoscatur euidenter illius esse causa, ideo in definitione subsequitur, quoniam illius, &c. abusiuè accepta particula (quoniam) pro quòd. Nam si quis apud Lunam constitutus videret terram interpositam inter hanc & Solem, nec aduerteret illam interpositionē esse causam eclypseos Lunaris, non sciret profectò cur Luna eclypsim patiatur. Hinc intulerunt quidam, omnem argumentationē qua paratur scientia, debere esse propositionem causalem, vt quia omne animal rationale est disciplinæ capax, & omnis homo est, &c̄. Vltimæ definitionis clausulæ, Et non est contingere, &c̄. ad quam verbum cognoscere est repetendum, duplicem inuenimus expositionē, & vtramq; satis huic loco congruentem. Vnam D. Thomæ, referentis pronomen (hoc) ad scibile, seu rem de qua in definitione sit mentio. hanc enim oportet esse necessariam, Alioqui de ea non haberetur certa perfectaq; noticia, qualis est scientia. Alteram Cōmētatoris, eandem orationis partem pro ipsa accipientis causa, quam necesse est esse ab effectu suo inseparabilem. Et hæc in idem recidunt.

Scire aūt opinamur vnumquodq; simpliciter.

Quatuor significationes scire. Robertus Linconensis

Scire definitio.

2

recidunt. Nam causam non potentem aliter se habere, sequitur proportionaliter effectus necessitas. Atq; hoc in declaratione expressit textus, inferens, Quare cuius est scientia simpliciter, id, &c̄. Nam impossibile, & non contingere, inter sese æquipollent, vt in secũdo Peri Her. dicebatur. Alius sciendi modus, cuius continuò meminit in supradicto loco, Si igitur & alius, &c̄. secundum omnes ferè intelligitur scientia habita per demonstrationem quia est, de qua apertius in primo cap. 4. tractatus huius libri.

Secunda scire definitio.

Deinde sequitur in litera, altera definitio scientiæ, in hunc ferè modum. Scire est per demonstrationem intelligere, id est, firmiter euidenterque cognoscere; quæ ex dicendis euadet dilucidior. Differt autem à priore, quoniam ibi causa efficiens principaliter continebatur, nempe præmissæ, aut res per eas significatæ, hic verò instrumentalis. Pendet enim demonstrationis causalitas, ex causalitate illarum.

Definitio demonstrationis.

Prior definitio demonstrationis sic habet, Demonstratio est syllogismus scientificus, Græcè dicitur ἐπιστημονικὸς, id est, faciens scire, pro quo corrupta exempla Latina ferè habent ἀποδεικτικὸν, quod sonat demonstratiuum, & magis definitũ, quàm definitio censeri debet. Hæc prior demonstrationis finitio breuissima, est per causam finalem data, quæ nihilominus verè est effectus definiti, tanquam efficientis causæ instrumentalis. Vndè patet, non absurdè hic esse commissum circulum in definiendo, nunc quidem demonstrationē, per facere scire, Prius autem ipsum scire, per demonstrationem, cùm id eueniat in diuersis causarum generibus. Posteriorem finitionem ex illis verbis, Si igitur ipsum scire tale est, quale posuimus, necesse est demonstrationē, &c̄. elicimus istam. Demonstratio est syllogismus ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, causisq; cōclusionis. Complectitur aũt hæc definitio causam materialem demonstrationis, quare per præcedentem, quæ finalem continebat, rectè probatur. Debet enim materia secundum exigētiam finis præparari seu attemperari, atq; hoc est quod mox dicit textus, syllogismum quidem posse esse sine his, quæ in definitione explicabantur, demonstrationē verò non posse sine illis consistere, quia non faceret scire. Vtriusq; autem definitionis definitum, propriè strictèq; est accipiendum, pro demonstratione scilicet ostensiua propter quid & potissima, vt cessent obiectiones de demonstratione per impossibile, constante ex altera præmissa falsa, & ea quæ quia est appellari solet, ab effectu procedens, vel à causa non immediata ac propria, de quibus alibi latius. Pro genere definiti sumendus est syllogismus. Addunt quidam perfectus & euidens. Non enim potest (inquiunt) obscura & ineuidens illatio claram perfectamq; adgenerare cognitionem, qualis est scientia propriè dicta.

Syllogismus imperfectus etiam generat scientiam.

Verùm falluntur, quia syllogismus imperfectus dicitur ineuidens, non quòd non possit apud doctos & studiosos claram & euidentem cognitionem generare, sed quia non statim cuiuis sanæ mentis apparet esse consequentia necessaria. Quanquam interim verum sit, Demonstrationem propter quid & potissimam non posse affirmatiuè fieri, nisi in prima figura, sed huius alia ratio est, vt latius dicendum est quinto tractatu huius libri. Præpositio (ex) in definitione hac insinuat habitudinem causæ materialis, ex qua res constat, tametsi in contextu literę, vbi hæc demonstratiuæ scientiæ applicantur, efficientis causæ magis designet circunstantiam, Ibi, Vera igitur esse, &c. incipit Aristoteles particulatim declarare atque probare iam dictam definitionem. Primùm ergo ostendit, rectè positam esse in definitione particulam (ex veris) quia quod non est, sciri non potest, id est, de conclusione falsa, siue ea fuerit impossibilis, siue contingens, non potest haberi scientia, cùm (vt antè dictum est) illud cuius est scientia simpliciter, impossibile sit aliter se habere, atque ita non modò verum, sed & necessarium esse debeat, quam quidem necessitatem, licet non apertè expresserit in hac definitione, satis tamen ex suprà infráque dictis, conuincitur requiri, tam quo ad præmissas, quàm ad conclusionem. Est igitur in definitione subintelligenda, ne syllogismis quibusdam ex merè contingentibus conueniat procedentibus & constantibus. Per esse igitur in dicta sententia Aristotelica, accipienda est non actualis existentia rei (quam Caietanus non vult esse necessariam ad demonstratiuam scientiam) sed veritas propositionis, vel si mauis, rem se ita habere, vt propositio significat, de quo in libro Prædicamentorum. Hic enim sensus planè congruit exemplo in litera, scilicet diametrum commensurabilem esse, de qua re in primo Priorum copiosius tractauimus, quum de primo præsupposito ageretur. Sed hic difficultas apparet,

Obiectio.

quomodo sequatur quod hic infert Aristoteles. Quod non est, sciri non potest, id est, conclusionem demonstrationis oportet esse veram, ergo demonstratio debet ex veris procedere, quum ipsemet in secundi Priorum capite secundo docuerit, ex falsis contingere verum syllogizari.

Dilutio.

Dicendum est autem, id optimè consequi, quando (quod hic contingit) antecedens supponitur esse causa conclusionis. Falsum enim non potest colligere verum tanquam causa.

Neq;

Neq; istud illo eodem in loco præterit seu tacuit, asserens verum ex falsis quidem syllogisari nonnunquam, non tamen propter quid, sed quia. Subsequentes duas particulas ex primis & immediatis monstrat ibi, Ex primis aũt & indemonstrabilibus, &c. (eadem enim sunt immediatũ & indemonstrabile) volens ex primis indemõstrabilibusq; esse scientiam seu demõstrationẽ. Quoniam ex demonstrabilibus, aut etiam altera demonstrabili non sciet quis conclusionẽ, nisi eorum antè habuerit demonstrationẽ, id est, nisi hęc illi per demonstrationẽ probata fuerint, & cognita. Sed hoc pacto non simpliciter, sed secundum accidens conclusionem eiusmodi demonstrationis ex demonstrabilibus & mediatis sciet, quum eius scientiam ex aliis accipiat, quæ illam non ingrediantur demonstrationem. quid sit primum & immediatum postea dicetur. Sequitur in litera, Causas quoq; & notiora & priora esse oportet, intellige ea ex quibus est demonstratio, seu scientia demonstratiua. Et primum quidem horum probatur ex superiori definitione scientiæ, quia tunc scimus, cùm causam cognoscimus. Et ex hoc ostendit vlterius, ꝙ priora sint & notiora, quoniam omnis causa inquantum talis, naturaliter prior & notior est suo effectu. Notiora autem oportet ea esse, non solùm notione quid sit, seu quid significent nomina, sed etiam quòd sint. Vt ad sciendum demonstratiuè eclypsim Solis, non sufficit cognoscere quid sit Lunæ inter nostros aspectus & Solem ipsum interpositio, sed nosse oportet, hanc interpositionẽ esse secundum ea quæ superius de præcognitionibus sunt determinata, Vel ad propositiones applicando, oportet non solùm cognoscere præmissas intelligendo earum significatũ, sed etiam firmiter & clarè præcognoscendo, ꝙ sint veræ. Alioqui ex eis non nisi necessitatem consequentiæ quis percipere posset. Licet enim quæ hic dicuntur, vel ad propositiones, vel res per ipsas potissimùm ratione medij significatas, conuenienter interpretando accommodare atq; referre. Et quoniam hæc in isto loco & similibus pari passu ambulant, quod de vno interim dicitur, de altero proportionaliter est accipiendum. Circa particulam (causis) vt cùm Aristotele retrogrado ordine proficiscamur, aduertendum, dupliciter causam solere distingui. Vnam in cognoscendo, ex cuius scilicet notitia in alterius notitiam deuenitur, quales sunt etiam plærunq; effectus & signa quædam. Alteram in essendo, videlicet ob quam res est, & non solum esse cognoscitur. Et de hac sola nunc esse sermonem patet ex eo, ꝙ scire superius definitum sit cognoscere causam, propter quam res est, veruntamẽ & hæc ipsa causa bifariam distinguitur. Quædam enim verè & realiter est causa alterius, cùm scilicet effectus à causa realem diuersitatem obtinet, vt interpositio Lunæ inter nos & Solem, comparatione elypseos solaris, Rationalitas respectu risibilitatis, iuxta sententiam Thomæ. Alia verò non est propriè causa, sed tantùm veluti ratio quædam seu principium, cur alicui quippiam insit & competat, à se non realiter differens, quomodo omnimoda immutabilitas Dei, dicitur esse causa æternitatis eiusdem, & immaterialitas animę, suæ immortalitatis: subiectum quoq; suæ passionis, si Scotum sequamur. Nonnulli hanc virtualem causam appellant, quia si illud, cuius causa dicitur causaretur, sufficiens in suo ordine causa illius esset, vt patet in exemplis iam datis. Neq; hoc tanq̃ cõmentitium est repudiandum, quum Aristoteles ipse in secũdo de cœlo & mundo testetur, sua verba quãdoq; taliter exponenda. Cùm enim probasset dextrum cœli esse orientem, quia inde incipit cœlestis motus, obiicit contra se sic, Motus cœli nunquã incepit, secundum prædeterminata in octauo Physicorũ, ergo falsò dicitur, ꝙ ab Oriente tanquam dextro incipit motus cœlestis. Et respondet, ꝙ motus cœli dictus est incipere ab Oriente, non ꝙ inde re vera aliquando sumpserit initium, sed quia si incepisset, inde incepisset. Vtramq; autem harum causarum non dubium est hoc loco causæ appellatione intelligi. Nam alioqui plurimæ demonstrationes metaphysicæ non comprehenderentur ista definitione. Quod autem de refutanda causa in cognoscendo tantùm dictum est, impugnatur à nonnullis, quoniam demonstrationes mathematicæ, quibus Aristoteles & omnis commentatorum eius turba vbiq; ferè in hac disciplina vtitur, tanquam potissimis, & propter quid demonstrationibus, non videntur procedere ex causis in essendo, sed cognoscendo tantùm. Nam propositionem seu conclusionem hanc primam apud Euclidem. Super data linea recta finita, triangulum æquilaterum constituere, Ioannes Campanus & Theon Græcus (interprete Zamberto Veneto) monstrat ex interfectione duorum circulorum super data linea vtrinque descriptorum. Et triangulum omnem habere tres angulos duobus rectis æquales, demonstrant ex angulo extrinseco, vt patet primo geometriæ Euclidis, propositione trigesima secunda. Hæc autem, angulum videlicet extrinsecum esse æqualem duobus angulis sibi oppositis, & descriptio circulorum super data recta linea sese intersecantium, non sunt causæ secundum esse eorum quæ demonstrantur, licet facilè fuerit concedere huiusmodi esse

Ex primis & immediatis.

Duplex causa.

di esse causas in cognoscendo. Nam etsi non sint neq; circulorum intersectio, neq; angulus trianguli extrinsecus, nihilominus super datam rectam lineam continget triangulum æquilaterum constituere, & omnē triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere. Ex geometria hæc allata sunt. Similia fortasse ex aliis disciplinis mathematicis adferri possent. Porrò hæc ex aliis eo recensuimus animo, vt occasionē huiusmodi rerum inuestigandarū præberemus iis, qui in illis disciplinis sunt versatiores. Neq; enim dialectici est, de demonstrationibus mathematicis atq; geometricis curare, an ex vera causa constent, nec ne, sed potius ipsius geometriæ. Atq; ob hanc causam non voluimus huic instantiæ planè diluendæ adhibere responsionē. Illud est cunctis indubitatum, Aristotelem in tradendis logicis vsum fuisse pluribus exemplis suppositiriis, tanq̃ germanis, quod an locum habeat in ea re quam diximus, mathematicorū atq; geometrarū esto iudicium. Deniq; particula huiusmodi quæ de causis agit, intelligenda est de causis prius explicatis, in quantum sunt causæ, quod planè constat ex definitione ipsius scire, de qua re, vti prędiximus, in sequentibus habendus est sermo prolixior. An autem idem sit adhibendum in cæteris prioribus particulis, lectori cōmittimus. Illud interim dicentes, aliud esse scire, & demonstrationem penes se habere: aliud cognoscere se scire, aut habere demonstrationem. Nihilominus fatemur ab Aristotele posterius dici, & ad scientiam propriè dictam necessariam esse necessarij cognitionem, etiam quatenus talis. Post hæc verò illic, Dupliciter autem sunt priora, &c. Pro maiori declaratione penultimæ & antepenultimæ particularū definitionis, distinguit duplicia notiora atq; priora. Quædam enim simpliciter & secundum naturam sunt talia, alia verò secundum nos. Non enim idem, saltem ratione ac conuertibiliter, est natura, & quo ad nos prius, neq; notius natura & nobis notius. Atq; hæc, vt apertiora sint, veluti definitionibus adiectis explanat, Ea dicens esse nobis priora notatioráve, quæ sensui sunt propinquiora, Simpliciter verò notiora atq; priora, quæ à sensu longius distāt, ac tandem subiungens huiusmodi esse maximè vniuersalia, vt remotissima sint à sensu. illiusmodi verò, nempe propinquissima, esse singularia, hoc est, indiuidua sensibilia, & hæc scilicet vniuersalia & singularia (vt exponit Thomas) inter sese opponi, siue oppositione prioris & posterioris, siue remoti & propinqui. Ex quibus sequitur, species quaslibet potissimùm rerum sensibilium, nobis esse notiores suis generibus, id quod etiam in fine secundi Posteriorū apertè dicitur, colligere scilicet nos & elicere ex multis notitiis indiuiduorū specie indifferentium, conceptum aliquem speciei, illa omnia communiter repręsentantē, & deinde ex multarū specierum conceptibus, per abstractionē eorum, in quibus hæ differunt, colligere vnam aliquam formam seu notionem generis, illas omnes communiter designātem. Verbi gratia, ex Socrate & Callia cognitis, colligere hominem. ex homine & leone, animal. ex animali & planta, corpus, & sic deinceps. Cæterùm vt hæc plenius percipiantur, admonendum est, eam descriptionem quæ de notioribus secundum nos est tradita ab Aristotele, congruam prorsus esse, & conuertibilem cum definito suo, non item illam, quæ de simpliciter notioribus assignabatur. Re vera etenim nobis cognitiora sunt, quæ magis sunt sensibilia, seu ex illis quæ per se sentiuntur, facilius sunt elicibilia. Nam omnis nostra cognitio à sensu proficiscitur, vt in libris de anima docebitur. Igitur nobis notissima esse constat singularia, non quælibet, sed sensui subiecta. Minimum verò nobis cognita, quæ ex sensibilibus tardissimè difficillimeq; deprehendi possunt & elici, vt Deum, substantias incorporeas, & maximè vniuersalia, quę natura notissima sunt. Nequaq; tamen necessarium esse putandum est, vt quicquid à sensibus magis est remotum, id est, difficilius sensu cognoscitur, vel ex sensu perceptis elicitur, sit simpliciter & secundum naturam notius. Esset enim notior homine secundum naturam scientia, vel aliud simile accidens insensibile, & species per aerem diffusa, albedine ipsa à qua profluxit, quod neutiquam est admittendum. Cùm enim secundum Arist. in secundo Metaphysicæ, sicut se habent res ad esse, ita etiam ad cognosci sese habeant secundum naturam, patet illud simpliciter & natura notius censeri debere, ꝙ secundum substantiam suam atq; naturam est perfectius, & proinde cognoscibilius. quum vnumquodq; in se tantùm sit cognoscibile, quantum habuerit essentiæ seu actus & perfectionis, vt dicitur in nono Metaphysicæ, sicq; ab intellectu diuino ac angelico cognoscatur, licet noster propter hebetudinē quandam & obscurationem ex colligatione corporis materialis, & ad inferiora deprimentis contractam, non nisi quantum sensuum corporalium ministerio perceperit, aut inde elicuerit, valeat comprehendere. Et hoc est, quod Aristoteles in principio secundi Metaphisicæ dicit, ꝙ difficultas intelligendi metaphysicalia, in nobis est, hoc est, ex debilitate potissimùm nostri intellectus próuenit. Nam sicut oculi nycteridum, id est, vespertilionum sese habent ad lucem diei, sic & animæ nostræ

Notiora simpliciter, & notiora quo ad nos.

Definitio eorum quę sunt simpliciter nota, non est exacta.

nostræ intellectus, ad ea quæ sunt omnium manifestissima naturæ. Sed illi quod hoc in loco & aliis compluribus asseuerat Aristoteles, remotissima esse à sensu, quæ maximè sunt vniuersalia, ideoq; nobis difficiliora esse cognitu, quàm singularia, & quæ his sunt viciniora, planè videtur obstare, & ex diametro pugnare, quod ab eodē in principio statim primi libri de Auscultatione physica elatum est, & positū, Nempe vniuersalia prius nobis esse manifesta, quàm singularia, & iccirco in disciplinis ab vniuersalibus tanquam nobis notioribus, ad singularia minusq; communia procedendum esse. Hæc obiectio sanè multos torsit, adeò vt scriptor quidam egregius, discussis eruditorum quorumq; responsionibus, tandem concludat, sibi videri, hunc nodum nulla ratione posse dissolui, sed alterum locorum Arist. necessariò falsitatis esse damnandum. Verùm quomodo hæc solutio digna sit grauitate tanti Philosophi, non satis intelligo. Nobis igitur sic videtur esse respondendum, Cognitio est duplex, quædam sine compositione & diuisione, quæ in simplici rei apprehensione consistit. Alia verò est composita & adhæsiua, qua assentimur aut dissentimus alicui propositioni. De priori loquitur Aristoteles initio Physices dicens, quòd confusa seu magis vniuersalia sunt nobis notiora minus vniuersalibus, id est, quòd res quælibet oblata, prius à nobis apprehenditur conceptu generis quàm speciei, vt conceptu corporis quàm conceptu animalis. Ex quo sequitur, quòd in omni disciplina prius definienda sunt magis vniuersalia, quàm minus vniuersalia, quia quod prius in nostram apprehensionem cadit, prius est definiendum, Sed in hoc loco & vltimo capite secundi libri Posteriorum loquitur Aristoteles, de cognitione composita, & adhæsiua, qua assentimur vniuersalibus propositionibus, ex quibus fit demonstratio (vt ex litera patet) secundum quam sine dubio ea nostræ cognitioni sunt proxima, quæ sunt minus vniuersalia, & contrà longissimè distant, quæ sunt maximè vniuersalia. Nam (vt docetur secundo libro Priorum capite de inductione, & vltimo capite secundi libri Posteriorum) principia cognoscũtur à nobis inductione, quæ per omnia fit singularia (nam principia in demōstratione vniuersaliter sunt sumenda) Porrò quanto inductio pluribus constat singularibus, quæ experientiam requirunt, tanto difficilius innotescit. Et ideo quanto principium aliquod communius est, pluraq; sub se complectitur, tanto difficilius à nobis cognoscitur, etiamsi certissimum naturaq; notissimum. Et contrà, quanto est minus commune & pauciora sub se continet, tanto facilius innotescit. Verbi gratia, Longè difficilius est experientia didicisse, omne corpus subiectum qualitatibus primis esse corruptibile, quàm omne animal rationale esse disciplinæ susceptibile, & sic de cæteris. Hanc solutionem nobis indicauit Beatus Thomas, interpretans secundum caput primi Metaphysicæ. Vbi Aristoteles volens ostendere eius scientię dignitatem ac sublimitatem, sententiam huic loco simillimam protulit, dicens, ferè difficillima sunt ea hominibus ad cognoscendum, quæ maximè sunt vniuersalia. Nam à sensibus sunt remotissima, quem locum Thomas cum eo quod in principio Physicorum habetur conciliaturus, sic scribit. Dicendum est, quòd magis vniuersalia secundum simplicem apprehensionem sunt primò nota. Nam primo in intellectu cadit ens, vt Auicenna dicit, & prius in intellectu cadit animal, quàm homo. Sicut enim in esse naturæ quod de potentia in actum procedit, prius est animal, quàm homo; ita & in generatione scientiæ prius in intellectu concipitur animal, quàm homo. Sed quantùm ad inuestigationem vniuersalium proprietatum & causarum, prius sunt nota minus communia, eo quòd per causas particulares, quæ sunt vnius generis vel speciei, peruenimus in causas vniuersales. Ea autem quæ sunt vniuersalia in causando, sunt posterius nota quo ad nos, licet sunt prius nota secundum naturam. hactenus Thomas. Ex cuius verbis satis colligitur dicta solutio. Nam in primis interpretans id quod habetur in principio libri Physicorum, Dicit, quòd magis vniuersalia secundum simplicem apprehensionem sunt prius nota, Nam primò in intellectu cadit ens, &c. Deinde ostendens, quomodo etiam verum sit, quod & hic & in Metaphysica dicitur, addit, quòd minus vniuersalia sint nobis notiora vniuersalioribus quantū ad inuestigationē vniuersaliū proprietatū. Igitur vt ad institutū recurrat oratio, geminā hanc priorū & notiorū distinctionē attulit Philosophus, vt aduerteremus, demonstrationē omnē ex notioribus & prioribus, simpliciter seu secūdum naturā debere progredi. Hic iam si dixeris, habetur in principio Physicorū, quòd à natura sit hæc nobis insita cognoscendi via, vt à notioribus nobis proficiscamur. Id quod etiam repetitur quarto capite primi Ethicorum. Sed demonstratio omnis ferè ex iis procedit, quæ nobis sunt ignotiora, ergo nullus est nobis demonstrationis vsus, neq; institutioni nostræ accommoda est. Respondēdum, quòd demōstratio quidem (vt ait Themistius) ad mensurā nostri ingenij se non submittit, sed rectam tenet ad veritatem viam, nec quid ipsi possumus attendit,

Solutio.

Duplex cognitio.

Thomas.

Obiectio

sed

ſed in ſolam rei naturam incumbit, illam veſtigat, illam explorat, etiamſi nobis ignota inconſpectáque ſit. Non tamen ob id inutilis efficitur, quia contingit frequenter, vt id quod eſt naturâ notius, ſit etiam notius quoad nos, ſicut accidit in Mathematicis, & in his fiunt demonſtrationes ex iis quæ ſunt ſimpliciter notiora. In naturalibus verò, in quibus principia nobis ferè ſunt effectibus ignotiora, demonſtrationes fiunt ex effectibus, qui tantùm ſunt notiores quo ad nos. Quòd ſi quis fortè etiam in his conetur per principia demonſtrare, non video quid aliud ſit conſequuturus, quàm vt humanæ mentis imbecillitatē arguat, quæ in nycteridum morem ad manifeſtiſſima obſtupeſcit, minus verò manifeſta, clarius intuetur. Nam ex ignotis principiis nullam faciet concluſionis fidem. Sequitur deinde in textu. Ex primis autē eſſe, nihil aliud eſt, quàm ex propriis principiis eſſe. Addit propriis, quia principia cōmunia nō ingrediuntur demōſtrationē, quanq; alioqui etiam principia & propoſitiones immediatę nūcupētur, vt infrà patebit.

Prima propoſitio ſeu principium.

Prima propoſitio ſeu principium eſt propoſitio neceſſaria, quę per priorem ſyllogiſticè oſtendi non poteſt. Porrò quia nulla propoſitio poteſt per priores ſyllogiſticè oſtendi, niſi habeat medium per quod oſtendi queat prædicatū de ſubiecto, hinc fit, vt prima propoſitio ſeu principium, & propoſitio immediata re vera non differant, ſed ſolùm etymologia nominis.

Propoſitio immediata.

Eſt igitur immediata propoſitio, qua non eſt alia prior, intellige, per quam poſſet ſyllogiſticè oſtendi. Addo, per quam poſſet ſyllogiſticè oſtendi, ne quis nobis obiiciat cōmuniſſima principia, quæ in veritate quidem cæteris ſunt priora, & notiora, ſed tamē non ſunt idonea, vt alia ex ipſis ſyllogiſticè oſtendantur, quia neq; in termino vllo cum ipſis cōmunicant, neq; medium ipſorū continent, id quod tamen eſſet neceſſum. Nam alioqui ſyllogiſmus quatuor terminis conſtaret, dareturq; præmiſſa, quæ non contineret alteram extremitatem in concluſione poſitam. Pro declaratione prædictæ definitionis, ſubiectę ſunt ab Ariſtotele aliquot aliæ definitiones.

Definitio propoſitionis. Propoſitio dialectica.

Prima eſt, Propoſitio eſt altera pars cōtradictionis, vnum de vno complectens, id eſt, propoſitio eſt affirmatio vel negatio aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo enuncians. Secūda eſt, Dialectica propoſitio eſt, quę ſimiliter vtramuis accipit, id eſt, quæ ſic proponitur ac interrogatur ab opponente, vt liberum ſit reſpondenti vtrámuis contradictionis partem eligere, quia opponens vtrámuis partem ad ſuam diſputationem aptare poteſt. ex quo colligunt quidam, in probabilibus ſemper vtramque partem contradictionis eſſe probabilem., Sed malè, ſicut latius declarandum eſt in Topicis, circa definitionem probabilium.

Propoſitio demōſtratiua.

Tertia definitio eſt, Propoſitio demonſtratiua eſt, quę determinatè alterum quod verum eſt, id eſt, quæ ſic interrogatur ab opponente, vt non relinquatur reſpondenti liberum, vtrámuis partem accipere, ſed alteram dumtaxat, quam ad ſuam diſputationem poteſt accommodare. Notant quidam, coniunctionem quòd, in definitiòne poſitam eſſe pro coniuctione cauſali quoniam, aut ſimili, quod an ſit neceſſarium, aliorum eſto iudicium.

Quid enunciatio. Quid contradictio.

Quarta definitio eſt, Enunciatio eſt contradictionis quælibet pars, intellige, integralis. Sumitur enim contradictio pro duabus contradictoriis propoſitionibus. Quinta eſt, Contradictio eſt oppoſitio, cuius non eſt medium ſecundum ſe, hanc in poſtprædicamētis interpretati ſumus de terminis contradictoriis. Intelligentes per medium rem ſingularem exiſtentē, de qua neutrum diceretur, quę expoſitio huic loco non conuenit, quia de propoſitionibus accipi debet. Verùm quid intelligendū ſit per medium, non immeritò dubitauerit quiſpiam. Nam quod tradunt quidam, per medium accipiendum eſſe aliquod ſuppoſitū ſubiecti, pro quo ambæ propoſitiones veræ aut falſæ redderentur, ſomnio ſimile eſſe videtur, quia neque in contrariis, neq; in ſubcontrariis propoſitionibus reperitur tale medium. Nobis igitur per medium inter aliquas propoſitiones, accipienda videtur tertia quædā propoſitio conſtans

Quid medium.

iiſdem terminis, quę cum neutra in veritate, aut cum neutra in falſitate conſentiat, vt hæ propoſitiones, Quidam homo ſtudet, & quidam homo non ſtudet, ſunt inter has cōtrarias medię, Omnis homo ſtudet, & quidam homo non ſtudet, quia cum neutra cōſentiunt in falſitate. Similiter hæc, Omnis homo ſtudet, eſt media inter has, quidam homo ſtudet, & quidam homo non ſtudet. Additur in definitione, ſecundū ſe, ad excludendas cōtrarias, quæ non poſſunt ſimul eſſe falſæ, & ſubcōtrarias, quæ non poſſunt eſſe ſimul veræ. Nam licet inter huiuſmodi propoſitiones oppoſitas nullum ſit medium, id tamē non cōpetit eis per ſe, ſeu ratione ſuę formæ, ſed ſolùm ratione materię, quia facilè dantur alię ſimiles, inter quas datur medium. Poſt hæc diuidit Ariſtoteles Principia immediata, in poſitionē & dignitatē.

Poſitio.

Poſitio eſt propoſitio immediata, quam non eſt monſtrare, neq; docēdum habere neceſſe eſt, id eſt, poſitio eſt propoſitio immediata, quę licet nō poſſit oſtendi à priori, nō tamē opus eſt vt à quolibet docēdo præſciatur, ſed accipienda eſt à docente. Definitio verò, de qua poſtea diſſeritur, analogicè dicitur poſitio,

positio, & ideo reijcienda est ab hac definitione. Dignitas verò est propositio immediata, quam quemlibet docēdum necesse est habere, id est, quam necesse est omnes homines, qui doceri quicq; velint, antè cognoscere, sine præceptoris opera, quàm aliquid doceantur. Nam qui habita terminorū cognitione tam stupidus est, vt huiusmodi propositioni non videat esse acquiescēdum, cęcus est, & ad disciplinam capessendam inutilis. Huius duę sunt species, Vna ad ea duntaxat pertinet, quæ certo genere continentur, qualis est illa, Si ab æqualibus æqualia demas, &c. Altera verò generalis est, & in omne genus fusa, vt quodlibet est vel non est: de quolibet est affirmatio vel negatio vera. Post hæc dicit Philosophus, quòd positio superius definita, quæ vtramuis partem accipit, esse inquam quippiam, aut non esse, suppositio dicitur: id est, positio quæ est affirmatio neq; negatio, suppositio dicitur. Definitio verò, quia neq; affirmatio neq; negatio dicitur (nam est oratio imperfecta) positio tantùm dicitur. Cæterùm quid sit definitio, in Topicis dicetur. Definitionē autem esse positionē, probat Philosophus, quia Arithmeticus ponit, vnitatē esse rem quantitate indiuisibilem, hoc est, ponit, & non demonstrat hanc vnitatis definitionem, Res secundum quantitatē discretam indiuisibilis, non habens in continuo positionē, & quæ principium numeri sit, &c. Sed hæc suppositio non est, cùm non sit affirmatio vel negatio. Nam definitio iam data vnitatis, & propositio significās vnitatē esse, vt hæc vnitas est, imò significans vnitatē esse rem quantitate indiuisibilem, vt est, vnitas est res quantitate indiuisibilis, &c. secundū se totam accepta, non tantùm ratione prædicati, vt sumebatur in illo loco. ponit enim Arithmeticus vnitatē esse quantitate indiuisibilem, non sunt eadem quantum ad hunc locum attinet, siue ad sumēdam denominationē illius nominis suppositio, quod exigit, vt id de quo prædicatur sit verū, affirmatiuum, vel negatiuum. Enunciatio igitur, in qua prædicatur definitio essentialis de suo definito, est positio & suppositio. Definitio aūt secundum se sumpta, est positio quædam, sed non est suppositio, nisi virtute quadam, atq; secundum potētiam, quomodo etiam est propositio, eò q; cognita definitione (vt habet D. Thomas) statim apparet definitionem de definito prædicari.

Dignitas.

Suppositio.
Definitio.

In secundam partem, monstrantem magis credendum esse præmissis quàm conclusioni, scholia.

Quoniam aūt conclusionē scimus.

IN hac secunda parte explicat, quomodo principia sunt notiora, potissimùm per duas conclusiones. In priore comparat principia ad conclusiones illatas, quæ est huiusmodi, Principia demonstrationis non solùm prius nota sunt conclusione, sed etiam magis firmius, & euidentius nota. Quam probat duabus rationibus. Vna est ostensiua, robur suum trahens ex hac vulgari maxima, Semper propter quod vnumquodq; est, illud magis est, vt si quis diligit præceptorem propter puerum discipulum, magis diligit puerum discipulum. Hanc sic explicat Themistius, quem plerię sequuntur expositores, Semper id quod pluribus tribuitur, ita vt alteri propter alterum tribuatur, necesse est vt illi plus competat, propter quod alteri communicatur. quæ maxima videtur esse vniuersaliter vera, significatis duabus conditionibus, Prior est, vt causa quæ sumitur sit positiua ac principalis. Nam non sequitur, filij sunt parui, quia parentes, qui eos genuerunt parui erant, ergo parentes fuerunt filiis minores. Item, Amo virtutem, quia amo voluptatem, quæ ex virtute percipitur, ergo magis amo voluptatem, quia in priore sumitur causa priuatiua, in posteriore verò causa minus principalis. Altera conditio est, vt id in quo fit comparatio, possit suscipere magis & minus, & cum diuersitate participetur ab iis quæ inter se comparantur. hinc non sequitur, Homo est risibilis, quia animal rationale est risibile, ergo animal rationale est magis risibile. Item homo intelligit, quia anima eius intelligit, ergo anima magis intelligit, quia in vtroque exemplo, id in quo fit comparatio, sine diuersitate ambobus communicatur, & præterea in priori exemplo id etiam non suscipit magis & minus. Quòd si roges, In quo genere causæ accipienda sit hæc maxima. videntur posse assignari exempla in quolibet genere, saltem largè loquēdo. In genere causæ efficientis, vt Luna est lucida, qua sol est lucidus, ergo sol est magis lucidus. Finalis, vt milites amant conflictum, quia amant lucrum, ergo magis amant lucrum. Materialis, vt lapis est natura grauis, quia terra, quæ in eo dominatur, est natura grauis, ergo terra est natura grauior lapide. Formalis, vt materia est cognoscibilis, quia forma est cognoscibilis, ergo forma est magis cognoscibilis. Ibi, fieri autem nequit, &c. Ponit Aristoteles secundam rationem ducentem ad impossibile, hoc modo, Principia cognoscuntur ante conclusionem, vt dictum est prius, & sic quando principia cognoscuntur, conclusio nondum est cognita, si igitur principia non cognoscantur magis conclusione, sequitur quòd conclusio (de qua neq; habetur scientia, neq; melior quispiam habitus intellectus) sit nobis notior, aut æquè nota cum principiis, quæ firmiter & euidenter cognoscimus, hoc autem est impossibile, ergo

Expositio maximæ in litera positę Themistii.
Prima conditio.

Secunda.

In quo genere causæ accipienda sit hæc maxima.

Obiectio. necesse est principia esse magis nota cõclusione. Sed obiicies, hæc ratio solùm ostendit, ꝙ principia sint notiora conclusione eo tempore, quo principia sunt nota, & conclusio nondum est nota, sed cõclusio textus videtur continere non solùm ꝙ oporteat principia magis cognosci quàm cognoscatur cõclusio, eo tempore quo cõclusio nondum est nota, sed etiam postquã ex principiis ostensa est, ergo non satisfacit proposito.

Solutio. Respondendum negando cõsequentiam, quia ex eo quòd principia ex natura sua sunt nata prius cognosci quàm conclusio, sequitur etiam ꝙ nata sint magis cognosci, quia quanto aliquid prius natum est cognosci, tanto magis natum est cognosci, & contrà. Annotant aũt autores, Aristotelem expressè insinuare, se loqui de scientia habita per demonstrationẽ. quia si scientia per sensum haberetur & per effectum, magis scirentur cõclusiones quàm principia. imò sic contingeret scientem conclusionẽ, principia ignorare, qualis est is qui per sensum videt Lunam deficere, & scit Lunam eclypseos passibilem esse, ignota interpositione terræ inter Solem & Lunam. Quod aũt admonet, scire accipiendum esse largè, vt etiam principiis tribuatur, ita hoc est manifestum, vt annotatione non indigeat. Porrò illud non est prætereundum, cur dixerit & in conclusione, & in hac secũda ratione sub disiunctione, Aut omnia, aut aliqua principia. Nos breuiter dicemus, ideo hoc dictum esse ab Aristotele, quia non semper fit demonstratio per omnes causas, sed nonnunquàm per pauciores, aut vnicam. Per omnes tamen, si res ipsa scibilis debeat esse perfectè scita. Quare necesse erit, aliqua principia propria, de quibus putamus Aristotelem agere, esse prius nota & notiora conclusione per demonstrationem scita, non autem omnia, nisi conclusio per demonstrationem perfectissimè sciatur. Alias expositiones apud D. Thomam, Egidium & alios poteris experire. Verùm hæc nobis magis placet, & sequẽtibus quibusdam magis est consentiens.

Secunda cõclusio literæ. Secunda conclusio assignata, ibi, Atq; ei qui scientiam est habiturus, loco cuius aliter legitur apud Boetium & alias omnes translationes, quas vidimus, in hunc modum. Debentem aũt habere scientiam per demonstrationẽ, non solùm oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quàm ei quod demonstratur, sed neq; aliud ipsi credibilius esse, neq; notius oppositis principiis, ex quibus erit syllogismus contrariæ deceptionis. siquidem oportet simpliciter scientem immutabilem esse. Ex quibus quidem verbis non rectè colligitur pro hac conclusione, ꝙ oportet principia esse notiora oppositis principiorum, quantum ad ipsorum falsitatem. Nam id nequit esse. Quanto enim notius est principium in veritate, tanto notius est oppositum principio in falsitate, sed pro conclusione sumendum est, ꝙ ei qui per demonstrationẽ scientiam acquirit, non solùm notiora sunt principia in veritate suis cõclusionibus, sed etiam illi oportet magis nota esse in falsitate opposita principiorũ, conclusione falsa inferenda ex ipsis. vt data hac demõstratione, omne animal rationale capax est disciplinæ, & omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo est capax disciplinę, illi qui habiturus est scientiam cõclusionis per eam demonstrationẽ, non solùm magis notũ est omne animal rationale est disciplinæ capax, & omnem hominẽ esse animal rationale, sed etiam magis notũ oportet esse falsum, nullum animal esse capax disciplinę, quod est oppositũ illi principio vero, quàm notum sit falsum esse, nullum hominẽ esse capacem disciplinæ. Ex hoc autẽ opposito principij fit hic syllogismus deceptionis, quæ cõtraria sit scientię conclusionis illius, omnis homo est disciplinæ capax. Nullum animal rationale est disciplinæ capax, omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est capax disciplinæ. Est aũt syllogismus contrariæ deceptionis is, qui ex oppposito principij falsam colligit conclusionẽ, quem constat discretũ esse à syllogismo falsigrapho. Id quod in fine dicitur, Eum qui simpliciter seu propriè dictam scientiam est consecutus, nunquam ab ea persuasione vlla posse dimoueri, intelligendum est, retẽta cognitione ipsorum principiorũ. Experientia enim cognoscimus, aut morbo graui, aut longi temporis lapsu, & principia, & conclusiones scibiles tradi obliuioni.

Sũt aũt quibus nihil videtur posse sciri.

In tertium caput, quorundam antiquorum errores refellens, scholia.

Vt absolutior habeatur cognitio scientiæ demonstrationis, atq; aliorum quæ prius sunt tradita, in huius tertij capitis initio, mox proponit Philosophus duos antiquorum errores, qui ex prius dictis perperam intellectis traxerunt originem, quorum vnum est, Principia oportere prius esse cognita. Alterum, Demonstrationem esse syllogismum facientem scire.

Prior antiquorũ error. Prior error (teste Alberto) est Heracliti ac sequacium, vnanimi consensu asseuerantium, nihil posse simpliciter sciri.

Posterior. Posterior ascribitur Empedocli, arbitranti omnem scientiam humanum intellectum posse assequi. Cæterùm hi, & si longius à se inuicem dissideant, eidem innituntur basi atq; fundamento, Huic videlicet, Quicquid scitur, per demonstrationem sciri. Deinde allata vtriusq; opinionis ratione, Aristoteles media via veluti tutissima incedens, in lite-

in litera, ibi, Nos autem non omnem, &c. ostendit confutando priorum opinionem, Non omne quod scitur, hoc est, aliqua certa, firma, atq; euidenti notione cognoscitur, sciri per demonstrationem, acceptam vti prius descripta est. Nam principia per se nota, vt sunt dignitates, communesq; animi cōceptiones, non hac via à nobis cognoscuntur. Item neq; principia propria, quæ non sunt per se nota, quemadmodum posterius fusius explicabitur. Posteriorem aūt errorem in litera, ibi, Quod autem circulo simpliciter, &c. tollit tribus aut quatuor (vt contendunt quidam) rationibus. Nam post secundam in versione Boetiana legitur, Atque verò neque hoc possibile est, nisi in iis quæ alternatim sese consequuntur, sicut sunt propria, quam textus portiunculam in paucis exemplaribus reperimus prætermissam. Porrò prima ratio ad id inconueniens deducit, Idem eiusdem comparatione esse prius & notius, posterius & ignotius, vel secundum naturā, quod quidem est impossibile, modo intelligatur in eodē causarum genere. Nam in diuersis causarū generibus, palàm est ex diuersis Aristotelicis locis, aliqua sibi inuicem esse priora & notiora, vt deambulationem atq; sanitatem, & reliqua quæ sibi mutuò possunt esse causæ. Secunda autem ratio principij petitionem explicitam aut latentem continet, quam necesse est vitare demonstratorem, præsertim in potissimis demonstrationibus, quarum curam hoc in loco suscipit Aristoteles. Cæterùm cum his duabus rationibus quis posset causari, illos antiquos non de potissima demōstratione egisse, sed alia qualisqualis ea fuerit. duabus subsequentibus rationibus monstrat, non omnia vera quę sciuntur, valere colligi syllogismo circulari, eò q̃ hic terminos requirat conuertibiles, & plurimæ sunt demonstrationes, quæ non conflentur ex recurrentibus terminis, sed iis quorum vnus alio est cōmunior, quamobrem particulares dicuntur demonstrationes, cuiusmodi est hæc ratione maioris extremitatis communioris. Omne corpus animatū sensibile est mobile, & omne animal est corpus animatum sensibile, est igitur omne animal mobile. Talis est, quemadmodum asserit Robertus Linconiensis, prima geometrica demōstratio, qua probatur, super quācunq; lineam rectam datam, triangulum æquilaterum constituere. Item & hæ propter minoris extremitatis strictiorem aut ampliorē significationē. Omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales, sed omnis æquilaterus est triangulus, habet igitur omnis æquilaterus tres angulos duobus rectis æquales. Omnis triangulus habet tres, &c. at quædam figura est triangulus, igitur quędam figura habet tres, &c. Nam si circulo quis nitatur monstrare illius primæ demonstrationis minorē, & huius secundæ maiorem, ex conclusione & alterius præmissarum conuertente, hos constituet syllogismos, omne mobile est corpus animatū sensibile, & omne animal est mobile, est igitur omne animal corpus animatū sensibile, Omnis æquilaterus habet tres duobus rectis æquales, at omnis triangulus est æquilaterus, igitur omnis triangulus habet tres, &c. Qui cùm ex præmissarum altera falsa conclusiones colligant, inutiles erunt ad demonstrandum. Nam omnem demōstrationē, quantulacunq; fuerit, necesse est ex veris præmissis ad conclusionem veram progredi. Verùm cùm de syllogismo circulari amplè satis dictum sit in Prioribus Analyticis, non est cur diutius in his declarandis immoremur.

In secundi tractatus primum caput, ostendens quid sit de omni, annotatio.

Quoniam aūt impossibile est, vt id aliter sese habeat.

PErtractatis iis quæ demonstrationis definitionem ingrediebantur, determinat hoc secundo tractatu conditiones quasdam principiorum demonstrationis potissimùm incomplexorum, hoc est, terminorum, & horum ratione atque mediatè etiam complexorum. Eæ autem tres sunt, nempe Dici de omni, Per se, & Vniuersaliter, quæ cùm ita sese habeant, vt prima communior generaliorque sit duabus sequentibus, Et similiter secunda quàm tertia latius pateat, rectissimo ordine orsus est Philosophus à Dici de omni. In initio primi capitis ostendit, conclusionem, de qua habetur demonstratiua scientia, necessariam esse, quoniam ipsa non queat aliter se habere, vt ex ipsius scire cōuincitur definitione, & tandē ex necessitate cōclusionis demonstrabilis atq; scibilis, supposito simul, tanq̃ manifestò ex alibi dictis, demonstrationē omnē esse syllogismum, colligit demonstrationē debere esse syllogismū ex necessariis præmissis concludentem. Etsi enim necessarium possit ex contingētibus etiam syllogisticè inferri, non tamen potest ex illis demonstrari vel sciri, quum vt falsum non valeat esse causa veri, ita neq; contingens necessarij. Deinde sequitur in litera, Ostendendum esse ex quibus & qualibus demonstrationes conficiuntur, id quod potissimùm fit tractatu sequenti, ante quem, vt omnia sint apertiora, interponendas determinandasq; censet prænominatas tres incomplexorum principiorum conditiones, definiens in primis quid sit de omni dici, in hunc modum. Id prædicatum de omni dicitur, quod vtique est, non in quodam quidem, in quodam autem non: neque quod aliquando quidem, aliquando verò non, hoc est, quod

Quid sit de omni dici.

 verè

verè conuenit non tantùm alicui supposito subiecti communis, sed omni: neque solùm aliquando, sed semper. Sic animal dicitur de omni homine, similiter rationale atque risibile. Item punctum habere, vel (si ita loqui fas est) punctatum esse, omni competit lineæ. Non enim punctum ipsum de linea prædicatur, nisi in obliquo, aut (quod in idem recidit) concretim designatum. Esse autem de omni prædicari, quod modò definitum est, inde veluti signo arguit Aristoteles, quod interrogati de propositionis cuiuspiam prædicato, num de omni dicatur, si id fortè inficiari volumus, mox instantiam adducimus, ostendentes ipsum alicui supposito subiecti non competere, aut certè non semper, nimirum præsupponentes, certúmque habentes, vtrumque horum ad ipsum de omni dici esse requisitum, vniuersalitatem scilicet subiecti, & temporis. An autem oporteat subiectum ipsum actu esse distributum, & vniuersaliter captum, ambiguum apparet. Partem affirmatiuam videtur probare quod Albertus ait, dici de omni quod nunc determinatur, exigere vniuersalitatem suppositorum propter formam syllogismi. vniuersalitatem verò temporis, propter materiam necessariam. Oppositum tamen verius apparet, non esse scilicet explicatu necessariam vniuersalitatem subiecti, quoniam nec temporis vniuersalitas in eis exprimi assolet. Et ipse Aristoteles inferius demonstrationum exempla assignans, non semper ambabus vtitur vniuersalibus propositionibus, quum tamen ambas velit esse de omni. Hinc colligendum est, dici de omni in prioribus Analyticis descriptum, & id quod nunc tractatur, sese habere ad inuicem, vt excedentia & excessa. Quia verò sunt demonstrationes etiam negatiuæ, ideo ex hac descriptione eius quod de omni dicitur, sumenda est talis descriptio illius quod in demonstrationibus censetur dici de nullo. De nullo dicitur, quod remouetur atq; negatur, non à quodam quidem, à quodam autem non, neq; aliquando quidem, aliquando verò non. Vt prædicata harum, homo non est elephas, equus non est risibilis, &c.

Obiectio prior.

Instabit fortassis quispiam præcipuè contra definitionis mox declaratæ vltimam particulam dupliciter. Nam primò, Harum propositionum prædicata, omnis ignis est calidus, omnis homo est coloratus, & similium, conueniunt subiectis communibus secundum vtramq; dictarum vniuersalitatum, quæ tamen non videntur hic dici de omni, quum de subiectis per accidens prædicentur, qualia à demonstratione simpliciter dicta longè sunt abiicienda. Deinde secundò, harum prædicata, Luna deficit, terra inter Solem & Lunam secundum diametrum est interposita, omnis homo est vniceps, dicuntur de omni, quum de talibus propositionibus, aut per tales fiat demonstratio, etiam propter quid, vt in sequentibus docebitur, quæ quidem prædicata non necessariò subiectis conueniunt pro qualibet temporis differentia, aut non omnibus subiectis suppositis. Nam dum neomenia est, nunquam deficit Luna: & is qui biceps natus est, non est vniceps.

Prioris solutio Prima.

Ad primum duplex est responsio, Prior facillima, admittens prædicata illarum de omni dici. Neque enim vllo in loco apud Aristotelem licet reperire, omnem propositionē constantem ex prædicato de omni, oportere ad demonstrationem pertinere, quæ requirit non tantùm propositiones de omni, sed & per se, & ex vniuersali constitutas, modò sint demonstrationes simpliciter.

Secunda.

Altera solutio est, quòd huiusmodi prædicationes sunt quidem necessariæ, sed non simpliciter, atque ratione necessariæ connexionis vnius extremi cum principiis essentialibus alterius, aut amborum propter connexionem quam habent cum principiis essentialibus eiusdem tertij. Vt contingit in hac, capax disciplinæ est risibile. Verùm de hac re vtcunque dictum est à nobis in Isagoge Porphyriana, cùm discerneremus accidens à quatuor prioribus prædicabilibus. Prior solutio magis consona est exemplis Aristotelicis infrà positis, quæ plæraque sunt accidentalia prædicabilia, quæ iuxta naturæ necessitatem & ordinem necessariò subiectis insunt, aut secundum se & simpliciter, aut cum suis oppositis disiunctim sumpta. Vt sunt rectum & curuum, comparatione facta ad lineam, par & impar ad numerum, &c. Præterea quod ad hanc rem facit, ita scribit Themistius in sequentis capitis initio, Non omne quod prædicatur de omni, prædicatur etiam per se. Nam de omni cygno candidum prædicatur, quia & semper & omni cygno candor inest, non tamen in eo quod sit cygno esse. Hæc ille.

Solutio posterior.

Ad secundam obiectionē duplex similiter est solutio. Dicunt enim quidam Neoterici, illam, Luna eclypsim patitur, seu deficit, non esse demōstrabilem, nisi loco huius accipiatur, Luna est defectibilis, vel eclypseos passiua, quę verè cōstat ex prędicato de omni, quod omni & necessariò pro quauis temporis differentia subiecto competit. Et simili modo ad alias propositiones, quæ propositæ erant & enumeratæ in obiectione, & quæ proponi possent, respondendum putant. Verùm contra hos est, quòd astrologus non tantùm dicitur scientiam habere de cœlestibus, quia scit Lunam defectibilem, aut Martem cæteris planetis

certo

certo modo applicabilem, verùm etiã scire perhibetur, Lunã tunc passurã luminis defectum, quia eo tempore erit interpositio terræ inter Solem & Lunã, & ita in reliquis, quare non erunt actus accipiendi loco aptitudinum. Præterea pari ratione & eodem iure quo illæ, essent & hæ scibiles, homo ambulat, homo disputat, & similes, quod non videtur esse concedendum. Ob hæc & similia veteres respondent, vniuersalitatem temporis non intelligendam esse pro omni tempore simpliciter, sed pro omni tempore quo tale prædicatum natum est inesse tali subiecto. Non enim illud tantum sempiternum dicitur & semper esse, quod nunquam simpliciter abest, sed & quod infallibiliter suo tempore inuenitur. Vt ortus & occasus solis, Planetarum coniunctiones, & similia quæ perpetuò perseuerant, hoc est, statis temporibus redeunt. Deinde addunt, in naturalibus necessarijs quæ demonstrantur, aut per quæ fit demonstratio, sufficere necessitatem seu vniuersalitatem suppositorum & temporis non simpliciter, nec semper, quando natum est esse, sed quando natũ est esse vel vt in pluribus. Atq; hæc responsio planè consentit Philosopho posterius in tertia parte primi capitis tertij tractatus dicenti, Eorum quæ sæpe fiunt, demonstrationes sunt & scientiæ. Vt defectionis Lunæ. Ideo manifestũ est, ea secundum quod ipsorum est scientia vel demonstratio, semper esse. In quantum autem non semper, sunt particularia, & sicut est in defectione lunæ, ita est & in alijs. Ex quibus triplicem ordinem propositionum de omni colligere licet: Earum videlicet quæ sunt necessariæ simpliciter. vt cælum est volubile. Earum quæ necessariæ sunt, quando prædicatum natum est esse, vt Lunã deficere: & earum quæ necessariæ sunt, quia quando natũ est esse prædicatũ, vt in plurimum subiecto conuenit. Sed de his satis abundè. Si quis plura exigat hac in re, consulat commentarios Alberti & Caietani.

In secundum caput, quod est de acceptionibus per se, adnotatio.

Per se aũt sunt quæ in ratione sunt.

Qvatuor modorum per se, hoc capite assignatorũ, rationem hoc pacto reddit D. Thomas. Hæc (inquit) præpositio, per, aliquando causæ habitudinẽ designat, interdum etiam & situm. Vt dum quis dicitur per se esse, cum est solitarius. Priori autẽ illo modo, aliquando causæ formalis designat habitudinẽ, vt quum corpus per animã viuere dicitur. Nonnunq̃ causæ materialis, vt dum dicitur, homo est coloratus per vel secundum superficiẽ. Est enim superficies, secundum veterum opinionem, proprium ac immediatum ipsius coloris subiectum: designat etiam interdum extraneæ causæ habitudinem, eiusq; propriè quę efficiens est. Vt dum dicitur aqua calescere per ignem. Porro sicut dicta pręposítio, per, habitudinẽ causæ designat, dum aliquid extraneum causa est eius, quod subiecto attribuitur, Sic similiter dum subiectũ, vel aliquid eius, causa est illius quod sibi attribuitur, vtimur hac eadem præpositione per, & hoc significat per se. Primus ergo modus dicendi per se est, quando id quod attribuitur alicui, ad illius pertinet formã, tanquam videlicet essentialis definitio, aut huius pars. Secundus est, quando id cui aliquid tribuitur, est propria materia, atque proprium subiectũ ipsius. Tertius prouenit, quando illud per se dicitur, quod solitarium est. Quartus autẽ, quatenus per se habitudinẽ causæ præsertim efficientis designat. Hæc ex Thomæ sententia, a qua non multũ recedit Egidius Romanus. Caietanus autẽ latius atq; aliter hæc ipsa explicat, quemadmodũ licet inspicere in ijs cõmentarijs quæ edidit in hunc Aristotelis librũ.

Modorũ per se numerus.

Quòd si quis instet, hos modos insufficientes esse, eò q̃ Aristot. quinto Metaphysices quinque modos assignauerit. Facilè respondebimus, primũ modum hic positum sub se cõprehendere duos primos illic positos. secundum, tertium. reliquos verò duos quartũ & quintũ, sub quarto & tertio hic assignato cõtineri quodammodo, de qua re in Metaphysicis esset tractandum. Nam quemadmodum prius testati sumus, non eam suscepimus nunc prouinciam, vt omnes Aristotelis locos in speciem repugnantes in concordiam & consensionem redigeremus. His prælibatis, ad descriptiones modorum per se atq; ipsius textus declarationem, nobis est transeundum.

Obiectiõis occurrentis dilutio.

Primi modi hanc solent reddere descriptionem. Per se sunt, quę in ratione sunt quid est dicente. Quæ quidem descriptio collecta videtur esse ex his, quæ postea habet Aristoteles. Nam Boetij translatio Græcum codicem sequens in hunc modum habet. Per se autem sunt, quæcunq; sunt in eo quod quid est, quemadmodum triangulo linea, & lineæ punctum. Substantia enim ipsorũ ex his est, & in ratione quid est dicente insunt. Accipienda est aũt hæc posterior particula, vt prioris sit expositiua. Nam substantiam trianguli esse ex lineis, & lineæ ex puncto, eatenus solum verum est, quatenus eorũ essentialis definitio ex illis conflatur, in obliquo vel recto expressis. tametsi veteres nonnulli, quorum dicitur fuisse Plato, lineam ex punctis tanq̃ partibus re vera constare sunt arbitrati. Definitur autẽ apud Euclidem libro primo triangulus figura plana tribus lineis rectis contenta. Lineæ quoq; absolutè sumptæ, hæc colligitur

Primus modus per se.

ligitur ex prędicamentis definitio, quantitas continua cuius partes copulantur per punctum, Linea verò finita & non circularis ab Euclide definitur longitudo illatabilis, cuius extremitates duo sunt puncta. Et linea recta ab vno puncto ad aliud breuissima extensio, in extremitates suas ea recipiens. Hæc ideo a nobis producta sunt, quòd non satis consentiant cõmentatores in hisce exemplis declarandis. Porro suprapositæ descriptionis sententia erit hæc. Per se primo modo dicuntur de subiecto, quę definitionem eius essentialem ingrediuntur, siue in recto, siue in obliquo, siue intranea fuerint, ac essentiæ constitutiua, siue extranea principia, quemadmodum asserit Linconiensis, nec refragatur Caietanus, annotans diligenter, Philosophum talia assignasse exempla, de quibus id minimè videbatur, quũ ad diuersa attineant prędicamenta, vt linea respectu trianguli. aut si ad idem, non tamen directè, sed reductiuè duntaxat. Vt respectu lineę punctum. Antecedens relatiui (quæ) si præmissis atq; Themistio assentiamur, erit prædicata de omni. Sic enim hic infit, interprete Hermolao. Per se videntur prædicari ea, quæ dum de omni dicantur, in eo quod sit rei esse de subiecto dicuntur, & cæt.

Expositio primi modi per se.

Et quoniam partes essentiales definitionis per se dicuntur, multo magis integram ipsam finitionem id habere consentaneum erit, quod cum nimis esset manifestum, ab autore expressum non oportuit. Circa hũc primũ modum per se, scrupulum inijcit Caietanus de subiectis, quę ponuntur in definitionibus suorum propriorũ accidentium, vt in proximo modo dicitur, & tamen non prædicantur de eis per se, sed per accidens, vt habetur apud Aristotelem capite secundo, tractatus septimi libri huius. Insuper propositiones, quæ propriè sunt per se, sunt illæ, quibus vtitur demonstrator, vt præmissis vel conclusionibus, vt ex sequentibus apparebit. Tales autem non sunt, in quibus de accidente prædicatur subiectum, vt patet ex Aristotele in loco iam allegato. Respondet autẽ prĕmittendo, quòd sicut res potest dupliciter considerari, vno modo secundum suam naturã absolutè: altero, vt sic vel sic significata. ita natura definibilis potest dupliciter definiri. Vno modo secundum exigentiam suæ naturæ simpliciter, alio modo secundum quod significatur in concreto vel in abstracto. Differunt autẽ plurimũ, quia quando res primo modo definitur, nihil ponitur in eius definitione in recto, nisi genus & differentia, licet in obliquo ponatur quandoq; aliquid, vt additũ quod est extra rei substantiam. vt patet in definitionibus formarũ, tam substantialium, q̃ accidentalium. Quando verò res definitur vt sic significata, contingit vt in eius definitione ponatur etiam in recto id quod est extra rei essentiam, quod vt additum ponendum esset, si secundum naturæ exigentiam definiretur, vt patet cum definitur accidens in concreto. Dicimus enim, quòd simum est nasus curuus, ponentes nasum in recto, vt genus, & tamen nasum extra simitatis essentiã esse constat, & ponendũ in obliquo in eius definitione, si natura definita solum respiceretur. Quibus prælibatis, dicit ad dubium, quòd ista regula Aristotelis. Quæcunq; insunt in ratione dicente quid est, per se insunt primo modo, intelligenda est cum duplici glossa. Vna supra orationẽ ratione dicente quid est, vt intelligatur ratio dicens quid est res, secundum ipsius rei exigentiam, & non secundũ quod sic significatur. Altera supra particulam illam per se insunt, vt intelligatur per se inesse definito, eo modo quo in definitione cadũt, ita vt si intrinsecus aut in recto ad definiendum sumuntur, intrinsecus etiam & in recto de definito dicantur. sin autẽ vt additũ & obliquè, simili quoq; modo definito per se inerunt. Et per hæc (inquit) facilè patet responsio ad obiecta, quum subiectũ sit extra essentiam proprij accidentis, & ita solum vt additamentũ ponatur in eius definitione, idq; in obliquo, nisi accidens vt in cõcreto significatur, definiendum foret, quia tunc ex modo significandi deberet more substantiarum compositarũ definiri, vt in fine expositionis libelli de Ente & essentia diffusè declaratũ est. vndè propriè de prædicatione loquendo, secundum doctrinã in hoc capitulo traditam, subiectum in obliquo per se primo modo de proprio accidente prædicatur, & secundum doctrinã inferius suscipiendam, subiectũ in recto per accidens prædicatur de accidente proprio. Et meritò, quia prædicatio in recto denotaret subiectũ inesse passioni, quod non nisi per accidens verũ est. Prædicatio verò in obliquo solum denotat dependentiam passionis a subiecto, quæ est ad suum principium per se, &c̃. Et aduerte, quòd tam accidentium, quàm formarum substantialium definitio secundum eorũ exigentiam in abstracto perspicienda est. substantiarum verò cõpositarum in concreto, cuius causam, si vis, exquire vbi supra. Hęc ille, adijciens etiam tres ordines propositionũ, quibus hic primus modus per se magis vel minus propriè congruit, quos apud ipsum requirere licet. Secundo autẽ modo per se prędicata insunt subiectis, in quorum rationibus quod quid est monstrantibus subiecta collocantur. Antecedens relatiui (quorum) similiter est prædicata de omni. Nam per se propriè acceptũ strictius est, quàm dici de omni, saltem si loqua-

Dubitatio ex Caietano.

Solutio ex eodem.

Secũdus per se modus.

si loquamur de per se primo ac secundo modis. Atq; ob id propositiones in quibus subiiciuntur indiuidua, tantùm reductiuè ad hos modos pertinere videbuntur. Hic iam si dixeris, rectum per se inest lineæ, & par numero (vt habet textus) quæ tamen constat non dici de omni. Omissa recentiorum quorundam responsione, accipientium hęc vt aptitudines designent, dicendum est cum vetustioribus & Caietano, conformiter iis, quæ hoc ipso capitulo dicturus est Aristoteles, q̃ prædicatum recipiens in sua ratione subiectum, quoddam est, quod simpliciter illi inest necessario, Vt risibile homini. Quoddam verò, quod non simpliciter, sed sub disiunctione necessariò inest subiecto, Vt par vel impar respectu numeri, rectum vel curuum (quod in litera circulare dicitur) respectu lineæ. Quia ergo huiusmodi propositiones non sunt necessariæ, nisi prædicato sub disiunctione oppositi sumpto, ideo non erunt per se, nisi illo modo. Vndè (teste Caietano) hæ non sunt per se, numerus est par, animal est rationale, sed istæ, numerus est par vel impar, linea est recta vel curua, animal est rationale vel irrationale. Imò & tales, animal est homo vel brutũ, rationale est homo. Non enim (vt illius verbis vtamur) prædicatio indirecta seu inordinata Perseitatem omnino destruit, quàmuis id plærisq; etiam priscis visum sit. Insuper aũt in definitione per rationes quod quid est monstrantes, intelligendæ sunt definitiones essentiales, potissimum accidentium propriorũ, seu certa subiecta sibi determinantium, quas ex septimo Metaphysicę constat fieri per additionem subiecti, quod est quidem extra essentiam accidentis, sed non extra eius essentialem definitionẽ. Hanc recentiores malunt descriptionem nominare, vtentes scilicet definitionis essentialis vocabulo strictissimè. D. Thomas in fine opusculi sui de Ente & essentia, censet accidentium differentias petendas esse ex principiis ipsorũ, quę sunt propria subiecta. Et hic quoq; dicit oportere, vt proprium subiectum locetur in definitione accidentis, quia quum esse accidentis depẽdeat à subiecto, oportet vt definitio, quæ esse eius significat, contineat in se eius subiectum. Sed hæc res alium sibi locum, quo exactius discutiatur, postulat. Vltima particula definitionis, nempe Subiecta collocãtur, accipienda est (vt inquit Caietanus) de subiectis secundum se, aut etiam secundum aliquid sibi intrinsecum. Nam & hæ per se secundo modo censentur, licet (vt nobis videtur) per reductionẽ potius quàm propriè, animal est nutribile, Isosceles habet tres angulos duobus rectis æquos. imò & ista, aliquod animal est risibile, si illi creditur, tres propositionum, quibus hic modus per se competat, ordines secundũ gradum maioris minorisq; proprietatis recensenti, quos apud suum autorem inquirendos relinquimus. Definitiones autem exemplorum literæ tales assignandę videntur, Rectum est linea, cuius medium punctum non exultat egrediturve ab extremis. Curuum contrà est linea, cuius medium exit ab extremis. Impar est numerus, qui completa sui partitione in duo æqua diuidi non potest. Par verò, qui sic in duo æqua partibilis est. Primus numerus, est numerus quem sola vnitas metitur, vt 5. & 7. Compositus verò, quem alius quoque metitur numerus, 4 & 9. &c̃. Isopleurum verò (quod latinè sonat æquilaterũ) & altera parte longius, quàmuis propriè magnitudinibus cõpetant, translatitiè tamen & secundum similitudinẽ quandam numeris adaptantur. Vt Isopleurum sit numerus, qui per suas vnitates descriptus in tria porrigitur æqualia latera, vt 3. 6. 10. Hi aũt trigoni æquilateri surgũt, si disposita naturali numerorũ quantitate atq; serie, prioribus semper proximè sequens adiiciatur, vt vnitati iunge binarium, exultat ternarius, qui est trigonus æquilaterus. Item 1. & 2. iunge 3. nascitur 6. rursus 1. 2. & 3. adde 4. exurgit 10. Iterũ 1. 2. 3. & 4. adiice 5. fit 15. qui & ipse æquilaterus est, & ita deinceps, estq; semper numerus vltimò adiunctus, & qui omnium enumeratorum maximus est, ipsius trigoni latus. Nonnulli putant eum esse æquilaterum, qui fit ex ductu alicuius numeri in seipsum, vt quaternarius surgẽs ex ductu binarij in se, nam bis 2. sunt quatuor. Item nouenarius qui fit ex ductu ternarij in se, ter namq; tria sunt 9. Verùm hi potius quadrati vocantur, quòd quatuor latera habeant æqualia. In æquilatero autem semper intelligimus eius genus, nempè triangulum. Altera parte longior dicitur numerus, qui per suas vnitates descriptus quatuor possidet latera, vnitate vel numero inæqualia, siue qui habet latitudinem longitudini inæqualem, nasciturq; ex ductu vnius numeri in alium minorem aut maiorem, vt 6. quæ surgunt ex ductu 3. in 2. aut contrà. Item 8. ex ductu 2. in 4. &c. Post exempla nunc declarata subiungitur in litera, Quæcunq; verò neutro horum modorum, nec primo scilicet nec secundo insunt, ea omnia vt accidentia insunt, id est, per accidens prædicantur. Quod citra controuersiam verum est, accipiendo per accidens, vt distinguatur contra per se, dictis modis acceptum. Caietanus tamen id simpliciter verum esse contendit, dicens q̃ cùm quartus modus vt distinctus formaliter ab aliis, vtatur per se vt conditione causalitatis, & effectus, vt sic non habeat vt prædicetur de causa, quę


libet

Obiectionis incidentis dilutio.

Thomas.

Caietanus.

Quid rectũ. Quid curuũ. Impar. Par. Primus. Cõpositus. Isopleurum





Altera parte longior.



libet propositio quarti modi inquantum includit per se secundum prædicationē, ingreditur primum vel secundum. inquantum verò includit per se secundum causalitatem, ingreditur quartum.& propterea omnis propositio per se ratione prædicationis,necessariò est primi vel secundi modi. Vndè ista decollatus interijt,ratione caulalitatis est in quarto modo, ratione verò prędicationis in secundo,quia interitus est vt passio decollationis, licet non adæquata sibi, sed superiori communi,tam decollationi quàm suspensioni, iugulationi, & cæteris eiusmodi. Hæc ille,etiam latius eadem declarans,quæ an rectè an secus sit trutinatus,hæc lis non est nostri fori. Illud quoq; admonendum duximus,nonnullos expositorū hic alium quendam facere modum per se, motos (vt opinamur) ex hisce Themistij verbis, Tertia (inquit) forma eorum quæ per se adsunt,pertinet ad accidentia,quę ita suis subiectis adsunt,vt non aliis prius, quomodo superficiei color. Ea igitur quæ tribus his modis de aliquo adseruntur, per se adserri dicuntur, Hactenus ille. Cui non quadrant exempla hic posita, dum dicitur, Velut musicum aut album animali. Neque enim animal alterius horum subiectum est immediatum. Suspicamur aūt hunc modum adiectum esse à Themistio ex Metaphysices loco ante citato. Tertius modus (qui non vt cęteri,est per se prædicandi,sed per se existendi,quēadmodum asserit & Thomas) hoc pacto ab Aristotele assignatur. Præterea id per se dicimus,quod non de subiecto alio dicitur vllo,hoc est, Illud per se est, quod non prædicatur de vllo subiecto cui inhæreat,qualis est omnis substantia,tam secunda quàm prima, vt patet ex prædicamentis,licet plærisq; illustrium expositorum,istud ad primas duntaxat referre malint, à quarum existentia superiores dependere dicuntur, & ita non per aliud sunt neq; tanq; subiectum recipiens,neq; tanquam singulare propriun seu indiuiduum. Sed albedo & ambulatio, imò etiam album ipsum & ambulans,vt talia,solum sunt,quando aliud quippiam est, cui competant,& accidentia proinde nuncupantur,quia non per se sunt,sed tantùm dum aliis accidunt atq; adiacent,quamuis interim modum prædicandi per se non omnino recusent. Quarto modo per se dicimus cuipiam cōuenire,quod propter ipsum inest,hoc est,quod conuenit subiecto tanquam suæ causę,vel certè causam includenti,qualisqualis ea fuerit. Quòd si probatorum authorum exemplis adhæreamus,fatendum nobis est,non omnes propositiones,quæ hoc modo per se sunt,esse de omni,vel ordinatas,vt manifestum est de istis, Aedificator ædificat, Musicus canit,album videtur, Iugulatū interiit,si propter iugulationē sequuta sit mors. Item hęc,supposito quod ambulatio sanitatem attulerit,ambulans sanatur,cuius etiam conuertens propositio per se est,sed in alio causæ genere. Cùm verò subiectum non continuerit causam,cur sibi prædicatum insit,erit prędicatio per accidens. Propter aliud enim & non ratione sui,coniunguntur huiusmodi extrema,vt quum dicitur,album ædificat, pastinans inuenit thesaurum. Exemplum autem literæ de coruscatione respectu ambulantis,satis improprium est,quia hic vnum alteri non inest aut tribuitur. Refert tamē similitudinē verorum exemplorum,eaq; aliquo modo declarat, quoniam vt in his significata extremorum per accidens coniunguntur,ita in illo res compositæ propositionis partes designatæ, fortuitò & per accidens contingunt simul. Cætera quæ ad hos modos per se attinent, apud alios requirantur. Quod autem in litera sequitur, Quæ ergo simpliciter scibilibus competūt,sic sunt per se, &c. aliquo modo ostendit,qualiter vtatur prædictis modis demonstrator. Cuius sensus est, Ea prædicata quæ subiectis conclusionē demonstrabilium attribuuntur in ipsa demonstratione, seu inesse dicuntur,sic sunt per se competentia,vel sicut cùm in prædicatorum ratione includuntur subiecta,hoc est,secūdo modo,vel sicut cùm subiectorū ratio includit prædicata,hoc est,primo modo,quod patet in ista demonstratione,omne animal rationale est risibile,& omnis homo,&c. Nam prædicatum minoris subiecto scibili competit per se primo modo, conclusionis verò secundo,& per consequens etiam quarto modo. Seruiunt ergo demonstrationi potissimùm hi tres modi: sed tertius,qui in incomplexo attenditur, & sine relatione ad aliud,non item. Atq; hæc res postmodum copiosius explicabitur. Alij alias sequuntur interpretationes,sed perlongum esset & superuacaneum forsitan omnes referre,cùm non videantur mentem literæ satis assecutæ. In qua statim subnectitur, Atq; ea ipsa ex necessitate insunt, intellige & omni. Sed hoc in probatione innuitur limitandum interpretandumq;,vel simpliciter,& sine adiuncto,vel cùm oppositi adiunctione,quę disiunctim fiat. Exemplum prioris, vt risibile respectu hominis. Posterioris,vt par respectu numeri. Neque enim necessarium est simpliciter,numerum omnem esse parem,sed parem vel imparem. Ex hoc loco apparet ipsum par, per se de numero dici, & non tantùm (vt suprà dicebatur) hoc disiunctum par vel impar,cum alioquin nihil fuerit opus eiusmodi limitatione addita. Sed id aliis discutiendum

Tertius modus per se.

Quartus modus per se.

linqua-

linquatur, vnà cum illo, An talibus disiunctis circumloquutiuè acceptis vnica significetur cōmunis & simplex passio, quod multis videtur, an complexæ plures designentur, quarum vnaquæque inadæquata sit subiecto, sed omnes simul sumptæ adęquentur, id quod magis Caietano probatur. Quòd verò ex necessitate alterum eiusmodi oppositorū subiecto competat, ostenditur in litera, quia contrarium priuatio, & contradictio sunt in eodem genere. Nam priuatio nihil aliud est, quàm negatio in subiecto determinato. Quandoque etiam contrarium æquiparatur negationi in aliquo genere, sicut in numeris idem est impar, quod non par, secundum cōsequentiam. Sicut ergo necesse est affirmare vel negare, ita necesse est alterum eorum quæ per se insunt, proprio inesse subiecto. Sic exponit Thomas. Admonet autem Themistius, has compositas (vt ita dicamus) passiones, non semper ex duobus tantùm constare. Et nasus (inquit) qui neque rectus neque resimus sit, continuò intelligitur simus. Sunt enim aliqua, quorum contrarietas pluribus quàm duobus constet. Atque hæc sunt, quæ inter se excessu defectuque differunt, quoniam in iis medietas cernitur. Ita ille.

In tertii capitis priorem partem de vniuersali pertractantem, adnotatio.

Vniuersale aūt dico.

POstquā ostendit Aristoteles, quid sit dici de omni, & per se inesse, hic tradit quid sit vniuersale, non quidem eo modo quo loquitur Porphyrius de quinque vniuersalibus, sed vocat hic vniuersale secundum quandam adęquationem & conuertibilitatē eius cum subiecto, vt indicatur in fine sequentis partis huius capitis, cùm ait textus, Nam illi primò & vniuersaliter competit quo posito ponitur, & quo ablato primo aufertur. Est igitur vniuersale, quod cùm de omni sit, & per se est, & secundum quod ipsum. Quid sit dici de omni, prius dictum est. Per se aūt intelligimus primo aut secūdo modo: verùm ne quis fallatur, existimās aliud esse per se, & secundum quod ipsum, dicit textus, quod illa duo eadem sunt. Est enim (inquit Themistius) alterum alterius ita cōsentaneum connexumque, vt separari alterum ab altero non possit. Ibi. Tunc aūt aliquid vniuersaliter inest, cùm de quolibet & primo ostenditur, Complet Aristoteles definitionem vniuersalis, adiectione huius particulę (de quo vniuersaliter & primò ostenditur) vt videlicet sic reddatur tota definitio vniuersalis, Vniuersale est prædicatum, quod cùm de omni dicatur, & per se est, & secundum quod ipsum, & de eo vniuersaliter atque primò ostenditur. Dictum est enim superius, vniuersale esse minus commune quàm dici de omni, & per se inesse, quare etiam restringēda fuit eius definitio adiectione alicuius particulę. Illud dicitur primò de aliquo ostendi, quod sic de aliquo subiecto ostēditur, vt non possit de alio prius ostendi, vt de homine primo ostenditur risibile, & disciplinæ capax, de animali, aptum esse sentire, de corpore animato viuere. secundario verò de eorum inferioribus, vt risibile de Ioanne, aptum sentire de homine, & viuere de animali. Sed cur addidit Aristoteles, de quolibet, seu vniuersaliter? Respōsio, Ne quis fortè opinaretur, vnumquodque dictorū prius ostendi posse de genere, quàm de specie cum qua conuertitur, vt risibile prius de animali quàm de homine, quia animal prius est homine. Nam etiamsi id concederetur, tamen non oporteret ex eo sequi, quod risibile sit vniuersale respectu animalis, quia non de quolibet ostenditur, Sic dicit textus, quod habere tres angulos duobus rectis æquales, sit vniuersale, non quidem respectu figuræ, quia non de qualibet, sed de aliqua tantùm ostenditur. Nec respectu Isoschelis, quia licet omnis Isoscheles habeat tres angulos duobus rectis æquales, tamē id non primò de eo ostenditur, sed est vniuersale respectu trianguli, de quo vniuersaliter & primò ostenditur. Sed obiicies, Animal rationale est vniuersale respectu hominis, risibile respectu animalis rationalis, & tamen neutrum potest ostendi de suo subiecto, quia ipsi immediatē competit, ergo non rectè completa est vniuersalis definitio. Puto respondendum, negando antecedens, quia Aristoteles hic per vniuersale nihil aliud videtur intelligere, quàm propriam passionem, quæ de suo proprio subiecto conuertibiliter ostenditur, vt risibile respectu hominis. Si quis tamen iam dicta etiam comprehendi velit, licebit definitioni addere, de quo vniuersaliter & primo ostenditur, vel cui primo & conuertibiliter inest, & sic duplex erit vniuersale, quorum alterum primò & immediatē inerit suo subiecto, Alterum verò mediatē quidem inerit, sed tamen primò ostendetur, vt dictum est.

Quid vniuersale.

Themistius.

Completur definitio vniuersalis.

Primò de aliquo ostenditur.

Quæstio.

Responsio.

Obiectio

Responsio.

Altera responsio.


In secundam partem eiusdem tertii capitis, quæ errores circa vniuersalis assignationem continet, adnotatio.

Oportet aūt non latēre.

IN huius partis exordio, recenset Philosophus errores numero tres, qui accidere possunt circa vniuersale assignandum, quos inuerso ordine declarat, quemadmodum palā est literam consyderāti. Porrò in primi erroris assignatione, per singula atque singularia intelligenda veniunt & ea quæ simpliciter singularia sunt, id est, prorsus indiuidua, & ea quę in respectu dicuntur

dicuntur singularia, hoc est minus communia. Etenim in huius declaratione meminit Philosophus Isoscelis, quod triangulo est minus cõmune. Atq; in hunc errorẽ Themistij sentẽtia lapsi sunt, qui demonstrationes de terræ scitu in orbis medio, cœliq; circulatione, ad hanc terrã referũt, & ad hoc cœlum, quæ vnica sunt. Cęterùm circa tertij erroris explicationẽ primo loco redditam, quæ in græco codice satis inuoluta est ac perplexa, & in qua expositorum complures hallucinati sunt, post D. Thomæ, Egidijq; Romani doctrinã aduertendũ est, hanc propositionẽ, Omnes rectas lineas supra quas incidẽs recta linea efficit duos intraneos angulos rectis æquales, non concurrere, & si de omni sit atq; per se, non tamen de vniuersali, quòd prędicatũ cum subiecto non recurat. Nam non concurrere si in infinitum protrahantur lineæ, non solum illis rectis lineis ob id cõpetit, sed quia rectę sunt, & linea recta incidens creat duos angulos intraneos, aut rectos aut duobus rectis æquos. Sic enim habet primi elementorum Euclidis propositio vigesima octaua. Si linea recta duabus lineis rectis superueuerit, fueritq; angulus eius intrinsecus, angulo intrinseco sibi opposito æqualis, aut duo anguli intrinseci ex vna parte, duobus angulis rectis æquales, illæ linęę æquidistantes erunt. Quare lineis rectis non concurrere nõ solum conuenit, quòd duos internos angulos rectos habeant ex rectę lineæ incidentia, sed & quia duos intrinsecos ex vna parte duobus rectis habent æquos. Possunt autẽ hæc ex exemplis in margine facilè monstrari. Linea recta e f incidens in rectas lineas a b, c d, in pũctis g h, quatuor procreat angulos rectos extrinsecos, scilicet a g e, b d e, c h f, d h f, & quatuor intrinsecos itidẽ rectos a g f, c h e, ex vna parte, b g f, d h e, ex altera parte. Sũt itaq; lineæ rectæ a b, & c d, non cõcurrẽtes. Deinde linea recta n o, interfecãs rectas lineas i k, l m, in punctis p q, reddit angulos nõ rectos, sed duobus rectis ęquales quatuor extrinsecos i p n, k p m, valentes duos rectos, l q o, m q o, similiter æquiualentes duobus rectis. Atq; quatuor internos i p o, l q n, ex vna parte, qui duos valent rectos. Ex altera aũt parte k p o, m q n, quæ similiter duobus rectis sunt æqui. Quare rectæ linęę i k, & l m, parallelę seu non cõcurrẽtes erunt, quemadmodum linęę a b & c d. Insuper eiusdem libri petitione quarta traditur. Si linea recta super duas lineas rectas ceciderit, duoq; anguli ex vna parte, duobus rectis angulis minores fuerint, istas duas lineas in eandem partẽ protractas, proculdubio coniunctum iri, vt linea e f interfecat has lineas a b, c d, in punctis g h. Interiores aũt hi anguli ex vna parte sunt b g f, d h e, qui duobus rectis sunt minores. Atq; ob id lineæ a b, c d, non sunt æqui distantes, sed protractæ in longum, tandem in se incident, atq; sese interfecabunt. Hæc ex Geometricis desumpsimus, sperantes ea lectoribus non fore iniucunda. Porrò circa secundi erroris declarationem adnotandum est, commutatam proportionem à geometris consyderari in lineis, superficiebus, & solidis, hoc est, corporibus. Et ab Arithmeticis in numeris, & ab Astronomis in temporibus ipsis, quam ob causam ab Aristotele hoc in loco dicitur, quemadmodum olim demonstrabatur seorsum. Est autem hic cõmutata proportio, dum propositis quatuor quantitatibus, quarum tertiæ ad quartam eadem ratio est, quæ primæ ad secundam, colligitur eadem esse ratio secundæ ad quartam, quæ erat primæ ad tertiam, vt sicut se habent 12. ad 6. sic & 8. ad 4. Est enim vtrinque dupla proportio, Igitur sicut sese habent 12. ad 8. sic & 6. ad 4. Nam proportio est sesquialtera. Cæterùm illis superius enumeratis, lineæ, superficiei, &c. vnum est commune genus impositum, nempe quantitas. At testibus Aquinate & Egidio, per hanc non competit illis cõmutatim proportionari, sed potius quatenus alteri cõfertur quantitati secundum proportionalitatẽ. (si ita loqui sit fas) Subiecto igitur in hunc modum circũloquuto, hæc conclusio demonstrabilis, Omnes quantitates secundum proportionalitatem comparatæ sunt cõmutatim proportionatæ, ex vniuersali constabit, sub qua omnes reliquæ comprehendentur, quæ prius latenter indicabantur. Porrò in calce literæ documentum pro dinoscendo eo, quod verè sit vniuersaliter traditum, à diuersis variè legitur. Nos aũt, vt omnibus translatioiubus, quæ admodum parum dissident, faciamus satis, Themistij expositionem subiiciemus. Sed quæro (inquit) qua ratione scrutari possumus duos rectos, vt scalenus, an vt triangulus habeat? hoc enim solum nobis reliquum est ad intentionem præsentem. Igitur affectio vniuersalis per illud adest habeturq;, quo adempto (quia primum inter illa est quę insunt ipsi) continuò & prædicatum adimitur. Verbi gratia, huic triangulo insunt omnia hęc, esse æneum, esse scalenum, esse triangulum, esse figuram, finibus claudi. Quęritur, per quod ex iis quæ modò numerauimus, affectio hæc duos rectos habere prædicetur de triangulo. Tolle æneum, num propterea duos rectos demeris? nequaquam. Tolle scalenum, adhuc duo recti superstites sunt. Tolle triangulum, iam hic oportet prædicatum tollatur. Nec enim præterea duos rectos habere aliquis triangulus posset, si triangulus esse desierit. Sed dicet fortè quispiam,







piam, ratione illa effici, vt affectio hæc ad figuram, ad superficiem, ad extremitates pertineat. Nam si aut figura, aut superficies, aut extremitates tollantur, nonne duos rectos sublatū iri necesse est? Ego verò confiteor abiuncta figura, superficie, terminis, abituram affectionem illam cōmorituramque, sed non quia figura, superficies, termini, sed quia triangulus abiunctis his necessario tollitur. Si enim sine figura, terminis, superficie, incolumis esse triangulus posset, vtique sublatis etiam his, duos rectos habere contingeret, sed hoc impossibile est. Tu verò id ita contemplare. Manentibus figura, planitie, clausulis, triangulum deme, statim duo recti demuntur. Ergo habere tres, huic primo & vniuersaliter dicendum est inesse, alijs manentibus non manet, qualia sunt figura, planities, termini. Potest enim figura duos rectos non habere, qualis est quadrangula & multangula. Triangulo certè seruato, seruatur, perempto, perimitur. Quamobrem rectè dictum videtur, vniuersalem affectionem per illud constare, quo primum abiuncto, prædicatū abiungitur. Hæc omnino luculenter Themistius.

In tertij tractatus primi capitis primam partem, ostendentem demonstrationem esse ex propositionibus necessarijs & per se, scholia.

Si igitur demonstratiua scientia est,

IN hoc tertio tractatu ostensurus Philosophus, ex quibus qualibusque propositionibus necesse sit demonstrationem esse constitutam, in prioris capitis primæ partis exordio, proponit, demonstratiuas propositiones oportere esse per se. Quod vnica confirmat ratione, quæ quidem approbatio non crudè venit intelligenda, quemadmodum admonet Themistius. Hanc rationem (inquit) aliqui cauillantur & comparant huic, Si animalium corpora ex siccis & humidis constant, cibus & potus siccum & humidum est, ergo ex cibo & potu corpora animalium constant. Sed vir sapientissimè non probasti, sola hæc esse humida siccaque, Aristoteles verò sola ea esse necessaria primùm ostendit. Hæc ille. Quibus indicat apertè, Aristotelis rationis minorem cum exclusione esse accipiendam. Sed obijciet fortassis quispiam, hac etiam limitatione adiecta, rationem ab Aristotele inductam in secunda figura ex vtrisque affirmatiuis constitui, perinde ac si hoc modò syllogisaretur. Omnia per se sunt necessaria, omnis demonstratio ex necessarijs constat, constat igitur ex propositionibus per se.

Obiectio.

Huic ex sententia Caietani respondebitur, secundum Aristotelem hæc duo, propositionem per se primo aut secundo modo secundum se aut reductione quadam & necessarium inter se recurrere. Huic quoque apertè consentanea est & fauet ipsius literæ deductio, id quod attentius consideranti facilè constat. Egidius autem Romanus arbitratus, necessarium communius esse eo quod per se est, strictius de eo quod per se, apparet esse locutus. Quo pacto autem ea quæ per accidens insunt, non necessario insint, breuissimè explicat Themistius. Quamuis (inquit) nonnulla accidentia sunt, quæ inesse substantijs suis videantur, vt albedo niui, quia tamen natura horum eiusmodi est, vt aliquibus subiectis non insit necessario, efficitur, vt necessaria simpliciter credi non debeantur, quemadmodum illa necessaria sunt, quæ per se & vniuersaliter prædicantur. Deinde in litera, ibi. Aut igitur tanquam, & cæt. monstrat Philosophus tribus rationibus, demonstrationem esse ex necessarijs pronunciatis. Cæterùm corollarium ex secunda ratione à signo desumpta illarum, ibi. Ex quibus etiam patet, eos profectò, &c. à Boetio Græcum codicem sequente in hunc modum est redditum. Manifestum autē ex ijs est, & quoniam stulti, qui opinati sunt accipere bene principia, si probabilis sit positio & vera, vt sophistæ, quoniam scire scientiam est habere, & cæt. Atque huius vltimæ partis, vt sophistæ, &c. duplex est expositio. Nam Themistius ad sophistas refert, id dicētes, vt ex ipsius verbis facilè deprehenditur. Vndè (inquit) ridendi sunt, qui propositiones, quæ demōstrationi præseruiunt, posse accipi de verisimilibus & credibilibus arbitrātur, q̄d Protagoras cōtendit, qui propositiones in demonstrationem probabiles & verisimiles tamen addebat, quas qui nouisset, scientiam consecutum putabat. Qui verò scientiam consequutus esset, proculdubio scire, quid esset scientia. Hanc (quemadmodum opinamur) Themistij sententiam, Commentatorisque cum ipso consentientis, sequutus Linconiensis hunc locum sic explicat. Manifestum est, non satis esse demonstrationis principio, quod verum sit solum aut probabile, sicut stulti putant. Verbi gratia, sophistæ se demonstrasse arbitrantur, scientem nosse quid sit scientia, hac argumentatiuncula, Scire est scientiam habere, Sed habens quippiam, probè id nouit quod habet, Nouit igitur sciens quid sit scientia. Est autem hæc argumentatio contexta ex vna vera propositione, & altera probabili. Veram expressit Aristoteles, & probabilem vnà cum cōclusione subticuit, eò quòd illa ratiocinatio tota vulgatissima foret, atque alibi literis tradita. Hæc penè Linconiensis. Hunc quoque intellectum amplectitur translatio hoc pacto habens, vti sophistæ dicentes scire esse scientiam habere. Porro Albertus,

Responsio.

Aquinas, Egidius Romanus, aliorumq; commentatorum caterua, illam literæ particulam referunt ad improbandam sophistarum scientiam, quæ re vera in totum tollitur, eò q scire est scientiam habere per demonstrationem, quam necesse est esse ex primis, veris, & proprijs principijs, quemadmodum in huius libri exordio dictum est. Atq; huic expositioni latis consentanea est subsequens litera. Non autē ideo propositio principium, &c. Insuper in tertia ratione ibi, Si quis nunc nescit rationem habens, & saluus, re salua, &c. subindicat Philosophus, quadrifariam posse ab aliquo auferri scientiam. In primis, cùm eius mente animoq; excidit ratio, propter quam prius sciebat. Scire etenim causam est cognoscere, qua ignorata non amplius scitur conclusio. Secundò euanescit scientia, sciente corrupto. Quòd si quis obijciat, Homine corrupto scientiam in anima à corpore migrare iussa permanere. Respondent hic nonnulli, per scientem intelligendam esse animam, quæ scientiæ est immediatius susceptiua, quàm sit homo, qui est corruptus. Alij asserunt scientiam in anima, dum à corpore separatur, non permanere, nisi Diuina vi. Si enim grauis ægritudo (quemadmodū in prædicamētis dicebatur) ita scientiam ex anima pellat, vt ægrotus nihil eorum quæ prius scierat, agnoscat, hoc ipsum de qualibet scientia suapte natura videtur effectura cuiusuis hominis quælibet mors, quæ (vt dicitur tertio Ethicorum) omnium terribilium est maximum. Verùm hæc res Theologici potius est negotij. Tertiò, si res scita, hoc est, scita conclusio corrumpatur, seu falsa reddatur. Nam id quod non est, nullo pacto valet sciri. Si sedente Socrate quis putet se scire Socratē sedere, is eo stante non amplius sciet eum sedere. Quartò, obliuione perditur scientia, sub qua etiam eum comprehendes modum, quo ipsa pellitur per sui cōtrarij accessum, quam quidem corruptionem in libro de Memoria & reminiscentia vocat Philosophus per se scientiæ corruptionē, Reliquos autem per accidens. An autem primus & quartus modi sint ita connexi, vt nequeat vnquam alter sine altero fieri, magis curiosorum atq; diligentius inquirentium iudicio censuræq; committimus. Neq; enim prouinciam suscepimus singula discutiendi examinandiq;. Restat vltimo loco explicare, quomodo necessum est, necessaria esse ea, ex quibus est demonstratio. Verùm quoniam hæc res prorsus vicina est ac connexa iis, quæ in tertiæ huius capitis partis exordio traduntur, ad eum vsq; locum illam differemus, ne eadem sine fructu repetamus.

Accidētiū autē eorum quę per se nō insunt.

In secundam partem docentem demonstrationem non esse ex iis quæ per accidens sunt, aut extraneis, annotatio.

HVius partis summa, aliquot conclusionibus commodè potest comprehendi. Prior, in initio literæ posita est huiusmodi. Demonstrationis conclusio nequit ex accidente, quod non est per se secundo modo, constare. alioqui contingens foret conclusio, quam impossibile est ex necessariis colligere, quemadmodum in superioris partis calce dicebatur.

Sed occurret fortassis quispiam, Proximo textu monstrauit Philosophus præmissarum necessitatem ex necessitate conclusionis, igitur hic ostendendo necessitatē conclusionis ex præmissarum necessitate, circulum in suis approbationibus committit. Huic respondet D. Thomas, superius Philosophum monstrasse, demonstrationē ex necessariis esse, non solùm q conclusiones necessariæ sint, sed potius ex definitione eius, quod est scire, huncq; esse verum demonstrandi modum. præsentē autem rationem, non esse demonstrationē, nisi fortassis ad hominem. Nobis magis probatur aliorum sententia, asserentium superiorem sumptam esse ex causa finali, quatenus talis, Hanc verò progredi ex efficiente causa, in quantum est eiusmodi, & proinde non admitti in hisce demonstrationibus circulum. Nam causarū secundum genus varietas eum excludit. Post hæc subiungit Aristoteles quæstionem, quam sic interpretatur ac soluit Themistius, Sed quęro (inquit) cur tales propositiones, quæ cōtingentibus constant, interrogare percunctareq; solemus, si ex eis conclusio necessaria sequi non potest, An quamuis de propositionibus contingentibus conclusio seorsim & à se necessaria non euadat, tamen necessario sequitur, quatenus propositiones illas admittimus, verùm ad demonstrationē artificium interrogandi non pertinet, quia syllogismum scientiæ ab eo quod proposita concedantur aut negentur, pendére non conuenit, sed ex ipsa planè rerum natura. Ibi, Quoniam autem ea quæ per se insunt, &c. Ponit Aristoteles hanc primam conclusionem, Demonstratio non est ex iis quæ sunt secundum accidens, sed per se, id est, demonstratio non constat propositionibus in quibus prædicatum per accidens inest subiecto. quia huiusmodi propositiones vel non sunt necessariæ, vel non sunt conclusione priores, & causam continentes. Posterioris partis exempla sunt syllogismi, qui proficiscuntur à signo, cùm media sumunt quæ firma & perpetua sunt, vt lactescere semper inest mulieri quæ peperit, ac proinde constituit syllo-

Quæstio.

gismum

gismum constantem vtcunque ex propositionibus necessarijs, hoc modo, quæcunque lac habet peperit, sed lactans infantem lac habet, ergo peperit. Sed tamen demonstratio non est, quia ex effectu causam ostendit. Ex his infert Aristoteles, quòd oportet per se medium tertio, & primum medio inesse. nam alioqui præmissæ non essent per se. id quod accipiendum est, esse necessarium in demonstratione propter quid & potissima. quia in demonstratione quæ ab effectu ad causam proficiscitur, id non est necessarium. Tertia ipsius literæ conclusio, explicans id quod secundo loco præcipuè declarandum erat, nempe demonstrationem non esse ex extraneis, assignat Philosophus, dum ex prioribus mox inferendo dicit: Non igitur fieri potest, vt ex alio genere in aliud genus descendens quisquam demonstret. Nam de vno genere in aliud genus descendere, nihil aliud est, quàm demonstrationem esse ab extraneis, hoc est, accidentibus quæ non per se sunt, sed per accidens solum, quemadmodum ipse Philosophus posterius aperit. Porrò cum mox subnectitur in litera, tria in omni demonstratione quę sit potissima, esse necessaria, anteaquàm monstratur proposita conclusio, passionem videlicet quæ monstranda est, dignitates, & ipsum scibile genus. Sub dignitatibus intelligenda veniunt propria principia, sine quibus non valet vlla vera demonstratio constitui. Idem & demonstratiuum medium, quod præcipuum est in conficiendis proprijs principijs, nisi hoc comprehendatur sub subiecto & passione tanquam extremis. Nam in sequentibus, his extremis medium coniungit Philosophus, dum dicit: Ex eodem genere extrema & media necesse est esse, hoc est, ex eadem natura (quemadmodum explicat Themistius) atque eadem radice. Nam ex partibus definitionis ipsius subiecti, essentialiter conflatur genus scibile, & ex iisdem profluunt propriæ passiones, & per se subiecti accidentia. Cæterùm illud quod in litera sequitur, Contingit autem eadem, & cæt. sic in Boetiana versione legitur. Ex quibus igitur fit demonstratio, contingit eadem esse. Quorum autem genus alterum est, sicut arithmeticæ & geometriæ, non est arithmeticam demonstrationem conuenire in magnitudinibus accidentia, nisi magnitudines numeri sint, & cætera. Priorem partem post Albertum Diuus Thomas cum tota penè neotericorum autorum multitudine, refert ad dignitates prius recensitas, quibus diuersæ vtuntur scientiæ: Vt his, Omne totum sua parte esse maius, Si ab æqualibus æqualia tollantur, quæ restant esse æqualia, vtuntur geometria & arithmetica. quomodo autem id fiat, posterius explicabitur. Per posteriorem verò partem ostenduntur reliqua omnia, subiectum, propria passio, atque medium, sic suæ scientiæ propria esse & peculiaria, vt nequeant accommodari alteri disciplinæ, modò hæc ab illa in totum diuersa fuerit. Ad hæc breuibus annotandum est, tunc fieri descensum de vno genere scibili in aliud genus, siue de vna scientia in aliam, cum per vnius scientiæ principia concluditur eiusdem passio, subiecto alterius disciplinæ, aut cum per eadem principia probantur passiones alterius subiecti eidem subiecto conuenire. Vt si ex arithmeticę principijs ostenderetur, super quacunque linea recta triangulum æquilaterum constituere, descenderet arithmetica in geometriam. Idem quoque eueniret, si ex eisdem principijs monstraretur, omnis magnitudo minor, maioris esse pars aut partes, id quod in arithmetica ostenditur inesse numero. Hic autem descensus, quemadmodum hic testatur litera, & postea fusius declaratur, nequit admitti, nisi in ijs disciplinis, quarū subiecta sunt eadem aut omnino, aut aliquo modo. Cęterùm ea subiecta dicuntur prorsus eadem, quorum vnum alsero est superius. Et hæc volunt pertinere ad eas scientias quas vocant subordinatas. Cuiusmodi sunt corpus & corpus humanum, quorum illius consideratio ad Physicam pertinet, huius verò cognitionem sibi vendicat Medicina. Illa autem quodammodo sunt eadem, quorum vnum alterius est totum in modo, qualia sunt magnitudo, numerus, magnitudo mobilis, linea visualis, & sonorus numerus. Quorum illa, scibilia sunt genera geometriæ & arithmeticæ. Circa verò hæc versantur astronomia, perspectiua, quæ Græcis ὀπτικὴ dicitur, & musica, quę scientię mediæ solent appellari. Quòd si subiecta simpliciter diuersa fuerint, sese habeant perinde atque disparatæ species, non poterit fieri eiusmodi descensus ex vno genere in aliud, nisi quatenus vnum genus alteri subest & in se complectitur. Verùm quoniā hoc inesse, est accidentario inesse, ideo demonstratio quę per se est vnius generis, & alteri quodā modo accidētariò tribuitur, non erit demōstratio huius generis secundum se sumpti. Atque id est quod insinuat Philosophus, dum dicit in litera, Nisi & ipsæ magnitudines numeri sint, hoc est, sumantur secundum quòd sunt numeratæ. Id quod fit teste Alberto Elementorum Euclidis decimo libro. Qua quidem in re enucleanda impresentiarū minimè nobis est immorandum. Post hæc in corollario in litera sequenti cōmonstrat Philosophus, non esse transitum ex vna scientia in aliam, aut cōmuniorem, aut

Tertia conclusio.

Descensus de vno genere ad aliud.

disparatam. Nam demonstrare contrariorum eandem esse disciplinam, negotij est Metaphysici vel Dialectici. Duos aūt cubos vnum esse, ad Arithmeticam pertinet. Est enim is numerus cubus, qui sub tribus numeris æqualibus continetur, hoc est, qui ex alicuius numeri continuo in se trino ductu procreatur, vt sunt 8. 27. 64. 125. 216. Nam bis duo bis, reddunt octo. Et ter tria ter 27. Et quater quatuor quater. 64. Et quinquies quinq; quinquies. 125. Et sexies sex sexies. 216. Dictorum cubicorum numerorum radices sunt. 2. 3. 4. 5. & 6. Cæterùm duo numeri cubi vnum efficiunt, quod ex ductu vnius, aut in seipsum, aut in alterum coalescit, ac gignitur cubus, quemadmodum docetur apud Euclidem libri noni tertia & quarta propositionibus. Verbi causa, si octonarius in seipsum ducatur, procreantur 64. qui quidem numerus est cubus tertio loco prius enumeratus. Quòd si ducatur octonarius in 27. procreabuntur 216. qui etiam numerus cubus est, quintū locū obtinens. Nam octies 27. efficiunt 216. Sed de his exactius fusiusq; apud Arithmeticos. Sunt etiam & figuræ cubicæ in magnitudinibus, constantes sex superficiebus rectis, æquis, & æqualibus duodecim lateribus, cuiusmodi figurā præ se ferunt tali seu aleæ. Porrò pro reliquis literæ exemplis nonnulli abundè curiosi, has adferūt demōstrationes, Omnis linea, quæ pulcherrimum ens metitur & nobilissimum, est linearū pulcherrima, At linea recta est huiusmodi, igitur linea recta linearū est pulcherrima. Omnis linea, cuius medium non discrepat ab extremis, cōtraria est illi, cuius medium ab extremis exit, sed lineæ rectæ medium non discrepat ab extremis, Curuę autem seu circularis ab extremis medium eminet, igitur rectæ lineæ contraria est curua. Hanc existimant esse à priori & ad Metaphysicum pertinere. Alteram verò à posteriori & Physicæ esse consyderationis, quæ est, Omnes lineæ, supra quas fiunt motus contrarij, sunt sibi inuicem contrariæ. At super lineam rectam fit rectus motus, & supra curuam circularis, quæ sunt inter se contrarij, sunt igitur lineæ recta & curua sibi mutuò contrariæ. Hæc an verè sic sese habeant necne, doctiorum examini relinquimus. Dum in calce literę dicitur, Non enim hæc ratione proprij generis ipsarum, sed cuiusdam communis competunt, accipiendum est de communi non pertinente ad mathematicam consyderationē. Alioqui horum demonstratio ipsius esset Geometrę. Atq; fortassis illud commune, per accidens duntaxat illis lineis competit. Quòd si res sic sese habeat, syllogismi allati non erunt propriæ demonstrationes. Sed de his hactenus.

Quid cubus numerus.

Cubus ex duobus numeris cubicis procreatur.

Euclides.

Manifestū aūt est, si demōstratio, &c.

In tertiam eiusdem capitis partem, quæ docet, demonstrationem esse perpetuorum, ingenerabilium, & incorruptibilium, & ex proprijs, Scholia.

IN exordio huius literæ Philosophus hanc præmittit conclusionē, Demonstrationis ex vniuersalibus progredientis, necesse est cōclusionē esse perpetuam. Ad quam nihil probationis adfert, eò q; ex superioribus abundè sit perspecta. Porrò Arist. sub conditione loquēs, subindicat aliquam demonstrationē, quæ non absolutè sit demonstratio, esse. quæ constituatur ex præmissis non vniuersalibus. Nam teste Themistio, de hac re apud veteres (quorum vnius Alexandri scilicet, memini.) erat dubitatio. Ex hac itaq; cōclusione mox colligit id quod primo loco tradere instituerat, nempe nullam demonstrationē, nullamq; scientiam simpliciter ac propriè dictam esse corruptibilium, & generabilium, sed solùm de his esse demonstrationē & disciplinam per accidens. Cæterùm hæc literæ pars apud Boetium & Græcum codicem ad hunc modum legitur, Non est demonstratio corruptibilium, neq; scientia simpliciter, sed sic est, sicut secundum accidens, quod non ipsius vniuersalis est, sed aliquādo & quodammodo. Cùm aūt ita sit, necesse est alteram non vniuersalem esse propositionem, & corruptibilem. Corruptibilem quidem, quoniam & conclusio est. Non vniuersalem autem, quoniam hoc quidem erit, hoc autē non erit ex quibus est. Quare non est syllogisare vniuersaliter, sed quoniam nunc est. Cuius interpretationis nostra sentētia hic est sensus, Non est demonstratio atq; scientia simpliciter corruptibilium, sed de corruptibilibus habetur demonstratio atq; scientia, quēadmodum de nonnullis est scientia per accidens, eò q; demonstratio & scientia ipsius corruptibilis non sit de prædicato vniuersali comparatione corruptibilis subiecti, sed de eo subiecto, quod aliquando & non perpetuò, quodammodo, nempe non proximo, sub prædicato comprehenditur. Nam ad vniuersalis rationem, non sufficit subiectorum ac temporum vniuersalitas, ratioq; per se. sed oportet prædicatum sic subiecto competere, vt illi primò & immediatè insit. Cùm autem demonstratio atque scientia ipsius corruptibilis, eiusmodi sit qualis dicta est, necesse erit huius demonstrationis præmissarum alteram esse non vniuersalem, & corruptibilem. Corruptibilem quidem, quòd conclusio corruptibilis sit. Neque enim ex incorruptibilibus colligere contingit corruptibilem conclusionem. Non vniuersalem verò, quòd vno tempore vera sit, altero falsa, cùm rem corruptibilem quemadmodum

Prima literę conclusio.

Themistius

Demōstratio aut scientia non est corruptibilium & generabilium.

dum & conclusio complectatur. Cæterùm, vt ad institutum nostrum redeamus, aduertendum est, Aristotelem non solùm asseruisse, corruptibilium non esse scientiam simpliciter, sed & subiunxisse, ipsorũ esse scientiam per accidens, ad explodendam Platonis opinionẽ, qui ob saluandam ipsius scientiæ rationẽ, quasdam cõmentus est finxitq; Idæas, hoc est, formas à suis separatas singularibus. De qua quidem re plura in medium proferremus, nisi id Metaphysici esset negotij. Iustissimè enim hanc Platonis opinionẽ cõfutat Philosophus Metaphysices libro septimo. Insuper secundò adnotandum est, hoc pronunciatũ Demonstrationẽ atq; scientiam per accidens esse corruptibilium, duplicem sensum posse admittere. Vnus est, secundum quem esse secundun accidens ipsis corruptibilibus tribuitur, vt sensus sit, scientiam esse de iis quæ per accidens existunt corruptibilia. Atq; hic sensus tanquam veritatẽ continens non est respuendus. Nam scientia vel propriè peculiariterq; accepta, circa vniuersalia ipsa versatur, quæ constat per accidens corruptibilia esse, nempe merito suorũ singularium per se corruptibilium. Verùm hanc expositionem non conuenire sententiæ Aristotelicæ, ex ipsa litera facilè perpendi potest. Alter est, in quo particula (secundũ accidens) dictioni (scientia) iungitur, Atq; hoc bifariam accipi potest, quemadmodũ dupliciter accidit, nos aliquid scire per accidens. Priori modo, Per accidens aliquid scimus, cùm scientia alicuius subiecti scibilis propriè ac simpliciter accepta, ad singulare sub ipso contentũ confertur, nullatenus ad ipsum secundũ se descendẽdo. Atq; hoc scire in primo huius capite, atq; in tertio syllogismorũ defectu (de quo determinatũ est in Priorum Analyticorũ secundo) nuncupatũ est, scire in vniuersali. Neq; huiusmodi scire in vniuersali, formidamus vocare, secundum accidens scire, cùm in illo defectu, scire in propria forma dicatur esse per se scire, cui oppositũ esse constat scire per accidens. Et ne quis quod dicimus commentũ esse opinetur, Themistij interpretationẽ circa hunc locum audiat. Ex iis (inquit) & illud dilucet, si conclusio demonstrationis perpetua esse debet, nullam demonstrationẽ caducorũ, & dissipabilium rerum simpliciter futuram, Proindéque nec scientiam. Sed solùm ratione vna, si mentio earum concepta vniuersaliter sit. Hæc ille. Posteriori modo per accidens scitur singulare corruptibile, dum in propria forma scitur, facta illius subsumptione sub maiore aliqua, quæ modò vniuersalis sit, modò non. Exempla sunt, Omnis triangulus tres angulos duobus rectis æquos continet, Et hic triangulus in semicirculo descriptus est triangulus, Habet igitur tres duobus rectis æquales angulos. Omnis æquilaterus habet tres, &c. hic triangulus in abaco descriptus, est æquilaterus. continet igitur hic triangulus tres æquos duobus rectis. Verùm quoniam huiusmodi demonstrationes atq; scientiæ particulares sunt, & proinde à vera demonstrationis & scientiæ ratione deficientes, non mirum cuiquam videbitur, si tales secũdum accidens vocitentur. Verùm enimuerò hoc in loco Aristoteles non vsq; adeò perpendit ac considerat eam particularitatẽ, quæ opposita est ei conditioni, secundum quàm id quod vniuersale est, necesse est primò inexistere, quàm vniuersalitatis secundum tempus defectum, quemadmodum tradit Themistius. Etenim post ea quæ prius sunt allata, Quæ enim (ait) confirmatio esse conclusionis potest, cuius subiectum dissolubile subcisiuumq; habeatur, & cui prædicatum neq; semper neq; simpliciter, sed modò insit? Verbi gratia, Inest Socrati vt animal sit, sed nunc. Nec quia Socrates est, sed quia homo. Quæ sanè Themistij verba planè consentiunt iis, quibus Boetianã interpretationẽ superius exposuimus. Postremò, ex ipsa litera animaduertendum est, generabile esse corruptibile, & reliqua his similia aut opposita, indiscriminatim & rebus & propositionibus tribui, id quod propter eos monemus, qui nimium trepidantes, allata cõtra ipsos super rebus leui instantia, ad propositiones, veluti ad sacram anchorã mox cõfugiunt. Ea propositio perpetua est ingenerabilis, &c. quæ necessaria existit, eo quo posterius modo exponemus. Contrà generabilis est, quæ contingens existit. Quòd si hæc in ipsas res cõferamus, id generabile atq; corruptibile dicitur, quod secundum seipsum cõtingit generari & corrumpi. Cuiusmodi sunt sola generum & specierũ indiuidua, sub lunari globo collocata, quæ cõsistunt materia, qualitatibus mutuò actiuis & passiuis affecta. E diuerso, horum indiuiduorũ species atq; genera, ingenerabilia dicuntur atq; incorruptibilia, & proinde æterna perpetuaq;. Id quod duplicẽ recipit expositionẽ. Nam vno modo eiusmodi possunt positiuè dici, quod nequeant vllo modo incipere esse, vel desinere. In qua significatione nõ sunt ingenerabilia, &c. Altero modo negatiuè, eò quod in se nõ cõtineant ac cõplectantur generationis causam & corruptionis. Atq; in hoc sensu sunt vniuersalia ingenerabilia incorruptibilia, &c. Quandoquidem corporalia vniuersalia, & si in sua quiditate ac essentia materiam cõprehendant, non tamen eam, quæ qualitatibus actiuis & passiuis est obnoxia. Post hæc in litera ibi, Similiter & sic se habet in definitionibus,

Plato.

Duplicẽ recipit sensũ, demõstrationẽ atq; scientiam per accidẽs esse corruptibilium.

Prior.

Posterior.

Dupliciter intelligũtur vniuersalia esse ingenerabilia, & incorruptibilia.

nibus, subnectit Aristoteles secundam conclusionē hanc, Definitio propriè dicta per se, est definitorū quæ sunt ingenerabilia & incorruptibilia, nempe solorū vniuersalium, & per accidēs generabilium, &c̄. Nam perridicula apparet esse ea glossa, qua dicitur definitiones esse incorruptibilium, q̄ enunciationes procreent incorruptibiles, hoc est, necessarias. De definitionum aūt diuersitate, cuius cognitio hic esset accōmoda, in huius 2. dicetur. Porrò ne quis ex prima cōclusione eiusq; corollario errore deceptus, arbitretur nullam prorsus esse disciplinam eorū, quæ sæpe fiunt, subnectit Philosophus tertiam conclusionē dicens, Quòd eorū quoq; quæ sæpe fiunt, demonstrationes sunt & scientiæ. Quòd si obieceris, huiusmodi non esse necessaria.

Secunda literæ conclusio.

Tertia literæ cōclusio.

Respondet, illa necessaria esse, quatenus eorū est scientia atq; demonstratio. Non aūt esse necessaria, inquantum sunt particularia. Cæterùm pro huius rei apertiori intelligentia aduertendum, bifariam aliquid frequenter fieri. Nam quædam sunt quæ sic sæpius fiunt, vt posita eorum causa, omnino necessum sit ipsa fieri, eò q̄ secundum naturam nequeat eiusmodi causa ab effectu producendo præpediri. Tales sunt Solis & Lunæ defectus, planetarū coniūctiones, aspectus, ortus, occasus, & alia id genus, quæ in cœlestibus accidunt corporibus. Altera ita subinde producuntur, vt existente ipsorum causa, nata sint fieri, non tamen ex necessitate eueniant, q̄ ea causa ab aliis naturalibus maioris efficaciæ causis prohiberi valeret, ne suum effectum procreent. Huiusmodi sunt, hominem nasci vnicipitem, bipedem, equum quadrupedem, æstum & algorē esse Sole cancri & capricorni signa percurrēte, & alia quàm plurima, quorum tractatio ad Physicen pertinet. Ex his itaq; ac aliis superius traditis, secundum veterum traditionem colligemus, Demonstrabilem conclusionē trifariam esse necessariam. Primo modo simpliciter & absolutè, secundum quem prædicationes quiditatiuæ & essentiales, atq; eæ quæ ex huiusmodi eruuntur, dicuntur necessariæ, Atq; de his sine controuersia est demonstratio & scientia propriissimè dicta, si modò eorū, quæ ad illam constituendam necessaria sint, nihil abfuerit. Secundò, conclusio necessaria est non simpliciter, sed pro certo tempore, nempè eo quo ponitur causa, cui per naturam ab effectu procreando nequit præstari impedimentū. Huius generis sunt eæ conclusiones, quæ complectuntur ea quæ frequenter fiunt priori modo. Tertiò, illæ dicuntur necessariç, quæ constituta causa, vt in plurimū sunt verç, quales sunt eæ quæ circa ea versantur, quæ secundo modo sæpius efficiuntur. Primæ sunt simpliciter necessariæ. Secundæ necessariæ existunt sub simplici hypothesi, si causa adsit. Postremæ verò stante duplici conditione, si causa ponatur, & ipsi non adsit opposita causa, eâ valídior & efficacior. De his omnibus necessariis fiunt demonstrationes, quemadmodum in hac litera dicitur, & fusius in sequentibus declarabitur. Post hęc in litera ibi, Quoniam non potest fieri demonstratio, &c̄. Ostendit Philosophus, demonstrationē non posse constare ex cōmunibus, sed ex propriis duntaxat. Cuius declaratio satis est aperta. Cæterùm Brissonis ratio, cuius meminit litera, hæc est Themistij sententia, Quæcunque eisdem sunt maiora & minora, ea inter se sunt æqualia, sed circulus intra quadratum descriptus, eo minor est & maior quadrato in se descripto, Potest quoq; dari quadratum illo primo minus, atq; hoc secundo maius. ergo hoc tertium quadratū & circulus propositus sibi mutuò sunt æqualia. Et proinde poterit circulus quadrari. Thomás & aliј eam ad hunc modum reddunt. In quocunq; genere est inuenire maius & minus, contingit & æquale inuenire, At in quadratorū genere inuenire contingit circulo proposito quadratū maius, in quo circulus est descriptus, & quadratum minus in ipso circulo constitutum. licebit igitur reperire quadratum æquale dato circulo. Verùm siue hoc, siue illo modo constituatur ratio, maior, principium est commune diuersis mathematicis disciplinis. Porrò ex prędictis colligit Philosophus duo corollaria. Prius est, Si aliquid per se, & secundum quod ipsum alicui competat, idq; propriè oporteat sciri, necesse esse medium in eadem esse proximitate cum extremis, hoc est, medium sic cum extremis sese habere, vt illorū vnum, illi per se, & secūdum quod ipsum insit, & alteri medium eodem modo. Insuper quod in scientia quæ dicitur subalterna, scitur tantùm quia est per accidens, In subalternante verò propter quid. Machinatiua autē, cuius meminit litera, ars est extruendarū machinarum. Posterius est, Nullius scientiæ est, sua peculiaria principia monstrare. Nam alioqui (vt inquit Themistius) procederetur in infinitum in propriis principiis. Quod autem subnectitur, ad Metaphysicam, quæ omnium scientiarum domina est maximeq; scientia, pertinere principia communia, ex quibus propria singularum disciplinarum principia cognoscēda sint, quo pacto accipiendum sit, forsitan breuibus postea attingemus. Et si id peculiariter explicandum sit 4. lib. Metaphysices, quamobrem arbitramur illud obiter insinuasse Aristotelem, nulla ferè adhibita declaratione. Quæ sequuntur in litera, nihil habent difficultatis.

Cōtingit cōclusionē tripliciter esse necessariam Primò. Secundò. Tertiò.

Demōstratio nō progreditur ex communibus.

Brisso.

In secundi capitis priorem partem, pertractantem de positionibus & proprijs principijs, scholia.

Duo autē principia in vno quoque genere.

Principiorum descriptio.

QVoniam in calce superioris literæ meminit Philosophus principiorum & communium & propriorũ, quorum hæc necessum est secundum se demonstrationem ingredi, non aũt illa. atq; addiderat cognitu esse difficillimũ, An quis sciat nec ne; quod arduum esset intelligere, An ex proprijs quis sciat, an ex communibus, congruentissimo ordine ea quæ super his forent desyderanda, exponit hoc capite. In priori siquidem huius capitis parte monstrat quidnam sit discriminis principiorũ communium à proprijs. In posteriori verò ostendit, quo pacto demõstrator cõmunibus vtatur principijs. In prioris itaq; partis initio, sub indicat hanc principiorũ descriptionem. Principia in vnoquoq; genere scibili sunt, quæ quod sint non contingit demõstrare. Cuius quidem finitionis finitum sumẽdum est pro principijs, & complexis & incomplexis, quemadmodũ & exempla, & literæ decursus apertè indicat. Quòd si definitum tribuere voluerimus ijs duntaxat principijs, quæ simpliciter prima sunt, hoc est, quibus omnino nulla sunt priora, per quæ propter quid demonstrari valerent, nihil restat quod in definitione subintelligatur, Sin verò sumatur pro quibusuis cuiuslibet scientiæ primis principijs ea huius finitionis particula, non contingit à priori demonstrare, restringenda erit huius adiectione (in ea scientia cuius sunt principia). Cæterùm id ipsum, & alia, quæ huius descriptionis declarationi videntur necessaria, Item quomodo aliter & aliter dicantur esse principia, complexa & incomplexa, abundè satis in huius libri exordio expeditum est, quare sequẽtium aggrediamur expositionem. Post igitur positis cõuenientia atq; differentia principiorũ & principiatorũ, hoc est, passionum, quas inesse subiecto monstrari oportet, in litera ibi, Eorum autem quibus in demonstratiuis scientijs, &c. partitur Philosophus principia in communia & propria, adiecta declaratione satis manifesta, qua cõmonstrat, sese loqui de principijs vtrisq;, & complexis, & incomplexis. Ex qua quidem literę declaratione nõnulli has descriptiones depromunt. Principia communia sunt, quibus in demonstrationibus vtimur, secundum quod cuiusq; scientiæ subiecto congruunt, hoc est, quæ virtute duntaxat ingrediuntur demonstrationẽ, non formaliter ac secundum se, nisi ad materiam eius scientiæ restricta sunt, cui adhibenda existunt. Principia propria sunt, per quæ vnaquæq; scientia demonstrat passiones proprias inesse generi scibili, vt lineam esse longitudinẽ illatabilem. De quibus etiam superius satis diximus. Porrò quantùm ad exempla attinet, in arithmetica passionum loco sumuntur par, impar, quadratum, cubus. Et si cubum referat Themistius ad geometriam. Sed alibi diximus, multa diuersimodè tamen ac æquiuocè numeris tribui, ac magnitudinibus. Ad geometriam pertinent puncta, & lineæ, quarum sunt passiones rectum & inflecti, hoc est, esse curuum, irrationale & rationale, concurrere, & parallelum esse. Admonuit enim superius alicubi, assignato duntaxat vno oppositorũ, oportere reliquum subintelligere. Insuper adnotant hoc loco cõmentatores, nihil absurdi accidere, si vnum & idem tanquam passio & subiectum accipiatur, comparatione diuersorum. Cæterùm de lineis rationalibus & irrationalibus, ad hunc modum secundum Campanum tradit Euclides, elementorũ libro decimo. Omnis linea, cum qua ratiocinamur posita, vocatur rationalis, lineæq; eidem communicantes dicuntur rationales, Eidem autem incommunicantes dicuntur irrationales, siue surdæ. Quantitates autẽ, quibus fuerit vna cõmunis quantitas eas numerans, dicuntur cõmunicantes; Quibus verò non fuerit vna cõmunis quantitas eas numerans, dicentur incõmensurabiles. Quare re vera, etsi forsitan alia atq; alia ratione, eædem sunt lineæ rationales & cõmensurabiles, irrationales & incõmensurabiles. Atq; ex his videntur esse excerptæ definitiones hæ vulgares. Lineæ rationales sunt, quarũ vnius ad alteram ea est proportio, quæ vnius numeri ad alterũ, vt lineæ semipedalis, pedalis, & bipedanea. Cõtrà, lineæ irrationales sunt, inter quas non est proportio, qualis numeri ad numerum, vt diameter & costæ sui quadrati irrationales sunt lineæ, quemadmodum pro nostri ingenij tenuitate in primo Priorũ exposuimus. Deinde in litera ibi, Quædam tamen scientiæ non præsupponunt, &c. proponit ac explicat Philosophus hoc scientiarũ discrimen. Disciplinarũ earum quarum subiecta esse, aut quid passionis designẽt, palàm est, præsertim sensus exterioris adminiculo, non expressè ac apertè protestantur sua subiecta esse, seu (vti habet Robertus Linconiensis) non prędocẽt illa, antequàm demonstrationẽ construant, sed illæ duntaxat, quibus illud non competit. Cæterùm duo illa literæ exempla, calidum & frigidum, quę per se propriè tactus sensu percipiuntur, naturalis sunt speculationis, quorum illi cõuenit corporeum dissimilium esse disgregatiuum, & similium adunatiuum. Huic aũt, vtrorumq; simul congregatiuum esse. Porrò numerus pro rebus nume-

ratis acceptus, sensibile est commune. Quòd si à rebus numeratis abstrahatur, quomodo circa ipsum versantur Arithmetici, intellectu duntaxat cognoscitur. Cæterùm & si hæc nobis diuersimodè sint cognita, horum nullum existimant aliqui apertè esse præsupponendum, à quorum sententia alienus est Themistius. Nonnulla (inquit) sanè sunt, quę constituere superuacaneum esset, qualia quæ nobis admodum perspecta explicataq; sunt, vt subiectam materiam esse, si hoc ita cognitū sit, & (vt in prouerbio est) vel pueris scitum. Nec enim constituit Physicus aliquid esse feruidum, algidum, sudum. Nec medicus, humanū corpus esse. At numerum & vnitatē esse constituendum Arithmetico est. Quia hæc non perinde vt cætera, In euidenti sunt. Solemus & prętererire cōniuendo, ea quę pro sua facillima cognitione quid significēt noscitantur vulgò. Fit enim perridiculum, quasi acta agas, quæ suopte ingenio exposita sunt, conari exponere. Hæc Themistius. Post hæc in litera ibi, Non est aūt suppositio nec postulatio dignitas, &c. principiorum communium hanc insinuat distributionem. Principiorū communium quædam dignitates sunt, Alia suppositiones, Alia petitiones seu postulationes, vel quemadmodum veterum quidam dicunt, quæstiones, Alia definitiones. Verùm enimuerò priusquàm huius literæ expositionē aggrediamur, cōmodum fore duximus nonnulla quàm breuissimè præmittere. Quorum vnum est, Communium principiorū, id est, iuxta diuersis scientiis tribuendorū, quædam simpliciter sunt indemonstrabilia, Alia demonstrabilia quidem sunt, non tamen in ea disciplina cuius sunt principia. Insuper eorum quæ simpliciter indemonstrabilia sunt, quædam per se nota sunt, quibus ex sola terminorū coniunctione ac cognitione quibuslibet aliis semotis, cogimur illis assentiri, & firmiter, & euidenter. Hæc autem vocantur dignitates, communisq; animi conceptiones, & à Themistio proloquia, Cuiusmodi sunt hæc, Omne ens esse vel non esse. De quolibet esse affirmationem vel negationem veram, de nullo verò simul. Omne totum esse sua parte maius. Si ab æqualibus æqualia demas, restantia esse æqualia. Quo pacto aūt necesse est, has dignitates quemlibet docendum cognoscere, in huius libri initio expediuimus. Sunt tamen nonnulli, qui existiment dignitatis nomine propriè duntaxat cōprehendi illa duo communissima principia Metaphysica, Quodlibet esse vel non esse, Nihil idem simul esse & non esse. Alia sunt, quæ ex se non cognoscuntur, sed ad illorum percipiendam cognitionem sensu opus est, aut inductione, aut analogia, aut alio huiusmodi. Exemplum forsitan est, Omnem quantitatē ex partibus conflari, & id genus alia. Difficile est enim vera reddere exempla, quemadmodum, teste Aristotele, difficillimū est propria principia à cōmunibus distinguere. Cæterùm cōmunia quæ demonstrari valent, forsitan hæc sunt, Omnem quantitatē diuisibilem esse. Omnem quantitatē in infinitum posse crescere, &c. quę communia sunt & magnitudinibus, & numeris. Secundò, admonendum est, non eandem super propriis principiis habendam esse rationem. Nam fortassis nulla sunt eiusmodi, quæ nobis sint per se nota, licet plurima sint per se vera, quæ nobis euidentia efficiuntur per experientiam. Atq; horum propriorum principiorū, hęc simpliciter sunt Indemonstrabilia, Alia simpliciter demonstrabilia sunt, indemonstrabilia verò in ea disciplina cuius sunt principia. Proprium principium indemonstrabile est, duas rectas lineas superficiem nullam concludere, id quod primo elementorū Euclidis collocat Campanus inter petitiones vltimo loco. Zambertus autem Venetus, eidem vltimum locum attribuit inter sententias communes. Quod quidem indicium est, difficillimū esse, in huiusmodi rebus vera exempla assignare. Principia propria demōstrabilia in geometria sunt, Ab omni puncto ad quemlibet alium rectam lineam ducere. Omnem magnitudinem in infinitum esse diuisilem. In Arithmetica verò hæc, Nullum numerum in infinitum posse minui & decrescere. Seriem numerorū in infinitum posse augeri, aliáque his similia. Porrò omnia principia nunc recensita, siue communia sint, siue propria, dignitatibus exclusis, ab Aristotele in huius libri initio dicta sunt esse positiones & suppositiones. Sunt enim principia, quæ non contingit monstrare, aut simpliciter, aut in ea disciplina, cuius existunt principia, & quæ non est necesse scire quemlibet docendum. Neq; videmus, quam ob causam hæc positionis descriptio, in huius libri exordio tradita, sic restringenda limitandaq; veniret, vt solis conueniret principiis communibus, aut solis propriis. Alioqui diuisi amplitudo, nempè principii, in diuisione in loco allato reddita, non plenè explicaretur per membra diuidentia. Insuper, quoniam hoc in loco nihil liceat reperire, quod cogat, quæ hic traduntur de suppositione & petitione, ad sola communia aut sola propria referre, dicēdum erit, hic vtrorumq; & communium & propriorū discrimen exponi, quatenus sunt suppositiones & petitiones. Cæterùm quia in litera duntaxat meminit Philosophus eorū quæ sunt demonstrabilia, sub demonstrabilibus accipiuntur indemonstrabilia.

bilia, quæ in huius libri initio (quemadmodum prius diximus) dicebantur suppositiones esse atque positiones. Duo igitur hi passus simul iuncti, & rectè intellecti, positionis rationē & suppositionis apertè monstrabunt. Principiorum itaque, hęc sunt communia, illa verò propria. Communium quoque, quædā sunt incōplexa, vt ens, esse vel non esse, pars, totū, Alia cōplexa. Atque horū, quædam sunt dignitates, alia positiones. Et harū, quędam sunt suppositiones, aliæ petitiones. Item propriorum principiorum, quędam incōplexa sunt, vt vnitas, punctus, numerus, magnitudo, & definitio essentialis ac quiditatiua: Alia complexa, quæ positiones sunt, tum suppositiones, tum petitiones. Porrò his ita præmissis atque probè cognitis, facilis erit literæ huius intelligentia, ad cuius expositionem accedimus. In qua mox hanc dignitatis finitionem insinuat. Dignitas est, quam & propter se esse, & videri, necesse est. Cuius sentētia est. Dignitas est propositio vera, necessaria ex sola suorum terminorū connexione, hoc est, indemonstrabilis, & quam necessum est firmiter euidenterque apparere esse necessariam propter se, seu ex sola suorum terminorum compagine & coniunctione, nullo alio adhibito. Nihil enim aliud est dignitas, quàm propositio necessaria indemonstrabilis, cui mens nostra firma euidentique assentione adhæret, ex natiuo intellectus lumine, cum sola suorum extremorum notione. Neque huic definitioni necessum est adijcere, & quam quemlibet docendum necesse est habere, eò quòd id omnibus conueniat dignitatibus. Quisquis enim docendus est, aut secundum se, aut virtute quadam dignitatibus omnibus assentitur, vt superius in huius initio ostensum est.

Quid sit dignitas.

Cæterùm qui de ijs loquuntur dignitatibus, quas secundum se oportet cognoscere eum, qui instituendus est in aliqua disciplina ac arte, existimant duas duntaxat esse dignitates, Omne ens videlicet esse vel non esse, Et nihil idem simul esse, & non esse. quod an sic se habeat, an secus, aliorū examini cōmittimus. Porrò quæ mox subditur probatio, diuerso ordine legitur. Nam Boetius cum alijs translationibus sic habet. Non est enim ad exterius orationem demonstratio, sed ad eam quę est in anima, quoniam neque syllogismus. Semper enim est instare ad exterius rationem, sed ad interius rationem non semper. Parui tamen refert, vtro modo legatur. Et an vnica ratio, An duę adhibeantur. Illud plurimum refert, quosdam legere negatiuè illam particulam (Quoniam neque syllogismus) sicque habet græcus codex. Alios legere affirmatiuè, (quemadmodum & syllogismus) qui apparent sequi Themistij expositionem.

Themistius

Cæterùm huius loci duæ sunt expositiones, quas subijcere decreuimus, quòd ab insignioribus expositoribus sint traditæ. Albertus, D. Thomas, Egidius Romanus, & penè tota neotericorum caterua, post Robertum Linconiensem, per externam siue exteriorem rationem, argumentationem accipiunt seu medium extrinsecum, quo opus est ad firmā, stabilem, euidentemque cognitionē habendam de dignitate, etiam si id medium tantum mente teneatur, nec voce proferatur. Et per rationem internā, quæque introrsum est, intelligunt naturale intellectus lumen, quod ita intellectui cōpetit, vt illi adsit perpetuò, nec ab eo possit separari (quicquid id sit) Hi igitur hunc locum ita exponunt. Petitio, inquiunt, atque suppositio, exteriori ratione confirmari possunt, hoc est, aliqua argumentatione. At cōmunis animi conceptio non est ad exterius rationem, quia approbari nequit per vllam argumentationem, sed est ad eam rationem quæ est in anima, quòd natura indita intellectus luce, statim nota sit. Quod autem non valeat esse ad externā rationē, ex eo patet, quòd neque fiat vllus syllogismus per aliquod exterius ad comprobandas hasce cōmunes mentis conceptiones. Quòd autē hæ non sint externa ratione notæ, ex eo monstratur, quòd exteriori ratione verè & apparenter instari possit. Interiori autem ratione, non est possibile semper instari. Nihil enim adeò verum existit, quod voce non contingit negari. Hæc ferè Diui Thomæ verba sunt. Ex quibus colligere licet, fieri non posse, vt intellectus propositionibus per se notis dissentiat, id quod apertissimè scribit Commentator, propositiones (inquit) notæ per naturam, sunt veræ per se, & non est possibile, vt aliquis contrarium imaginetur per intellectum, quàm sint alio modo quàm sint. Omnibus autem alijs quæ necessaria sunt nec per se nota, siue principia fuerint siue conclusiones, accidit per aliquam rationem intellectū dissentire. Sed de hac priori expositione satis. Alij per externā orationem, intelligunt vocalem ratiocinationē, & per internam, mentalem. Atque ad hunc modum hanc literam interpretantur. Dictum est dignitatē necesse esse propter se videri. Nam quamuis contra ipsam accidat instare ratione externa, nempe vocali, non tamen mentali, qua mediante eidem dissentiret intellectus. Demonstratio autem ad vocalem non pertinet argumentationem, sed potius eam quę ipsius intellectus est, hoc est, non destinatur duntaxat ad colligendum secundum vocem, sed verius apud mentem & intellectum, quemadmodum neque syllogismus, qui demonstratione est vniuersalior, ad externam attinet locutionem

Albertus. Thomas. Egidius. Linconiensis.

Thomas.

Commentator.

Altera expositio.

tionem, sed potius internã. Vel si affirmatiuè legis, quemadmodum & syllogismus, pertinet ad internam locutionem, non externã. Est etenim argumentatio omnis, potius ipsius intellectus instrumentum, quàm eloquendi potestatis. Huic expositioni omnino consentit Themistius. Proloquia (inquit) a postulatis & subiectionibus differunt, quòd neque constituuntur neque petuntur concedi, quia re vera sunt & videntur. Quum dico videntur vera, non id dico quòd concedantur ore. Nam hoc quidem modo posset contingere, vt proloquia nulla essent sanè, quum saltem exteriore verbo possunt negari. Nam interiore non possunt. Qui enim negaret, paribus demptis subsidia esse paria, sermone potius, quàm interiore sensu contenderit, & (vt vetus est sumptum ab Euripide) dissentiret lingua, non corde. Demonstratio autem, non ad exteriorem locutionem, sed ad internam intellectualemq; pertinet, quemadmodum & syllogismus. Non ergo ex eo quod quisquam foras pronunciat, sed ex eo quod intus approbat, auctorantur proloquia. Plerumque enim dissonat quod in lingua promptum habetur, ab eo quod clausum geritur in pectore. Hæc perpulchrè Themistius. Insuper ex litera suppositionis & petitionis seu postulationis desumũtur hæ descriptiones. Suppositio propositio est demonstrabilis, non demonstrata, cui addiscens assentitur. Petitio est propositio demonstrabilis indemonstrata, cui addiscens assentitur aut non assentitur. Neque cum hoc pugnat quod mox sequitur, Est enim postulatio, quod est contrariũ opinioni discẽtis, aut quodcunq; demonstrabile, quo nõ demõstrato quis vtitur. Nam hoc posterius accipiendũ est de eo non demonstrato, cui addiscens non assentitur, id quod ex superiori litera facilè erit subintelligere ac repetere. Cæterùm superius monuimus, sub demonstrabilibus subintelligenda esse indemõstrabilia, quę per se nota nõ sunt, siue cõmunia sint principia, siue propria. Et proinde hæ finitiones non absolutè omnibus suppositionibus ac postulationibus conuenient, sed illis duntaxat, quę secundũ se propriamq; naturã sunt demonstrabiles. In vtraq; definitione subnectitur. Non demonstrata, eò quod si talis propositio discẽti per demonstrationẽ facta esset certà ac euidens, nõ esset suppositio. Atq; ob id existimamus, principia propria quę primo vera sunt, vbi per experientiam aut aliunde nobis reddita fuerint euidentia, nõ amplius suppositionis nomenclaturã retinere. Quapropter sub suppositione ac postulatione, tertium erit comprehendendum membrũ, principium videlicet, quod non existens dignitas, euidenti noticia cognitũ est, aut demõstratione, aut experientia, aut alia huiusmodi via. Cæterùm qualẽ oporteat addiscentẽ super suppositione habere assensum, si is non sit euidens, peritiorum relinquimus iudicio. Non enim suscepimus prouinciam, discutiendi quæcunq; diligẽti lectori valent occurrere. Porrò dictarũ finitionũ particulæ id discriminis indicant, quo a seinuicem dissident suppositio & petitio, siue postulatio, quod quidẽ omnino accidentale est, nempe sumptũ ex addiscente, modo alio atq; alio sese habente circa propositionẽ demonstrabilem nondum demonstratã. Atq; ex his facile fuerit colligere, Philosophum hoc in loco strictius suppositionem accipere, quàm in huius libri exordio, aut ea quæ hic tradit restringere coartareq; ea, quæ superius sunt tradita. Post hęc in litera, ibi. Definitiones igitur, cum neq; affirmationes sint, &c. quia in loco sæpius a nobis repetito inter positiones recensuerat definitionẽ, quæ quoddã est demonstrationis principium, tribus rationibus ostendit Philosophus, definitiones essentiales ac quidditatiuas non esse suppositiones, aut postulationes siue petitiones. Illud autem quod post secundã rationẽ subiungitur de Geometra, perbellè interpretatur Themistius hunc in modum. Nec Geometræ lineis ijs vtũtur, super quibus speculamina sua erigunt, sed ijs quas anima retinet conceptas, & quarũ tanq; exemplaria & notæ sunt lineæ, quę in abaco aut puluisculo describuntur. Quum enim pedalem lineam dicunt quæ non sit pedalis, aut æquilaterũ, quod non sit æquilaterũ, non ad ea quæ graphio designantur spectandum est, sed ad ea quæ mente intelliguntur. Atq; hæc verò sunt, quibus illi quũ demonstrant, vtuntur. Nam in conclusione lineam vniuersalem accipiunt, sed docent per illam interpretẽ quę descripta in mensula est. Aliter enim linea vera significari discentibus non posset. Hactenus ille. Porrò quod circa literæ calcẽ subditur ad reijciendam Platonis sententiam, qui ob tuendam scientiæ rationem quasdam asseuerabat esse Idæas species, siue vniuersalia, re a suis singularibus remota ac separata, ex superioribus vtcunq; est manifestum. Diximus enim, definitionem ac demonstrationẽ per se, vniuersalium esse, ingenerabiliũ & incorruptibilium, Per accidens verò generabiliũ atq; corruptibilium, hoc est, singularium. Deinde dum deinceps subnectitur. Oportet itaq; aliquid esse vnũ & idem non æquiuocũ, &c. accipiendũ est de æquiuoco a casu. Nam autorũ bona pars autumat, analogorũ analogicæ acceptorũ esse scientiam, cuiusmodi ab eis asseritur esse Metaphysices disciplina, cuius subiectũ, quod est ens, ex Philosopho constat esse analogum.

analogum. Hactenus de principijs & communibus & proprijs, horumq; diuersitate, a nobis dictum sit, quibus venia dabitur, si prolixiores, quàm par sit, fuerimus. Nam tam longa expositione egêre visa est nobis hæc litera.

In secundam partem eiusdem secundi capitis, ostendentem quomodo demonstrator communibus vtitur principijs, scholia.

Nulla demonstratio sumit id principium.

IN huius posterioris partis initio proponit Philosophus, Nullam vnam demonstrationem quæ ostensiua sit, assumere hoc negatiuum principium cõmunissimum: Non contingere idem affirmare & negare, nisi idipsum exigit monstrãda conclusio. Deinde enucleat quando id requirit conclusio, nempe dum copulatũ aliquod, ex duobus contradictorijs finito affirmato & infinito negato conflatum, colligendum est alicui competere. Cæterùm pars ea literæ, Et non refert siue sumatur pro medio aliquid affirmatum, &c. hanc habet sententiam. nihil refert ad dicti principij vsum, siue medium positiuè sumatur, siue negatiuè. Itidem ex minore extremitate iudicandum est, præsertim si modò ipsa materia, ex qua procreatur demonstratio, non fuerit conuertibilis, sed maior extremitas medio communior, & medium extremitate minore, id quod posterius asserit & indicat Aristot. Porrò illud quod diximus de medio affirmatiuè & negatiuè sumendo, duplicem recipit intelligentiam. Prior est, secundum quam in vna demonstratione medium affirmatiuè statuetur, & in altera negatiuè. Posterior sensus est, secundum quem medium assumetur & affirmatiuè & negatiuè in vna eademq; demonstratione, eo modo quo & ipsa maior extremitas. In Boetiana versione Græco codici consentiente subnectitur exemplum, quod nostro iudicio priori sensui fauet. Nam in ipso pro maiore extremitate statuitur animal, medij locũ obtinet homo, & minoris extremitatis Callias, ex quibus mediante dicto cõmuni principio, ad hunc modum affirmatiuè & negatiuè licet demonstrare. Omnis homo est animal, & non est non animal, at Callias est homo, est igitur Callias animal, & non est non animal. Omnis non homo est animal, & non est non animal (id quod intelliges de non homine qui est animal aut aliud simile, Alioqui maior hęc falsa esset, & vniuersali omisso signo, cum in prima figura maior indefinita sit, nullus foret syllogismus) equus est non homo, ergo equus est animal, & non est non animal. Omnis homo est animal, & non est non animal, at non Callias, nempe Socrates, est homo, est igitur non Callias animal, & nõ est non animal. Omnis non homo est animal, & non est non animal, & non Callias, bucephalus videlicet est nõ homo, igitur nõ Callias est animal, & non est nõ animal. In quibus exemplis palàm est eundem esse illius principij vsum. Nolumus nihilominus aliorum alteram sententiam prorsùs abijcere, quæ hæc simul iungit ad hunc modum. Quisquis est homo, & non est non homo, est animal, & non est non animal: At id quod est Callias, & non est non Callias, est homo & non homo, Igitur id quod est Callias, & non est non Callias, est animal & non est non animal. Ex prædictis exemplis haud difficilè fuerit monstrare, illud principium non ingredi constituereq; secundum se & formaliter demonstrationẽ, sed duntaxat quatenus contractum fuerit ad specialem materiam, animal videlicet, hominẽ, & Calliam, & id genus alia. Cęterùm Themistius hoc exemplum reddit. Omne corpus est finitũ, & non est infinitũ, mundus est corpus, igitur mundus finitus est & non est infinitus, quod vt superiora vtriusq; extremi ratione illud cõmune principium ad certã materiam limitat ac restringit, quanquàm sciamus eundem autorem illud contrahere nonnunquam alterius extremi ratione, vt dum dicit, omnẽ numerum esse vel non esse. Porrò hic oritur dubitatio nõ admodum exigua. An huiusmodi demonstratio ex cõtracto principio progrediens, re vera sit ostensiua demonstratio: hoc est, vt rem ipsam propius attingamus, Sitne hæc vera demonstratio: Omne animal rationale est disciplinæ capax, & non est non capax disciplinæ: At omnis homo est animal rationale, est igitur omnis homo disciplinæ capax, & non est non capax disciplinæ. Huius ambiguitatis causa est, quòd adiectio negationis contradictorij videatur superflua esse. Idem enim est, Calliam esse animal, & ipsum non esse non animal. Et vt inquit Diuus Thomas, nihil plus certificatur, cum dicitur. homo est animal, & non est non animal, quàm cum dicitur solum, homo est animal. Nam idem per vtrunq; intelligitur. Quod si in demonstratione omni vitanda sit quæcunq; superfluitas, quẽadmodum & in definitionibus, vt traditur Topicorum lib. 6. non erit illa dicenda esse vera demonstratio. Hanc dubitationẽ nobis sat fuerit indicasse, neq; eam impræsentiarũ statuimus dissoluere. Post hæc in litera, ibi. Hoc autem principium, De vnoquoq; aut affirmatio, &c. aperit Philosophus, quomodo demonstrator vtatur principio communi affirmatiuo, dicens demonstratorem in per impossibile demonstratione illo vti, nõ in sua cõmunitate secundum se sumpto, sed restricto ad genus illius scientiæ, ad quã ipsum appli-

Quõ demõstrator vtit principio cõmunissimo negatiuo.

Quõ demõstrator vtit principio cõmunissimo affirmatiuo.

applicandum est. Verbi gratia, sit per impossibile monstrandum, aliquem hominẽ esse disciplinæ capacẽ, id sic monstrabitur, nullus homo est disciplinæ capax, & omne animal rationale est homo, nullum igitur animal rationale est capax disciplinæ: Conclusio falsa est, quare & præmissarum altera, non minor, cum manifestæ sit veritatis, & proinde falsa erit maior. Cum igitur necesse sit, nullum hominem esse disciplinæ capacem, aut aliquem hominẽ esse huiusmodi, falsumq; sit, nullum hominẽ esse disciplinæ capacem, verum erit aliquem hominẽ esse disciplinæ capacẽ, id quod erat monstrandum. In quo sane exemplo nõ difficile est inspicere, quo pacto dictũ principium ad certã materiam sit reuocatum ac limitatum. Cæterùm huic affirmatiuo principio asserunt probati autores, non esse locũ in omni per impossibile demonstratione. Non enim in ea quæ ex priuatiuè opposito aut immediato contrario progreditur, quo modo volunt nõnulli probare, aliquem numerum esse parẽ, quòd falsum sit, apertè eum esse imparem, idq; tale cognoscatur esse, ex manifesta illatæ conclusionis falsitate atq; impossibilitate. Sed de hac re fortassis in sequentibus. Porrò in litera sequente, ibi. Communicant autem omnes scientiæ in principijs cõmunibus, &c̃. cõparat Philosophus scientias ad dicta principia, volens omnes disciplinas cõmunicare cõmunibus principijs, non quidem omnibus, sed ijs quæ prius recensita sunt, quæq; cõmunissima nũcupare solent. Modus autẽ quo illis communicant omnes scientiæ, mox explicatur. Communia autẽ sunt, quibus vtuntur, tanquam ex ipsis demonstrantes, hoc est, velut principijs, & nõ de quibus neq; quæ demonstrant. Id est, nõ tanquam subiectis, de quibus passiones demonstrantur. neq; tanq̃ passionibus, quas demõstrant scientiæ suis inesse subiectis. Et si enim disciplinæ speciales omnes cõmunibus principijs aut virtualiter aut formaliter, quãdo contracta sunt ad certũ genus scibile, vtãtur, non tamen illa vnq̃ demonstrant. Post hæc continuo exponit Philosophus, quę scientijs alijs specialibus cõmuniores sunt, quæq; aliter circa cõmunia principia versentur, q̃ particulares disciplinæ, subindicans duas esse. Dialecticã & Metaphysicam, ad quã non solum pertinet principijs communibus velut proprijs principijs vti, sed & ipsa approbare illi, qui ea esse vera inficiatur, cuius declaratio prolixior ex quarto Metaphysices libro est petenda. Sub Dialectica quoq; comprehendenda est ars sophistica, vt ex secundo libri allati capite colligitur. Cæterùm differentiam ipsius Dialectices in litera subsequente, ibi. Sed Dialectica nõ est sic quorundã determinatorũ, & cæt. refert Themistius ad Metaphysicã. Habẽtur (inquit) duæ virtutes, quarũ altera inferior, altera præstantior est: Sapientia & dialectica, conueniunt inter se, quòd proloquijs non eodẽ more vtũtur, quo artes cæteræ, sed confirmãt ea & cõprobant. Verùm interest, quòd dialectica ex probabilibus ratiocinatur, sapientia alio genere. Pręterea dialectica nõ de ijs quæ per se insunt, sed de ijs quę inesse videntur occurrat. Quamobrẽ dialectici interrogationibus confidenter incessunt, quia vtrũ concessum negatúmve sit, rationes habent, quibus respõdentem aut in laqueos reducãt, aut reuincant. Hæc ille. Ex cuius verbis patet illa ampla Dialecticæ acceptio, qua sophisticen cõplectitur. Contra alij in hac literæ parte, Dialecticã cõparãt ad reliquas particulares disciplinas. Verùm vtraq; sententia veritati est consona. Nam neq; particulares sciẽtiæ, neq; Metaphysica sciscitãtur interrogantq;, vt vtrãq; cõtradictionis partẽ monstrent, sed vnam duntaxat, eamq; quæ vera est ac necessaria, & quã non cõtingit ex propositionibus sibi oppositis demonstrari. Dialectica autẽ dicitur non esse quorundam determinatorum, neq; alicuius generis determinati, licet consideratione syllogismi Dialectici ex probabilibus & cõmunibus progredientis peculiariter vendicet, is tamen omnibus scientijs, earumq; materiei est applicabilis. Vt moralis Philosophi est monstrare, odium esse in vi concupiscipili, id quod ostendit dialecticus, ex eo quòd amor odio contrarius, in concupiscibili consistat appetitu, quodq; contrariorũ idem oporteat esse subiectũ, quod cõmune est principium. Simili modo de alijs est sentiendum. Deinde in litera, ibi. Si idem est interrogatio syllogistica, &c̃. asserit Philosophus, in qualibet disciplina proprias esse interrogationes scibiles, & ad demonstrationem pertinentes. Quæ autẽ hæ sint & quales, hoc in loco non exponit, sed in exordio secundi huius.

Dubitatio.

Sed fortassis obijciet quispiam. In initio primi Priorũ dictũ est, demonstratorem non interrogare, & hic demonstranti non opus esse interrogare, nullæ igitur erunt in singulis disciplinis propriæ peculiaresq; interrogationes. Respondent vnanimi consensu autores, aliter atq; aliter demonstratorẽ & Dialecticum sciscitari. Imprimis enim dialecticus, & præmissas & conclusiones ex æquo interrogat. Demonstrator autẽ cõclusiones duntaxat, non autem pręmissas siue indemonstrabilia principia.

Obiectiõis solutio.

Quòd si obieceris, Aristotelem propositionum meminisse quæ pręmissæ sunt, non autẽ conclusionis. Respõdent, id quod conclusio est in vna demonstratione, in altera assumi ad alterius conclusionis approbationẽ ac

demon-

demonstrationem. Neq; enim hæc, interrogatio, propositio, & conclusio, re ipsa dissident, sed solum ratione. Verùm an hoc discrimē perpetuò veritatem habeat penes demonstratorem, non oportet lectorem nimis esse anxium. Socrates quidem in Platonis dialogo, qui Meno inscribitur, in quo conatur monstrare, omnem scientiam esse reminiscentiam, omnia ferè quæ ad id ostendendum adfert, rogando proponit. Præterea Dialecticus respondentem eo modo rogat, siue præmissas, siue conclusiones respondenti exhibet, vt ipsi liberum sit, vtrā voluerit contradictionis partem eligere, promptusq; sit dialecticus, oppositas ad vtranq; contradictionis partem probabiles adferre rationes. Demonstrator autē dum interrogat, sua interrogatione docendo discipulo non facit potestatem, vtramuis contradictionis partem eligendi, sed tantum eam, quæ vera sit & necessaria, ex qua sola constituitur ostensiua demonstratio. Nam de ea quæ per impossibile est demonstratione, hoc in loco nihil agimus. Ex his quæ declarata sunt, quatuor colligit Philosophus corollaria. In quorum primo in litera designato dum dicitur. Patet ergo, non omnē interrogationem esse geometricā, & cæt. explicat quæ sit geometrica interrogatio. Ea est enim, si veteres sequamur autores, ex qua prius demonstrata in geometria, quicquam aliud ad geometriā verè pertinens demonstratur, aut quæ in alia demonstratur scientia, ex Geometricis conclusiouibus, Cuiusmodi est ea inerrogatio, quæ in perspectiua disciplina monstratur, ex prioribus cōclusionibus in geometria cōmonstratis. Prioris generis sunt cunctæ conclusiones in geometria demonstratæ, si eas contuleris ad alias in eadem scientia per ipsas demonstratas, id quod palàm est apud Geometras, qui apertè fatentur, posteriorem propositionē siue theorema ex priori pendêre. Posterioris verò generis atq; ordinis sunt interrogationes ad perspectiuā scienriam pertinentes, ex geometricis conclusionibus pricipijsq; manātes ac mōstrabiles. Post hęc in litera, ibi. Nec igitur ad artificē quemq;, &c̄. colligit Philosophus in singulis scientijs proprias esse responsiones. Cæterùm quoniam ex interrogationibus ac responsionibus disputationes coalescunt ac constituuntur, tertio loco infert Aristoteles, ibi (Quare si quispiam cum geometra secundum quòd geometra est, &c̄.) in singulis artibus proprias esse disputationes. Redarguitur autem geometra secundum accidens, cuius rei meminit Philosophus, dum redarguitur velut alius quidam artifex, aliâque instructus disciplina, Musica scilicet, Naturali Philosophia, aut alia quauis scientia, quā constat ei qui geometra est per accidens cōuenire. Post quarti corollarij illationē in litera, ibi. Cum autē sint quædam interrogationes geometricæ, & cæt. tres proponit Philosophus dubitationes. Quarū prima est hæc. An sint etiam interrogationes geometricæ nec ne? Secunda. An interrogationes quæ sunt secundum geometriæ ignorāriam, hoc est, quę fiunt ex Geometriæ principiorum oppositis, sint geomerricæ? Hæ autē duæ dubitationes ad omnem queunt applicari disciplinā. Geometriæ etenim forsitan meminit Philosophus, nō aliarum disciplinarū, quòd in logicis primùm instituendi iuuenes, geomerrica ipsa recenti tenerēt memoria. Tertia est. Vter dicendus sit ignorantiæ syllogismus in aliqua disciplina: An is qui ex materia deficiens ex principiorū oppositis progreditur? An is qui paralogismus est, hoc est, qui in forma dūtaxat deficit atq; peccat? Ad harū quęstionū duas priores respōdet Philosophus, ibi. At nō Geometricæ, &c̄. Duplices esse geometricas interrogariones. Quædā etenim sunt, quæ nihil ex geometria cōtinent. Aliæ idcirco nō geometricæ dicūtur, q; ex ijs constant, quorū est geometrica consideratio, sed perperā connexis ad seinnicem. Quale est, lineas parallelas concurrere dum idipsum rogatur. Contra, bifariam dicitur aliqua interrogatio esse geometrica. Priori modo, dum ex materia geometrica, vel prauè applicata intellectaq; cōstat. In qua significatione, geometrica censenda erit hæc interrogatio, An parallelas lineas accidat concurrere, nec ne? Altero modo, cum materia assumitur geometrica, quemadmodum re vera se habet, vt est, an lineæ parallelæ seu æquidistantes non possint concurrere, & in longum tandem protensæ, seinuicem secare. Simili modo super alijs disciplinarū quæstionibus, quēadmodum meminimus, est iudicandū. Ibi, atque hæc ignorantia quæ ex geometriæ principijs priuatiuè habitis, &c. Ponit Arist. solutionem tertiæ quæstionis dicens, quòd licet in dialectica duobus modis possit fieri litigiosus seu ignorantiæ syllogismus, videlicet peccando in materia & peccando in forma, tamē in geometria & alijs huiusmodi scientijs ferè vnico modo fieri cōtingit, videlicet peccādo in materia, sumēdo cōtraria principiorū: quod ostendit, quia syllogismi peccātes in forma maximè fiunt per fallaciam æquiuocationis, sed hæc fallacia locū non habet in geometria, ergo neq; syllogismus peccās in forma: minor probatur, q̄a æquiuocatio fit in voce, sed demōstratio geometrica fit descriptione & ostensione ad sensum nō aūt voce, ergo æquiuocatio nō habet ibi locū. In dialecticis aūt disputationibus, quæ fiunt voce, latet æquiuocatio.

Quæ sit geometrica interrogatio.

Proponuntur tres quæstiones.

Respōsio ad duas priores quęstiones.

Ad tertiam quęstionē.

Ee verbi

verbi gratia, nomē circulus æquiuocè dicitur de figura & poemate. Et ideo si voce fiat argumentatio, omnis circulus est figura, poema est circulus, ergo poema est figura, latebit æquiuocatio. Sed si circulus ad sensum describatur, aut mente designetur, habito videlicet respectu ad rem, non autem ad vocem, tunc subsumptio manifestè falsa erit. Post hæc in secundo discrimine, ibi. Atq; geometricis, & cæt. per inductiuam propositionem, accipienda est particularis propositio. Atq; quoniam mathematicæ demonstrationes, ex vniuersalibus præmissis vniuersalem colligunt conclusionem, idcirco ipsis non idonea erit particularis propositio. Nam quæcunq; instantia in aliqua disciplina proponi potest, ea in eadem disciplina veluti præmissa adferri poterit. Cæterùm positurus Philosophus tertium discrimen mathematicæ disciplinæ a dialectica, quantum pertinet ad paralogismū secundum fallaciam extra dictionem, in litera, ibi. Contingit autem, &c̄. præmittit quosdam vitiosè syllogisare, eò quòd ex puris affirmatiuis in secunda figura syllogismū constituant, eo assumpto medio, quod veluti communius vtramque sequitur extremitatem. Ab Aristotele proponitur Cynei exemplum, in quo id dicitur multiplicata analogia seu ratione gigni, quod dum producitur, maiorem exigit habétque quantitatem, quàm corpus ex quo productum est, prius suapte natura requirebat. Medium autem, quod est celerrimè gigni, illa maiore extremitate communius existit. Nam ex animali ocyssimè fit cadauer, eadem permanente magnitudine. Neque hic exactius inquirendum esse existimamus, an celerrimè gigni, re vera sequatur id quod multiplicata ratione gignitur. Ita rem se habere, hic est supponendum. Porrò idem medium nō recurrere cum minore extremitate, nempe igni, experientia notissimū est ex vento, vapore, exhalatione, alijsq; cōpluribus, quæ proposita materia ex qua cōmodè nascuntur, celerrimè fiunt.

Post hæc id quod in corollario mox sequēti dicitur. Quòd si impossibile esset ex falsis verū ostendere, &c̄. habet hanc sententiam. Si impossibile foret ex falsis colligere verū, facile esset requirere atq; reperire præmissas, ex quibus necessariò syllogisaretur ipsa cōclusio. Nam ea hypothesi persistente, per conuersionē per accidens sequetur, quicquid celerrimè gignitur, multiplicata ratione gignitur, ergo quod multiplicata ratione gignitur, celerrimè gignitur. Consequens est verū, igitur & antecedens: Ex quo veluti maiore & eadem minore, syllogisticè in prima figura colligitur, ignē multiplicata gigni ratione. Huic simile est. Esto in secunda figura hic syllogismus. Omnis homo est animal, & omnis equus est animal, igitur oīs equus homo est. Hæc maior omne animal est homo pro constituendo primæ figuræ syllogismo sic ostenderetur vera. Sequitur omne animal est homo, ergo quidam homo est animal, consequens verum est, quare & antecedens verum erit. Stante igitur illa hypothesi, conclusio cum præmissis in veritate conuertetur. Nam quemadmodum existentibus veris præmissis, necessum est & verā esse conclusionē, sic & conclusione existente vera, oportet præmissas esse veras. Deinde in litera, ibi. Sed cum in mathematicis magis, & cæt. monstrat Philosophus, in mathematicis non fieri eiusmodi paralogismum, qualis erat Cynei syllogismus, nempe qui in secunda figura vitiosè fieret, quiq; deficeret penes consequentis fallaciam, si veteres sequamur autores. aut recentiorum iudicio penes fallaciam accidentis. Huius rationem reddit, quòd in mathematicis syllogismis assumitur medium, quod cum extremitatibus recurrit, definitio videlicet prior passio, aut aliud eiusmodi, Cuius quidem conuertibilitatis ratione licebit alteram inferre maiorem, ex qua in prima figura eadem colligetur conclusio, id quod haud difficile est exemplo monstrare. Cum itaq; ea medij cum extremis conuertibilitas non perpetuò obseruetur in dialecticis syllogismis, quippe qui subinde ex ijs quæ sunt per accidens consentur, hac ratione dissentiēt a Dialectica Mathematicæ & demōstratiuæ disciplinæ. Postremo loco circa quartum discrimen (quod miramur Iacobū Fabrum post Themistium, nisi fallamur, contra omnium veterū expositionem tribuere Dialecticæ rationi, non autem Mathematicæ disciplinæ) aduertendum est, demonstratiuum syllogismū trifariam posse augeri. Primò diuersis ad eandem conclusionem allatis medijs, vt si homo monstretur esse disciplinæ capax, quia & est animal rationale, & animal est ad adipiscendum felicitatē destinatū. Alio modo, sub vno eodemq; medio varias extremitates minores subsumendo, ex æquo ad ipsum mediū se habente, vt si sub hac demonstrata, omnē triangulum habere tres angulos duobus rectis æquos, in diuersis minoribus subsumātur, æquilaterus, Isosceles, & scalenon, quibus ostēdatur cōpetere habere tres æquales duobus rectis. Atq; hæc nūcupatur augmētatio seu ampliatio ad latus subsumēdo. Cuius exēplū in litera est huiusmodi. Omnis numerus quātus, est finitus vel infinitus. At numerus impar est numerus quantus, ergo numerus impar est finitus vel infinitus. Item numerus par numerus est quantus, est igitur numerus par finitus & infinitus. Finis autem huius

huius literæ sic legendus est, Et rursus sit d idem mediū numerus quantus, e verò minor extremitas numerus par, concluditur ergo a de e per d. Est enim omissa illa dictio, par. Tertio modo illud contingit, dū recto ordine diuersæ minores extremitates sub cōclusionis subiecto subsumūtur ad hunc modū. Omnis figura habens exteriorē angulū duobus interioribus sibi oppositis æquū, habet tres angulos duobus rectis æquales. At omnis triangulus est huiusmodi figura, igitur omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales, Et omne æquilaterum est triangulus, habet igitur omne æquilaterum tres, & cætera. At id quod in semicirculo descriptum est, est æquilaterum, habet itaque id quod in semicirculo est descriptum, tres duobus rectis æquos. Accidit autem & hunc modum fieri, non expressis pluribus ratiocinationibus hoc pacto, omne corpus est mobile, omne corpus animatum est corpus, omne animal est corpus animatum, omne brutum est animal, & omnis leo brutum est, est igitur omnis leo mobilis. hi autem duo demonstrandi modi idem principale medium retinent, & planè respondent duobus modis plura syllogizandi in initio secundi libri Priorum descriptis.

Tertio.

In quartum tractatum vnico capite comprehensum, qui est de demonstratione propter quid est, & quia est, scholia.

Differt aūt scire qa ē, et ppter qd est.

HOc tractatu explicat Philosophus, quid intersit discriminis inter scire propter quid est, & quia est, seu inter demonstrationes propter quid, & quia est. Id quod prius aperit in iis, quæ ad eandem pertinent scientiam. Deinde in iis, quæ diuersarū sunt disciplinarum.

Cæterùm quid sit propter quid scire, quidue propter quid demonstratio, abundè satis in superioribus est expositum. Ex his verò quæ hac in litera proponuntur, licet hanc demonstrationis quia est, descriptionem colligere. Demonstratio quia est, ea est, quæ ex causa mediata ad effectum, vel ex effectu aut recurrente aut non conuertibili, nobis tamen notiori, ad suam causam progreditur. Prioris partis exemplum reddit Philosophus, dum tandem in litera subiungitur. Et præterea per medium quod extra ponitur, &c. in qua per medium quod ponitur extra extremitates, accipiendum est medium, quod causam quidem designet, non tamen adæquatam ac conuertibilem, cuiusmodi est nō animal, ad non respirare collatū. Nam quēadmodū subnectitur in litera, Si non esse animal, causa per se esset ac adæquata non respirandi, cōtra esse animal causa eiusmodi esset ipsius respirationis, qd palàm est falsum esse & in piscibus & in iis animalibus, quæ insecta vocāt Naturales. Nam vt subiūgitur, Si negatio alicuius negatiui effectus per se causa fuerit, ac cū eo recurrens, affirmationem illi oppositā necessum erit esse per se causam adæquatamq; effectus contradictoriè oppositi. Neq; ait Philosophus. Si negatio inferat ipsum non esse, affirmationem ipsum esse inferre: Sic enim constitueretur consequentis fallacia, sed inquit, Si negatio est causa ipsius non esse, &c. agens de ea causa quæ propria est, non autē remota. Subiungitur enim in litera. Demonstratio aūt, quæ fit per huiusmodi causam non propinquam, in secunda fiet figura, ad hunc videlicet modum. Esto medium animal, quod causa est respirādi remota: Maior extremitas, respirare, veluti animalis effectus: Extremitas autem minor, paries, piscis, aut aliud quippiam simile. Constituetur in Camestres hæc demonstratio, Omne respirans est animal, nullus paries est animal, nullus igitur paries respirat. Simili quoq; modo & in aliis eiusmodi causis erit & iudicandum & syllogizandum. Quòd si quis hanc causam negatiuè conetur assumere, conficietur demonstratio in prima figura collocanda, hoc pacto. Quicquid est non animal, non respirat: paries est non animal: non respirat igitur paries. In qua quidem demonstratione, causa quatenus negatiuè accepta est, non est suo effectu communior, sed potius strictior & pauciora complectens. Nam & si quicquid est non animal, non sit respirans, pleraque tamen sunt non respirantia, vt pisces & insecta animantia, quæ sunt animalia. Verùm Philosophus, quemadmodum diximus, de ea duntaxat agit causa, quæ suo effectu communior est, ac ab eo distantior. Cæterùm eiusdem generis est demonstratio, quæ ex Anacharsidis responso depromitur, in hunc modum. Vbicunque sunt sibilatores seu fidicinæ, sunt vites, At in Scythia non sunt vites, Non igitur sunt in Scythia sibilatores & fidicinæ. Id autem medium sciscitanti respondit Anacharsis, quòd ferè id genus mulierculārum, quæ mimæ scænicæq; sunt, vini sunt affectatrices. Et ferè id histrionum proprium est, non pauco se proluere mero, priusquam cantu aut gesticulationibus quenquam demulcere velint. Porrò Anacharsis, philosophus fuit admirandæ sapientiæ ex Scytharū genere, cui teste Cicerone quinto Tusculanarum quæstionū libro, cū improperaret quispiam, quòd Scytha esset, respondit, Mihi (inquit) dedecus est patria, tu verò patriæ. Et interrogatus quid in homine sit bonū & malum, ait, lingua. Fuit hic Anacharsis Cadnidi Scytharū regis frater, à quo & demū sagitta occisus est, quod Græcorū leges

Quid sit demonstratio quia est, & eiusdē descriptionis explicatio.

Anacharsis.

Scythis inducere tentauerit. Sed his missis ad nostram rem reuertamur. Pro eiusdem definitionis secundæ partis priore portiuncula, in literæ penè initio hæc adducuntur exempla. Quæcunq; lucida non scintillant, prope sunt, at planetæ lucidi sunt qui non scintillant, sunt igitur planetæ prope. Quicquid rotunda luminis incrementa suscipit, circularis seu orbicularis est figuræ, Luna autem suscipit luminis rotunda incrementa, igitur Luna est circularis figuræ. In his etenim media, effectus sunt cum maioribus extremitatibus conuertibiles, aut hoc in loco tales esse supponuntur. nam ad perspectiuam attinet disciplinam considerare, An apparens scintillarum emissio proueniat ex sola lucidi distantia, an ex visus debilitate, an ex continua anguli incidentiæ propter motũ diuersitate, An ex radiorũ inuolutione, An nonnunquã ex sola solarium radiorũ reflexione, quẽadmodũ contendit Ioannes Cantuariensis archiepiscopus, secundæ partis suæ communis perspectiuæ, 56. propositione. Insuper adnotant quidam, inter quos est Caietanus, hoc in loco agi de eo effectu, qui cum sua causa recurrit & secundum causæ rationem, & secundum prædicationem. Is secũdum rationem causæ cum sua causa conuertitur, qui eam exigit causam, ab ea quoq; pendet, & quam perpetuò sequitur, vt solare lumen solis comparatione, disciplinæ capacitas & risibilitas ad humanitatẽ collatæ, &c.

Dupliciter effectus cũ causa efficitur.

Ille cum causa secundũ prædicandi modũ conuertitur, non quòd vt in quocunq; esset causa, in eo esset & effectus, & cõtra, sed potius quòd denominationes a causa & effectu desumptæ, eisdẽ omnino tribuuntur, quomodo sese habent lucidum esse, & illuminare. Solem moueri duplici motu, & hæc inferiora nũc generare nunc corrũpere: Et si lux, & lumen. Itidẽ duplex Solis motus, & horũ inferiorũ generatio & corruptio, distinctis insint subiectis. Quod hi adnotãrũt, fiet facilè notũ, si attẽdat perpendatq; lector, Aristo. considerare de ea duntaxat demonstratione, quæ est categorica, non autem quæ est hypothetica. Præterea aduertendum, horum effectuũ cum suis causis recurrentium, quosdam esse immediatos, causæq; proximos, eò quòd inter ipsos & causam nulla causa intercidat alia, quo pacto se habet prima passio ad suũ subiectum, cuiusmodi fortassis est intellectiuum, comparatione animæ rationalis. Alios verò mediatos esse, propter causam oppositã, vt sunt secunda & tertia passiones respectu sui subiecti, secundũ aliquorum placita. Cæterùm Philosophus monstrans ex effectibus immediatis conflari demonstrationes quia est, subindicat demonstrationes ex alijs confectas ad idẽ genus pertinere.

Duplex effectus cũ causa sua cõuertibilis.

Vnus immediatus.

Alter mediatus.

Porrò pro alterius particulæ eiusdem secundæ partis ipsius definitionis cognitione ampliori, Sciendum est, effectum bifariàm cum sua causa non conuerti. Priori modo, si latius quàm causa pateat, sitq; communius, vt creber arteriæ pulsus, & intensus calor, respectu febris; esse exsiccatiuum, ignis comparatione, & ita in alijs, quæ a diuersis causis queunt promanare. Demonstratio quia est ex his effectibus conficienda est in secunda figura, in hunc modũ. Omnis febricitans patitur crebrum arteriæ pulsum & intensum calorem, homo non patitur crebrum arteriæ pulsum, &c. homo igitur non febricitat. Omnis ignis est exsiccatiuus, nulla aqua est exsiccatiua, ergo nulla aqua existit ignis. Posteriori modo, si effectus sua causa strictior sit paucioribusq; conueniens, vt motus progressiuus, ad animal collatus, Lac in mammis habere, respectu concubitus cũ viro. Ex huiusmodi effectu, conflabitur demonstratio in prima figura hoc pacto. Quicquid progressiuo motu mouetur, est animal, leo motu progressiuo mouetur, est igitur leo animal, &c. Horum causa est, quòd eorum quæ communiora sunt, est prædicari: subijci verò ijs cõpetit, quæ sunt minora. Cæterùm diligenter considerãda est ea literæ pars subiuncta, Si aũt sic fiat demonstratio, &c. qua insinuat, ex propositis exemplis cõmmutatis terminis, hoc est, maiore extremitate medij loco sumpta, & medio ad maioris extremitatis locum reuocato, concinnari conficiq; propter quid demonstrationes. Sic enim ex causa propria immediata conuertibilique ratiocinatio deducitur ad effectum. imò ea demonstratio, quæ causam accipit ad colligendum effectũ conuertibilem quidem, sed non immediatum, demonstratio est propter quid, quanquàm non potissima, quẽadmodum existimat Caietanus, cuius sententia in propter quid est demonstrationibus nonnihil latitudinis reperitur. At qui fieri valeat, vt in hisce demonstrationibus non committatur circulus, siue principij petitio, facilè cognoscet lector, modò animaduertat eas non eiusdem esse generis: eò quòd illæ, quòd sint demonstrant: hæ verò ob quam causam. Sed rogabit fortasse quispiam, An ne simili modo recurrere contingat ac reciprocare in ijs demonstrationibus, quæ ex effectu non conuertibili constituuntur. Cui responsum sit, nõ posse has demonstrationes quia est, in eas quæ propter quid sunt cõmutari, eò quòd cõmutatis terminis causam & effectum designantibus, permanentibus eisdem figura & modo, propter causæ & effectus in conuertibilitate discrimẽ, oporteat eius demonstrationis, quæ propter quid censenda foret, alteram præmissam falsitati esse obnoxiam.

Dupliciter effectus cum sua causa nõ recurrit.

Dubitatio.

Dilutio.

obnoxiam. Cuiuſmodi ſunt hæ duæ, Quicquid crebrũ arteriæ pulſum intenſumq; calorem perpetitur, eſt febricitans. omne animal progreditur. Id quod & ſi ſic habeat fatebimur nihilo ſecius, effectum communiorem per cauſam ſtrictiorem in prima figura poſſe quodammodo monſtrari propter quid, non autem ſimpliciter. Per cauſam autem effectu latius patentem, cum eam cauſam neceſſe ſit eſſe remotam, non conſurget vnquam propter quid demonſtratio. Poſt hæc, dum in litera ſubiungitur, Alio autem modo differunt, eò quòd in diuerſis ſunt ſcientijs, & cæt. aperit Philoſophus, quo pacto prædictæ demonſtrationes ſeſe habent diuerſis in ſcientijs. Idq; prius in iis, quarum vna alteri ſubeſt, deinde in alijs, quarũ neutri ea ſubijciendi ratio competit, dum in litera dicitur, Complures etiam ſcientiarum, quarum neutra ſub altera ponitur, pari modo ſe habent, & cæt. Cæterùm pro horum pleniori intelligentia aſſequenda notandum fuerit, biſariàm vnam diſciplinam poni ſub altera, nempe ſimpliciter, & ſecundum quid. Dupliciter quoq; vna ſcientia alteri ſimpliciter ſubijcitur. Priori modo, cum vnius diſciplinæ materia ſpeciei rationem habet ad alterius obiectum ſcibile, quemadmodum animal, corporis naturalis eſt ſpecies. Et proinde animalium ſcientia, Phyſicæ ſeu naturali diſciplinæ ſubeſt. Harum autem eam quę ſuperior eſt, quęq; totum vniuerſaliùs conſiderat, vocant recentiores ſubordinantem: Quæ verò eſt inferior, circáque inferius occupata eſt, ſubordinatam. Aut harum nihil meminit Philoſophus, licet nihil prohibeat illi quod hic traditur, in eiuſmodi ſcientijs locum eſſe. Nam in inferiori ſcientia, nonnulla ſunt ſenſu experientia aut inductione cognita quòd ſint, quæ ex ſuperiori diſciplina valent propter quid eſt monſtrari. Altero modo, vna ſcientiarum ſub altera conſtituitur, dum ſcientię inferioris obiectum non eſt generis ſcibilis ſuperioris ſpecies, ſed inferioris ſubiectum ad ſuperioris obiectum confertur, velut materiale ad formale. Harum exempla adferuntur in litera. Nam ſuperiores ſcientiæ ſunt geometria, arithmetica, ſterrometria, & aſtrologia, quibus ſubſunt perſpectiua, muſica, machinatiua, & apparentium ſcientia, quam in ſua verſione vocat Boetius apparentiam, alij naualem, Themiſtius nauticam, Ariſtoteli autem dicitur φαινόμενα. Etenim geometria magnitudines & lineas conſiderat, quas ad certam materiam limitat perſpectiua, quippe quæ viſibilem lineam pertractet. Arithmetica circa numerum verſatur, quem ad ſonorum contrahit muſica. Stereometria ſcientia eſt, menſurandorum corporum ſolidorum cognitionem tradens. Nam Græcis στερεὸς ſolidum eſt atque durum. Machinatiua autem idipſum applicat ad ligna aliamque materiam, ex quibus conſtruendę ſunt machinæ. Item aſtrologia docet cognoſcere effectus, ventos videlicet, imbres, frigora, æſtus, aeris ſerenitates, & id genus quàmplurima, quę in hęc inferiora efficiuntur, ex corporũ cæleſtium, ſtellarum, planetarumq; motibus, coniunctionibus, & aſpectibus. Hæc quoque philoſophorum dicitur aſtrologia. Nautica autem, quę nautarum eſt aſtrologia, de eiſdem conſiderat effectis, quantum conuenit gubernandis nauibus ex ſenſibilibus ſignis circa cęlum apparentibus. Cæterùm quęadmodum duplex eſt aſtrologia, vna philoſophorũ, quę in litera vocatur mathematica, & altera nautica, ſic & duplex eſt muſica, Vna arithmetica, quę in rationis cognitione (vt inquit Themiſtius) eſt poſita, cuiuſmodi eſt Seuerini Boetij muſica, Alia conſiſtit in arbitrio auditus, vt ars cantãdi, &c̃. At harum, quas expoſuimus, ſcientiarũ eam quę ſuperior eſt, quòd de toto in modo conſiderat, vocitant recentiores ſubalternantem. Inferiorem verò, quę circa partis eiuſdem totius cognitionẽ occupatur, ſubalternatam. ad quã, ſi Alberto crediderimus, tria ſunt neceſſaria obſeruanda. Primum, quòd inferioris ſubalternatæq; ſubiectũ, in ſe cõplectatur ſubalternãtis obiectũ ſcibile, adhibita ſimul differẽtia ipſum cõtrahente ad naturã materiamq; determinatã. Secundum, quòd eiuſmodi differentia addita alterius ſit generis ab eo cui iungitur. Tertium, quòd id quod additur, non profluat ex natura eſſentiáue eius cui additur. Nam eiuſdem eſt diſciplinæ, alicuius naturam conſiderare, & eorum omnium quę ex ipſa manant, hoc eſt, propriarum paſſionum. Quartum his tribus addendum, ex litera colligitur, quòd videlicet ſcientiam ſuperiorem oporteat dicere propter quid eorũ, quæ in ſubalternata traduntur diſciplina. Verùm hæc atque alia huc ſpectantia non ſtatuimus impręſentiarum fuſius enucleare. Poſt hæc, aſſignata quadam ſcientiarum ſubalternarum & ſubalternantium conuenientia, ſecundum quam pleræq; in eiuſdem nominis denominatione conſentiunt, inter eas diſcrimen aſſignat Philoſophus, ibi. Hic enim ipſum quia eſt per ſenſum cognoſcitur, & cæt. quod eſt huiuſmodi. Subalternatæ ſcientiæ, tantũ quia eſt ſciunt per ſenſum, experientiam, aut alium modum ſimilem. At ſubalternantes ſciunt propter quid, & ſi ignorent quia eſt eorum, quæ ad inferiores pertinent diſciplinas.

Bifariã vna ſciẽtia ſubalterna ponit, primo ſimpliciter, q^d dupliciter contingit. Primò.

Sciẽtia ſubalternans & ſubalternata quę ſint.

Secundò.

Tria ad ſubalternatam ſcientiã obſeruanda. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartũ ſuperioribus tribus adiectum.

Cæterùm dupliciter contingit aliquã ſcientiã propter quid cognoſcere. Primo modo, dum

causam cognoscens, eam ad effectum applicat. Altero, quando id quod causa existit noscit, verum id ad effectum non refert ac comparat. Atq; de hoc modo apparet loqui Aristotelem. Subalternans itaq; scientia id quod est causa percipit. Et subalternata effectum esse cognoscit ex sensibilibus, non autem per applicationem ad causam. Porrò cuius artificis sit, applicare causam ad effectum, quoque modo id fiat, non decreuimus hoc in loco pertractare, sed id maluimus doctiorum iudicio relinquere. Item & illud. An in scientijs subalternatis valeant reperiri quædam propriæ demonstrationes, quæ non pendeant vllo modo ex superiori disciplina. Post hæc illa literæ portiuncula, Hæ autem scientiæ propter quid, in Boetiana versione sic legitur. Sunt autem hæc quæcunq; alterum quiddam sunt secundum substantiam, & vtuntur speciebus. Cuius sententia est, Scientiæ subalternantes merè mathematicæ, geometria & arithmetica, a subalternatis secundum substantiam discrepăt, quòd illæ versentur circa obiectum intellectuale, ab omni materia sensibili abstractum. hæc enim formæ sunt, hoc in loco. Atq; id insinuat Philosophus posterius, dicens. De nullo enim subiecto dicuntur, quare nus videlicet mathematicæ considerationi subsunt. Cæterùm ne quis velut absurdum haberet, eandem scientiam esse & subalternatam & subalternantem, subdit Philosophus, id sic habere in Perspectiua, quæ geometria est inferior, & superior comparatione ad scientiam de Iride, cuius materiam autumant quidam esse, visibilem lineam in rorida nube reflexam, ad quam quidem scientiam mediante ea materia applicantur perspectiuæ principia, quemadmodum tradit Egidius Romanus. Hactenus de ijs scientijs, quarum vna simpliciter sub altera ponitur. Porrò ea scientia sub altera secundum quid est posita, quæ neutro dictorum modorũ se habet, sed duntaxat secundum sui aliquam partem pendet, Vt Physica secundum eam partem, qua de Iride pertractat, ex perspectiua geometriaq; dependet. Item medicina seu chyrurgia, secundum quid geometriæ subijcitur, quantum attinet ad eam partem, quæ asserit vulnera circularia tardius curari, id quod medicus experimento cognoscit, ignorat autem geometer, eiusdem causam probè noscens, puta circulum planã esse figuram vnica linea contentam, in cuius medio punctum est, a quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ sunt æquales. De hisce autẽ disciplinis, quemadmodum prius admonuimus, agit Philosophus in litera, ibi. Complures autem scientiarum, & cæt. Hactenus a nobis dictum sit de demonstrationum propter quid est, & quia est, discrimine.

Egidius. Secũdo vna scientia sub altera secundũ quid ponitur.

In quintum tractatum, vnicum continentem caput, in quo monstratur, quæ figurarum maximè faciat scire, annotatio.

Primã figura maximè ad scientiã accómodatur.

Pertractatis ijs, quæ ad demonstratiui syllogismi materiam pertinebăt, hoc tractatu congruo ordine agit Philosophus super eiusdem syllogismi forma, quam palàm est materiæ aduenire. Duo autẽ præcipuè monstrat Philosophus hoc capite: Alterum est. Primã figuram maximè accõmodam esse ad generandã scientiam: Alterum verò, quòd non solum affirmatiuæ, sed etiam negatiuæ propositiones possunt esse immediatæ. Priorem partẽ tribus confirmat rationibus, quarũ prima est. Ea figura est ad scientiam accommodatissima, in qua potissimùm fiunt demonstrationes propter quid, sed talis est prima figura, nam mathematicę disciplinæ quę considerant propter quid, per hanc demonstrant, ergo prima figura est ad scientiam accõmodatissima. Causa autẽ quare demonstratio propter quid, maximè fit in prima figura, est, quia medium primæ figuræ est mediũ positione, quod potest immediatè iungi extremis in vtraq; præmissa. In alijs verò figuris medium extra extremitates est, Et ideo nõ potest iungi vtriq; extremitati, quin altera præmissarum mediata sit, & hoc quoad affirmatiuas demonstrationes: quia si negatiuæ sint, possunt indifferenter fieri in Celarent vel in Cesare, per solam maioris conuersionem, vtraq; prẽmissa manente immediata, vt hæc demonstratio, nullum animal carens pulmone respirat, omne animal quod non habet calidum sanguinem caret pulmone, ergo nullum tale animal respirat: Fiet in Cesare conuersa maiore hoc modo, nullum respirans caret pulmone, omne animal quod non habet calidum sanguinẽ caret pulmone, ergo &c. Secunda ratio ponitur ibi. Præterea scientia ipsius quid est, & cæt. Quæ est talis. Definitio est præcipua pars demonstrationis, sed scientia ipsius quid est, seu cognitio definitionis, per solam primã figuram inuestigari potest, quia definitio prædicatur vniuersaliter affirmatiuè de definito, sola autẽ prima figura concludit vniuersalem affirmatiuã, ergo prima figura est aptissima ad generandam scientiam. Porrò tertiam rationem ibi ponit, Amplius prima figura non indiget alijs, & cęt. Quæ hanc habet sententiam, Aliæ figuræ in demonstrando indigent prima, Prima autem non indiget alijs, ergo prima figura efficacius facit scire, quàm aliæ: Ad quid autẽ alię figurę indigeant prima, manifestũ est, quia ad habendam perfectam

Quare demonstratio propter qd maximè fit in prima figura.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

perfectam scientiam, oportet quod propositiones mediatæ, quæ subinde assumuntur in demonstratione quia est, reducantur seu probentur per immediatas, congerẽdo videlicet & assumendo media, quæ inter subiectum & prædicatũ collocantur, sed hæc mediorũ assumptio per solam primam figurã potest fieri, tum quia in hac sola cõcluditur vniuersaliter affirmatiuè, tum etiam quia in reliquis duabus figuris medium ponitur extra extremitates, In hac verò medium est positione medium. Deinde in litera ibi, Sicut aũt prædicatum aliquod potest, &c. Aggreditur Aristoteles alterum huius capitis membrum, in quo, ne quis errore deceptus existimet, omnem propositionẽ, quæ immediata est, esse affirmationem, monstrat, inter negationes vtriusque generis reperiri propositiones & mediatas & immediatas, super quibus duas tradit Philosophus regulas. Prior est, Quãdo duorum terminorũ seu extremorũ vtrumque aut alterum in aliquo toto vniuersali seu superiori est, in quo non est reliquum, propositio negatiua vera ex ipsis conflata non est immediata, sed mediata. Verbi causa, homo est in substantia in qua non est linea. Et cõtrà, linea in tota quantitate est, in qua non est homo. Et proinde hæ, Nullus homo est linea, Nulla linea est homo, propositiones sunt mediatæ. Nam illa ad hunc modum monstratur, Nulla substantia est linea, & omnis homo est substantia, nullus igitur homo est linea. hæc aũt hoc pacto, Omnis linea est quantitas, & nullus homo est quantitas, ergo nullus homo est linea. Item, homo in substantia est, in qua non est quantitas, quæ in nullo toto est. Simili modo linea in tota quantitate est, in qua non est substantia, quę in nullo toto est. Quamobrẽ hæ, Nullus homo est quãtitas, nulla linea est substantia, itidem mediatẽ existunt. Monstrantur enim hoc modo, Nulla substantia est quãtitas, & omnis homo est substantia, igitur nullus homo est quantitas. Nulla quantitas est substantia, omnisque linea est quãtitas, ergo nulla linea est substantia. Hanc regulam restringit D. Thomas ad terminos dicto modo se habẽtes, si modò non accidat, eos esse in eodẽ toto vniuersali. Nam hæc immediata est, Nullum animal rationale est animal rugibile, & si secundus terminus sub bruto contineatur vniuersaliter, sub quo non comprehẽditur primus. Addit insuper Caietanus, Aristotelem de iis propositionibus agere, quæ mediatæ sunt non secundum se, sed secũdum rationem tantùm, & facta ad nos comparatione. Huius enim autoris iudicio, propositiones superius recensitæ omnes, secũdum se existunt immediatæ. Posterior ibi assignata, Si verò neutrum extremum sit in aliquo, &c. est eiusmodi. Quæque vniuersalis negatiua propositio, cuius neutrum extremorũ est in aliquo toto vniuersali, est immediata. Cuius quidem probatio ipsa, ex se intellectu est facilis. Tales sunt negatiuæ vniuersales, in quibus de se mutuò negantur genera generalissima, secundum eum modum quo ad inuicem repugnantiam habent, vt sunt Nullam substantiam esse quantitatẽ, nullam qualitatẽ esse actionem, &c. Non aũt hæc, Nullam substantiam esse quantitatem, nullam qualitatẽ agere, &c. Sunt etenim huiusmodi falsa, inter quæ, & si liceat reperire & immediata & mediata, hoc tamen in loco non sine ratione de veris duntaxat agitur. Cæterùm ex his non est existimandum, Philosophum cõstituisse regulas catholicas pro discernendis cũctis propositionibus negatiuis immediatis à mediatis. Sed solùm ostendisse, aliquas esse immediatas, & aliquas mediatas, quod declarandum susceperat.

Pro dinoscẽdis ppositionibus negatiuis, mediatis, & immediatis duę regulæ. Prior.

Thomas.

Caietanus.

Posterior.

In tractatus sexti primum caput, quod est de syllogismo ignorantiæ, & ignorantia secundum dispositionem dicta, annotamentum.

Ignorãtia nõ secũdũ negationẽ

CVM, vt nobiles habent sententiæ, contrariorũ eadem sit disciplina, vnumque oppositorum, alterius collatione magis elucescat, non abs re post expeditã materiam atque formã demonstratiui syllogismi, de ignorantiæ syllogismo in hoc sexto tractatu differit Philosophus. Accipitur autẽ ignorantiæ nomen (quemadmodum in ipso literæ limine innuitur) bifariam, nempe negatiuè, & positiuè, seu contrariè. Et prior quidem acceptio, ab expositoribus in geminam distingui solet. Aut enim purã negationẽ scientiæ designat id vocabulum, & hoc modo etiam lapis ignorans diceretur, Aut negationẽ scientiæ à subiecto apto eam habere, quam priuationem vocamus, quomodo pueri infantes ignorare dicendi sunt priuatiuè, & magis adhuc propriè prouectioris ætatis inerudici, qui scilicet neque sciunt, neque errant, aut prauè dispositi sunt circa aliquod scibile. Et hęc dicitur a Philosopho in nono Metaphysicæ, ignorantia in non attingendo, sicut patet de rustico, qui omnino nihil nouit de triangulo, an habeat tres angulos æquales duobus rectis, nec ne. Altera acceptio ignorantiæ positiua est, & secundum dispositionem dicta, significatque prauã dispositionem, seu errorem circa aliquod scibile, dum scilicet existimat quis, esse id quod non est, aut non esse quod est, putatque se scire quod re vera nescit. Et tali laborant, qui perperam in scientia quapiam sunt instituti. Describitur autem ab Aristotele ignorantia non secundum negationem, sed dispositionem,

Ignorãtię acceptiones duæ. Vna negatiua.

Altera positiua, & quid ea sit.

dictá, quòd sit per syllogismum facta deceptio. Nam secundum eam quæ pura negatio vel priuatio est, nemo decipi dicitur, sed nescire. Et diuiditur ignorantia secundum dispositionē dicta breuiter tribus diuisionibus. Quòd sit scilicet circa mediatas vel immediatas, affirmatiuas vel negatiuas, atq; cōtingat, vel simpliciter, id est, citra ratiocinationē (vt cū quis astronomiæ ignarus inspiciens Solem, iudicat eam sesquipedalem esse, vel alioqui propter proteruiam aut ingēnij hebetudinem, falso assentitur, nulla intercedente ratiocinatione) vel per syllogismū (sub quo tanq; principalissima specie, alias etiam argumētationes cōprehendere licet) vt crebro accidit ijs, qui per se vel alios paralogisantur. Definitio ergo illa (autore Alberto Magno) nō est data de ignorātia secundū dispositionē vniuersaliter, sed ea duntaxat, de qua intendimus loqui in sequētibus, nempe quæ per ratiocinationē cōtingit. Et sic nō erit idem definitionis definitū, & diuisum tertiæ diuisionis, sed idcirco hæc illi subiecta est, vt segregaret membrū aliud ab intento in præsentiarū. Nonnulli tamen volentes definitionē vniuersaliter defensare, interpretantur in ea dictionē (facta) per potens fieri. Differentiam autē inter membra tertiæ diuisionis ponit Aristoteles, quòd simplicis opinionis falsæ seu ignorantiæ, simplex est deceptio: eius autem quæ est per syllogismum, deceptiones plures, hoc est, vno solum modo ad simplicem ignorationē peruenitur. Neq; enim causatur ex ratione, quę diuersitatē admittere posset, sed magis ex defectu rationis, qui non variatur secundū diuersos modos, sicut nec aliæ negationes secundum propriam rationem. Sed quia ratio falsa multipliciter variari potest. Hinc fit, vt quæ per syllogismum fit ignorantia, multipliciter possit accidere, secundum quod multipliciter falsus potest esse syllogismus. Sic Thomas fere ad verbum. Sunt tamen qui subtilius quoddam scrutantes, dicant ideo simplicis ignorantiæ simplicem esse deceptionem, quia per eam vnico errore implicatur deceptus. Alterius verò, quæ est per ratiocinationem, esse deceptiones plures, quòd ipsa nunquam sola existat, sed alteram deceptionem, quæ fit circa antecedens, vel bonitatem illationis, vel horū vtrumq;, semper habeat coniunctam. Nullus enim per ratiocinationem assentitur falso consequenti, nisi idem circa antecedentis veritatem, vel consequentiæ robur hallucinetur. Quamuis autem hic dicendi modus subtilis sit, prior tamen a veteribus magis est acceptatus, & ijs quæ in hoc capite sequuntur videri potest conformior, licet & alter inde possit non improbabiliter colligi. Prosequitur autem latissimè & per plurimas conclusiones Aristoteles, quomodo diuersis syllogismis contingit ignorantiam nasci, vt in omnibus germanis translationibus, atq; apud omnes expositores est videre, excepto Themistio, cuius consilium de fugienda prolixitate, præsertim in re non admodum necessaria, secuti compilatores huius contextus, quem præ manibus habemus, totam & præcipuam sententiam Aristotelis tribus cōplexi sunt conclusionibus, quas nunc constituimus, exemplorū luce adhibita, illustrare. Habet igitur prima conclusio, quantum ad primam attinet figuram, eiusq; modos affirmatiuos, Quòd contingat ex ambabus præmissis affirmatiuis in toto falsis etiam immediatis, immediatam falsam inferre. Vt omnis quantitas est qualitas, & omnis substantia est quantitas, ergo omnis substantia est qualitas. Deinde in ijs, quæ ex parte falsæ sunt, idem contingit. Vt hic, Omne perfectum est substantia, & omnis quantitas est perfecta, erit igitur omnis quantitas substantia. Nam vtriusq; præmissæ contradictoria est vera, non autem contraria. Alibi explicatū est, quæ sint propositiones falsę in toto, & quæ in parte: ob idq; non est a nobis nunc repetendū. Exceptione aūt quadam insinuat Aristoteles, id non posse fieri in primo modo primæ figuræ, maiore existente in toto falsa, & minore vera. Exemplum est, omnis substantia quantitas est, & omne corpus est substantia, ergo omne corpus est quantitas: vbi planè apparet iuxta priorem regulam, conclusionem falsam esse, sed non immediatam. Nam contraria illius sic monstratur. Nulla substantia est quantitas, omne corpus est substantia, ergo nullum corpus est quantitas. Hæc de affirmatiuis primę figuræ. Addit textus in ipsa eadem conclusione, idem fieri posse in negatiuis syllogismis primæ figuræ. Nam ex his, Nulla albedo est color, omnis nigredo est albedo quę sunt in toto falsæ, sequitur hæc immediata, nulla nigredo est color. Atq; pro hac re monstranda sumitur congruentissimè ea maior extremitās, quæ & medio & minori extremitati primò & vniuersaliter insit: mediū aūt quod non insit alicui contēto sub minore extremitate. Item ex his in parte falsis, Nullum perfectum est quantitas, oīs magnitudo est perfecta, (nam hæ cōtradictoriæ veræ sunt, quoddam perfectū non est quātitas, substantia videlicet, & quędam magnitudo non est perfecta, puta linea neq; recta neq; circularis) sequitur hæc falsa immediata, nulla magnitudo est quantitas. Similiter maiori vera, & minori falsa, & contra, sequitur. Vt in his exemplis, Nulla albedo est quantitas, oīs magnitudo est albedo, ergo nulla magnitudo

Albertus.

magnitudo est quantitas. Nullum corpus animatum est animal, omnis homo est corpus animatū, ergo nullus homo est animal. In quorum primo minor in toto est falsa, in secundo autē maior in parte falsa. Nam, vti apparet, non potest concludi immediata ex maiore in toto falsa & minore vera, quemadmodum nec in primo modo vniuersali affirmatiuo. Sic enim hoc exemplum, Nullum animal est corpus animatū, omne brutum est animal, ergo nullum brutum est corpus animatum, huius conclusionis contraria mediata sic ostenditur, Omne animal est corpus animatū, omne brutum est animal, ergo omne brutum est corpus animatū. Quod diximus, veritatem videtur continere, modò ad seinuicem comparentur, quæ sunt directè eiusdem seriei prædicamentalis. Nam aliàs hic licebit oppositum inspicere. Nullus homo est animal, & omne rationale est homo, ergo nullum rationale est animal. Exempla eiusdem conclusionis pro secunda figura sunt huiusmodi ex falsis ambabus in parte. Omne animal est masculinum, nullus homo est masculinus, ergo nullus homo est animal. Nullum animal est masculinum, omnis homo est masculinus, ergo nullus homo est animal. Ex vna in toto falsa, & altera in parte. Nullum animal est irrationale, omnis homo est irrationalis, ergo nullus homo est animal. Ex maiore autem negatiua in toto falsa, & minore in parte falsa, non potest concludi vniuersalis immediatè falsa. Nam ex vniuersali vera opposita cōtrariè vniuersali negatiuæ in toto falsæ, & contradictoria minoris in parte falsæ, sequetur in Baroco contradictoria vniuersalis affirmatiua, quæ esset immediatè vera, opposita illi immediatè falsæ, quæ cōcluderetur. Verbi gratia, sit hæc in toto falsa in Cesare, Nullum c est a, & hæc in parte falsa, omne b est a, ex quibus inferatur hæc, nullum b est c, sequetur in Baroco, omne c est a, quoddam b non est a, ergo quoddam b non est c, quare hæc illi contradictoria, omne b est c est falsa, atq; ob id non est immediatè vera, quare nec illa priori syllogismo conclusa in Cesare, nullum b est c, est immediatè falsa. Exempla ex vna vera & altera falsa sunt, Nullum animal est corpus animatum, omnis homo est corpus animatū, ergo nullus homo est animal. Nullum animal est corpus inanimatū, & omnis homo est corpus inanimatū, igitur nullus homo est animal. Nullum animal est irrationale, & omne brutum est irrationale, ergo nullum brutum est animal. Ex maiore aūt vera, & minore in parte falsa, non potest inferri immediata falsa. Nam ex eadem maiori vera nullum c est a, & opposito contrario conclusionis quam oporteret esse immediatā veram, omne b est c, sequitur in Celarent, nullum b esse a, quare minor prioris syllogismi, omne b est a, fuit in toto falsa. Porrò exceptio, cuius textus meminit, palàm fit exemplo huiusmodi, Nullus homo est animal, & omnis lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, in quo ambæ præmissæ sunt in toto falsæ. Et quarum contrariis, his videlicet, Omnis homo est animal, & nullus lapis est animal, in Camestres sequitur, nullus lapis est homo, quę vera est, & non est falsa, quare nec falsa erit immediata. Sed de priori conclusione satis iam dictum sit, per quam ostensum est, quomodo immediata falsa vniuersalis, siue affirmatiua siue negatiua, syllogismo ignorantiæ infertur. Porrò pro sequentibus aduertendum, triplicis medij mentionē fieri, proprij videlicet, quasi proprij, (quod dicitur in textu ex alio esse ordine) & non proprij, quod dicitur ab aliis extrinsecum medium. Medium proprium syllogismi ignorantiæ est, (vt explicat textus) per quod fit syllogismus contradictionis, hoc est, per quod demonstratiuè ostenditur contraria conclusionis per syllogismum ignorātiæ illatæ. Cui quidem medio per se inest maior extremitas, & idem medium per se inest minori extremitati, estq; medium causa proxima, cur maior extremitas minori extremitati tribuatur. Medium quasi proprium est, quod maiori extremitati subiicitur verè, & de minore verè prædicatur, sed non per se, aut non est causa, quemadmodū iam diximus. Medium aūt extraneum est, quod aut non verè subiicitur maiori extremitati, aut falsè prædicatur de minore extremitate, aut id cui vtrunq; competit. Exemplis licebit facilè, quæ nunc diximus, intelligere. Sunt igitur exempla secundę conclusionis de falsa vniuersali negatiua mediata concludenda, hæc aliaq; similia, Nullum animal rationale est disciplinæ capax, & omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est capax disciplinę. Atq; hic medium est proprium. Item nullum coloratum est substantia, & omnis homo est coloratus, ergo nullus homo est substantia, in quo medium est quasi proprium, atq; ex alio genere, nempe qualitatis, ad quod nō pertinent substantia & homo. Exempla aūt pro falsa vniuersali affirmatiua concludenda, sunt hæc aliaq; his cōsimilia. Omnis substantia est quantitas, omnis homo est substantia, ergo omnis homo est quantitas. Omne agens est quantitas, omnis homo est agens, ergo omnis homo est quantitas. Omne agens est qualitas, omnis equus agens est, ergo omnis equus est qualitas. Nullū animal irrationale est sensationis capax, omne brutū est animal irrationale, ergo, &c.

Triplex medii syllogismo ignorātiæ proprium.

Quasi proprium.

Extraneū.

Porrò

Porrò tertiæ cõclusionis agentis de medio extraneo exempla sunt hęc, Nulla arbor est substantia, omnis homo est arbor, ergo nullus homo est substantia. Omnis arbor est plãta, omnis homo est arbor, ergo omnis homo est planta. Nullum animal est planta, omnis quercus est animal, ergo nulla quercus est planta. Omnis homo est quantitas, & omnis albedo est homo, ergo omnis albedo est quantitas. Omnis homo est substantia, & omnis albedo est homo, ergo omnis albedo est substantia, quæ omnia si quis diligenter aduertat, explicant ea quæ in textu continentur. Pars aũt illa textus vltima, Conclusio aũt mediatè falsa, &c. quam Philosophus inseruerat, iis quæ prius tradita sunt in secunda conclusione, quæq; non immeritò inter conclusiones quartum obtineret locum, hæc habet exempla, Nullum risibile est animal rationale; omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est risibilis. Omne risibile est equus, & nullus homo est equus, ergo nullus homo est risibilis. Nulla substantia est animal, omne corpus animatum est animal, ergo nullum corpus animatum est substantia. Exemplum autem exceptionis ibi positæ est hoc, Sint hæ præmissæ in toto falsæ, nullum c est a, & omne b est a, inferentes nullum b esse c, mediatam falsam, fiet hic syllogismus in Barbara ex hac maiore, omne c est a, quæ contraria est maioris, nullum c est a. & ista maiore omne b est c, quę est contraria conclusionis illatæ, in priori dato syllogismo, inferentibus omne b esse a, quare minor illa assumpta vera erat, & ob id minus in toto falsa. Insuper ex contraria minoris nullum b est a, & contraria conclusionis, omne b est c, sequitur in tertia figura, quoddam c non esse a, quare maior illa, nullum c est a, non poterat esse in toto falsa. Rogabit fortassis quispiam, cur Philosophus tantùm hoc in loco meminerit primæ & secundæ figuræ, omissa tertia. In promptu ratio est, quòd in tertia figura non possit vniuersaliter conclusio ipsa efficaciter concludi. Hic autem tradit Philosophus, quibus modis falsa conclusio vniuersalis, siue mediata, siue immediata, possit syllogismo ignorantiæ concludi. Imò, si Themistio credamus, nullus propriè ac verè est syllogismus ignorantiæ, nisi solus is qui in prima sit constituiturq; figura. Id enim (inquit) quod immediatè aut mediatè non inest, vt inesse per syllogismum credatur, in prima tantùm figura potest accidere. Vt enim, quoties aliquid verè vniuersaliter negatur, seria demonstratio in alia figura quàm prima deduci non potest: ita & quoties aliquid falso vniuersaliter negatur, ratio mentientis alia figura non texitur. Et hæc causa est, quamobrem imperitia hæc teterrima & stolidissima sit, quia sibi persuasionem scientię arrogat, & proprietates eius asciscit ac vendicat, cp & accepta vniuersaliter est, & regulis scientiæ vsa. Hęc perpulchrè Themistius. Verùm his finem imponimus, quibus fortè longius quàm par sit videbimur esse immorati. Sed nobis danda est venia, quòd eo animo id effectum sit, vt Aristotelis sententia, vtcunq; explicaretur, atq; intellectu esset facilior.

Quæstio.

Dilutio.

Themistius

Manifestũ est autem.

In secundum caput, de ignorantia puræ negationis considerans, annotatio.

DEterminata in præcedenti capite ignorantia secundam prauam dispositionẽ, quæ scientiæ contraria est, potissimùm si firmo constiterit assensu, agit Aristoteles breuissimè de ignorantia negationis priuatiuè opposita scientiæ, explicans vnica conclusione in principio huius capitis posita, quomodo ea perpetuò & ineuitabiliter quempiam necessarium est laborare, & esse affectum, ita vt non possit in contrariam scientiam vlla ratione transmutari. Conclusio est huiusmodi, Deficiente sensu, necesse est scientiam sensibilis deficere, hoc est, necessarium est, si cui aliquis sensuum defuerit à natiuitate, vt desit illi propria scientia sensibilis proprij eiusdem sensus, vt à natiuitate cæcus, necessariò caret scientia colorũ. Hinc vulgatum est prouerbium, Inaniter cæcum de coloribus, quorum conceptum proprium assequi nequeat, disputare. Ita si auditus cuipiam ab ortu defecerit, vt musicã calleat fieri nequit. Non loqui aũt Aristotelem de defectu omnis sensus ac omnis sensibilis, manifestum est tum ex eo, quòd omnes germanę translationes habẽt adiunctam particularitatis notam aliquis, seu quispiam & aliquam, cùm quòd nullus reperiri potest omni sensu destitutus. Tradit enim ipse Aristoteles in secundo de anima, vnicuiq; animali, nedum homini, duos esse sensus necessarios, tactum & gustum. Additum est in explicatione conclusionis À natiuitate. Nam si quis ab ineunte ætate videns, postmodum oculorũ sensu orbetur, nihil vetat hunc per species in memoria conseruatas, ad scientiam scibilis proprij pertingere. Dictum est quoq;, Propriam sensibilis scientiam, id est, quæ sit secundum proprium conceptũ & absolutum, illi necessariò deesse. Nam vniuersalem quandam de eo scientiam adipisci poterit secundum conceptũ superioris, vel etiam conuertibilem fortassis, sed non proprium ac absolutum. Verbi gratia, cæcus à natiuitate, ex aliis qualitatibus sensu perceptibilibus, potest deuenire in conceptũ qualitatis simpliciter, aut qualitatis sensibilis alio sensu, q̃ auditu, olfactu, gustu, vel tactu, quorũ ille vniuer

salis

uersalis est, & inadæquatus colori, hic verò adæquatus, non tamē proprius & absolutus. Neque enim eo propriè & absolutè in se cognoscit colorem secundum quiditatem, sed tantùm per accidens, etiamsi causas coloris per tactum didicerit, nempè qualitates primas certo modo temperatas. Nam ex notitia causæ non deuenitur in proprium cōceptum effectus nunquā antea cogniti, vt videns solem non statim cognoscit omnia mineralia, ab illo in terræ visceribus generata. Agēdum est autē de hac re exactius in tertio libro de anima, vbi tales sunt Aristotelis de præsenti negotio sententię, Qui non sentit, nihil discere vel intelligere potest. Et qui contemplatur, necesse est vnà cum phantasmate contempletur, Ipsa anima sine phantasmate nunq̃ intelligit, Nihil est in intellectu, quod non prius in sensu fuerit. Consentit & illud secundo Physicorū. Ratiocinabitur de coloribus quispiam ortus cæcus, de nominibus loquens, nihil aūt intelligēs. Id quoq; quod de proprio sensibili à nobis adiiciebatur, indicat de sensibili cōmuni propriam scientiam posse habere eum, qui aliquo sensu caruerit. Fieri enim potest, vt per alium sensum venetur illius cognitionem, Vt visu carens potest scientiam tranguli adminiculo tactus acquirere. His diligenter consyderatis, facilè erit plærasq; obiectiones, quæ contra conclusionē proferri possent, refellere, quanquam (vti diximus) plenior huius rei pertractatio ad antecitata loca pertinet. Ex probatione conclusionis, cùm dicitur, Nam omne quod addiscimus, &c. constat non tam propriè hic de scientia sermonem esse, vt sit sola per demonstrationem acquisita conclusionis cognitio, sed largius, vt etiam principiorum notitiam comprehendat, quę intellectus vocatur. Est autem hæc probatio altero horum duorum modorū restringenda. Nam aut intelligi debet fieri distributio, pro eo tantùm quod disci, hoc est, firmiter & euidenter cognosci debet vi alicuius argumentationis, vt secludantur propriè per se nota, veluti dignitates communes, quibus statim intellectis terminis cogimur prębere assensum. Aut per inductionem intelligenda est etiam nuda singularium, vel vt minimùm vnius singularis, sensatio. Talia enim per se nobis nota, & si non non exigant, vt discantur per experientiam, seu inductiuam argumentationem, vtiq; tamen prærequirunt vnius aut plurium singularium sensationē, ex quibus sumatur ipsius vniuersalis propria absolutaq; cognitio. Huic consonat illud literæ, Nam & ea quæ abstracta, &c̄. hoc est, etiam vniuersalia mathematica, quæ abstracta dicuntur à materia sensibili, non nisi per inductionem innotescunt, quia licet abstrahantur, re vera tamen nequeunt separata existere sine materia sensibili. Nostra autem cognitio à rebus ipsis est accipienda, quæ quemadmodum se habent ad esse, ita ad cognosci, vt dicitur in secundo Metaphysicæ. Quod postea sequitur in textu, Ipsorum enim singularium sensus est, intellige primò & originaliter. Singularia namq; sensibilia, primùm sensui se offerunt, & deinde ex iis elicit intellectus conceptum vniuersalis. An autem solius sensus sit, singularia cognoscere, vt contendunt Thomistę, non suscepimus nunc determinandum, tantùm hoc adiungimus, partem negatiuam huius quęstionis nobis videri probabiliorem & veriorem. Sed hoc exactius in Physicis est ventilandum.

Probationis in litera positæ explicatio.

In septimi tractatus, qui est de statu in mediis & extremis ipsius demonstrationis, caput primum quasdam continens suppositiones & quæstiones, scholia.

Omnis aūt syllogism⁹ constat trib⁹ terminis.

MOnstraturus Aristoteles, non posse vllo modo fieri, vt in infinitum progressui sit locus in demonstrationibus, in huius capitis exordio proponit quasdam suppositiones, quæ quatuor sunt numero, Quarum duæ primæ, ex Prioribus Analyticis manifestæ sunt. Tertia aūt intelligēda venit de demōstratione propter quid, & ea propositione mediata, quæ à syllogisante velut probabilis assumitur. Nam alioqui syllogismus ex ea conflatus demonstratio esset quia est, non aūt dialecticus syllogismus: nisi quis contenderit, huiuscemodi demonstrationem hoc in loco comprehendi dialectici syllogismi nomine. Cæterùm circa quartam, in qua meminit Philosophus prædicationis per accidens, annotandum est, prædicari per aliud, & per accidens, diuersimodè accipi, quemadmodum explicat Themistius, Sanè (inquit) fusa & multiplex eius verbi significatio est. Primùm, corpus per aliud esse candidum dicitur, quia per superficiem. Et vitis alba per aliud, quia racemos albos obtineat. Sed si de accidente dicatur, per aliud videbitur dici, vt de candido musicum. De substantia quoq; alatū, per aliud prædicabitur, si de rerum numero non sit, quę per se habentur, vt si de homine rufum, vel subatrum. Tum verò maximè accidentaria prædicatio est, quoties peruerso naturæ ordine, substantia de accidente affertur, Vt cùm de albo animal dicitur. Nam omnino hæc, album est animal, differt ab ea quæ est, animal est album, in eo q̃ in posteriori quod subiicitur, neque in alio inest, neq; per aliud consistit, sed per se substantia est, In priore id sumitur vice subiecti, quod vt sit, habet ex eo quoius est accidens. Porrò quam ob causam hanc tradiderit suppositionem,

positionem, mox explicat idem autor. In more itaq; (ait) Dialecticis est, quum argumentantur, prædicatis vti probabilibus, cognitisq; nullo discrimine, Demonstraturus prædicationes inconditas & præposteras, quemadmodum & accidentarias vitabit, nisi quæ accidentia huiusmodi sunt, quæ quòd per se insunt, prædicari etiam per se possunt, hæc ille. Deinde in litera ibi, Sit ergo aliquid quod de nullo alio prædicatur, &c. tres mouet Philosophus quæstiones. Prima est, An dato quopiam singulari, contingat in infinitum progredi in superioribus prædicatis. Secunda, An proposito genere summo ac generalissimo, accidat in infinitū descendere in subiectis seu inferioribus. Tertia, Verùm inter constituta extrema, vnum quidem summum, & alterum infimum, intercipi queant media infinita, ad seinuicem superioris & inferioris rationē subeuntia. Verùm quò tendant hæ quæstiones quantum ad hunc attinet locum, exponit Philosophus, dum mox subdit, Est autem istud consyderare idem, ac si, &c.

Deinde in litera ibi, Possunt autem & hæ quæstiones, &c. monstrat his quæstionibus etiam locum esse in syllogismis & negatiuis propositionibus, & proinde in terminis quorum vnus de altero negatur. At dum continenter in litera subnectitur, Sed non similiter formātur in conuertibilibus, &c̄. aperit quibus non valeant illæ quęstiones attribui, Nempe demonstrationibus, quæ ex recurrentibus terminis constituuntur. Quæstiones namq; propositæ, de eo in infinitum progressu agebant, qui consisteret inter ea, quæ ad seinuicem inferioris & superioris rationem retinerent. Verùm inter illa conuertibilia id interest, q̄ definitio cum subiecto & passione demonstrabili conuertibilis, substantialiter de subiecto prędicatur, Passio verò accidentaliter, non vt album de animali, sed per se secundo modo Post hæc in litera ibi, Manifestum autem est, si sursum & deorsum procedendo, &c. tertiæ quæstioni respondens Philosophus, palàm asserit, eius dubitationis negatiuam partem esse eligendam, hoc est, inter duo quorum vnum summum est, & alterum infimū, non posse intercidere media infinita, siue sibi mutuò continua sint, siue non. Ex cuius quidem probatione licet colligere, non posse infinita media intercipi inter quæuis duo eiusdem ordinis, etiamsi vtrinq; & sursum & deorsum fateamur quenquam valere progredi. At illud quod in quæstionis decisione dicebatur, solent intelligere de iis mediis, quæ per se subordinata sunt, quorum videlicet vnius ad alterum est superioris vel inferioris habitudo, quo quidem cognito, facillimum fuerit reiicere quasdam sophistarū cauillationes, quas in præsentia piget proferre in medium. Cæterùm pręfatā tertię dubitationis solutionē, in negatiuas etiam demōstrationes quadrare, testatur Philosophus in litera ibi, Manifestum est, in negatiua demonstratione, in infinitum non progredi, &c. simul interserens, quid sit vltimum, quidve primum. Illud autem fusè enucleat, dum asserit, negatiuam in tribus posse colligi figuris, & propositiones, quæ mediatæ sunt, ad immediatas esse reuocādas, absq; in immensum progressu, si modò in affirmatiua demonstratione idipsum non accidat. Exempla huius rei subijciemus, ne diutius quàm par sit lectorem detineamus. In primis huius negatiuæ demonstrationis, ex mediatis in prima figura cōstitutæ, nullum animal est quantitas, & omnis equus est animal, igitur nullus equus est quantitas. Maior ad immediatam hoc pacto reuocatur. Nulla substantia est quantitas, at omne animal est substantia, ergo nullum animal est quantitas. Minor autem ad hunc modum, Omne corpus est substantia, omne corpus animatum est corpus, & omne animal corpus est animatum, estq; omne brutum animal, & omnis equus brutum, igitur omnis equus est animal. Cæterùm pro negatiua secundæ figuræ demonstratione sint hæc exempla, Nullum corpus est quantitas, & omnis linea est quantitas, nulla igitur linea est corpus. Nulla substantia est quantitas continua, & omnis linea est continua quantitas, ergo nulla linea est substantia. Omne corpus animatū est substantia, nullus numerus est substantia, igitur nullus numerus est corpus animatum. Primi syllogismi maior, in prima figura ex immediatis sic monstratur, Nulla sustantia est quantitas, omne corpus est substantia, ergo nullum corpus est quātitas. Deinde secundi syllogismi maior hoc pacto ostenditur, Omnis quantitas continua est quantitas, at nulla substantia est quantitas, nulla igitur substantia est quantitas cōtinua. Porrò tertij exempli minor, quodammodo ostenditur in tertia figura hoc pacto, Nulla quantitas est substantia, & quędam quantitas est numerus, quidam igitur numerus non est substantia. Neq; mi lector mireris, ad hunc modum constitui syllogismum. Nam in tertia figura perpetuò particulariter colligitur. Deinde minor subiectum communius habens, & prædicatum strictius, si vniuersalis foret, falsitati esset subiecta. Superius autem professi sumus, Philosophum agere duntaxat de iis prædicatis, quæ superioris & inferioris mutuam habitudinem inter se obseruant. Alij ad idipsum monstrandum hoc vtuntur syllogismo, Nullus ternarius est substantia, at omnis ternarius

est

est numerus, quidam igitur numerus non est substantia. Quòd si quis obiecerit, censendam illam nullum ternarium esse substantiam ab immediata propositione ea nullam quantitatem esse substantiam, distantiorē esse quàm hanc, nullum numerū esse substantiam. Respondet Albertus, tertiam figuram inutilem esse reuocationi mediatæ propositionis ad immediatam, sed solùm conferre ad ostendendum, non esse in immensum in negatiuis progrediendum, aut sursum aut deorsum, si id in affirmatiuis nō valeat vllo modo accidere. Porrò tertiæ figuræ huiusmodi possunt reddi exempla. Nullum animal est quantitas, omne animal est corpus, quoddā igitur corpus non est quantitas. Nulla quantitas est animal, & quędam quantitas est magnitudo, ergo quædam magnitudo non est animal. Prior negatiua maior, sic ad immediatam reuocatur, nulla substantia est quantitas, omne animal est substantia, igitur nullum animal est quantitas. Et posterior hoc modo, Omne animal est substantia, & nulla quantitas est substantia, ergo quantitas nulla est animal. Insuper esto secundum literam syllogismus, nullum animal est quantitas, & omne animal est corpus, ergo quoddam corpus non est quantitas. Hic reducetur hoc pacto, Nullus homo est quātitas, & omnis homo est animal, ergo quoddam animal non est quantitas, in quo quidem syllogismo statur ratione medij, quod quia specialissimum est, nullum sub se complectitur commune minus. Sed de his hactenus.

Cæterùm literæ corollarium, longè planius apud Boetium legitur hoc pacto, Manifestum autem est, quoniam & si non vna via monstretur (negatiua videlicet) sed omnibus, Aliquando quidem ex prima figura, Aliquando verò ex secunda, aut ex tertia, quoniam & sic stabitur. Finitæ enim sunt viæ. finita, aut finitè sumpta pluries, necesse est finiri omnia.

In secundi capitis primam partem, ostendentem rationibus logicis, esse statum in extremis, annotatio.

Sed q̃ in extremis etiā sit stat⁹.

Ostensurus Aristoteles hac in parte rationibus logicis seu cōmunibus, & quæ logici sint negotij, in extremis consistere statum. In initio huius literæ asseuerat, non posse fieri, vt in infinitum progressus fiat, in prædicatis essentialibus & quiditatiuis. Alioqui enim aut nihil valeret definiri, aut si quippiam definiretur, nequiret eius finitio à nobis cognosci. Verbi causa, sint supra hominem infinita prædicata, inter se substantiali ordine digesta, hominis finitio proculdubio erit, esse animal rationale, vt nunc est. Verùm ipsa nemini cognita erit, eò q̃ in animali quod perfectè foret cognoscendum, infinita contineantur prædicata, sine quorum notione nequit animal plenè percipi. Infinita aūt per humanum intellectum, aut simul, aut vicissim intelligere, est impossibile. Simili modo de reliquorum definitionibus est censendum. Post hæc monstraturus Aristoteles, idipsum competere quibuslibet prædicatis, nonnulla præmittit ad hanc rem accōmoda. Quorū primum in litera assignatum ibi, Est enim verum dicere, album ambulat, &c̃. (ante quæ verba in Boetiana versione legitur, Vniuersaliter autē sic dicimus, Est enim verè, &c̃.) est huiusmodi. Prædicationū vna per se est, Altera est per accidens. Atq; huius quædam est accidentis de subiecto, Alia subiecti de accidente, Et tertia est vnius accidentis de accidente altero, quarum quidem prædicationum discrimina ex litera possunt dinosci. Secunda hypothesis ibi reddita, Supponatur igitur prædicatū, &c̃. est. In omni demonstratione prædicatū de subiecto prædicari simpliciter, hoc est, necessariò, & per se, id quod ex superioribus palàm est, Post quam hypothesim mox subnectit prædicatorū varietatem secundum classium prędicamentalium numerum, quemadmodum ex ipsa litera facilè est deprehendere. Verùm post ea nostri textus verba (aut vbi aut quādo) in Boetiana translatione mox subiungitur, cùm vnum de vno prædicatur. Si enim plura ex diuersis prædicamētis sumerētur prædicata, neq; substantiam solùm designarent, neq; quantitatem, & sic deinceps in aliis prædicamentalibus ordinibus. Fuit aūt (vt inquit D. Thomas) necessaria hæc additio, quòd si multa de vno prædicentur accepta quatenus vnum sunt prędicatum, poterunt in infinitum multiplicari propositiones, secundum infinitos modos ad inuicem connectendi prædicata. Vndè cùm quæritur in his quæ prædicantur status, necesse est accipere vnum de vno, hæc ille. Cæterùm in litera ibi, Differunt aūt huiusmodi prædicata, aliam indicat Philosophus magis succinctam prædicatorū partitionem, quæ est. Prædicatorum quædam sunt substantialia & primæ seriei, eò q̃ substantiam designent. Id enim est subiectum significare, locoq; subiecti & Boetiana & aliæ translationes substantia vtuntur. Alia sunt accidentaria, quæ de subiectis quibus inhærent, accidentariò prædicantur. Insuper eorum quæ substantiam significāt, quæq; propriè substantialiter prædicantur, quoddam est cum eo de quo dicitur recurrēs, vt animal rationale & rationale, cum homine conuertuntur. Atq; hoc dicitur significare designareq; illud, de quo essētialiter prędicatur, esse id quod aliud est,

Nō est processus in infinitū in prędicatis quiditatiuis.

Prima literæ hypothesis.

Duplex prædicatio, per se scilicet, & per accidens.

Secūda literæ hypothesis.

Thomas.

Duplicia prædicata, substātialia videlicet, & accidētalia.

est,id est,subiectum esse prædicatum. Alterum est non conuertibile, eò quòd illo de quo prędicatur, communius sit,cuiusmodi sunt genus, differentia quoque generica speciei comparatione. Hoc autem dicitur significare id de quo prædicatur, esse id quod illud quoddam est, eò q̃ huiusmodi prædicatum,cum subiecto non conuertatur. Deinde, cùm in litera subnectitur,Sed animal fortassè cùm de homine dicitur,significat hominem esse id quod ipsum est, Sub particula ea(id quod ipsum est) subintelliget lector,id quod ipsum quoddam est. Etsi enim animal de homine substantialiter prædiceretur,non tamen conuertibiliter. Cęterùm Boetiana versio hunc Aristotelis locum ita interpretatur. Amplius substantiam quidem significantia,quod quidem illud est,aut aliquod illud quidem significant,de quo prædicatur.Quęcunq; verò non substantiam significāt,sed de aliquo subiecto dicūtur quod non est,neq; quod illud est,neq; quod quidem illud aliquid est,accidentia sunt,vt de homine album. Neq; enim est homo,neq; quod quidem album est,neq; quod quidem album est aliquid, sed animal forsan.Quod quidē enim animal est,homo est. Addidit Alberti sententia voculam Forsan,propter sectam Platonicorū,Idæas ac species à suis singularibus re vera separatas arbitrantium, ob quam planè excludendam,ac è finibus scientiarū longius pellendā,continenter subiunxit Philosophus, Valeant enim species,monstra namq; sunt,&c. Verbum græcum χαιρέτω gaudere & valere significat,quamobrem existimamus translationū quandam habere gaudeant, Aliàs verò valeant. Transsumitur aūt illud & transfertur pro abire. Nam altero abeunte,aut cùm eum, aut nos ipsi abire volumus,dicunt Grammatici dicēdum esse vale. Deinde dictionem τερετίσματα, quæ Græcis propriè cantum cicadæ designat, veteres autem cantus lasciuos sic vocabant, Vertit Boetius in monstra, Argyropilus in sidium attrectationes, Themistius autem de hac re, Portenta (inquit) illa Hercules sunt, quæ aliqui autumant albedinem, nigriciem,ruborē,numerum,ambulationē,doctrinam,seorsum à rebus stare. Erit itaq; huius loci hæc sententia. A nobis rectè superius dictum est,prædicata substantialia ad sua subiecta sic se habere,vt & illis insint,& de iisdem prędicētur. Nam nulla nobis adhibēda est cura super speciebus Idæisq; Platonicis à suis singularibus re vera (vti asserunt) diuulsis. Sunt enim eiusmodi formæ monstra,seu res quædam fictitiæ, in rerum natura non valentes consistere. Etsi esse concedantur,nihil commodi adferunt ad præsentem sermonem. Nam demonstrationes de iis sunt prædicatis,quæ re vera per se insunt subiectis. Porrò Idæarum positionem, neq; ad scientiam adipiscendam,neq; ad generationē ac corruptionē quicquam vtilitatis adferre,fusissimè monstrat Philosophus Metaphysices libro 7. Tertia hypothesis assignatur in litera ibi,Preterea si fieri nequit,&c.in qua qualitatis nomine accipies quamlibet formā accidentariam. Et dicitur in eadem litera, qualitatis non esse qualitatē,eò q̃ nulla forma accidentaria sit alterius subiectum,complerū scilicet,quod vocant recentiores vltimū, id quod in solam quadrat substantiam. Quare licet verè dicatur album esse homo, quemadmodum verum est hominem esse album,illa tamen non simpliciter & propriè est prædicatio, cuiusmodi hæc est. Similiter non ita propriè dicitur animal aut rationale esse homo, sicut homo dicitur esse animal aut rationalis, eò q̃ in prædicatione propriè dicta oporteat subiectum materiei conditionē suscipere,& prædicatū formæ rationem inducere. Quare impossibile erit, aliqua duo de seinuicem prædicari propria prædicatione. His sic præmissis, id quod prius dixerat, non posse videlicet in extremis vllis in infinitum progredi,probat veritatē continere in prædicatis quidditatiuis & accidentalibus,duabus rationibus. In quarum priori ibi posita, Omne igitur quod prædicatur, illud (Omnis enim substantia definiri potest) intelligendum venit de ea quæ media est inter extrema, generalissimum videlicet & indiuiduum. Cæterùm cognoscere quo pacto literæ rationes logicæ sint ac communes,haud difficile erit ei,qui diligenter excutiet perpendetq; ea,ex quibus illæ rationes progrediuntur.

Albertus.

Boetius. Argyropil9. Themistius

Tertia literæ hypothesis.

In secundam partem, Analyticè monstrantem, statum esse in extremis, adnotatiuncula.

Analyticè aūt idē breuius erit manifestū.

HAC secunda parte quàmbreuissimè in extremis esse statū monstrat rationibus analyticis,hoc est,propriis atq; ad hanc disciplinā pertinētibus. Nam superius ostendēs,in nullo genere prædicationis esse processum in infinitū,logicè disputauit,quia ad logicā spectat omne prędicationis genus cōsyderare:hic verò probās nō esse processum in infinitū in prędicationibus per se,quæ sunt huic scientiæ peculiares, expeditè & ad huius scientiæ principia accōmodatò disputat,resoluēdo hanc quęstionē in propria principia. Est itaq; literę hęc sententia, Demōstratio constat propositionibus,quarū prædicata insunt subiectis primo aut secūdo modo per se,sed in his non est progressus in infinitū aut deorsum aut sursum pergēdo, igitur necesse est esse statū in extremis demōstrationis. Antecedēs pro secūdo modo probatur. Nam

alioqui

alioqui eiusdem subiecti infinitæ essent propriæ passiones sic se habentes, vt prima immediatè insit subiecto, & secunda primæ, & tertia secundæ, & sic deinceps. hoc aūt est impossibile, quia passio omnis per suum subiectum definitur, ipsum aūt primū subiectum infinitarū passionum esset subiectum, ergo etiam infinitas ingrederetur definitiones: & rursus si infinitæ passiones insint primo subiecto, tunc etiam necesse est primū subiectum infinitis inesse passionibus, quia in earū definitione ponetur, & per consequens ipsum subiectum, & passiones omnes inter se conuertentur, sic earum propriæ passiones se habent ad subiecta. In his quoq; quę primo modo insunt, impossibile est in infinitum progredi, quia si definitio infinitis constaret partibus, tunc non posset assignari, quia impossibile est infinita pertransire, ergo in vtroq; modo per se tandem erit status versus superius. Quòd si sit status versus superius, ne ob infinitatem tollatur scientia & demonstratio, necessum est etiam ob eandem causam statum esse versus inferius, & per consequens etiam status erit in medijs, quæ inter extrema continentur.

Quāobrem patet, & demōstrationū esse principia.

In tertiam eiusdem secundi capitis partē, aliquot corollaria cōplectentē, annotamentum.

EX superius declaratis colligit Philosophus in præsentis literæ initio quędam corollaria, in calce docens, mediatas propositiones ad immediatas reducere. Primū corollarium est, Aliqua esse prima principia demonstrationum, quæ nequeant vllo modo à priori monstrari. Alioqui inter duos terminos extremos interiecta essent infinita media. Secundū est, Non omne prædicatū quod pluribus inest, quorū vnum nullo modo aut non vniuersaliter de altero prædicatur, illis inesse per aliquod aliud cōmune, vt homini & bruto, qui nequeunt de se vere prędicari. Item animali bipedi & bruto, quorū vtrumq; de altero (& si nō vniuersaliter) verè dicitur, licet competat narum sentire per aliud medium cōmunius, quod est esse animal, id tamen non cōuenit animali propter aliud cōmunius medium. Nam aliàs idem, quod in priori corollario, colligeretur. At ne quis arbitretur huiusmodi in infinitū progressum posse consurgere, si diuersorū prædicamentorū media assumantur, continenter subiunxit Philosophus, qualia oportet esse media, dicens, In eodem tamen genere necesse est esse terminos medios, &c. Porrò illud literę in tertio corollario assignatum, Propositiones per quas demonstratur totidem sunt, quot media, &c. hanc habet sententiam, Non sunt pauciores propositiones, per quas demōstratur, quàm media. Nam maior atq; minor propter medij vnitatē quo participant, censendæ sunt velut vna propositio. Aut illud intelligendum est de medio aliquoties sumpto. Nam quemadmodum ex proposito medio duæ consurgunt propositiones, sic & medium bis sumitur. Deinde, cùm mox subnectitur, Et elementa vocantur, si immediatæ sint, aut omnes, aut eæ quæ vniuersales sunt, id hoc pacto ab Aristotele dictum est, teste Diuo Thoma, quòd immediatarū propositionum quædam sint singulares, vt Socratem esse hominē. hanc albedinē esse albedinem, aliæq; similes, q; iccirco non sunt demonstrationis principia, quoniam demonstratio & scientia propriè sumpta non versantur circa singularia, quæ sunt generabilia & corruptibilia. Aliæ sunt ex terminis cōmunibus constitutæ, quæ elementa existunt, hoc est, demonstrationum principia. Insuper per vniuersales propositiones, si libuerit, poterit lector accipere cōmunes animi conceptiones seu dignitates, quæ in ipsa tota scientia sunt principia, id quod proprijs principijs non competit, vt in tota geometria elementum est atq; principium, Omne totum sua parte esse maius, non autem æquilaterum esse triangulum. Deinde in huius literæ calce, quemadmodum prius admonuimus ibi, Ad demonstrandum autem aliquod prædicatum alicui inesse subiecto, &c. monstrat quomodo propositiones mediatæ tam affirmatiuæ quàm negatiuæ, ad immediatas sint reducēdæ, de qua quidem re impræsentiarum à nobis nihil dicetur, eò q; eam satis superq; in superioribus exposuimus. Cæterùm, ne quis in errorem labatur, arbitrans eadem omnium & demonstrationum & scientiarum esse principia, in litera adiectum est, Atq; vt in cæteris rebus principium simplex est, & non vbiq; idem, sed in ponderibus, vncia. melodijs, semitonium, & in alijs aliud. sic in demōstratione vnum & simplex est propositio immediata. In scientia verò demonstratiua, vnum est intellectus, hoc est, in disciplina per demonstrationem accepta, vnum principium atq; simplex est propositionum immediatarum assensus, quorum vtrumq; aliud atq; aliud est in diuersis demonstrationibus, ac demōstratiuis scientijs. Vncia, duodecima pars est assis seu libræ, quæ in ponderibus indiuisibilis & simplex duntaxat dicitur, secundum quorundam hominū suppositionē, qui minori non vtuntur pondere. Semitonium minus, quod Græcis diesis dicitur, est toni pars, qua sesquitertia proportio duobus tonis maior est. Tonus verò consonantiæ est principium, ex soni ad sonum sesquioctaua proportione proueniens. Sed de his alterius disciplinæ est cura ac consyderatio.

Primū literæ corollarium.

Secundum.

Tertium.

Vncia.

Semitonium.

Tonus.

Cũ aũt demonſtratio nũ, &c,

In octaui tractatus, qui eſt de mutua demonſtrationum habitudine primum caput, in quo oſtenditur vniuerſalis demonſtratio potior eſſe particulari, Scholia.

Quę demõſtratio vniuerſalis.

HOC primo capite monſtraturus Philoſophus, vniuerſalem demonſtrationẽ particulari eſſe potiorẽ atq; digniorẽ, imprimis duas adſert rationes, quibus nõnullis videri poſſet particularis eſſe potior, quibus ſuas adhibet ſolutiones. Atq; poſt hæc, ſeptem oſtendit rationibus, vniuerſalem particulari eſſe potiorẽ. Eſt aũt ea demonſtratio vniuerſalis, quæ oſtendit propriam paſſionẽ de proprio ſubiecto, cum quo cõuertitur. Cuiuſmodi eſt hęc, Omnis figura rectilinea habẽs extrinſecũ æqualem duobus intrinſecis ſibi oppoſitis, tres habet internos angulos duobus rectis æquos, omnis aũt triangulus figura eſt rectilinea, &c̃. omnis igitur triangulus tres internos habet angulos duobus rectis æquos. Cõtrà, ea particularis eſt, quę ex terminis cõficitur non recurrentibus, aut quia maior extremitas mediumq; latius patent, q̃ minor extremitas: aut ediuerſo, quoniã minor extremitas illis eſt cõmunior. Exemplũ prioris partis eſt, Omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquos, Omnis æquipedus ſeu iſoſceles eſt triangulus, igitur oĩs æquipedus tres habet angulos æquos duobus rectis. Atq; huius meminit præſens litera. Secundæ, Omnis triangulus habet tres duobus, &c. at omnis triangulus eſt figura, aut quædã figura eſt triangulus, igitur quædam figura habet tres duobus rectis æquos, de qua ſuperioriq; prius agebatur circa vniuerſalis deſcriptionẽ. Porrò, ſi quis cupiat cognoſcere iſoſcelem, ſecundũ quod iſoſceles eſt, habere tres duobus rectis æquales, cuius rei meminit Philoſophus in prioris rationis ſolutione, id ea ſciet ratione, qua illud monſtrare ſolent ſophiſtæ. Vt dato quadrato a b c d, ducunt diagonũ ſeu diametrũ a d, & efficiuntur duo trianguli a b d, & a c d. Et quoniam latera a b, & b d, ſunt æqua, (Nam eiuſdẽ quadrati latera) & diagonus a d vtroq; latere a b & b d longior, erit triangulus a b d æquipedus ſeu iſoſceles, & pari ratione cenſendus eſt æquipedus triangulus a c d. Deinde cùm b angulus ſit rectus, (eſt enim quadrati angulus) & totus a, item & totus d ſunt recti, quos per medium ſecat diagonus a d, erunt partiales anguli b a d & a d b medietates duorũ rectorũ, ſimiles quoq; erũt anguli d a c, & a d c trianguli a c d. Conſtat itaq;, duos æquipedos a b d, & a c d tres angulos duobus rectis æquales continere. Verùm hæc demonſtratio per accidens eſt, nec ex his quæ per ſe inſunt progreditur, vt aduertenti palàm eſt. Portò cùm in litera tandem ſubiungitur, Cùm igitur aliquid cognoſcimus habere angulos externos, &c. annotandum eſt, omnem figurã rectilineam ſiue poligonam, quatenus ipſum habere quatuor externos omnes angulos quotquot fuerint, quatuor rectis æquales, ſuper qua re agitur apud Campanũ primo elementorũ Euclidis propoſitione trigeſima ſecũdą. Quę quidem res plana ac manifeſta fuerit, ſi ſciuerimus, oẽm rectam lineam ſupra rectam lineam incidentẽ, duos rectos angulos, aut duobus rectis æquos conſtituere, vt dicitur 13. 1. elementorũ Euclidis, & inſuper annotauerimus primã poligoniarũ figuram, quæ eſt triangulus, habere tres internos angulos duobus rectis æquos. Deinde ſecundam aut quatuor rectos, aut quatuor rectis æquos habere, cuiuſmodi ſunt quadrata, quadrangula, & trapezia. Item & tertiam, quę eſt pentagonus, ſuperioribus duos addere, hoc eſt, angulos quinq; ſex rectis æquales habere. Inſuper quartã, quæ eſt hexagonus, rurſus duos addere, habereq; ſex angulos, æquos octo rectis, & ita deinceps. Figuras pro his qui curioſiores videri volunt, in margine adiecimus, inſcriptis etiã triangulis in figuris poligoniis, quæ triangulum ſequuntur. Cæterũ tertia ratio apertè indicat, per particularẽ demõſtrationẽ eam eſſe accipiendam, quę eiuſmodi eſt ob minus cõmune ſubſumptũ. Et quemadmodũ vna ſpecies plurima continet indiuidua, ſic &, teſte Porphyrio, vno exiſtente genere, plures ſunt ſpecies. Et proinde ſpecies, quarũ demonſtrationes proprietatis genericæ comparatione ſunt particulares, ad infinitorũ rationẽ proximius quàm ipſa genera accedunt. Porrò circa quartam rationẽ annotandum, eum qui ſcit, omnẽ triangulum habere tres, &c̃. in vniuerſali & quodammodo in potentia actiua ſcire iſoſcelem habere tres, &c. id quod in propria forma cognoſceret, ſub triangulo facta iſoſcelis ſubſumptione. At qui ſcit, iſoſcelem tres duobus rectis æquos habere angulos, non ſcit virtute quadam omnẽ triangulum habere tres, &c. Imò, quemadmodum & prius dictum eſt, qui ſcit ſingulas trianguli ſpecies tres habere, &c. non cognoſcit ſecundum formam, omnem triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales. Inſuper in quinta ratione, per id quod principio proximum eſt, intelligere ſolent ipſummet principium. Nam demonſtratio vniuerſalis, ex ipſis immediatis progreditur principiis. Particularis aũt, ex vniuerſalis demonſtrationis concluſione, quæ ob id dicitur & eſt media ta propoſitio. Cæterùm ipſius ſextæ rationis à quarta hoc diſcriminis aſſignant veteres, quòd hic de præmiſſis habeatur mentio, In quarta autẽ de concluſionibus. Alij exiſtimant, in quarta

Quæ ſit particularis demonſtratio.

a b



c d














quarta ſermonẽ haberi de magis & minus vniuerſali, quatenus ſunt huiuſmodi, In ſexta autẽ haberi & perſpiciendam eſſe rationem cauſę & effectus. Porrò ſeptima de ea particulari demonſtratione eſt accipienda, qua concluditur aliquod ſingulare corporale atq; ſenſibile.

Quòd aũt affirmatiua demõſtratio, &c.

In ſecundũ caput, affirmatiuã & negatiuã demõſtrationes ad ſe inuicẽ cõparans, annotatio.

IN pręſenti capite quinq; rationibus cõmõſtrat Philoſophus, affirmatiuã demõſtrationẽ negatiua potiorẽ eſſe ac digniorẽ. Ea demõſtratio eſt affirmatiua, cuius cõcluſio affirmatiua eſt. Cõtrà, illa eſt negatiua, quę negatiuã colligit cõcluſionẽ. Porrò in prima ratione aſſumitur hęc maior. Ea demõſtratio potior eſt, quę aliis eiſdẽ manentibus ex paucioribus cõſtat quęſtionibus, hoc eſt, petitionibus, ſuppoſitionibus, aut propoſitionibus: quã duabus cõprobat rationib⁹. At quid ſit petitio & ſuppoſitio alicubi ſuperius eſt enucleatũ. Propoſitio aũt & dignitates cõplectitur & per ſe notas propoſitiones, quæ neq; petitiones exiſtit, neq; ſuppoſitiones. Cæterùm pro ſecũda illius maioris probatione hoc poteſt in medium adferri exemplũ, ſint hi termini, ſubſtantia, corpus, corpus animatũ, animal, & homo, facilius cognoſcetur omne animal eſſe ſubſtantiam, quia omne animal eſt corpus animatũ, & omne corpus animatũ eſt corpus, & omne corpus eſt ſubſtantia, quàm omnem hominẽ eſſe ſubſtantiam, eò q omnis homo ſit animal, & omne animal corpus animatũ, & omne corpus animatũ corpus, & omne corpus ſubſtantia ſit. Nam, vt habet Boetiana translatio, omnem hominẽ eſſe ſubſtantiam demonſtratur, per hoc quòd omne animal eſt ſubſtantia. Credibilius eſt aũt id per quod demonſtratur, ipſo demonſtrato. Id autem iccirco adiecimus, q plures referant quæ hic dicuntur ad ea exempla, in quibus duarum demonſtrationum extremitates non ſunt ad inuicem ordinatæ, quæ quidem palàm eſt comprehendi ſub eiuſdem maioris priori probatione. Porrò eiuſdem rationis minor ſubiungitur, dum in litera dicitur. Sed affirmatiua demonſtratio ex paucioribus eſt, nempe ſola propoſitionum qualitate affirmatiua, Negatiua autẽ ex duplici progreditur qualitate.

Quid affirmatiua demõſtratio, & quid negatiua, & vtra potior eſt.

Sed obuciet fortaſſis quiſpiam, Ariſtotelem in illa maiore egiſſe mentionẽ mediorũ paucitatis atq; multitudinis, Et nunc in minore loqui de propoſitionum vnitate, ac multitudine ex qualitate cognoſcenda. Reſpõdet Albertus, ex diuerſa propoſitionum qualitate prouenire mediorũ pluralitatẽ. Affirmatiua ſiquidem propoſitio, quæ demonſtranda eſt, paucioribus indiget mediis, negatiua reſpõdente. Illa etenim & antecedente & conſequente indiget, hæc aũt cum eiſdem extraneum exigit. Verbi cauſa eſto hæc monſtranda, omne animal eſt ſubſtantia, hæc aſſumentur media, corpus animatũ, & corpus. Quòd ſi monſtranda ſit hæc negatiua, nullum animal eſt quantitas, quæ illi affirmatiuæ ratione ſubiecti reſpondet, illis eiſdem opus erit mediis, item & ipſa ſubſtantia dum aſſumetur nullam ſubſtantiam eſſe quantitatẽ. Quapropter hęc affirmatiua demõſtratio, omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia, hac negatiua eſt potior, nullum animal eſt quantitas, & omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt quãtitas.

Obiectio.

Alberti reſponſio.

Cæterùm circa particulam illam (Notior quidem, nam per affirmationẽ negatio innoteſcit) in quarta ratione collocatã, occurrit ambiguitas. Qui fieri poſſit, vt negatiua propoſitio immediata innoteſcere valeat per immediatã affirmationẽ. Nam de his prius habita eſt mentio. Reſpõdebimus, hoc in loco Philoſophum non cõſyderare duntaxat de negatiua immediata propoſitione, ſed ſimpliciter ac in ſumma de affirmatiua atq; negatiua. Et proinde ſi acciderit, affirmatiuã vel mediatam, negatiua eſſe notiorẽ, eò q negatiuã probet, non cõtra: notior quoq; in ſuo ordine cenſenda erit affirmatiua immediata, quàm immediata negatio. Inſuper quibuſdam apparet, icirco prius notam eſſe, q negatiuã non cognoſcamus, niſi aut tempore aut natura affirmatiuam prius nouerimus. Verùm ſecundum horũ ſentẽtiam accipienda erit litera de ea affirmatiua, quæ falſa ſit, ac immediata. Præterea affirmatiua in genere prior eſſe dicitur negatiua, eò q eius ſit pars, quemadmodum tradit Robertus Linconienſis. Item quoniam tempore vel natura prius intelligitur, vti mox diximus ex Egidij Romani opinione. Et quia eſſe ſignificat. Eſſe aũt prius eſt atq; nobilius quàm ſit non eſſe, de qua quidẽ re nonnihil diximus in ſecundo Peri Hermenias libro, cùm explicaremus illud Ariſtotelicum, Actus prior eſt potẽtia. Poſt hæc vltimã rationẽ intelligit Linconienſis de eo ordine, ſecundum quem vnum altero principalius priuſq; eſt, ſecunda prioris acceptione à Philoſopho in Poſtprædicamentis tradita, id quòd Ariſtotelica ſatis indicat ſubiuncta approbatio. Sed de his hactenus à nobis ſit dictum.

Dubitatio.

Dilutio.

Linconienſis

Egidius.

Demõſtratio oſtenſiua, &c.

In tertium caput, conferens eam demonſtrationem quæ oſtenſiua eſt ad per impoſſibile demonſtrationem, adnotamentum.

MOnſtraturus Philoſophus, demonſtrationem oſtenſiuam, ea eſſe potiorem, quæ ad impoſſibile deducit, prius explicat, quo pacto cõſtituenda ſit vtraq; demõſtratio, & oſtẽ-

ſiua & ad impoſſibile. Cæterùm quæ hoc in loco dicuntur, non omni demonſtrationi aut oſtenſiuæ, aut per impoſſibile conueniunt. Hic enim dumtaxat agit Philoſophus de ea demonſtratione oſtenſiua, quæ negatiua eſt, quæq; ex ſecundum naturã prioribus progreditur, atq; affirmatiua per impoſſibile illi negatiuæ oſtenſiuæ reſpondente. Nam ſi monſtratum fuerit, illam negatiuam hac per impoſſibile affirmatiua potiorem eſſe, proculdubio oſtenſum fuerit, affirmatiuam demonſtrationẽ quę oſtenſiua eſt, potiorẽ eſſe vtraq; per impoſſibile demonſtratione, & affirmatiua & negatiua. Porrò, ſi quis deſyderet cognoſcere in ſumma, quid ſit oſtenſiua, & per impoſſibile demonſtratio, facilè percipiet ac cognoſcet ex iis, quæ à nobis in Prioribus Analyticis tradita ſunt de ſyllogiſmis oſtenſiuo, atq; per impoſſibile. Eſt itaq; quẽadmodum inſinuat litera, demonſtratio oſtenſiua negatiua, quæ ex præmiſſis notioribus ad negatiuam progreditur colligendam concluſionẽ, vt nullum animal eſt planta, & omnis homo eſt animal, nullus igitur homo eſt planta. Planta eſt a, animal eſt b, c aũt homo. E diuerſo per impoſſibile demonſtratio affirmatiua eſt, quæ ex oppoſito præmiſſæ demõſtrationis negatiuæ, ac oſtenſiuæ, cum altera eiuſdem præmiſſa palàm vera, affirmatiuam colligit concluſionem manifeſtè falſam, oppoſitã concluſioni oſtenſiuæ demonſtrationis, ex cuius interemptione fit regreſſus ad interimendum pręmiſſam oppoſitã pręmiſſæ veræ negatiuę, in demõſtratione oſtenſiua aſſumptæ. Verbi gratia, eſto hæc oſtenſiua demonſtratio, nullum b eſt a, omne c eſt b, igitur nullum c eſt a, hęc erit per impoſſibile demonſtratio, omne b eſt a, & omne c eſt b, igitur omne c eſt a. At apertè falſum eſt omne c eſſe a, cùm igitur cõſtet omne c eſſe b, falſum erit omne b eſſe a. Et proinde verũ erit, aliquod aut nullũ b eſſe a. Nam in materia naturali ac neceſſaria, indefinitæ & particulares vniuerſalibus æquipollent. Poſt hæc in litera ibi, Atq; conueniunt demonſtrationes, &c̃. aſſignat Philoſophus, in quo conſentiunt & diſſentiunt dictæ demonſtrationes, ſimul explicans vtriuſq; vſum. Conſentiunt quidem, ꝙ ipſarũ termini ſimili diſponantur ordine. In ipſis etenim idem eſt medium, eadem maior atq; minor extremitas, licet alius atq; alius ſit propter variam propoſitionum quantitatẽ modus. Diſcrimen autem inter eas eſt, ꝙ oſtenſiua demonſtratione vtendum ſit, cùm maior negatiua, nullum b eſſe a, notior eſt concluſione nullum c eſſe a. Quòd ſi contrà concluſio nullum c eſſe a, in veritate notior ſit maiore nullum b eſſe a, & in falſitate notius ſit, omne c eſſe a, quàm omne b eſſe a, locus erit demonſtrationi ad impoſſibile deducenti. Sunt igitur hæ duæ demonſtrationes, vna oſtenſiua, & altera per impoſſibile. nullum animal eſt planta, & omnis homo eſt animal, igitur nullus homo eſt planta. Omne animal eſt planta, & omnis homo eſt animal, eſt itaq; omnis homo planta. ſed nullus homo eſt planta, conceſſum quoq; eſt, omnẽ hominem eſſe animal, quare nullum animal erit planta. Deinde in litera ibi, Quòd ergo oſtenſiua demonſtratio, &c̃. monſtrat oſtenſiuam, ea, quæ ad impoſſibile deducit, potiorem ac priorem eſſe, eò quòd illa ex ſecundum naturam priori, nempe præmiſſa propoſitione ad poſterius progreditur. Hæc aũt e diuerſo, ex natura poſteriori atq; cõcluſione. Quòd ſi quis obiecerit, in ſecundo proceſſu, ex falſitate concluſionis oſtenſiuæ demonſtrationis colligitur falſitas affirmatiuæ, quæ opponitur negatiuæ in oſtenſiua demonſtratione aſſumptæ, vt cùm dicitur falſum eſſe, omne b eſſe a, quia falſum eſt, omne c eſſe a, vel ex oppoſiti concluſionis veritate, infertur veritas negatiuæ in oſtenſiua demonſtratione aſſumptæ, hoc pacto, nullum c eſſe a eſt verum, igitur & verum eſt, nullum b eſſe a, ergo demonſtratio ad impoſſibile trahens non ſolùm ex concluſione, ſed & ex propoſitione progreditur. Hanc tacitam obiectionem diluit Philoſophus, negando conſequentiam, dum in litera dicitur, Quia non oportet ſi aliquid inferatur eſſe falſum, &c. Oportet enim vnam ſyllogiſticam propoſitionẽ ad alteram ſeſe habere, velut totum aut partẽ, Vt totum quidem, ſi ſub medio in ipſa poſito ſit ſubſumptio. Vt partem aũt, ſi ipſa ſub medio ſubſumatur, id quod nequit eſſe in illo ſecundo proceſſu ad ſyllogiſmum reuocato. Nam data hac concluſione falſa, omne c eſſe a, ſiue omnem hominem eſſe plantam, ex qua colligendum eſt falſum eſſe, omne b eſſe a, hoc eſt, omne animal eſſe plantam, non rectè ſubſumpſeris, omne animal hominẽ eſſe, ſed contrà potius, omnẽ hominem animal eſſe. Idem quoq; eueniet, ſi ex hac nullus homo eſt planta, ſyllogiſmo colligere velis nullum b eſſe a, ſiue nullum animal eſſe plantam. Quamobrem non ſolùm in demõſtrationis ad impoſſibile prima ratiocinatione, ſed & in ſecũda, id quod aſſumitur dicendum eſt concluſionis ſyllogiſticæ ſubire rationem, non aũt ipſius propoſitionis. Hæc autem idcirco fuſius declarauimus, ꝙ in hiſce explicandis varij autores variè ſunt locuti. Hactenus à nobis dictum ſit de comparatione demonſtrationum vniuerſalium & particularium, affirmatiuarum & negatiuarum, oſtenſiuarum, atq; earum quæ ad id quod eſſe nequit ducunt.

Obiectio.

Dilutio.

In no-

In noni tractatus primum caput, in quo monstratur vna scientia prior esse altera, quæq; scientia vna sit, & quæ diuersæ, annotatio.

Certior autẽ scientia & prior ẽ.

DVo potissimùm cõmonstrat Philosophus in præsenti litera, quorum prius est, quænam scientia prior sit altera. Posterius est, quę scientia vna sit, quæue plures. In primis itaq; explicat Philosophus scientiarum vnam alterã contingere esse certiorẽ tribus modis.

Trifariàm vna scientia altera est certior.

Primo.

Primo ea certior est atq; prior, qua & quia est propter quid est noscitur. Contra illa incertior est, qua duntaxat cognoscitur quia est, siue id fiat propter allatã remotiorem causam, siue pro medio effectu sumpto, qui causæ suæ proximus sit, aut ab ea aliquo modo distantior. Hoc modo subalternantes scientię priores certioresq; sunt subalternatis. Porrò quid censendum sit de ijs scientijs, quibus cognoscitur propter quid earum conclusionũ, quæ ad inferiores scientias pertinent, non autẽ ipsum quia est (vt dictũ est circa finẽ quarti tractatus huius libri de Geometria, qua cognoscitur propter quid huius conclusionis, vulnera circularia tardius sanantur: Ipsum verò quia est experientia cognoscitur per chyrurgiam) videtur intelligi posse ex primo Metaphysicæ, vbi sic ait Aristoteles.

Dubitatio.

Responsio.

Quòd si quispiam sine experientia rationẽ habeat, & vniuersale quidem cognoscat, singulare aũt quod in hoc est ignoret, is in medendo persæpe peccabit. Singulare enim magis in curationẽ cadit, vt patet: Attamen cognoscere ac intelligere magis arti quàm experientiæ cõpetere arbitramur, Artificesq; sapientiores expertis esse censemus, ex eo sanè, quia sapientia magis in cognoscendo cunctis accommodatur, idque propterea quòd illi quidem causam sciunt, hi verò nesciunt. Experti namq; esse quidem sciunt, sed propter quid sit ignorant: Illi verò propter quid & causam ipsam cognoscunt.

Secũdo mõ.

Secundo modo ea scientia certior est, quæ non est de materia sensibili, quàm quæ est de materia sensibili, vt Mathematicæ scientiæ, quæ versantur circa formas abstractas, sunt certiores Physica, medicina, ethica & alijs quæ versantur circa subiectum sensibile, & multis modis variabile.

Tertio.

Tertio modo certior est ea scientia, quæ est de subiecto simplici & incomplexo, quàm quæ est ex additione, vt Physica, quæ versatur circa corpus, est certior medicinã, quæ pertractat de humano corpore. & Geometriã quę pertractat de magnitudinibus & linea simpliciter, est certior perspectiua, quæ versatur circa lineam visualem. Sic dicit Aristoteles, quòd Arithmetica sit certior Geometria, quia Arithmetica versatur circa numeros ac vnitatẽ quę est principium numeri, Geometria verò circa magnitudinẽ & punctũ, quod est magnitudinis principium: Iam verò punctum ex additione dicitur in ordine ad vnitatẽ, vt ex eorum definitionibus patet, quas prælupponit ex Platonis sententia.

Vnitas.

Punctum.

Nam vnitas definitur esse substantia seu principium quoddam indiuisibile sine positione. Punctum verò substantia quædam posita, ergo vnitas est puncto simplicior, quia punctum in sua definitione includit positum esse, id quod non includit vnitas. Post hæc in ea literæ parte, Vna scientia est, quæ est vnius generis, &c. Monstrat Philosophus, ad vnitatem eius scientiæ, de qua hic agitur, quæq; effectus est potissimę demonstrationis, quatuor esse necessaria ac obseruãda.

Quatuor ad scientiæ vnitatem obseruanda.

Primum.

Primum, quod eius sit scibile genus vnum atq; non æquiuocum a casu. De analogo etenim, cuiusmodi est ens, traditur scientia. Est autẽ scibile genus, materia circa quam versatur ipsa scientia, & in qua explicanda tota est occupata, quæ tum vna est, dum accipitur sub vna scibilis obiecti ratione formali. Sunt autẽ diuersæ scibilis obiecti formales rationes, Esse a sensibili materia separatum re & ratione, Esse a materia sensibili ratione duntaxat, non autẽ re diuulsum. Coniunctum esse sensibili materiæ atq; motui re & ratione, quorum primum Metaphysicæ competit. Secundum Mathematicis disciplinis. Tertium autem scientiæ naturali est tribuendum. Item in vniuersum separatum esse a materia, & sensibili, & intelligibili non re, sed ratione solum; quod dicitur peculiare esse Arithmeticæ, Esse prorsus separatum ratione a materia sensibili, sed non intelligibili, quod ad Geometriam attinet, Esse partim a materia sensibili ratione separatũ, esse & partim coniunctum, Et id genus alia, quę satis fuerit paucis indicasse. Cum igitur agat Aristoteles de scibili genere vno secundum vnã scibilis obiecti rationem, si plura sint per se distincta obiecta, quæ vnã eandemque scibilis obiecti rationẽ induant, vnum erit genus scibile, vt animal & planta, vnũ genus sunt, quatenus ratione & re motui sunt coniuncta. Quòd si contra vnũ atq; idem varias scibilis obiecti rationes suscipiat, ad diuersa genera diuersasq; scientias pertinebit. Id quod haud difficilè exemplo potest monstrari. Hæc superioribus idcircò adiecimus, ne quis Aristotelem agere existimaret duntaxat de ea scientia, quæ simplex est, eò quòd circa vnicam versetur conclusionem: quemadmodũ arbitrantur nonnulli: verùm & super ea, quæ per quandam connexionẽ vna est, siue circa speciem specialissimã versetur, siue generis alicuius cognitionẽ ac disciplinã

Secũdum.

explicare nitatur. Secundum est, quòd ea disciplina procreata sit ex primis & immediatis principijs & incõplexis & complexis illius vnius scibilis generis, secundum quod vnũ est. Alioqui non foret scientia ex potissima demonstratione manans, cuius solius cura hic suscipitur.

Tertium.

Tertium est, quòd scibile genus subiectiuas complectatur partes, id est, inferiora, de quibus per se primo modo valeat prædicari genus scibile. Nam demonstratio ex vniuersalibus progreditur ad vniuersalem conclusionem. Omne autẽ vniuersale de pluribus aptum est prædicari. Sunt & aliqui, qui per partes accipiant intelligãtq; & eas, quæ substantiales essentialésve sunt, & quæ integrales.

Quartum.

Quartum est, quòd scibili generi oporteat inesse per se secundo modo quasdam peculiares passiones, quas necessum sit monstrare, illi per se cõpetere. Atq; alicuius horũ quatuor quæ enumerauimus defectu, non valebimus adipisci eam scientiam, quę ex potissima demonstratione prouenit. At an alia quædam scientia, de scibili genere proposito aliquo illorũ quatuor deficiente queat haberi, imprę̃sentiarũ nõ decreuimus discutere. Porrò id quod in litera ibi subnectitur, Diuersæ verò scientiæ sunt, quarũ principia, & cæt. accipiendum venit de ijs scientijs, quæ prorsus diuersæ sunt, hoc est, quarũ principia prima non pendẽt ex alijs, eisdem principijs, (cõmunibus tamen perpetuò exceptis) neq; vnius prima principia ex primis alterius principijs apta sunt manare ac monstrari. Eiusmodi sunt Metaphysica, Naturalis scientia, atq; Mathematica, quæ scibili intee se discrepant genere. Cæterùm illæ quarũ prima principia ex ex eisdem proprijs eiusdem scientiæ principijs pendent, vt si geometriæ & arithmeticæ principia, quantitatis principiorum cognitionẽ exigant: Item trianguli & quadrati ex figuræ principijs pendeant, non erunt hæ scientiæ in totum diuersæ, sed potius genere aut specie conuenient. Similiter & eæ, quarum vnius principia ex alterius monstrãtur principijs cuiusmodi sunt geometria & optica siue perspectiua, arithmetica, & musica, quę nõ prorsus inter sese dissident, sed quodam modo vna sunt disciplina. At alij alias adferunt literæ interpretationes, sed eam quã persecuti sumus, velut planã ac apertiorem sequuntur Robertus

Linconiẽsis Albertus. Themistius

Linconiensis, Albertus, & aliorũ quamplurimi. Neq; ab ea dissentit Themistius. Scientia (inquit) vna dicitur, quæ affectiones per se vnius generis contemplatur. Vnũ genus est, quoius eadem prima sunt principia. Vna ergo scientia geometria stereometriaq; est. Diuersæ scientiæ appellantur, quarum diuersa sunt principia, non quæ de principijs alterius ortum habent, vt geometria & perspectiua. Atq; hoc constare poterit ijs, quę adusq; prima indemonstrataq; subierint initia. Si enim nulla his inter se cognatio fuerit, tum scientiæ probabuntur diuersæ.

Eiusdẽ conclusiõis plures sunt scientiæ.

Hæc Themistius. Ex his itaq; colligere licet, eiusdem conclusionis scientiam, puta huius, Terram esse rotundam, aut alterius similis, aliam atq; aliam, hoc est, in totũ diuersam esse, si nunc ex merè naturalibus principijs, nunc verò per purè mathematica, ac astronomica principia demonstretur. Nam huiusmodi principia, neque ex ijsdem poterunt principijs depromi atq; ostendi, neq; altera ex alteris pendebunt.

Quæstio.

At sciscitabitur quispiam fortassis. Cur duntaxat diuersorũ principiorum meminerit Aristoteles, neq; de reliquorum diuersitate quicquam attigerit?

Dilutio.

In primis respondebimus, & ex prioribus & posterioribus Philosophi dictis colligi, idẽ fore prorsus, si adsit omnimoda generũ scibilium diuersa formalis ratio, quemadmodum & scibilium generũ: Sunt etenim hęc sibi ita mutuo connexa, vt neutrum sine altero liceat reperire. Verùm quoniam ex principijs allatis licet colligere, in qua specie scibilisq; generis forma accipiendum sit genus propositũ, de quo passio proposita sit demonstranda, idcirco potius meminit Philosophus principiorum diuersitatis, quàm ipsorum scibilium generum. Cæterùm, vt huic rei finẽ imponamus, idem arbitramur contingere, si passiones aut subiectiuæ partes, simili modo inter sese dissideãt. Nam ex duobus prioribus consequuntur. Hæc sunt quæ Aristotelicæ literæ intelligendæ necessaria esse videbantur. Et proinde plurima ad hunc locum spectantia, quæ diligens lector fortassis a nobis desideraret, breuitatis amplectendæ gratia prętermittimus. Deinde in litera, ibi. Eiusdem tamen conclusionis plures, &c̃. Ne quis prius dictorũ occasione in errorem lapsus existimet, non posse fieri, vt eadem conclusio per diuersa monstretur media, ostendit idipsum contingere tam in medijs eiusdem ordinis, vel a seinuicẽ quodam intercidente medio distantibus, q̃ in medijs diuersi ordinis.

Themistius Eiusdẽ ordinis media quę sunt.

Eiusdẽ ordinis media Themistij sententia sunt, quorũ vnũ de altero ordinatè & vniuersaliter prædicatur, inter quæ si nullum intercidat medium, dicuntur media continua. Cuiusmodi sunt in his demonstrationibus, Omnis planta est substantia, oĩs platanus est planta, igitur oĩs platanus est substantia. Omnis arbor est substãntia, & omnis platanus arbor est, est igitur oĩs platanus substantia. Sin verò aliquod intercidat medium, erunt media non continua, quẽadmodum hic accidit, Omne corpus animatum est substantia, omnis platanus est corpus animatum, ergo omnis

platanus

platanus est substantia. Omnis arbor est substantia, omnis platanus est arbor, ergo omnis platanus est substantia. Nam inter ea duo media corpus animatum & arborem, planta intercipitur. At Faber arbitratur, tum media esse continua, cum in eodem assumuntur syllogismo: Discontinua verò, quum in diuersis syllogismis accipiuntur. Cæterùm media alterius ordinis sunt, quæ etsi de se mutuo prædicentur, (oportet enim ipsa de eodem prædicari, cum affirmatiuus proponitur syllogismus, quęadmodum indicat litera) neutrum tamen de altero prædicatur vniuersaliter. Exempla Themistij sunt hæc, Omne rationale est substantia, omnisque homo est rationalis, igitur ois homo est substantia. Omne bipes est substantia, & omnis homo est bipes, est igitur omnis homo substantia. Rationale enim, secundum Porphyrij opinionem, & bipes ita mutuo sese habent, vt neutrū alteri subijciatur vniuersaliter. Porrò id quod modò retulimus ad eandem conclusionē per diuersa media demonstrandā, intelligit Caietanus, veritatē cōplecti in diuersis disciplinis, de quibus mox agebatur, ita quod vt subiectū & passio, id est, tota conclusio, eadem sit secundum materiam, non autē secundum formā. Verùm id quod prius diximus, nobis magis probatur: quanquam necesse sit nos confiteri, non posse fieri, vt eadem conclusio in eadem disciplina monstretur diuersis demonstrationibus potissimis, nisi media eiusdem existant ordinis, vt cum demonstratur per diuersa causarum genera, in quibus admittit Caietanus fieri demonstrationū augmentū in postsumendo. Cæterùm quantū ad literæ exemplum attinet, difficultatis nonnihil suboritur. Nam si acceperis quiescens pro eo quod in finē tendit: In qua acceptione sumit Iacobus Faber, & eo vocabulo vtitur Aristoteles in Physicorū sexto libro, media eiusdē erunt ordinis. Nam omne quiescens in ea significatione mouetur. Quòd si quiescens sumatur propriè, sic sumptū priuatiuè opponitur ei q̄d mouetur, Et proinde nequibūt de eodē subiecto prædicari, neque ex illis duplex conficietur affirmatiua demonstratio. Huic sit secundū priorē opinionē responsum, quod licet omne quiescens moueatur, nō tamen per se. Nam quiescere eo pacto acceptū, per se & formaliter respicit quietē, quæ in moueri non clauditur, sed potius cū eo pugnat. Quòd si aliam acceptionē eligere atque amplecti cupiat lector, respōdebit, quod ab vno quiescit motu, altero posse moueri. Quicquid enim mouetur, partim est de termino ad quē, & partim ipso caret, & quatenus partim est in termino quiescit, & in quantū partim est in proxima potētia ad ipsum, mouetur. Deinde quod ab integro vno motu quiescit, altero valere moueri, & proinde quiescēs per accidēs & nō per se moueri. Porrò quomodo lætās sensibili delectatione quiescat & moueat, nō est in præsentia discutiendū. Huic loco satis fuerit, ipsum quiescere à boni prius adipiscēdi prosequutione: Et moueri in eiusdē fruitione. Est enim delectatio, teste Philosopho in Ethicorum primo libro, motus animæ & constitutio simul tota, & sensibilis in naturam existentem.

Iacobus Stapulensis. *Quę media sint diuersi ordinis.* *Caietanus.* *Dubitatiuncula.* *Iaco. Faber.* *Dubitatio.* *Dilutio.*

In eiusdem tractatus secundum caput, in quo monstratur scientia non esse fortuitorum, neque consistere in sensu, annotatiuncula.

Eiusaūt q̄d à fortuna ē.

HVius capitis sententia tribus potest explicari conclusionibus. Prima in exordio literæ posita, est. Eorum quæ fiunt à casu vel fortuna, quatenus eiusmodi sunt, non esse scientiam per demonstrationē. Nam hæc rarius accidunt. Ea autē de quibus est scientia, necesse est aut semper aut frequenter euenire. Ex quo quidem literæ loco palàm est, verū esse illud quod à nobis prius est dictū, nempe omnē demonstrationē consistere ex ijs quæ necessaria existunt, aut simpliciter, aut sub conditione. Altera ibi assignata, At verò neque per sensum contingit, & cæt. est, Non esse scientiam eius quod sub sensum cadit, hoc est, singularis sensibilis. Quæ duabus ostenditur rationibus. In quarū priore illud (vniuersale esse vbique & semper) negatiuè venit intelligendum, ad hunc modum. Vniuersale neque determinatū locum, neque certum tempus requirit. Nam vbicunque & quādocunque singularia fuerint, illic atque tunc erūt vniuersalia. Cæterùm quæ in huius literæ decursu ponūtur, omnino manifesta erunt, ex secundi huius vltimo capite, & quia in eo loco repetēda forent si hic explicarētur, idcirco ob breuitatē amplectendā, ad eum vsque locū ea reseruare decreuimus. Tertia cōclusio in litera ibi assignatur. Sunt autē nonnulla proposita, &c. quæ est hæc. Ad adipiscendā scientiam conferre sensum, quā subtilissimè, clarissimè, & elegātissimè mōstrat Philosophus loco mox allato, nempe huius secūdi vltimo tractatu atque capite. At per illud literæ, Veluti si vitrū videremus perforatum esse, lumenque penetrare, pateret nobis, propter quid post vitrū lumē efficitur, indicat Philosophus post vitrū integrū ac continuū effici producique lumē, quod vitrū prorosum sit, cuius proros si liceret inspicere, ex visu causam acciperemus luminis post vitrū producti. Atque id iuxta vulgarē opinionē est accipiendum. Nam vitrū nō idcirco post se luminis productionē admittit, quòd prorosum sit, sed potius quòd corpus sit diaphanū, quēadmodum aer, aqua, & id genus alia.

Prima literæ cōclusio. *Secunda.* *Tertia.*

nus alía. De qua quidem re fusior apud Physicos atq; Perspectiuos traditur declaratio. Et proinde ab eius prolixiori explicatione atq; demonstratione nobis est temperandum.

Eadē autem esse prīcipia

In tertium caput, quo ostenditur, non omnium syllogismorum eadem esse principia, adnotatio.

Nō oīm aut syllogismorum aut demonstrationū eadē sunt principia.

Protagoras Gorgias.

IN huius tractatus primo capite agit Philosophus de scibili genere, ipsiusq; principijs, veluti duobus, ex quibus potissimùm, penderet ipsa demonstratio. At secundo subsequenti capite aperuit, quæ non valeant scibilis generis rationem suscipere, cuiusmodi sunt, quæ fortuna ac casu accidunt, atq; sensibilia singularia. In hoc autem capite præsenti cōmonstrat, non omnium demonstrationum eadem esse principia. Id quod etsi ex prius traditis satis notū esse oporteret, attamen propter aliquot sophistas (quales fortasse fuère Protagoras & Gorgias, de quibus à Platone editi sunt dialogi) qui asseuerabāt, quibusdam regulis communibus, numero paucis, omnia sese demonstraturos, & proinde de qualibet re apud diligētes lectores posse scientiam procreare, in huius literæ exordio Aristoteles non ab ipsa demonstratione, sed a syllogismo illa cōmuniori inchoans proponit, impossibile esse, vt omnium syllogismorum eadem existant principia, hoc est, non sine discrimine easdem præmissas esse idoneas, ad quamlibet conclusionem inferendam, Ad cuius assertionem septem adferuntur rationes. In quarū prima illud literæ (quamquam enim ex falsis contingit verum syllogisari, tamen id semel accidit, &c̄.) accipiendum est cum in primo primæ figuræ modo ex ambabus falsis, vera syllogisatur conclusio. Nam in Prioribus analyticis ostensum est, diuersis modis ex altera vera & altera falsa posse conclusionē, quę vera sit, syllogisticè colligi. At vt quod in textu mox subnectitur intellectui peruium sit, esto hoc exemplum. Omnis equus capax est disciplinæ, & omnis homo est equus, est igitur omnis homo disciplinæ capax. Hic conclusio vera ex falsis est collecta. Verùm si præmissarum huius syllogismi veramq; syllogisare nitaris, necesse est id fieri, ex vtraq; aut altera præmissa falsa, quod subiecta exempla monstrant, Omnis lapis est disciplinæ capax, & omnis equus lapis est, igitur omnis equus susceptibilis est disciplinæ. Omne rationale est susceptiuum disciplinæ, & omnis equus est rationalis, ergo oīs equus est capax scientiæ. Omne hinnibile capax est disciplinæ, & oīs equus est hinnibilis, est igitur oīs equus disciplinæ capax. Simili quoq; modo in minore colligenda est censendum. Cæterùm dum in tertia ratione dicitur, Et etiam quorū eadem sunt principia, necesse est conuenire in medio, & cæt. medium sumi in sursum intelligendum est, dum supra maiorē accipitur extremitatem, idque fit in secunda figura: In deorsum autem, cum sub minore sumitur extremitate, quod in tertia contingit figura. At vnum extremorum infra medium est & alterum extra, hoc est, supra, quemadmodum admonet marginalis annotatio, cum medium, primæ figuræ medij rationem habet. Exemplis abstinemus, eò quòd hæc ex superioribus haud difficilè possunt cognosci. Quarta ratio de communibus agens principijs, assignatur in litera, ibi. Atq; fieri non potest, &c̄. quamq; nos non lateat, quosdā id non recipere pro quarta ratione. Porrò cū in initio quintæ rationis assumitur, principia nō multo esse pauciora cōclusionibus, id idcirco veritatē cōtinet, quòd ex vna eaq; propositione velut maiore plures colligi valeāt conclusiones, & quòd subinde minor subsumpta queat demonstrari. At vt in summa dicamus, pauciora sunt indemonstrabilia principia ijs conclusionibus, quæ ex ipsis demonstratiuè possunt colligi. Id quod varijs exemplis posset declarari. Sed horū hoc vnū esto. Sit hæc, omnis homo est substantia, ex immediatis ostēdenda, sumptis his medijs terminis, corpore, corpore animato, & animali, quatuor præuenient hæ præmissæ, omne corpus est substātia, omne corpus animatū est corpus, omne animal est corpus animatū, & omnis homo est animal, quas omnes palàm est esse immediatas. At conclusiones ex his præmissis inferendæ, numero sunt sex, nempe omne corpus animatū esse substātiam, omne animal esse corpus, omne animal esse substantiam, omnē hominem esse corpus animatū, omnē hominem esse corpus, & omnē hominē esse substantiam: hoc quoq; exemplo palàm est, quibus propositionibus tribuendū sit quod in hac ratione traditur. Porrò in sexta ratione, dum dicitur esse infinitæ conclusiones, id nonnulli intelligūt, dum quæuis prędicata siue per se, siue per accidēs accipiuntur quolibet modo, id est, siue affirmatiuè, siuè negatiuè. Nam quodlibet de quolibet ostendi possibile est syllogismo aut affirmatiuo aut negatiuo. At Albertus illud accipit de per se cōclusionibus, quæ infinitæ sunt in potentia, quemadmodum patet in numerorum, figurarum, & relationum speciebus, in quibus admittitur in infinitum progressus, & quarum si sint propriæ passiones atque propria principia, necesse quoque fuerit principia infinita esse. Alij idipsum accipiendum censent, quando sub eodem medio diuersæ subsumuntur ad latus minores extremitates

Albertus.

in infi-

in infinitũ, velut si sub huius subiecto omnẽ numerum esse parẽ vel imparem, in infinitũ subsu
mãtur numeri species, & ita in alijs. Verùm Alberti expositio nobis magis arridet. Nam post
septimã rationẽ epilogans Philosophus: Palàm igitur (inquit) sic considerantibus, non omniũ
eadem posse esse principia, nec ipsa esse finita, si conclusiones infinitæ sint. Postremò Philoso
phus in litera, ibi. Quòd si quis alio modo dixerit, &c̃. eorum expositorũ sententia, quorũ fre
quentius meminimus, id quod superius logicis monstrauit rationibus, nunc propositis dubita
tionibus cõmonstrat modo analytico, hoc est, peculiaribus huius disciplinæ principijs. Hanc
quoq; literæ partẽ aliqui tres in rationes partiuntur, Alij in quatuor. in quarũ secunda ibi as-
signata, Neq; dici poterit, omnium esse eadem principia, &c̃. per manifestas scientias intelli-
git Philosophus mathematicas scientias, in quibus ex principijs facilè cognitis, statim infertur
conclusio. Per resolutorias verò, eas quæ ex mediatis progrediuntur propositionibus, ad qua
rum sufficientẽ cognitionem ac perfectã, opus est ipsarum resolutione in immediatas proposi
tiones. Tertia ratio illorũ opinione assignatur, ibi. Quòd si quispiam dicat, Et quarta in eo
literæ loco, Quòd si neq; eadem sint omnium principia, & cæt. Quæ omnia cum ex superiori
bus sint citra ingentẽ laborẽ nota, ideo censuimus leuiter pertranseunda esse. Adnotat tamen
Faber, Aristot. dixisse, Principia autẽ circa quod, (non autẽ circa quæ) vt ostenderet cuilibet — *Iacobus Stapulensis.*
disciplinæ suum proprium esse subiectum, idq; vnicum, atq; sua peculiaria principia.

In quartum caput, quo monstratur scientia ab opinione esse diuersa, scholia.

Scibile atq; sciẽtia ab opinabili & opinione.

IN superioribus vna scientia ad alterã exactè collata, & penes certitudinem, & penes vnita
tem atq; diuersitatem. Philosopho visum est, ad huius libri cõplementum desyderari cõpa
rationem scientiæ ad alios ipsius intellectus habitus. Nam nedum contraria iuxta sese posi
ta manifestiora sunt, verùm & ea quæ illis vicina sunt, vt disparata sub eodem genere com-
prehensa. Idq; agit in hoc quarto & vltimo capite. Atq; primo ostẽdit, quo pacto scientia ab
opinione discrepat, & scibile ab opinabili. Et quia hæc, scientia, scibile, opinio, & opinabile,
sibi inuicem planè respondent, ideo ostenso quòd scientia non sit opinio, quemadmodum Phi
losophus hic monstrat, ostensum erit scibile non esse opinabile. Porrò de rationum numero — *Sciẽtia atq; intellectus q̃ sciẽtię causa est, dũtaxat necessariarũ sunt propositionum.*
ab autore ad illud adductarũ, diuersimodè sentiunt expositores: Nos siue duæ sint, siue tres,
quæ in eis continentur, explicabimus, quantum necessarium nobis visum fuerit. Proponitur
in primis, omnis sciẽtia esse cognitio eius quod vniuersale est, & per necessarias propositiones,
easq; vniuersales, & causam vniuersalem, hoc est, propriam, immediatã, atq; cõuertibilem con
tinentes: quare oportet vniuersalem conclusionẽ, de qua scientia propriè dicta habetur, esse ne
cessariam, seu non posse aliter sese habere. Ex quibus infertur in textus deductione, nõ esse sci
entiam de his, quæ aliter sese habere possunt, siue sint vniuersalia, siue singularia. Alioqui ne-
cessaria aliter sese habere possent, essentq; contingentia. His continuò subiungit, intellectum
non versari circa contingentia. Et ne quis perperàm accipiat intellectũ pro potentia intellecti
ua, per modum probationis mox subiungit, Dico intellectum esse scientiæ principium, effecti
uum videlicet atq; proximũ, quod non minus esse necessarium conuenit, quàm scientiam ip-
sam. Verùm quia id quispiam non satis manifeitè forsitan cognosceres, ad maiorem explica-
tionem statim apposuit, Neq; scientia indemonstrabilis, & cæt. Cuius quidẽ sensus est. Neq;
scientia ea quæ non potest monstrari (Nam Græcis indemonstrabilis nominatiuus est, non ge
nitiuus, ὧν δ' ἐπιστήμη ἀναπόδεικτος) quæq; æstimatio est quædam, nempe certa, firma, atq; eui
dens propositionis immediatæ, non cuiusuis, sed necessariæ duntaxat, non versatur circa con
tingentia. Erunt igitur hic prorsus eadem, intellectus, scientiæ principium, atq; scientia inde-
monstrabilis, determinatione indemonstrabilis alienante scientiam à suo proprio significatu.
Sic itaq; monstratũ est, intellectum atq; scientiam tantũ necessariorum esse. Deinde dum sub
iungitur, Est autem intellectus verus, & cæt. ostendit conuenientiam iam dictorũ habituum
cum opinione, in eo quod vera sunt. Themistio enim teste, hic tantum agit Philosophus de — *Themistius*
opinione vera. Nam de falsa (inquit) opinione nulla dubitatio est, quin cum scientia nihil si-
mile habeat. Veritas autem formaliter in ipso intellectu est, hoc est, actu vel habitu ipsius in-
tellectus, in voce vt in signo, & in rebus ipsis, tanquam in causis, vt colligunt ex initio primi
Peri Herme. & pluribus locis Metaphysices. Ex his omnibus infert Philosophus, opinionem
versari circa id quod verum est. Et ne quis putaret, opinionẽ semper veri esse, addidit aut fal — *Obiectio.*
sum, possibile tamen aliter sese habere. Quòd si fortassis quispiam obijciat, alios esse cognos
cendi modos ab intellectu & scientia prӕter opinionẽ, (Sunt enim error seu ignorantia, & fides
seu credulitas, & suspitio atq; æstimatio) quare non esse validam rationem, qua his non recen
sitis concluditur, opinionem esse eorum quę aliter sese habere possunt. Huic in primis respon — *Dilutio.*
debimus

Themistius

debimus iuxta Themistij recitatã sententiam, Philosophum agere de cognitione vera, quales non sunt error & ignorantia. Atque ignorãtia prauæ dispositionis propriè dicta scientiæ opposita, circa impossibilia versatur, nempe opposita scibilibus necessarijs. Quod autẽ ad credulitatem attinet, dicimus Aristotelem loqui solum de his cognoscendi modis, qui solo intellectus lumine accipiuntur, nullo voluntatis imperio concurrente. Ad credulitatẽ autem omnem, modò ab opinione distinguatur, necessarius est quidam voluntatis actus imperans, quẽ solent (cum de sacrosancta fide Christiana agitur) piam voluntatis affectionẽ nuncupare. De qua re non longius hic, sed alibi agendum est. Deinde reliqua duo, aut eadem cum opinione sunt, aut si à ratione opinionis perfecta vtcunq; deficiãt, quẽadmodum arbitratur Diuus Thomas in huius libri Posteriorum prologo, ipsa sub opinione cõprehendemus, tanquam imperfectiora sub perfectiori quodam. Ex traditis igitur ab Aristot. licebit has rationes colligere, Omnis intellectus atq; oĩs scientia est de necessarijs, quæ non contingit aliter sese habere, & nulla opinio est de necessarijs, quæ non contingit aliter sese habere, ergo nulla opinio est scientia. Omne intellectibile & omne scibile est necessarium, &c. nullũ opinabile est necessarium, &c. ergo nullũ opinabile est aut intellectibile aut scibile. Post hæc, ibi. Est aũt opinio interdum, &c. remouet quãdam dubitatiunculã, quę oriri posset ex dictis. Nam prius dictũ est, Intellectũ & scientiã versari circa necessaria, illum quidẽ circa necessaria indemonstrabilia, hãc aũt circa demõstrabilia. Non erit igitur de cõtingetibus eodẽ modo iudicandũ? Vnũ videlicet esse habitũ circa cõtingẽtia immediata, atq; alterũ circa mediata? Huic tacitè respõdet Arist. vtrũq; habitũ opinionẽ esse, & nonnunquam opinionem haberi de propositione immediata non necessaria. Nam interdum opinio est acceptio, seu quædam existimatio immediatæ propositionis & non necessariæ : atq; propositio sic per intellectũ accepta, similis erit contingentibus opinatis, vel illis quę mediatę sunt. Opinio enim quid incertũ est atq; mutabile de veritate in falsitatẽ, & contra. Similiter & res, de qua habetur opinio, variabilis est, comparatione eius prædicati quod illi contingenter competit. Illa autem textus pars, Atque hæc sic accepta propositio, consentanea, & cęt. Græcè sic legitur, καὶ ὁμολογούμενον δ' οὕτως τοῖς φαινομένοις.

Thomas. | Quæstio. | Solutio.

Antiq̃ trãslatio. | Boetius. | Argyropil⁹.

Antiqua translatio sic interpretatur. Et confessum autẽ est sic apparẽtibus. Boetius hoc modo. Certum autem est sic apparentibus. Argyropilus. Atq; hoc consentaneum est etiam his quæ apparent. Et D. Thomas non ad propositionẽ immediatã quæ nõ est necessaria id refert, sed ad probationem illius quod prius dictum est, opinionẽ videlicet contingentium esse, perinde ac si diceret Aristoteles, ex communi hominum opinione, & his quæ communiter approbantur atq; dicuntur, constabit, opinionẽ esse contingentium. Nam tam opinio, quàm natura subiecta cuius ipsa est vulgari atq; recepta hominũ sententia, quoddam incertum est, & cęt. Atq; hæc lectio nobis magis probatur, quã apertè licet apud Linconiensem videre, & apud Iacobum Fabrum, si quẽ velit quispiam ex recentioribus habere. Secundam rationẽ assignat ibi Philosophus. Nemo præterea tum opinari, &c. quæ intellectu facilis est. Pro maiori eorũ quæ dicta sunt cognitione aduertendum, in singulis propositionũ generibus quendam esse ordinẽ. Vt in necessarijs quædã sunt primæ, quædã postremæ, & quædam inter has mediæ, Illæ tantum sunt præmissæ, hæ autẽ tantum conclusiones, mediæ primarum sunt conclusiones, & posteriorũ sunt pręmissæ. Similis ordo est in impossibilibus respondentibus. Est enim hæc falsa immediata, omnis substantia est quantitas, hæ autem mediatæ, oĩs substantia est magnitudo, omne animal est numerus. Sic & in contingentibus suus etiam est ordo, secundum quem quædam sunt contingentes immediatæ, & hæ in Topicorũ primo dicuntur secundum se probabiles. Vt contrariorum est idem sensus. Aliæ sunt mediatæ, quæ ex consequenti probabiles dicuntur, Vt contrariorũ est eadem scientia, de quibus ibi. Opinantur aliqui, secundum se eas probabiles esse atq; immediatas, in quibus vnũ genus generalissimũ concretim sumptum, verè de altero prædicatur. Vt substãtia est quãta, Quod an rectè dictũ sit, an secus, aliorũ esto censura. Secundò aduertendũ, duplex esse opinabile, Quoddam secundũ se atq; suã naturã, quod nihil aliud est, q̃ contingẽs verũ aut falsum, quod natũ est videri omnibus aut pluribus, &c. Atq; id, neq; necessarium potest esse, neq; impossibile. De hoc quoq; cõtingenti planè videtur textus loqui vsq; ad secundã rationem. Illi enim illud potissimũ conuenit. Tam enim opinio q̃ natura subiecta, cuius ipsa est, incertũ quiddam est. Alterum est inopinabile quo ad nos, siue in se sit opinabile, siue non. Id autẽ est de quo possumus opinionẽ habere, hoc est, (vt omnes asserunt) assensum ineuidentẽ ac formidolosum. Atq; hoc modo omnia ea quę nõ sunt per se in veritate aut falsitate omnibus nota, sunt opinabilia atq; opinata, dum iudicamus ea vera esse, atq; aliter sese habere posse. De hoc aũt appares Philosophus agere in secũda ratione, in qua

In singulis ꝓpositionũ generib⁹ reperiri ꝓpositiões immediatas & mediatas, & ꝓinde quẽdã ordinem.

Duplex est opinabile. Vnum secũdũ naturã. Alterũ quo ad nos.

in qua tacitè quod dicit refert ad scibile necessarium a nobis opinatũ, quia arbitramur ipsum posse aliter sese habere, & etiam scitum, quia a nobis sumitur tanq̃ necessarium atq; non posse aliter sese habere. Linconiensis, Albertus, alij quoq; plures, de hoc etiam contingenti, quod est necessariũ, excepto vt existimatur aliter sese habere posse, totam textus deductionẽ accipiunt. Etenim tale necessarium sic acceptum consentaneum est & simile propositionibus verè contingentibus. Verùm huic expositioni obsistit vtcunq; particula sequens, Tam enim opinio, &c. nisi referatur ad opinionem non hanc, sed in generali hanc vel aliam similem, quæ de contingenti secundum se habetur. Tertio breuissimè adnotandum, ab omnibus (quibusdam sophistis exceptis) sine vlla controuersia receptũ esse, scientiam atq; opinionẽ propriè dictam, de qua hic agitur, essentiali specie esse cognitiones discretas, pertinereq́ue ad scientiam quantulacunque sit, nihil prorsus formidinis de oppositi necessarij scibilis admittere. Omni verò opinioni ex necessitate connexã esse ipsi opinato oppositi formidinẽ nunc maiorem nunc minorẽ. Cæterùm in quo huiusmodi consistat formido, duæ sunt præcipuæ sententiæ, quas hic referimus quàm breuissimè, alibi fortassis hanc ipsam rem latius discussuri. Vna arbitratur, formidinis rationem pendêre ac sumendam esse ex hoc, quòd quis putat vnũ contradictoriorum pro eo tempore verũ esse posse, quo alterum iudicat verum, In suæ assertionis probationẽ. Qui hanc sequuntur opinionẽ, adferũt Aristotelem hoc in loco, qui diuersitatem scientiæ atq; opinionis, quæ circa eandem enunciationẽ versantur, explicat per arbitrari, vel opinari nõ posse sese aliter habere, & posse aliter sese habere. In quibus quidem verbis dictio Opinari, amplè accipienda est, pro quouis iudicio, quę acceptio primũ obtinet locũ inter illas tres, quas in hoc passu cõmemorat Robertus Linconiensis. Qui hanc tuentur sententiam, intrepidè atq; lubẽter confitentur, nullius necessarij verã posse esse opinionẽ, quippe cum in tali semper aperte deprehendatur falsum iudicium, de possibili veritate contradictoriè oppositi ipsi necessario, cuius vera opinio diceretur posse haberi. Altera autem opinio putat formidinis naturã ac rationem tantum consistere in ipsius assensus inceuidentia, qua quidem satis discreta esse videtur omnis opinio a qualibet scientia, cui omnino necessum est euidentiam esse coniunctam.

> Linconiẽsis Albertus.
> Cognitio & sciẽtia cognitionis sunt species differentes.
> In quo opinionis cõsistat formido.
> Prior opinio.
> Linconiẽsis
> Posterior.

Porrò illi ineuidentiæ, a qua sola dicitur pendêre ipsius opinionis formido, non semper adest iudicium, quo iudicetur opinari oppositũ posse esse verum, & proinde secundum hanc opinionem, necessarij poterit vera esse opinio. Quisquis enim absq; euidentia necessario assentietur, is veram de necessario formabit opinionem. Ad rationẽ autem prioris opinionis duplex est responsio. Sunt enim nonnulli, qui ex huiuscemodi ineuidentia rei opinatæ, arbitrentur oriri iudicium possibilis veritatis oppositi rei opinatæ, ob quam rem qui opinatur necessarium, virtute quadam arbitrabitur id quod nequit aliter sese habere, posse aliter sese habere. Sunt & alij, qui existimationem de possibili veritate oppositi rei opinatæ asseuerent quodam modo, negatiuo videlicet, ad dictam ineuidentiam pertinere, eò quòd ex tali ineuidentia non possit constare id de quo habetur opinio nõ possibile esse aliter sese habere. Ad hanc quoq; suã sententiã adfert Caietanus, illud q̃d posterius in secũdæ quæstionis solutione a Philosopho dicitur: Si aũt ea vera esse arbitretur, nõ tamẽ prædicata subiectis, &c. Vbi annotat Aristotelẽ negatiuè locutũ, perinde atq; si dixisset. Si autem ea vera esse arbitretur, non tamẽ arbitretur prædicata subiectis, &c. Sed, salua tanti viri eruditione ac reuerentia, hæc ratio minus recta apparet esse. Etenim cũ alijs in locis id ipsum, de quo nunc agimus, apertissimè proferat Philosophus affirmatiuè, quemadmodum licet in omnibus inspicere translationibus, non est cur propositionem mox adductam, duplicem sensum & negatiuum & affirmatiuum admittentem, solum in negatiuum pertrahat. Neq; huic nostræ sententiæ deerit Themistius, illum locum sic explicans. Dum credunt (inquit) aliter propositiones non posse, non opinio, sed scientia hæc dicitur, quia de ijs quæ per se sunt, & quæ de substantia rei prodeunt, scientia non opinio adornatur. Sin verò necessaria quidem credunt, sed quæ necessaria esse non putent, hæc opinio non scientia fuerit. Atq; cum circa easdem res subiectas (tantum arbitror) opinio & scientia versari videbitur, ita eisdem propositionibus opinio vt possibilibus, sciẽtia vt necessarijs vtitur.. Hæc nobis sat fuerit, quàm breuissimè licuit, attigisse, vt ingenioso lectori occasionem preberemus alia inquirendi. Post ea quæ declarata sunt, duas subiungit Philosophus quæstiones, ob dictorum ampliorẽ perfectioremq; cognitionem percipiendã. Prior nostro iudicio originem trahit ex priori ratione in textus initio posita. Si enim scibile necessarium sit, & contingens opinabile, qui fieri potest, vt idem vnus opinetur, & alter sciat? Nequit enim fieri (quemadmodum apparet) vt idem necessarium sit & contingens. Posterior autem, ex posteriori oritur ratione, in qua latenter concessum est, omne scibile esse opinabile.

> Prior quæstio.
> Posterior.

Quòd si sic res sese habeat, cur non item omnis scientia admittitur esse opinio? Quòd si quispiam dixerit, opinionē non esse scientiam, aut contra scientiam non esse opinionē, eò quòd in nobis adgeneretur scientia propter quid seu per causam, nō autem opinio, hoc mox excludit Philosophus dum dicit, Procedit enim & sciens & opinans, &c. quod quidē non tantū veritatem continet de propriè dicta opinione, quę eum formidine circa contingēs versatur. Verùm & ea quæ pro materia subiecta necessarium habet. Non enim de conclusione duntaxat necessaria contingit haberi opinionem, sed & de omnibus principijs vel immediatis, exceptis ijs quæ per se nota sunt, vti prius est traditum. In secūdæ dubitationis solutione (quā præponit Philosophus, eò quòd diutius sibi immorandum censebat in discussione prioris) pro ijsdem sumenda sunt, arbitrari ea quæ aliter sese habere nequeunt perinde sese habere atq; definitiones ex quibus demonstrationes conficiuntur, & arbitrari prædicata subiectis ratione substantiæ atq; formæ competere, nempe pro prædicatis necessarij scibilis, ad quod monstrandum adducitur medium demonstratiuum. quod quidem medium si sumatur tanquàm essentialis atque substantialis definitio subiecti ipsius conclusionis necessariæ, & cui prædicatum eiusdem conclusionis per se conueniat, adgenerabitur scientia. Si verò non sic sumatur, sed potius putetur medium tale non per se, sed per accidens atque contingenter vtriq; extremo coniungi, proueniet non scientia, sed opinio, aut propter quid, si principia immediata sunt, aut quia, si principia sunt mediata. Sed huiusmodi opinionis duplex acceptio satis manifesta est ex simili ipsius scientiæ duplici acceptione superius explicata. Qui igitur firmiter iudicat, hominē risibilem esse, quia cognoscit omne animal rationale necessario & per se esse risibile, & omnē hominem necessario per se atq; essentialiter esse animal rationale, illius necessarij hominem esse risibilem scientiam verè adeptus est, eamq; quæ est propter quid. Is autem qui cognoscit hominem esse risibilem, eumq; posse aliter sese habere, ex eo quòd iudicat omne animal rationale esse risibile, & omnem hominem esse animal rationale, atq; hæc posse aliter sese habere, non scientiam, sed opinionem propter quid est assecutus. necessarium itaq; à sciente tanq; necessarium sumitur. ab opinante verò, vt contingens. Et proinde per accidens & secundum diuersas rationes oppositas scibile erit opinabile, & contra opinabile scibile, quare per consequentiam in ipso, in relatiuis minimè sequetur, scibile est opinabile, ergo scientia est opinio. Nam huic argumentandi modo duntaxat locus est in per se propositionibus, non in ijs quæ sunt per accidens. Cùm autem in litera dicitur, Opinio autem & scientia, & cæt. respondet priori quæstioni dicens, quòd quemadmodum omnino eiusdem nequit esse opinio vera & falsa, sic omnino eiusdem impossibile est scientiam esse & opinionem. Porrò eiusdem omnino, id est, secundū rem & secundum rationem, nō posse esse veram & falsam opinionem (quod nonnulli asseruerunt) probat Philosophus ex inconuenientibus, quæ necessariò ex opposita parte inferantur, ad quam etiam sequitur, nullam opinionē esse falsam. Hunc enim sensum habet illa textus particula, Et non opinari ea quæ falsè opinantur. Multitudo absurditatū, quarum hic meminit Aristoteles, ex quarto Metaphysices est requirenda. Quòd autē sic dicentibus accidat non opinari ea quæ falsè opinantur, seu nullam falsam habere opinionem, patet. Nam hi cū nequeant suā defensare positionē, ex veritate & falsitate simul repertis in obiecto opinato, necesse est eos fateri, quicquid alicui apparet, id verum esse. Cùm igitur is qui falso opinatur, de re opinata iudicet quēadmodum sibi apparet, necesse erit tale iudicium, quod opinionē impræsentiarum vocamus, esse verum. Erit igitur omnis opinio vera, eò q; ipsa affectus existimat rem sese habere, quēadmodum sibi apparet, huius autē latior declaratio ex quarto Metaphysicæ est petenda. Opinatur Aristo. huius absurdi tantū hoc loco meminisse, quòd veritatis atq; falsitatis in summa cognoscēdæ pertractationē sibi peculiariter vēdicet Logica. Porrò quomodo eiusdē quodāmodo vera & falsa opinio esse possit, explicat satis apertè, ibi. Verùm cum multipliciter idem dicatur, &c. vbi diameter qui idem secundū rem existit, ratione à seipso discrepat, dum per intellectū nunc ad sui quadrati costæ esse cōmensurabile refertur, nunc ad illius oppositū aut contrarium aut cōtradictorium. De re igitur eadem, collata ad diuersa prædicata aut contraria aut cōtradictoria, ab eodem pro alio atq; alio tempore, à diuersis aūt pro eodem opinionē verā & falsam posse haberi, ex his constat. Quòd si eandem rem ad idem prædicatum retuleris, non poterit talis rei opinio vera & falsa simul haberi. Nam si prædicatum subiecto conueniat, vera erit opinio, non falsa. Sin verò non competat, falsa erit, non vera. Id autē quod diximus, tacitè subindicauit Aristoteles, dum his traditis de vera & falsa eiusdem opinione mox ibi, Pari modo eiusdem scientia, & cæt. declarat quomodo de eadem re ad idem prædicatum collata, hoc est, de eadem enunciatione, possit haberi & scientia & opinio.

Posterioris solutio.

Scibile p accidēs est opinabile.

Prioris solutio.

opinio, quæ quidem enunciatio secundum rem ipsam eadem est, secundum ratione͂ autem alia atq; alia, dum nunc accipitur tanquam necessaria, nunc aute͂ vt contingens. Porrò eiusdem rei ad diuersa prædicata cõparatæ posse esse & scientiam & opinionem, non meminit Philosophus, eò quòd id omnibus sit apertissimum. Corollarium aũt in litera, ibi illatum. Manifestum ergo est fieri non posse, & cæt. intelligitur de opinione & scientia, quæ sunt & actus & habitus, propter ineuidentiæ seu formidinis, & euidentiæ mutuam cõtrarietatem, quarum illam omni opinioni, & qui actus est & qui habitus, cõpetere necesse est, hanc autem cuilibet scientiæ. Post hæc ibi. De reliquis aute͂ habitibus, & cæt. breuissimè sese excusat Philosophus, de conferenda scientia ad alios intellectiuos habitus, qui semper circa verũ versantur. Vt autem hic locus sit manifestus, aduertendum est, intellectualium habituum quosdam iuxta versari, & circa id quod verum est, & circa id quod falsum est. tales sunt opinio & suspitio. Alios verò circa verũ duntaxat negotiari. Et horũ quosdam discursiuos esse, alios verò minimè. Is qui discursiuus est, ratio vocatur. Atq; huius quædam speculatiua est, altera practica, quemadmodum ipsius intellectus vnus speculatiuus est, alter verò practicus seu operatiuus. Non enim hoc in loco sumenda est ratio pro animæ potentia, que͂admodum accipiunt Comme͂tator & Albertus, sed (vt inquit Thomas) pro principiorũ deductione in suas conclusiones. Porrò eorum qui simplices sunt, non aute͂ discursiui, vnus circa principia versatur, quem intellectũ hic nuncupat Aristoteles, alter conclusiones considerat. Conclusionũ autem inter se magna est discrepãtia. Quædam enim rem designat necessariam, nullo prorsus modo ex humana operatione dependentem. Vt cælum esse circulo mobile, Lunã tunc defecturã: & id genus alia. Quòd si huiuscemodi cõclusionis cognitio deprehe͂datur ex principijs ac causis nõ altissimis, erit scientia: Si verò contra, ex principijs & causis altissimis in nobis fiat, dicetur sapientia. Altera conclusio rem contingentem explicat, quæ humanæ subiacet operationi, quæ si fuerit de agibilium numero, illius cognitio nomen prudentiæ sibi vendicabit. Sin verò fuerit factibilis, de ea ars habebitur. Cæterùm scientiæ atq; intellectus, item & rationis speculatiuę consideratio potissimùm attinet ad Philosophum naturalem, eosque, qui de anima traduntur, libros. Artis & prudentiæ atque proinde practicæ rationis, ad Ethicam seu moralem disciplinam. Sapientiæ verò ad Metaphysicen. In cuius primo libro ac alijs in locis, ostenditur qualis sit sapientia, quibus ex causis proficiscatur, quæ sapientis opera, & in vniuersum quę ad ipsam pertineant, & ex ea proueniant, quemadmodum ibi licet intueri. Post hæc Philosophus in textus calce, ibi. Solertia verò est, & cæt. monstrat quid sit solertia (quæ nonnunquam in demonstrationibus locum habet) reddita hac definitione. Solertia est coniectatio quædam medij in non perspecto tempore. Duplice͂ autem solent distinguere solertiam. Vnam naturalem, quã remotam nuncupant, quę subtilitas quædam est ingenij, pro inueniendo medio ad aliquã conclusione͂ monstrandam. Et hanc quæ substantialem formã insequitur collocant in secunda specie qualitatis. Altera est solertia acquisita, qui habitus est inclinans ad facilem ac velocem medij inuentione͂ ad syllogisandam enunciatione͂ propositã, ex præuijs operationibus atque exercitio partus, cuius actus est actualis medij inuentio in nõ perspecto tempore. Hoc secundo modo sumitur hic solertia, atq; sic sumpta magis cũ scientia consentit & ei vicinior est, q̃ secus accepta. Particula (quædã cõiectatio) sumitur pro habitu cõiectãdi, adipisce͂di, seu inueniendi medij. Nam cũ cõiectatio actũ potius videatur significare, particula quædã eam pertrahit ad habitũ designandũ. Porrò medium accipiendũ est pro medio syllogistico, que͂admodũ inspicere licet ex Boetiana trãslatione, & mox videbimus. Hoc aũt mediũ necesse est causam designare, aut mediã aut primã, que͂admodũ textus indicat. Non tame͂ negauerimus eum, qui medium posteriorem effectũ significans promptè assequitur, vtcunq; esse solertem, sed illum pręcipuè ac propriè solerte͂ dicimus, qui ocyssimè adipiscitur medium causam designans. Pars illa definitionis, in non perspecto tempore, valet idem quod in breuissimo ac imperceptibili te͂pore, atq; absq; magna mora. Etenim eos, qui longa te͂poris mora pro inue͂tione medij ege͂t, nõ solemus vocare solertes. Primũ textus exemplum, ad Astronomiam pertinet, estq; de re necessaria. secundũ & tertium, humanas cõplectũtur operationes. Cæterùm pars illa textus, Nam qui omnes medias causas vidit, &c͂. à diuersis diuersimodè legitur. Quidam enim legũt, cognouit & vltimã, alij cognouit & vltimas, Boetius cognouit & vltima, Argyropilus autem, extrema cognouit. ἄκρα enim, cuius accusatiuo plurali hoc in loco vtitur Græcus codex, extremum designat. Qui legunt vltimã & vltimas, id referunt ad causas. Et inter hos est D. Thomas. Solers (inquit) qui omnes medias videt causas, cognouit & vltimas, in quas fit resolutio vltima, per quas cognoscitur propter quid. Albertus aute͂ similiter vltimas legens,

Intellectiuorũ habituũ diuisio, in opinione͂, suspicione͂, ratione͂, intellectũ, scientiã, sapientiam, prude͂tiam, & artem.

Thomas.

non ad

non ad causas,sed ad extremitates id refert. Et hęc Alberti expositio eundem habet sensum, quē Boetiana & Argyropiliana translatio,sententiam Aristotelis proculdubio explicās, quā hac textus particula indicare constituerat, eum qui solers dicitur, quiq; per solertiam omnes causas perspicit,quæ mediæ sunt inter extrema enunciationis propositę monstrandæ,per eas cognoscere vnum extremorū alteri conuenire, atq; idipsum monstrat apertissimè,id quod in alijs subiungitur translationibus,inter quas in hunc modū habet Boetiana,Splendidū esse ad Solem,sit in quo a. lucere à sole, b.Luna, c. Inest igitur Lunæ quidē ipsi c, b. quod quidē est lucere à Sole,ipsi autem b,a. quod est ad hoc esse splendidum, à quo splendet,quare & ipsi c, inest a per b. Ex quibus sanè verbis colligitur hic syllogismus vnū extremum de altero per causam intermediam concludens, Quicquid à Sole illustratur,ex ea parte qua Solem spectat lucet, Luna autem à Sole illustratur,Luna igitur ex ea parte lucet, qua Solem spectat. Simili quoq; modo ex alijs exemplis licet syllogisare. Quicunq; à diuite mutuū accepit,cū diuite colloquitur seu disserit,pauper autē à diuite accipit mutuū,igitur cum diuite pauper colloquitur, de reddendo mutuo. Quicunq; eidē homini effecti sunt inimici,ipsi mutuā inter sese amicitiam inierūt,sed hi eiusdē hominis effecti sunt inimici,sunt igitur & hi sibi mutuo amici effecti. Hactenus de solertia dictū sit à nobis, quam locum habere satis constat in quauis disciplina seu scientia,arte,prudentia atq; sapientia.

FINIS PRIMI POSTERIORVM.

Quęstiones sūt ęquales numero.

IN SECVNDI POSTERIORVM ANALYTICORVM, QVI DE DEMONSTRATIVI MEDII INVENTIONE PERtractat, primum tractatum vnico capite comprehensum, inquirentem quot in disciplinis consueuère fieri quæstiones, scholia.

POsteaquam superiori libro monstratū est,quomodo construenda sit demonstratio,ex quibus & qualibus necesse sit ipsam constare,& quæ ab ipsa longius sint reijcienda,in hoc secundo determinare constituit Philosophus,de demonstrationis principijs & simplicibus & cōplexis, & qua via in huiusmodi principiorum cognitionem peruenire contingat. Principia complexa sunt dignitates, propriaq; principia vniuscuiusq; disciplinæ. Simplex autem atque incomplexum, medium est ipsius demonstrationis, ob cuius notitiam assequendam vnico capite primi tractatus huius libri, monstrat Philosophus, æqualem esse numerum eorum quæ quæruntur,& quæ inuenta sciuntur. Eadem enim inquit Themistius quærendi, & inueniendi discrimina sunt,quia quæstio omnis inuentionis gratia initur. Quatuor autē sunt quæ de re qualibet possunt hoc ordine quæri. Si est, siue an est. Quid est, Quia est, seu an res sit talis, Et propter quid res est talis, vt de Deo quæri potest,an sit,quid sit,an sit omnipotens,& quare sit omnipotens. has tamen quæstiones cōtrario ordine enumerat Aristoteles hoc modo, Quia est, Propter quid est, Si est,& Quid est, ac priore loco ponit eas quæ sunt ordine naturæ posteriores,ob id(vt suspicor)quòd magis propriè & accommodatè ad demonstrationem pertinent,de qua in præsentiarum agit,quàm aliæ. Nam hæ duæ quæstiones, Si est, & quid est, sunt eorum quæ ante conclusionē debent cognosci. de subiecto enim pręcognoscendum est,an est, & quid est. Sed reliquæ duæ quæstiones sunt eorum,quæ per demonstrationem ostenduntur. Aliter diuidit Aristoteles quæstionem in Topicis secundum quatuor prædicata,sed oīs quæstio de qua ibi agitur, continetur sub tertio membro huius diuisionis, videlicet sub quæstione,quia est. Quia nō agitur ibi de nisi cōplexis quęstionibus,quas intēdit definire per locos dialecticos ibi assignatos. Porrò inter has quatuor quæstiones ea diuersitas est, q; duæ posteriores,quas Aristoteles priore loco annumerat,videlicet quia est,& propter quid est,sunt cōpositæ ac plura complectuntur, Reliquæ verò duæ,si est,& quid est sunt simplices. Quæstio simplex est, quæ fit de re aliqua sumpta cum verbo est secundo adiacente, vt an sit Deus,vel an sit centaurus,& quid sit Deus, Nam dictio, quid, non est pars eius quod quæritur, sed signum interrogatiuum. Composita verò est, quæ fit de re sumpta cum prædicato distincto à verbo est, vt, an homo sit capax disciplinæ, & quare homo sit capax disciplinæ. hæc dicitur plura complecti, quia complectitur subiectum & prædicatum distinctum à copula, est. Illa

Quęstiones 4.de re qualibet.

Quęstio simplex.

Composita quæstio.

Illa verò dicitur non complecti plura, quia alterū horum duntaxat cōplectitur. ipsum enim verbum (est) secundum adiacens cuilibet adiunctum nihil censetur ipsi addere, Nec numerū ponit (vt ait Thomas) sed relinquit quæstionē simplicem. Post hæc ostendit Aristoteles, omnes quatuor dictas quæstiones esse medij, non tamen eodē modo, quia hę duæ, quia est, & si est, generaliter quærunt an sit aliquod mediū. Aliæ verò duæ, videlicet propter quid est, & quid est, determinatè quid sit illud medium quærunt. Et rursus illæ duæ quæstiones nō ex interrogādi forma, sed ex consequēti tantū quærūt, an sit aliquod medium, vt cū quæro, an Sol eclypsetur, vel an homo sit, ex forma quæstionis non quæro an sit aliquod medium quo id possit ostendi, sed ex consequēti duntaxat, quia si sol eclypsim patiatur, vel homo sit, tunc consequēs est aliquid esse mediū, quo id ostendi queat, verùm hæ duæ quęstiones propter quid est, & quid est, ex ipsa quæstionis forma, quid sit ipsum medium, quærunt. At obijcies contra priorem partē, Si homo sit animal rationale, nō est consequēs aliquod esse medium, quo id possit ostendi, Quia primò vera ostendi nequeunt, maximè si sint omnibus manifesta: ergo si quis interroget, an homo sit animal rationale, non rogat ex consequenti, an huius sit aliquod medium.

Oēs quattuor quæstiones sunt ipsius medij, sed non eodem modo.

Obiectio.

Responsio est. de primò veris ac manifestis nulla debet fieri quęstio, quia hæc ostensione nō indigēt, Omnis aūt quęstio, de qua hic agitur, inuētionis ac ostensionis gratia initur, sicut supra ex Themistio dictū est, & ideo eo ipso quo de re quapiam quæritur, An est simpliciter, vel an aliqua proprietas ei cōpetat, necesse est etiā ex consequenti quæri, an aliquod sit medium quo id ostēdi queat: Si igitur de problemate dialectico quæstio fiat, tunc ex consequēti quæritur, An sit aliquod mediū probabile, quo id possit ostēdi. Si verò de propositione demonstrabili, tunc etiā ex consequēti quæritur, vtrū sit aliquod verū medium, quod sit definitio & causa, &c. Cæterùm quod inter exēpla de trianguli æqualitate vel inæqualitate dicitur, ad alias referendum est figuras. An videlicet illis æqualis sit, an inæqualis: Primi libri Elementorū Euclidis propositione quadragesima prima traditur. Si parallelogrāmum triangulusq́; in eadem basi atq; in eisdem alternis lineis fuerint constituta, parallelogrāmum triangulo duplum esse conueniet, & proinde illi inæqualis erit. Et 14. 2. asseritur Dato trigono, æquum quadratū posse describi, quorū demonstrationes breuitatis causa prętermittimus, adhibita duntaxat in margine figura, qua vtuntur in demonstrādo geometræ. In qua quidē satis palàm est, triangulum a b d, & a c d, subduplum esse ad quadratū a b c d, & eidē quadrato æqualem esse triangulum a d c. Quod de consonātia dicitur, ex musicis est petendum. Porrò ex illo Philosophi dicto, Nam interrogāti quid est Lunæ defectio: respondetur, priuatio luminis Lunæ ob interpositionem terræ, & cæt. oritur illa admodum insignis quæstio, à cōpluribus viris illustribus variè agitata. An demonstrationis potissimum medium, sit subiecti finitio, an passionis, an vtriusq;. Cui respondet beatus Thomas, hoc loco, quòd propria passio quidem per suam definitionem possit ostendi de suo subiecto, sed ipsa definitio passionis rursus potest, de eodem ostendi per definitionē subiecti. Nam quemadmodum definitio subiecti continet causam proprię passionis, sic etiam continet causam definitionis eius.

Responsio.

Euclides.



Thomas.

In secundi tractatus primum caput, ostendens non omnino eiusdem esse definitionem ac demonstrationem, adnotatio.

Quō autē quod quid est demonstratur.

PRopositis superiori tractatu scibilibus quæstionibus, indiscussoque quo pacto in tertiæ quæstionis cognitionem perueniamus (Nam de quæstionibus quia est & propter quid, in priori sufficienter actum est libro: continenter in hoc tractatu ostendit, quo pacto ipsum quod quid est, nobis non sit manifestum, quibusdam propositis dubitationibus. In huius autem primi capitis exordio, monstraturus non omnino eiusdem esse definitionē & demonstrationem explicat super quibus pertractare instituit, vbi per introductionis modum intelliges modum dinoscendi ipsum quod quid est, qui alius est à demonstratione, vti posterius dicetur.

Post hæc mora dubitatione in litera, ibi. Dubitauerit itaq; quispiam, & cæt. allatis quinque rationibus, (quę siue efficaces sint siue non, non magni refert. Nam in initio proximi tractatus dicit Philosophus. Rursus considerandum est quid horum rectè, & quid non rectè dictum sit) ostendit nō omnino idem quod scitur per demonstrationē, sciri per definitionē, seu non omne demonstrabile esse definibile. Qui autumant adductas ab Aristotele rationes validas esse, accipiunt demonstrabile pro demonstrabili (vt loquuntur) proximo, quod nihil aliud est, q̄ integra conclusio monstranda, cuius palàm est non esse definitionem. Cæterùm in prima ratione quidditas cuius est, & quā explicat definitio, dicitur esse vniuersalis atq; prædicatiua, quemadmodum habet Boetij translatio, & affirmatiua quodāmodo virtute, eo q̄ suo definito iuncta, constituat prædicationem affirmatiuam & vniuersalem. Et proinde hic locus non pugnat

Non oē demōstrabile est scibile.

cum eo, quo superiori libro dictũ est, terminos seu definitiones non esse enunciationes. Porrò tertia ratio ex hoc robur accipit, ꝙ definitio alicuius per se queat haberi, nõ habita demonstratione. Nam & si illa dicatur demõstrationis principiũ, non tamẽ ob id perpetuo actu demonstrationẽ ingreditur ac cõstituit. At in quarta ratione nõ meminit Philosophus eorũ, quæ per accidens insunt, quòd ea demonstrarẽtur inesse (Nam id non posse fieri, in superiori libro est ostensum) sed potius ad insinuãdum, quòd nõ queat etiam esse definitio eius quod colligitur, quopiam alio à demõstratione syllogismo, quia ea quæ per accidens insunt, pro maiori extremitate assumat. Cęterùm in quinta ratione per substãtiam intelligit Diuus Thomas id quod re vera existit substantia, & accidens rationem substantiæ induẽs, hoc est, abstractum designatum, de qua quidem re alibi a nobis superius dictum est. Insuper neq; etiam accidentiũ cõcretim designatorũ finitiones traduntur de ipsis, quatenus insunt, ita vt plenè perfecteq; explicẽt illa inesse, perinde atq; si in ea re potissimũ versarentur, vt cum dicimus album esse coloratum visus disgregatiuum. Post hæc in litera, ibi. At nec econtrario, omnis cuius definitio est, &c̃. duabus ostendit rationibus, non omne definibile esse demonstrabile. In quarũ priori, quam asserit esse eandem cum tertia prius assignata, illud Vnius tantum inquãtum vnum, tantum est vna scientia) accipi debet (si veritatem cõplecti dicatur) de ea scientia quam res scibilis ex sese procreare nata est. Nam nostri comparatione, eiusdem rei plures sunt scientiæ, eò quòd penes nos varij sint rerum cognoscendarum modi. Postremò in litera, ibi. At neq; alicuius eiusdem, & cæt. monstrat Philosophus, nullius eiusdem esse demonstrationem, & definitionẽ, seu nullum idem esse definibile & demonstrabile, quatuor rationibus, quæ cum ex se intellectu sint faciles, nostra non egent expositione. Ex præsenti itaq; capite colligere licet. Nullum demonstrabile esse definibile, & contra, nullum definibile esse demonstrabile: Nullam quoq; definitionem, quatenus est eiusmodi, esse demonstrabilem.

Thomas.

Non oẽ definibile est demõstrabile.

Nullũ idem est definibile & demõstrabile.

Nũc in uestigemus oportet.

In secundum caput, quo ostenditur, quòd quid non posse monstrari de eo cuius est, per syllogismum duplantem, scholia.

IN exordio huius literæ (in qua monstrat Philosophus, definitionẽ seu definitionis significatum, in quantũ est huiusmodi, non posse ostendi conuenire suo definito, siue sumatur syllogismus duplans, siue non) quatuor supponitur à Philosopho pro conficiendo duplante syllogismo. Syllogismum, huiusmodi particulam (in eo quod quid) in propositionibus bis resumentem, semel ad maius extremum, & semel ad medium, duplantem syllogismum teste Iacobo Fabro appellat Hermolaus. Verùm propriè syllogismus non est, nec principia syllogismorum tenens. Porrò eorum suppositorum primum est. Omnem syllogismum ostendere extremitatum vnã de altera per medium aliquod, quemadmodum in Prioribus Analyticis monstratum est. Secundum est, definitionem propriam esse, recurrereq; ac conuerti cum definito, & de eo in quid prædicari. Tertium. Si huiusmodi conuertibilium vnum alteri vniuersaliter inesse syllogismo monstretur, huius syllogismi medium conuerti cum illis, & contra illa cum medio. Alioqui si medium maiore extremitate maius fuerit, maior propositio, & si minus minori extremo, minor propositio falsitatem inuoluet, vt palàm est, si inter triangulum & habere tres angulos duobus rectis æquos, assumantur figura & æquilaterum.

Hypothesis literæ.
Prima.
Secunda.
Tertia.

Quarta.

Quartum est. Si maius extremum in quid de medio prædicetur: Item & medium in quid de minore extremitate, maiorem extremitatem de minore similiter in quid prædicari. Quicquid enim finitionis finitio est, id & definiti est finitio. In litera per a licet accipere animalis definitionẽ, quæ est corpus animatum sensibile. per b, ipsum animal. & per c, hominẽ cuius definitio non est corpus animatum sensibile, licet id animal definiat. His itaq; suppositis ostendit Philosophus vna ratione in litera, ibi. Si igitur cum adiunctione hac, vt quid est, &c̃. in duplãte syllogismo admitti principij petitionẽ, eò ꝙ minor æquè ignota sit vt cõclusio, Esto hic duplans syllogismus, omne animal rationale est animal gressibile bipes in eo quod quid est, & omnis homo est animal rationale in eo quod quid est, ergo omnis homo est animal gressibile bipes in eo quod quid est. In huius syllogismi minore, assumitur de homine aliquid prædicari velut definitio, quod monstrandum fuerat. Porrò alterum literæ exemplum, desumptũ est ex duabus animæ definitionibus à Platone traditis. Is enim describebat animam esse numerum se mouentẽ, & esse id quod est causa sibi viuendi. Quę in litera sequuntur, haud difficile ex dictis queunt percipi. Cæterùm in dubiũ reuocari posset, An in eiusmodi syllogismo, explicitè adhibenda sit ea particula in eo quod quid est, quẽadmodũ post Albertũ Egidiumq; fecimus, An subticenda sit, mẽte tamen ac cogitatione iungenda, secundũ quẽ modum exemplum explicãt Themistius & Diuus Thomas. Item & quo pacto iuxta horum expositionem,

recipias

recipiat duplans syllogismus principij petitionem. Quam quidem rem, hoc in loco apud Caietanum fusius tractatam videre lectori licebit. Insuper annotant nonnulli, duplantem syllogismum neque propriè esse syllogismum, neq; regulari per syllogismorum principia, quòd in minore propositione pro medio amplius sumatur, quàm in maiore fuerat distributum. Verùm huic vitio fortallis videbitur medicina adhibita, si maioris subiectum cum eadem sumatur particula, ad hunc modum, Quicquid est numerus se mouens in eo quod quid est, sibi est causa viuendi in eo quod quid est. Sed de his hactenus, hoc vnico addito, quòd dicto modo topicè ostendi valeat definitio suo definito competere, vt animal rationale essentialiter quiditatiuè & conuersim de homine prædicatur, igitur homo est animal rationale in eo quod quid est, qua de re in Topicorum sexto libro consyderatur.

In caput tertium, docens non posse ostendi aliquid esse definitionem per diuidentem syllogismum, Scholia.

At verò neq; diuisionis via.

HVius capitis summa hac vnica conclusione tribus rationibus comprobata comprehenditur, Nequit fieri, vt diuisionis via quod quid est syllogisetur. Per diuisionem aũt tria possumus intelligere. Primò enim hoc nomine valemus accipere diuidentem syllogismum, hoc est, eum qui ex medio cõmuniori de aliquo sub se sumpto colligit eiusdem medij diuidentia membra disiunctim sumpta eidem subsumpto conuenire. Cuiusmodi est hic, Omne animal est rationale vel irrationale, & omnis homo est animal, est igitur omnis homo rationalis vel irrationalis. Atq; hunc syllogismum dicũt purè esse diuisiuum, de quo egit Philosophus in Prioribus analyticis primi libri tractatus quarti secundo capite, dum asserebat, syllogismum diuidentẽ esse inutilem ad syllogisandum quod quid est, hoc est, hanc conclusionem, cuius prædicatum est finitionis subiectæ pars, omnem hominẽ esse rationalem, eò quòd medium animal, Item & maior extremitas rationale vel irrationale cõmuniora sint maiore extremitate potissimùm intenta, nempe rationali. Quamobrem, si re vera syllogistica cõstitueretur ratiocinatio, ex falsa maiori progredi contingeret ad veram conclusionẽ. Quòd si ex illis præmissis quis voler colligere, omnem hominẽ esse rationalem, efficiet syllogismũ prorsus infirmum & inefficacem. Sin aũt accipiatur ille prior syllogismus, ad definiendum erit inutilis, cùm ex æquo assumantur concludanturq; dissidentes differentiæ disiunctim nihilosecius acceptæ, eidem conuenire, quas impossibile est in alicuius eiusdem contineri definitione. Verùm de hac re eo in loco, ad quem in initio literæ remittit Philosophus, abundè actum est.

Literæ conclusio.

Quid diuisionis nomine intelligendũ veniat.

Primò.

Secundò sumitur diuisio pro iam dicto syllogismo vnà cum eo processu, quo ex vnius differentiæ de aliquo negatione, aut plurium, ad alterius affirmationẽ de eodem progredimur, iuxta illam inter neotericos vulgatam maximam, A tota disiunctiua, ab vnius partis negatione destructioneq;, ad alterius assertionẽ efficax est argumentandi modus. In hac significatione superior syllogismus existit diuisio, hac adiecta argmentatione, Homo est rationalis vel ipse est irrationalis, at non est irrationalis, est igitur homo rationalis. Cæterùm in hoc processu ac ratiocinatione non est consequẽtiæ necessitas, nisi recenseantur omnes generis diuisi differentiæ, cunctæq; remoueantur ab eo quod sub medio subsumptum est, vnica ea excepta, quæ colligẽda est eidem subsumpto competere. Amplius, eo quod diximus obseruato, cõmittitur principij petitio. Nam eiusmodi ratiocinationis antecedens, cõsequenti æquè ignotum est, aut eo ignotius. Imò causa ex effectu colligitur. Neq; enim quia homo non est irrationalis, ipse est rationalis. Alioqui & plantæ, & quæcunq; non sunt irrationalia, rationalia forẽt. sed cõtrà, idcirco homo nõ est irrationalis, quia ipse sit rationalis. Tertiò, per diuisionẽ intelligere possumus discursum quẽdam ferè duobus superioribus respondentẽ, quem quidam appellant syllogismum secundum formam diuisiuum, qui ad hunc constituitur modum. Animalium aliud est rationale, aliud irrationale, At homo est animal, & non irrationale, est igitur homo rationalis. Verùm hæc ratiocinatio eisdem defectibus est obnoxia, quibus & superiores, quippe cùm ad eas sit reuocanda reducendaq;. Nam & si Philosophus nudam proponat diuisionẽ, de ea nihilominus loqui venit intelligendus, tanquam ad syllogismũ, aut ad argumentationẽ quandam redacta. Porrò ex iis quæ diximus licebit peripicere, quam ob causam diuisiuus syllogismus sit inductioni similis, cuius rei meminit Philosophus in prima conclusionis approbatione. Etenim quemadmodum imperfecta inductio, non efficaciter colligit vniuersalem conclusionẽ, nisi confiteatur respondens, simile ferendum esse iudicium: sic neq; diuisio syllogismusq; diuisiuus, nisi fateamur omnia diuidentia membra esse enumerata. Demonstrator aũt non pendet ex alicuius cõcessione per respondentẽ gratis admittenda, sed ex rebus ipsis ac argumentandi forma, Insuper quemadmodum in perfecta inductione efficaci-

Secundò.

Tertiò.

ter colligente, petitioni principij locus est, ita & in secunda argumentatione, vel omnibus membris diuidentibus recensitis, accidit eius, quod in principio est, petitio. Et forsitan primi processus maior haud notior est conclusione. Insuper quibusdam apparet, ostensionem, quæ per diuisionem contingit, ideo inductioni similem dici, eò quòd inducere videamur per singulas differentias, donec vltimam cōperiamus, quæ aliis iuncta totum reddat proprium atque recurrens cum eo cuius differētiæ quæruntur. Cæterùm illius particulæ in litera ibi assignatæ, Non enim interrogare demonstrantem conclusionem oportet, &c. hæc est sententia, Is qui demonstrat, non interrogat eam conclusionem, quam demonstrare constituit, & si ipsam interrogaret, non idcirco apud eum vera esset, quòd ab interrogato vera admitteretur. sed ideo penes illum vera foret, quoniam ex necessitate syllogismo colligeretur ex præmissis veris, etiamsi interrogatus cōclusioni interrogatæ neque assensum præbeat, neque dissensum. Cùm itaque in diuisiuo syllogismo prius assignato, ex necessitate duntaxat sequatur, omnem hominē esse rationalem vel irrationalem, etiam si nulla cōcedatur esse principij petitio, non aūt hominem esse rationalē, sed id ipsum aut planè gratisque ab interrogato detur, aut solùm sequatur ex cōcessione eius quod est hominē non esse irrationalem, ad quod cōfitendum nulla syllogisticæ argumentationis vi adactus est rogatus. palàm est, syllogismo diuisiuo non posse monstrari, quod quid est de eo cuius est. Quæ sequuntur in litera satis sunt aperta. Porrò obiectio atque ipsius dilutio diligenter sunt annotandæ, veluti explicantes quendam inuestigandæ definitionis facilem modum. De qua etiam re posterius nonnihil tradit Philosophus.

Sed fieri non potest, vt demōstretur, &c.

In quartum caput, ostendens quod quid est non monstrari definitione definitionis, neque contrarij definitione, Scholia.

HVius capitis intelligentia aliquot potest explicari & comprehēdi conclusionibus, quarum prima in literæ exordio est hæc, Non potest quod quid est, seu definitio monstrari de aliquo per finitionis hanc vel alia æquipollentem definitionem, oratio propria seu conuertibilis, ex iis constans quæ in eo quod quid est prædicantur, hoc est, genere & differentia. Quæ duabus rationibus approbatur, in quarum priori subindicat, in eiusmodi syllogismo principij petitioni locum esse. Nam in hac maiore, omnis oratio propria constans ex iis quæ in eo quod quid est prædicantur de aliquo, est definitio illius, assumitur definitio cum suo definito, junguntur que simul definitio & suum definitum, quod erat probandum. Cæterùm Themistius idipsum refert ad minorem hanc, animal gressibile bipes, est oratio propria constans ex iis quæ in eo quod quid est de homine prædicantur, ex qua illi maiori iuncta colligitur, animal gressibile bipes esse hominis definitionē. Nunquid (inquit) forma hæc probanda Philosopho est? Sed deridicula videtur, & quidē amplius quàm superiores, quia peccat idem quod illæ, sed apertius euidentiusque. Fingit enim fortiter ac præsumit quod est probandum. Nam dicere complexum hoc animal bipes gressile, rerum esse quæ priuatim attingunt essentiam hominis, nihil aliud est, quàm constituere eam esse definitionē hominis. Igitur in propositionibus his, conclusio non vi aut potentia, (Nam hoc rectum esset) sed actu posita collocata que est, hæc ille. Cuius expositionē amplectitur Albertus. Superiorē verò post Linconiensem sequitur D. Thomas.

Prima literæ cōclusio.

Secunda.

At secunda ratio ibi reddita, Præterea sicut syllogismi ratio, &c. insinuat & syllogismi & definitionis quasdam esse regulas, secundum quas constituendi sunt syllogismi & finitiones, iudicandumque rectè an secus syllogisatū sit atque definitū. In eadem quoque ratione per Totum intellige maiorē, & per Partem minorem propositionē, quòd illa ex cōmuniori, hæc aūt ex strictiori constituatur subiecto. Secunda ibi collocata, At neque ex suppositione ostendi potest, &c. est. Ex suppositione siue hypothetico syllogismo conditionali, nequit definitio de suo definito ostendi ex contrarij definitione, hoc modo, Contrariorū contrariæ sunt finitiones, igitur si definitio mali secundum Platonis placitū sit diuisibile, finitio boni erit indiuisibile atque vnum, At illa mali est finitio, erit igitur boni definitio esse indiuisibile. Nam hic, quemadmodum in priori ratione literæ dicitur, assumitur, vnam finitionem suo subiecto conuenire. Et proinde petitionē principij ille syllogismus inuolutā habet. Deinde ex æquo contrà sequitur, Si boni definitio est indiuisibile, mali finitio erit diuisibile, &c. Contraria enim (inquit Themistius) ea quæ diuersa dicuntur, vt bonum, malum, celeritas, tarditas, tantundem euidentiæ ignorationisque habēt. Porrò in secunda eiusdem conclusionis ratione, ibi assignata, At nec diuisione nec definitionis syllogismo, &c. indicat Philosophus, eum modum qui vulis foret ad monstrandum quod quid est, oportere eiusmodi esse, vt per ipsum contingat sciri, definitionē esse quid vnum, ipsiusque partes aliquid vnum efficere. Nam definitionis partes quatenus tales, vnius rei essentiam integrāt. Sed ad id dinoscendum, neque idonea est ea via

quæ

quæ per diuisionem procedit, neque ea quæ vtitur definitionis contrarij syllogismo. Nam & diuisionis via accidit nonnunquam diuersa accipi accidentia, quæ re vera vnum non efficiunt, sicut & syllogismo illo hypothetico. Vt si ignis elementum sit calidissimum atque leuissimum, terra erit elementũ frigidissimum ac grauissimum, &c. Sed de his hactenus. Tertia conclusio in litera assignata ibi, Sed cùm hęc ita sint, &c. veluti omnium prius dictorũ epilogus, est hęc, Quemadmodum quod quid est, nequit de eo cuius est monstrari iis modis qui suprà recẽsiti sunt, sic neq; inductione, neq; sensu, neq; digito, hoc est, digitali demõstratione, qua subinde vtuntur vulgares, ad exterioris sensus indicium significãdum, neq; alio quopiam modo. Huius cõclusionis prima ratio ibi ponitur, Cùm hęc singularium sit, quorũ non est demonstratio. Secunda aũt ibi, Amplius necesse est) cuius sententia est hęc, Et si quid nomen significet contingat quem scire, non cognoscendo an res nomine eo designata sit. nequit tamen fieri, vt quid sit res sciatur, nisi simul cognoscatur rem esse, sed rem esse non potest monstrari, igitur neq; quid sit ipsa res. Hæc autẽ ratio intelligenda venit de eodem demonstrandi modo, nempe categorico. Nam superius monstrauimus ex Alberto ac aliis cõmentatoribus, monstrari rem esse syllogismo hypothetico, qui conditionalis nuncupatur. Item & sequens ratio apertè testatur, esse, posse de aliquo ostendi. Eadem quoq; limitatio facilè ex ea parte literæ deprehenditur. Quia vnus modus sciendi, tantùm vnius est scibilis. Aliud aũt est scire hominem esse, & quid sit homo. Cæterùm huius rationis occasione poterit diligentior lector ambigere, pari ratione non posse propter quid de aliquo demonstrari, si ipsum quod quid est, de eodem non contingat ostendere. Pari enim modo sese habere apparet propter quid est ad quod quid est, quo quid est, ad an est. At huic scrupulo facilè satis erit factum, si in memoriam, id quod prius admonuimus, reuocauerit lector, nempe non omnes rationes Aristotelis hoc in tractatu allatas, efficaces esse, eò q; omnes ad veritatis inquisitionem, non aũt omnimodam assertionem, sint destinatæ, quanquam non ignoremus & aliam valere adluberi dilutionem, quam ex sequentibus absq; magno labore poterit lector deprehendere. Tertia ratio ibi collocatur in litera, Præterea quoduis necessariò, &c. Cuius sensum hunc reddimus (Variant enim autores circa ipsius expositionẽ) Quicquid simplex est, & ad demonstrationẽ attinet, sentẽtia maiorum ostenditur esse, nisi sit substantia, hoc est, definitio, vel definitionis pars. At esse, siue ipsum ens, non est de essentia illius cui competit. Nam cùm quicquid de substantia alicuius est, necesse est illius aut genus aut differẽtiam esse, Palàm quoq; fit, ens non esse alicuius differentiam, oporteret ipsum eius quod est genus esse, cuius oppositum probatur tertio Metaphysices. Versabitur igitur demonstratio circa quod est solum, & non circa quid est. Id quod obseruant ipsæ particulares disciplinæ. Nam Geometria quid significet triangulus supponit, dum dicit, triangulum figuram esse tribus lineis rectis comprehensam, id quod definitio quidem nominis est, anteaquàm ostensum fuerit triangulum esse. Deinde ostendit Geometra, triangulum esse, prima propositione primi Elementorũ, explicans quandam lineæ rectę passionem, dum asserit, super datam rectam lineam triangulum æquilaterum collocari. Quo monstrato, ea definitio quæ prius duntaxat quid nominis erat, quid rei definitionis rationem suscipit. Neq; vsquam monstrat Geometra, eam definitionẽ suo competere definito. Porrò quarta ratio in litera ibi assignata, At verò si definitione trianguli, &c. In Boetiana versione ad hunc legitur modum, Quid igitur monstrabit definiens, quid est triangulus? Sciens itaq; aliquis definitione quid est, si est non sciet, sed impossibile. Cuius quidem rationis hunc reddunt sensum, Quemadmodum se habet definitio nuda atq; simplex ad quòd est, sic se habet demonstratio ad quid est. At per quid est seu definitionem simpliciter sumptam, non scitur q; est, igitur neq; ipsius quid est, est demonstratio. Qui quidem sensus, an consonus sit intentioni Aristotelis, nec ne, aliorũ esto censura. Cæterùm in litera ibi, Manifestum etiam erit, &c. Id quod in superiori ratione suppositũ fuerit, nempe definitionem non ostendere esse, probat reddita circuli definitione, qua cognita, definiens nescire potest an circulus sit, an circulo conueniat, an Aemo monti, qui Græcis dicitur ὀρείχαλκος, quem palàm est non posse esse. Vltima conclusio ad pleniorem superiorum intelligẽtiam assequendam, subnectitur ibi, Si igitur definitionis assignans, &c. quæ est, Definitio non ostendit quid nomen significat. Cuius probatio est, Nam si in eo ipso consisteret definitionis natura, consequeretur in primis, accidentium esse definitiones, id quod pernegat Aristoteles Metaphysices libro septimo. Item & non entium, vt tragœlaphi seu hircocerui, qui vt sit fieri nequit. Insuper accideret, omnes orationes definitiones esse, vt Ilias, de qua Themistius, Cùm (inquimus) dico Iliada, non ipsum nomen intelligo, sed subiectam nomini poesim. At tertium in litera illatũ absurdum palàm est ei,

Tertia literæ cõclusio.

Obiectio.

Dissolutio.

Quarta cõclusio.

est ei, qui nouit perpendicq; nomina secundum placitum significare, Demonstrationes verò esse non ex iis, qui in hominum arbitratu sunt constituta. Cæterùm ex his facilè fuerit deprehendere, quidnam discriminis sit inter definitionem quid nominis, & quid rei, de qua quidem re alibi à nobis est dictum. Et proinde eam non instituimus fusius explicare.

Rursus cõsiderãdũ est quid horum rectè.

In tertij tractatus, ostendentis quidnam veritatis habeant, quæ superiori tractatu dicta sunt, caput primum, docens vnum quod quid est per aliud, quod quid est, posse demonstrari, scholia.

QVoniam superiori tractatu de eo quod quid est disputandi gratia potius quàm decernendi sententia (vti habet Themistius) disseruit Philosophus, in præsenti tractatu ostendit declaratq; quo pacto ea quæ prius allata sunt, veritatem atq; fallitatem contineant. Atq; in primo eiusdem capite determinat id de quo potissimum prius est dubitatũ, hac vnica conclusione. Vnum quod quid est per alterum quod quid est valere monstrari, quæ intelligenda venit, quemadmodum insinuat huius capitis ea particula postrema. Hic tamẽ modus non est demonstratio, &c. Verùm conclusionis propositę ac monstrandę ob contractionẽ nimiam Aristotelicam sententiam non reddunt translationũ nonnullę, quarum ea est quę in hunc habet modum, Cuius ratio quidem est, quia ipsius quod res est, aliqua est causa, & hæc si sit alia, & ipsius quod quid est causa, poterit per ipsum monstrari in prima figura. Nam sic habet Boetiana versio, quæ & si priori non repugnet, nonnihil tamen commonstrat, quod in illa subticetur. Ratio autem (inquit ex Aristotele Boetius) huius est (eius videlicet quod quid est monstrandi) quoniam est aliqua causa. Et hæc aut eadem aut alia est, Et si vtique alia est, aut demonstrabilis est, aut indemonstrabilis. Si igitur est alia, & contingit demonstrari, necesse est mediam causam esse, & in figura prima monstrari. Est itaque Aristotelis sententia hæc, Eius quod est rem esse, aliqua est causa, quemadmodum dictum est in huius libri primo capite. Hæc aũt causa aut eadem est ipsi quod quid est, aut ab eo discreta. Si eadem fuerit, non poterit proculdubio per eam quod quid est monstrari. Alioqui idem perseipsum monstraretur, Sin verò alia fuerit, causa videlicet efficiens aut finalis, hæc bifariàm sese habere poterit. Nam quædam est, quæ accommoda existit demonstrationi, & per quam constitui queat demonstratio. (Nam apud Philosophum ea causa non ideo pronunciatur demonstrabilis, quòd valeat demonstrari, sed quòd idonea sit velut medium conficiendæ demonstrationi (At alia quoq; est, quæ non est accõmoda ad demonstrationem construendam propter quid, qua de sola hic consyderatur, quemadmodum citra magnum laborem poterit lector deprehendere ex iis, quæ à nobis, imò ipso Aristotele, in superiori libro tradita sunt de demonstrationibus propter quid est, & quia est. Poterit igitur quod quid est, per causam propriam, adæquatam, ac immediatam, efficientẽ vel finalem demonstrari de eo cuius est quod quid est.

Cæterùm cùm ex quolibet causarũ genere depromatur finiendi modus, quemadmodum superius est à nobis explicatũ, harum diuersarũ definitionum ordo solet assignari ex Aristotele in secundo de Auscultatione Physica libro, quem eo in loco explicuimus, & hic ne fortassis lectoris memoria exciderit, repetimus quàm breuissimè. Harum itaq; definitionũ, ea quę duntaxat materiam cõplectitur, ex iis demonstrari vel propter quid valet per omnes reliquas, hoc est, quę continent causas, formalem, efficientem, & finalem. Insuper demonstrare licet definitionẽ ex formali causa desumptã, ex iis finitionibus quæ causas extrinsecas accipiunt. Deinde ea quæ efficientem accipit causam, per eam monstratur, quæ finalem complectitur. Est enim omnium Pilosophorum testimonio, finalis omnium causarum præcipua atq; potissima. Cæterùm in calce literæ subnectitur, quòd huiusmodi demonstratio non est demonstratio quid est, de eo cuius est, in eo quod quid est, sed est syllogismus logicus, quemadmodũ habet Boetiana versio, ob id quòd simpliciter, quod quid est de eo cuius est mõstratur, vel sine principij petitione, vti testatur D. Thomas. Porrò quid super his quæ dicta sunt senserint neoterici, & ante hos Albertus Alpharabium adferens, seu commentum Arabicum, quod Alpharabio adscribunt, in præsentiarum non statuimus explicare.

Quõ autẽ quid est, &c.

In eiusdem tractatus secundum caput, quod apertius exponit, id quod superiori capite traditum est, scholia.

Literæ confio.

Nequit fieri, vt sciatur quid sit res, ignorato quod sit.

PRæsenti capite ostensurus Aristoteles, quo pacto eliciatur, ac innotescat ex demonstratione quod quid est, in initio proponit, non posse vllo fieri modo, vt quid sit aliquid cognoscatur, non cognito quòd idem sit, sumpta ratione ex quia est, & propter quid est, ad se mutuò comparatis. Illud autem accipies de eo quod quid rei est existis. Nam sciri potest, quid nominis alicuius: ignorato, an res significata sit, quemadmodum contingit quia est cognoscere nescientem propter quid est. At contra non euenit, nescientem quia est scire forma-

formaliter propter quid, hoc est, causam inquantum causa est, atq; ad effectum applicatur. Etenim superius testatus est Aristoteles, geometram scire, propter quid secundum materiam vulnera circularia tardius curantur, & eundem ignorare an ita sit. At de propter quid hoc pacto accepto, in præsentiarū non loquitur Philosophus. Verùm quoniam aliquando contingit sciri quia est, & ignorari propter quid, & nonnunq; simul vtrumq; cognosci, quod Menippo contingeret, si supra Lunam eclypsim patientem existeret, & quiddam simile accidit ipsis si est, & quid est, ideo in litera ibi, Ipsum aūt si est interdum cognoscimus, &c. monstrat si est per duplex medium posse cognosci ac sciri, nempe accidentale & essentiale, vt habet literę marginalis annotatiuncula. Sciens si est per essentiale medium, vt sciens tonitruum esse, & eclypsim existere, quia nubium sonus quidam est, & priuatio solaris luminis in Luna est, simul vtrumq; & quid est, & si est cognoscit. (Non sunt aūt hæ definitiones completæ ac omnibus numeris absolutæ, sed vt eiusmodi supponantur) Quòd si quis idipsum cognoscat per medium accidentale, is si est sciet, ignorato, quid est. Hoc autē bifariam intelligi valet. Priori modo, dum in eo medio quod secundum accidens est, & extraneum sistimus, non pregredientes ad ipsum si est secundum se acceptum, quem sensum complectitur Caietanus. Altero modo dum ex huiusmodi extranei existentia deuenimus expressè in cognitionē eius quod res sit, vt cognoscens duntaxat, Lunam plenam vmbram facere non posse, nullo corpore medio existente, priori modo cognoscit eclypsim esse. Qui verò ob id simul expressè cognoscit eclypsim esse, secundo modo per accidens cognoscit eclypsim esse. Atq; de hoc posteriori modo, salua Caietani reuerentia, intelligēda veniunt quæ ab Aristotele hoc in loco traduntur. Proponit enim secundùm omnium sententiam, vtriusq; medij exemplum, in secundo ostendens eclypsim esse, q; Luna nequeat plenam vmbram facere nullo corpore medio existente, non solùm proponendo hunc effectum esse. Neq; huic rei quicq; obstitit, quod pro se ex litera adducit Caietanus, nempe illud, Neq; enim sic, quia est, verè scimus. Id enim veritatem habet, quia nesciamus rem esse eo modo, quo perfectius sciri potest esse, nempe per quod quid est, & causam, vbi prius ad illius probationē duntaxat afferebatur effectus. Hunc quoq; duplicē sciendi modum (nisi fallamur) subindicat ea literæ pars, Quando aūt habemus, quia est, facilius quid est cognoscere, &c. Porrò literę exempla, si ad quia est, & propter quid referantur, ad hos reuocanda erunt syllogismos demonstratiuos. Omne corpus à Sole lumen recipiens, inter quod & Solem terra interiacet, deficit, At Luna corpus est è Sole lumen recipiens, inter quod & Solem terra intercipitur, deficit igitur Luna. Omne corpus à Sole illuminatum in plenilunio vmbram non porrigens, nullo corpore existente medio, deficit, sed Luna corpus est à Sole illustratum, in plenilunio non porrigens vmbram nullo corpore, &c. igitur Luna deficit. Quòd si eadem si est & quid est tribuere velimus, in hunc modum reducentur ad hypotheticos syllogismos. Si terræ interpositio inter Solem & Lunam est, eclypsis Lunæ est, sed terræ interiectus inter Solem & Lunam est, igitur Lunaris eclypsis est. Si vmbræ non proiectio plenilunij tempore opposito opaco corpore est, eclypsis est, At illa est, est igitur & hæc.

Cæterùm particula illa, Nullo corpore existente medio) accipienda est de corpore medio inter nos qui vmbram facimus & ipsam Lunam. Nam si densæ intersint nubes suspensæ, à Luna vel illuminata nulla fiet per nos vmbræ proiectio. At Boetiana versio, à qua non dissentit Argyropiliana, sic habet. Nullo nostrum in medio existente manifesto, id quod ita explicat Iacobus Faber, cùm nullius nostrum in medio existentis vmbra fiat manifesta. Sed eam Boetij versionē facillimum est deflectere ad alterum sensum, quem sequuntur Linconiensis, eoq; posteriores, & nostra sententia rectius quàm Faber dicentes, & extraneam quandam obiectionē excludentes. Insuper dum in litera dicitur, Vtrùm interpositio terræ, An conuersio Lunæ, An luminis extinctio, Insinuat variam super Lunaris eclypseos causa antiquorum opinionem. Quidam enim rectè sentientes, Lunarem eclypsim manare asserebant ex terræ interiectione inter Solem & Lunam, cùm in Draconis capite aut cauda existunt. Aliis videbatur corporis Lunaris vna pars ac medietas esse opaca, & altera lucida, qua recedente à nostro aspectu, & accedente parte tenebricosa, quę nostris obiiceretur obtutibus, autumabāt Lunæ fieri deliquium. Reliquis inde prouenire apparebat, q; quodam adueniente sursumq; elato humore, Lunare extingueretur lumen, sumpto ex iis, quæ penes nos eueniunt, argumento. Verùm interpositio terræ, &c. vera est causa & ratio seu definitio per causam ipsius Lunæ eclypseos efficientem reddita. At sequens exemplum huiusmodi est. In nube fit extinctio ignis, Omnis verò ignis extinctio, secundum Anaxagorę & Empedoclis placita, est tonitruum, est igitur in nube tonitruum. Nam re vera fit tonitru ex vehementi concussione calidæ

Caietanus.

Iacobus Faber.

Anaxagoras.
Empedocles

dæ exhalationis & siccę comprehensæ in frigida nube, quemadmodum in Meteororum libro secundo docetur. Atq; hic medium maioris extremitatis causa est atq; definitio. Cæterùm quoniam fortassis quispiam rogaturus esset, num in definitione maioris extremi seu propriæ passionis causam designante consistendum sit? continenter subiunxit Philosophus, Si aũt il-lius hoc est, eius quod quid est, quod prius medium erat, interpositionem videlicet terræ inter Solem & Lunam, aliorum quoque similium rursus aliud sit medium, ex reliquis erit rationi-

Thomas.

bus, id est, ex subiecti definitionibus. Nam secundum D. Thomę doctrinam, cùm passionis fi-nitionem necesse sit subiectum ingredi, pari ratione oportet & subiecti finitionẽ eiusdem pas-sionis definitionem posse ingredi, & illam causam esse definitionis passionis, quemadmodum passionis causa est subiectum. Vt ideo terra intericitur inter Solem & Lunam, &c. ꝙ Luna corpus sit cœleste aptum natum sic moueri. Et proinde his apertè indicat Philosophus, vnam definitionem per alteram monstrari syllogismo, non tamen in eo quod quid est, quemadmo-dum superiori dicebatur capite. Verùm occasione eorum, quę hac in litera ab Aristotele tra-dita sunt, originem accepit illa communis vulgataq; ambiguitas. Vtra definitio, an subiecti, an passionis, aptissimum sit medium potissimæ demonstrationis? Super cuius dilutione qua-tuor sunt probatorum autorum sententiæ, quas impræsentiarũ non constituimus recensere. Nobis sat fuerit id indicasse. Postremò, in huius literę calce, corollarij ab Aristotele illati sen-

Themistius

sum ad hunc modum explicat Themistius quàm breuissimè. Ex iis (inquit) quę dicta sunt pa-tet, quamuis definitio & id quid rei esse est, demonstratione addisci non possit, tamen fieri, vt in iis quæ per suas causas monstrantur, per demonstrationem definitio eorum innotescat.

Sũt aũt quædã, quorũ alia causa est.

In tertium eiusdem tractatus caput, quod de varijs definitionum modis pertractat, annotatio.

IN huius literæ exordio, ne quis toto (vt aiunt) cœlo erret, ex superioribus existimãs om-ni definitione cõpetere posse, ex alia monstrari, proponit Philosophus duplicem definiti-onem, Vnam immediatã seu indemonstrabilem, & alteram mediatã, quæ demonstrari queat, secundum duplex definibile, quod in omnĩ disciplinarum genere reperire contingit. Vnum est, cuius non est causa alia à suo quod quid est, hoc est, ipsi extranea, aut simpliciter,

Duplex definitio, quẽadmodũ & duplex definibile.

aut in ea disciplina, in qua finiendum est, Cuiusmodi sunt scientiarũ subiecta, atq; horũ prin-cipia, quibus suæ respondent primæ causæ in vnoquoq; causarũ genere, si illa diuersa causa-rum admittãt genera. Alterum definibile est passio, Cuius extranea causa est, aut subiectum

Prius. Posterius.

ipsius, aut aliud quippiam. Palàm enim est, subiectum esse extra essentiam suæ propriæ passi-onis. Hæ igitur finitiones, cùm causam priorem habeant, & proinde per eam monstrari que-ant, dicendæ erunt mediatæ. Verbi gratia, Luminis solaris priuatio in Luna, monstratur ex hac definitione causam complectente, interiectus terræ inter Solem & Lunam, &c. Et hęc rur-sum (quemadmodum superius dictum est) ex eo ꝙ Luna corpus est cœleste natum sic aut sic moueri, hoc est, ex subiecti finitione, At Lunã esse, si ipsa fuerit alicuius disciplinæ subiectum, neq; illo modo demõstratur, neq; de ipsa monstrari potest ipsius definitio, sed vt habet litera, & esse, & quid sit supponitur. Cęterùm quoniam Themistius nostro iudicio hanc literę partẽ perpulchrè explicat, nõ grauabimur ipsius verba nostris interserere. Illud (inquit) sanè neces-sarium est recipere, hoc quod modò diximus non esse passim definitionibus omnibus verum, sed tantùm iis quæ insunt in alio, vt defectus, vt tonitrus. Sola enim hęc in demonstrationẽ vo-cantur, eò ꝙ medium in iis quoddam habetur, quod causa est & conclusionis & rei. At quę per se sunt nec in alio sunt, in iis eadem ratio obseruari non potest, quia causam superiorẽ non ha-bent, per quam monstrentur cuiusmodi sunt sua scientiis singulis subiecta, quę tamen vt sint, cum quid sint, certum & constitutũ esse necesse est, Nec alio modo cognoscibiliora euadunt, quàm aut inductione, aut fide aliqua, aut periculo. Demonstratione non euadunt, quum ipsa sint principia demõstrandi, quod quidem omnes scientię custodiunt. Subnectit quoq; & quę-dam alia, ad eam quam explicuimus Aristotelis sententiam plurimũ conferentia. Ex iis igi-tur palàm est, subiecti definitionẽ idoneam esse ad demõstrandum passionẽ eiusq; definitionẽ subiecto cõpetere, (Est enim illa huius quodammodo causa) non aũt subiecti finitionẽ posse monstrari suo inesse subiecto, in eodem genere causæ. Hactenus de priori literæ particula.

Definitionũ genera.

Post quam ibi, Cùm autem definitio aliqua dicatur esse oratio, &c. aggreditur Philosophus definitionum genera, occasione eorum quæ in superioris tractatus quarti capitis calce tradi-ta erant, simul explicans quomodo sese habeant illa ad demonstrationẽ. In primis itaq; in-

Definitio quid nois.

dicat, quandam esse quid nominis finitionem, quæ nihil aliud est, quàm oratio explicans quid per nomen designatur, seu quæ nominis est interpretatrix. Nam posterior literæ particula

Themistius

prioris est expolitiua, & ipsi eadem, quemadmodum insinuat Themistius, Definitio (inquit)

multi-

multifaria est. Alia exponit quid significat nomen, quæ ne definitio quidem appellari digna, sed interpretamentū potius quoddam vocis quæ efferatur, &c. De hoc finitionis genere alibi fusius egimus. Altera est definitio indicans quid est esse rei. Pro cuius pleniori cognitione præmittit Philosophus, bifariam orationem existere vnam. Nam quædam est vna per coniunctionem, hoc est, eò q̄ vni tribuuntur multa, licet ipsa non efficiant per se vnum, vt animal rationale, disciplinæ capax, ac risibile. Hoc modo Ilias seu Troiana Homeri historia (teste Egidio Romano) vna dicitur, quòd in ipsa potissimùm Hectoris persona describatur per nonnulla accidentia, quemadmodum & apud Virgilium Eneas ab Ilioneo, dicente,

Definitio quid rei.

Dupliciter orō vna existit.

Primò.

Egidius.

Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.

Et proinde per hanc orationem vnam rectè accipiemus eam rei finitionem, quæ diuersa variaq; aut accidentia aut propria complectitur, non per se quid vnum constituentia. Item & eam quæ accidentale medium continet, & quam in secundo loco hic constituit Themistius, Alia (inquit) definitio rem quidem commonstrat esse, sed quam ob rem sit, non commonstrat, quoiusmodi ea est, Lunam deficere, Lunam non collucere pleniluniis, &c. Alia est oratio vna, quòd ipsius partes plura significent, ex quibus vnum per se conflatur, vt animal rationale. Atq; hæc, virtute quadam dicitur monstrare ac explicare vnum de vno, non secundum accidens. Nam animal rationale, hominis essentiam quiditatemque indicat, quorum vtrumque simpliciter & per se vnum existit. Eiusmodi autem oportet esse definitionē quid rei proprie dictam, & in definitionum ordine tertium locum obtinet, prætermissa quid nominis definitione. Atq; id est, quod ab Aristotele in litera dicitur, Vno igitur modo definitio dicitur oratio, quod quid est indicans. Porrò in tertium locum succedit propter quid definitio, quam neoterici partiuntur in propter quid tantùm, vt sunt interiectus terræ inter Solem & Lunam, &c. extinctio ignis in nube secundum opinionem antiquorum, comparatione eclypseos Lunaris & tonitrus, atque in eam quæ simul est, & propter quid existit, vt illorum respectu, priuatio luminis Solaris in Luna ob terræ obiectum inter Solem, & cæt. sonitus in nube propter ignis extinctionem in ipsa factam. De hac quoque intelligunt illam literæ partem, Posterior verò est quasi demonstratio quædam ipsius quod quid est, casu & positione ab ea differens, ideq; quòd confusè ea contineat, quæ distinctius in ipsa demonstratione accipiuntur. Verùm eadem literæ portio veritatem continet, si loquamur de ea finitione, quæ propter quid duntaxat explicat. Nam virtute quodammodo comprehendit eam, quæ quid est indicat, & eius est causa, quamobrem ipsa ad suum definitum collata, erit definitio, & in syllogismo demonstratiuo sumpta erit demonstratio seu medium demonstratiuum, quòd potissima est demonstrationis pars. Cæterùm cùm in litera dicitur, Priorem, quod quid est non monstrare)id accipiendum est de eo quod quid est passionis, collatione facta ad aliud quod quid est, seu aliam definitionem. Nam per quod quid est, vel ipsius passionis, monstratur si est passio, quemadmodum superius ex Aristotele est monstratum, imò eodem medio commonstratur eadem passio suo competere subiecto, vt Lunam deficere, quòd Solari lumine priuetur, & in nube esse tonitruum, quòd in ipsa sit sonitus, &c. Verùm hæc subticuit Philosophus, eò quòd impræsentiarum pertractet de quod quid est monstrando. Postremò in litera ibi, Est igitur definitionum vna quædam oratio, &c. quodammodo epilogo quodam colligit ea quæ superius dicta sunt, triplicem definitionem enumerans. At translatio in hunc modum habetis in huius portiunculæ exordio. (Est igitur definitionum vna, quædam oratio eius quod quid est & demonstrabilis) corrupta est. Et si demonstrabilis loco constitueris indemonstrabile, redditur quidem Aristotelis sententia, sed ex quibusdam præmissis pendens. Sic enim habet Boetiana versio, Amplius est terminus tonitrui sonus in nubibus: hæc autem est quæ est ipsius quid est, demonstrationis conclusio. Quæ autem est immediatorum definitio, positio est ipsius quid est, & indemonstrabilis. Est ergo definitio vna quædam oratio eius quod quid est indemonstrabilis. Vna verò syllogismus ipsius quid est, casu differens à demonstratione, &c. Ex quibus colligere licet, triplicem esse definitionem. Vnam, quæ quod quid est indicat, & suo definito immediatè conuenit, hoc est, cuius non est alia causa, cuiusmodi est subiecti ipsius disciplinæ finitio, quemadmodū palàm est ex huius capitis exordio à nobis prius declarato. Alia est definitio propter quid ipsius passionis de suo subiecto monstrandæ, per quam demonstratur quod quid est ipsius passionis, quæq; casu atq; positione discrepat à demōstratione. Tertia est, passionis quod quid est finitio, quæ demonstrationis est conclusio, hoc est, per superiores suo definito com-

Themistius

Secundò.

Definitio propter qd.

Triplex definitio.

Prima.

Secunda.

Tertia.

petere monstratur. Cùm igitur in superioribus exemplis fuerit vsus Aristoteles duntaxat ipsius passionis definitionibus quid est, & propter quid est, his adiũxit ipsius subiecti finitionẽ quam superius testatus est esse indemonstrabilem. Quòd si roges, an hæc subiecti finitio comparatione earum quæ de passione redduntur, sit propter quid? Tibi ex iis quæ hoc & superiori capite dicta sunt, secundum D. Thomæ sententiam responsum sit, sic rem se habere.


Quoniam aũt tũ arbitramur scire.


In quarti tractatus primum caput, ostendens quomodo per diuersa causarum genera fiat demonstratio, Scholia.


Omnibus causis vtitur demonstrator.

IN superioribus monstrauit Philosophus, quomodo quod quid est ad demonstrationẽ se habeat, nunc aũt ostensurus quo pacto ad eandẽ possit pertinere propter quid, In hoc quarti tractatus primo capite, aperit & declarat, demonstrationẽ omnibus causis vti, tanquam demonstratiuis mediis. Quia autẽ hoc caput paucis exceptis cognitu est facilè, breuis nostra erit annotatio. Primum textus exemplum ex materiali causa non sensibili quidem atq; motui coniuncta, à qua abstrahit mathematicus, sed intelligibili procedens, est huiusmodi, Omnis angulus constans ex duabus duorum angulorũ rectorum medietatibus, est rectus, Sed angulus in semicirculo descriptus, angulus est ex duabus medietatibus duorũ angulorũ rectorum cõstans, est igitur angulus in semicirculo descriptus rectus. Maior supponitur nota. Pro minoris aũt cognitione percipienda, quæ subiiciemus sunt animaduertẽda. Imprimis per angulum in semicirculo descriptũ, intelligẽdus est angulus circa arcum seu circumferentię partem procreatus, ex protractione linearũ duarum à punctis diametrũ semicirculi terminantibus, ad aliquod idẽ punctum in eiusdem semicirculi arcu, quemadmodum in hisce figuris adscriptis licet inspicere. Deinde describatur circulus a b c, cuius diameter sit a c, centrum autem d. Post hæc supra d centrum perpendicularis erigatur linea ad punctum b, in circumferentia designatum, atque ab a & c punctis, protrahantur lineæ a b, & c b. Angulus in semicirculo descriptus est a b c, quemadmodum in figura priori erat designatum, qui quidem angulus hoc modo monstratur constare ex duorum angulorum rectorum medietatibus. Anguli a, & a b d sibi mutuo sunt æquales, secundum illam quintam propositionem primi Euclidis. Omnis trianguli duorum laterum æqualium angulos, qui supra basim sunt, æquales esse est necesse, lineæ autẽ d a & d b æquales sunt, cùm ab eodem centro ad eiusdem circuli circumferentiam sint ductæ. Angulus verò a d b rectus est, eò quòd proueniat ex incidentia lineæ perpendicularis b d, supra lineam a c. Cum igitur triangulus omnis tres duntaxat duobus rectis æquales angulos contineat, sitq; vt mox diximus, angulus a d b rectus, necesse erit reliquos duos angulos ad basim a b constitutos d a b, a b d valere vnum rectum. Et quia sibi sunt æquales, necessum erit vtrumq; eorum esse anguli recti medietatẽ. Simili quoq; modo monstrabuntur anguli c, & c b d vnum valere rectum angulum, & vnius recti vtrumque esse medietatem. Erunt igitur quatuor anguli a, a b d, c, c b d, quorũ quilibet medietas est anguli recti. Cùm igitur angulus in semicirculo descriptus a b c, constet ex angulis a b d, & c b d, quæ sunt medietates duorum rectorum angulorum, monstratum erit angulum in semicirculo descriptum constare ex duorum angulorum rectorum aut æquiualentium duabus medietatibus. Porrò hac ratione non vniuersaliter ostenditur omnis angulus in semicirculo descriptus esse rectus, quemadmodum probè asserit Egidius, sed hanc à Philosophi commentatoribus adferri opinamur, quòd logico satis sit, neque vniuersaliter dixerit Philosophus, omnem angulum in semicirculo descriptum esse medietatẽ duorum rectorum angulorum. Qui autem desiderat idipsum vniuersaliter ostendere, hoc facilè efficiet demonstratione quam adhibet Campanus trigesima propositione tertij libri elementorum Euclidis, quæ est huiusmodi. Sit circulus a b c, cuius centrum d, & diameter a d c, semicirculus a b c, in cuius semicirculi circumferentia fiat angulus a b c, ductis lineis a b, & b c. Dico illum angulum esse rectum. Protrahatur ab ipso angulo in centrum linea b d, eritque per quintam primi angulus a b d æqualis angulo a. Et angulus d b c æqualis angulo c. Et quia angulus c d b est æqualis duobus angulis d b a & a per 32. primi, ipse erit duplus ad angulum d b a. Eadem ratione angulus a d b, duplus erit ad angulum d b c. Ergo duo anguli c d b, & a d b dupli sunt ad totalem angulum a b c, sed ipsi sunt æquales duobus rectis per 13. primi. Erit igitur angulus a b c,

Exẽpli Mathematici in littera positi declaratio.







a b c totalis medietas duorum rectorum, quare rectus, quod erat propositum. Hæc ex Campano allata sunt, vt lectorum curiosorum desiderio vtcunq; responderemus. Hoc ipsum exemplum arbitrantur nonnulli ad secundum causæ genus per quandam reductionem pertinere, quod an sic se habeat, an secus, non decreuimus nunc discutere. Mouentur illi ex textu, sic apud Boetium legente, hoc aūt idem est ei, quod quid erat esse cum hoc significaret oratione, &c. loco cuius legit Argyrophilus, Quiditas autem est idem quod hoc, & eò sanè, quò hoc significat ipsa ratio. Verùm si dictio Hoc, referatur non ad medietatem duorum angulorum rectorum, quod superioris exempli medium erat, sed ad formam seu causam formalem, corruit illorum ratiocinatio. Cæterùm quod quid est, seu essentialis definitio dicitur eadem esse ipsi formæ, quia talis reducitur ad genus causæ formalis, vt dicitur secūdo Physicorum, aut quia complectitur differentiam essentialem, quę quodammodo est essentialis forma ipsius definiti. Porrò in priori causæ efficientis exemplo, sanatiuum dicitur non id solùm quod sanitatem efficit, sed & illud quod seruat eam. Huiusmodi autem causarum exempla à Themistio hæc redduntur, Animalium corpora ex contrariis constant, ergo consumentur, Deus est mundi opifex, ergo mundus visenda est pulchritudine. Habēdi sunt liberi, ergo ducenda est vxor, vt aiebat Socrates. Deus bonus est, ergo fabricatus est mundus, quæ quidem exempla ideo adiecimus, vt indicaremus, autores nonnunquam omissa forma syllogistica, materiam duntaxat demonstrationis conficiendæ breuibus proponere. Cæterùm differentia in fine textus assignata, hunc habet sensum. In demonstrationibus procedentibus ex causis efficientibus atq; finalibus, ordo generationis diuersus est, & quodammodo oppositus. Etenim in iis, in quibus elucet causa efficiens, necesse est medium demonstratiuum prius fieri quàm tertium, Nam illud causa est efficiens, hoc autem talis causæ effectus. Causa autem efficiens semper natura & subinde tempore, prior est suo effectu. Contrà in iis quæ constant ex causa finali, oportet primùm fieri tertium seu minorem extremitatem, & deinde finem, qui pro medio sumitur. Corrupta autem est ea lectio, quæ sic habet, In illis autem vltimum quod est id, gratia cuius cætera fiunt, quemadmodum patet ex Boetiana interpretatione, in qua sic legitur, Ibi enim medium oportet prius fieri, hic autem ipsum c extremum, vltimum autem gratia cuius. Idem apertius monstrat hæc Argyropiliana, In illis enim primò medium fiat oportet. In his autem c ipsum tertium primo. Deinde id vltimum, gratia cuius cætera fiunt. Ex textu autem hoc colligere licet, vnam causam per alteram posse demonstrari, & contrà, quum sunt sibi inuicem causæ. Iacobus Stapulensis hanc, quam diximus differentiam, ad alias etiam refert duas causas, materialem & formalem, sed contradicente Themistio, Tractatio, inquit, & constitutio mediiatq; causæ, non eodem modo in omnibus se habet, sed aliud priore ordine quàm effectus est, vt mouens. Aliud posteriore, vt finis, & ea quorum gratia res quæq; & efficiuntur, & sunt. Aliud simul, vt definitio, & quod rei esse est.

Differētia inter demonstrationes ex causa efficiente & finali progredientes.

Faber.

Themistius

In secundum caput eiusdem tractatus, explicans luculenter quæ superiori capite tradita sunt, Scholia.

Fieri autē pōt, vt idem sit tum ex fine.

IN huius literæ exordio commonstrat Philosophus, idem valere, monstrari per varias causas, nempe materialem & finalem, sub quibus, velut extremis, accipiendæ veniunt causæ formalis & efficiens. Nam eum effectum, cuius sunt cuncta causatum genera, per quamlibet causam contingit monstrari. Quod diximus ostendit in primis Philosophus in iis quæ sunt, his subiunctis exemplis, Omne corpus foraminulentum, & amplos habens meatus, est luminiperuium, seu luminis admittit egressionem, At eiusmodi est laternæ cornu, (Nomine enim laternæ, per synedochen, cornu est accipiendum) ergo cornu laternæ est lumini peruium, & luminis egressionem siue diffusionem permittit. Quicquid efficit, ne pedes aliáve membra offendamus, est lumini peruium, ac talis est lucerna, iuxta illud Poetæ,

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Per laternam ergo fit luminis egressio. In priori syllogismo loquitur Philosophus secundum eorum opinionē, qui existimabant lumen quendam paruulorū minutorumq; corpusculorū à lucido corpore defluxum, quæ quidem corpuscula subingrederentur, ac diffunderentur per aliorum corporum maiores meatus & poros, de qua quidem re est Physici cōsyderatio. Post hæc secundò idem declarat in iis quæ fiunt, qualis est tonitrus dum fit. Quòd si quis, quemadmodum admonet ipsa litera, alia exempla, quæ naturalia sunt, expetat, hæc reddi valent ex Themistio, Corpus cœleste conuertitur in orbem necessario, quia nec graue est nec

Idē per diuersas monstratur causas, quod exemplis monstratur, primò in tēpore præsenti, & in iis causis, quę simul tēpore cū suis effectibus sunt.

 leue,

leue,& gratia aliquoius,vt quàm proximè possit,imitatione accedat ad Deum. Dentes primores acuti sunt,tum quod ex osse gignantur tenuiore,tum gratia finis,vt cibo secando dirimendoq; habiles sint, Contrà maxillares lati,& ꝙ ex pinguiore materia existant,& vt in attritum,molendo & subigẽdo sufficiant. Post hæc in litera ibi, Atq; altera,natura ob finem facit,&c. ad pleniorẽ prius dictorum habendam cognitionẽ,duplicem explicat esse necessitatẽ. Vnam ex fine desumptam, Alteram verò ex alijs accipiendam. Necessitatem ex formali causa prouenientem,reuocat Themistius ad finis necessitatem. Dehinc (inquit) duplex cuiusque natura est, Vna,quæ ad formam refertur,& hæc cum fine ipso eadem est,Forma oculi est videre,idem est finis, ad quem iuncti sunt animalibus oculi. Aurium audire, idem est finis, ad quem datæ sunt aures. Cæterùm in litera mox sequente, ex materia sumptam necessitatem appellat Philosophus eam,quæ secundum naturam & appetitum est,id est, naturalem inclinationem,secundum quam ob grauitatem lapis cæteraq; grauia deorsum mouentur,& contrà, leuia sursum. At violenta necessitas accipitur collatione facta ad efficientem causam, non quálibet,sed eam duntaxat,quæ in passum effectum eum procreat, qui cum suscipientis natura pugnet,qua quidem necessitate lapis à proijciente sursum mouetur, & ab igne aqua calescit,& aeris media regio frigescit.His itaq; ostendit vtcunq; Philosophus,in eisdem à natura profectis effectis,necessitatẽ accipi ex vtraq; causa,& materiali,& ea quæ finis rationem habet. At post hæc in litera ibi,Eorum aũt quæ fiunt ab intellectu, quædam nunquam à casu sunt,vt domus vel statua, &c. nonnulla in medium adducit, in quibus solùm accipitur necessitas, finis comparatione. Cuiusmodi ea sunt artificialia, quæ solùm per artem queunt effici,non autẽ à natura,neque à casu,neq; à fortuna,vt sunt domus,statua,& id genus alia,Ea aũt quæ indiscriminatim,& per artem, & per naturam procreari contingit, & à casu & à fortuna prouenire valent,vt sanitas,& per artem,& per naturam effici potest. Si quis enim morsus est à vipera,& sitis impatiens acetum quod secum portat bibit,non sanandi spe,per naturam sanatur,& seipsum fortuitò sanat,præterq; suam intentionem. Item si quis artis ædificatoriæ peritus,cognouerit domum in qua existit, mox ruituram, è qua ilicò egrediatur, per se saluus fiet.Quòd si quis illius rei ignarus,persequendi inimici gratia egressus fuerit,eiusmodi salus temerè facta est.Subnectit aũt Philosophus,casui & fortunę maximè locum esse in iis cõtingentibus,quæ queunt ob diuersos fieri fines,& tum eorum generationẽ manare non à casu vel fortuna, sed à natura vel arte, cùm in aliquem præstitutum finem destinantur. Quòd si quippiam aliud præter agentis intentionem acciderit,id à casu vel à fortuna asseritur proficisci. Nam quicquid à casu vel fortuna fit, pendet ex alio, quod ab arte vel natura propter finẽ efficitur. Ex quibus statim colligit,omnia quæ fiunt gratia alicuius,siue ob ipsius finis bonitatem aut veram aut apparentẽ,prouenire à natura vel arte,Nihil quoq; à fortuna fieri, quod in aliquem destinetur finem. Post hæc in litera ibi, Idem modus demõstrandi,&c. monstrat Philosophus,eodem demonstrandi modo vtendum esse in alijs temporibus, præterito videlicet & futuro,si modò causa & effectus sibi mutuò respondeant in tempore. Duorum exemplorũ ipsius literæ,prius ad hypotheticã pertinet demonstrationẽ,Posterius verò ad categoricam,id quod vel manifestissimũ est ex aliis translationibus.An aũt cristallus,seu glacies & aquæ cõgelatio duntaxat proueniat ex omnimoda caloris absentia,in libris Meteororũ est diligentius discutiendum. Porrò in litera ibi,Cùm autem causa & effectus non simul sunt,&c. Ostendit Aristoteles,quomodo constituenda sit demonstratio in causis & effectibus,quæ non sunt simul tempore,cuius hæc est sententia.Non est ducenda affirmatiua demonstratio hypothetica (hæc enim huic loco seruit) à priori ad posterius,sed à posteriori ad prius, id est,ad esse fuisse vel fore prioris,non cõsequitur esse fuisse vel fore posterioris. (Neq; enim sequitur,si fundamentum est, fuit, vel erit, domum esse,fuisse,vel fore.) Et ex fieri posterioris colligitur fieri prioris (vt si domus fiat,necessum est fieri aut factum esse parietẽ) Ex fore quoq; posterioiris monstratur fore prioris,vt si domus erit,erunt fundamentũ tectum & parietes. Cæterũ dum in litera dicitur,Non enim oportet,si prius factum est,posterius factum esse,& in futuro similiter, hæc particula (& in futuro similiter) duplicem admittit interpretationem. Prior est, non oportet si prius factum est,etiam posterius factum fore. Altera, non oportet si prius factum erit, posterius factum fore. Et huic expositioni magis consentiunt, quæ posterius dicuntur, & illa probatio continuò sequens, Siue enim determinatum siue indeterminatum tempus fuerit,& cæt. Cuius sensus est, Siue sumatur determinatum tempus, vt hic dies futurus,siue indeterminatum,vt aliquis dies futurus,nunquam verè dicetur, si paries factus est, illo die, vel aliquo qui erat futurus, domus facta est. Nam in medio tempore, non verum

est

Duplex necessitas, vna ob finẽ, altera ob materiam.

Necessitas secundũ naturam & appetitũ quæ sit.

Quæ violenta.

Secundò in aliis temporibus.

est dicere, domum esse factam, in quo quidem magis videretur verum esse domũ esse factam. Id enim quod alterũ simpliciter consequitur potius ad ipsum sequi natum est proximiori tempore, quàm distantiori. Porrò ipsius literæ statim sequẽtis ea portio, Nam oportet medium simul ortum habere, &c. hunc habet sensum, Oportet medium simul habere ortũ cum eo, cuius est medium, vt ex illius facto esse, mõstretur factum esse huius, &c. quod quidem non est in exemplo proposito. Non enim simul ortum accipiunt paries & domus, neq; parietẽ factum esse, & domum fore, cùm illud sine hoc valeat esse. Verùm hæc particula in versione Boetiana sic redditur. Medium enim simul genitũ oportet esse, factorũ factum, futurorũ futurũ, cum iis quę fiunt fieri, cum iis quæ sunt esse. sed futurum esse & esse, non contingẽt simul esse genitum. Quæ quidem lectio alia clarior est ac apertior, Nam si esse, non simul actu sit cum fore, efficaciori ratione factum esse cum fore non simul genitũ erit. Cęterùm in allatę in litera dubitationis dilutione, per factum esse accipiendum venit quoddam indiuisibile, adinuicẽ cõtinuans partes eius motus, qui dicitur factio seu generatio, siue substantialis fuerit, siue accidentaria. Atq; talia facta esse in eodem motu infinita sunt, quemadmodum & ipsa fieri, id est, ipsius factionis partes ad inuicem cõnexæ continuatæq;, si secundum proportionẽ certam accipiantur, de qua quidem re agitur in sexto libro de Auscultatione naturali. At post factum esse cõtinuò sequitur fieri, quod factum esse idem, prioris fieri finis est & posterioris initiũ. Rogabit fortassis quispiam, cur ab Aristotele hic introducta sit hæc quæstio. Omissis iis, quæ ex Boetiana aliisq; translationibus colligi possent, (quæ & si aliter & aliter habeant, non tamen sensu multũ dissident) respõdebimus, idcirco hanc allatā esse ab Aristotele dubitatiunculam, vt indicaret, cùm demonstrare cõstituimus, nobis non esse vtendum prædicto argumentandi modo in iis factis esse, quæ eiusdem sunt factonis continuæ, licet & ea ratiocinandi forma, in his ipsis sit efficax, id quod exemplo declaratu haud est difficile. Nam si quid è non albo, nigro scilicet, cõtinua dealbatione factum sit candidissimũ, & vt consueuerũt dicere naturales, album 8. graduum, consequetur ipsum factum esse album 7. graduum, & 6. & 5. & 4. atq; sic deinceps. Et idem in aliis accidit mutationibus. Verùm enimuerò q; in illis eo monstrandi modo non sit vtendum causa est, q; prius factum esse in cõtinua mutatione, non vera sit causa posterioris facti esse, quemadmodum nec prior pars factionis, posterioris est causa. Atq; hoc ipsum nostro iudicio insinuat Philosophus, dum postea subiicit, inter ea igitur quæ cõsequenter fiunt, ab effectu posterius facto, &c. Perinde atq; si diceret Philosophus, hoc loco nõ est ducẽda ratiocinatio, seu demonstratio à posteriori facto esse aut imperfecto, aut perfecto, ad imperfectum factum esse prius, sed à perfecto cõpletoq; facto esse posteriori, quod est ipsius effectus, ad completũ factum esse prius, quod est causa. Atq; id faciendum est eo ordine, secundũ quem tandem deriuatur ad causam efficientẽ mediam, quę immediatè proxima est primę causæ efficienti, quemadmodum monstrat literę exemplum. Porrò pro apertiori dictorũ intelligentia breuibus annotandum est, eas factiones esse continuas, quarum idem numero factum esse, vnius finis est, & alterius principium. Eæ sunt contiguæ (si contiguum à continuo separetur) quarum vnius finis simul est cum alterius principio, quæ quidem finis & principium, ad minimum diuersa sunt numero. Atq; hoc modo contiguas, siue secundum tempus continuas, existimat Caietanus esse in naturalibus factiones causarũ & effectuum, neque inter eas intercidere aliquam temporaneam quietem. Verùm illæ consequẽter sese habent, inter quas nihil eiusdem specieí interiacet, vt si quis Louanio proficiscendo Mechliniam, fessus Mechliniæ quiescat, Deinde Antuerpiam pergat, eiusmodi profectiones consequenter se habent, quę neq; contiguæ sunt, neq; cõtinuę. Sed de hisce in Physicis fusius pertractandum est. At quęreret non immeritò aliquis, quo pacto hic mõstrandi modus ad hunc pertineat locum? cùm nõ à causa ad effectum ducatur argumẽtatio, sed potius cõtrà ab effectu ad causam. Huic primo respõsum sit, in hoc ratiocinandi genere quodam modo cognosci & elucere ipsam causam, licet ea non assumatur veluti medium. Deinde media assumpta in efficientis causę genere, effectus quidem esse, at in genere finalis causæ, causas non effectus. Hactenus dictum sit à nobis de demonstratione eorum, quæ post se fiunt in directum, & non secundum circulum.

Dubitatiõis occurrentis reiectio ac dilutio.

Quę factiones continuæ.

Quæ contiguæ.

In tertium caput, ostendens quomodo circulariter mõstrantur, quę ex se inuicẽ fiunt, annotatio.

Quoniam aũt aliqua circuitu quodã, &c.

HOC capite pertractans Philosophus de iis, quę modo circulari atq; reciproco, ex se mutuò fiunt, in initio proponit, quòd quemadmodum quædam circulari quodam modo ex se inuicem generantur, sic & circulari demonstratione, quam Hermolaus in Themistij translatione obambulatoriam vocat, se mutuò ostendunt. Verùm quoniam quæ in hac litera adferuntur satis clara sunt, in eorum explicatione non immorabimur, adiiciemus

nihilo fecius quæ diligēs desiderat lector. Prius alicubi admonuimus, duplicē esse demonstrationē. Vnam categoricam, alterā hypotheticam. De categorico circulari syllogismo in secundo Priorum Analyticorū libro actum est, cùm explicarentur ea quæ pro tertiæ syllogismorū potestatis assequenda cognitione ab Aristotele adducebantur. At quę hoc in loco dicuntur, potissimùm tribuenda sunt syllogismo hypothetico, siue ipsius partes fuerint ex verbo est secundo adiacente constantes, siue minimè. Nam in exemplis Aristotelicis sumuntur media & extrema, quæ recurrunt non secundum prædicationem, cuiusmodi ea oportet esse in circulari syllogismo, sed duntaxat secundum illationē, aut necessariam, aut vt in plurimū. Cęterùm in dubium reuocant nonnulli, An simili modo & in iis quæ secundum directum generantur ordinem, & in iis quæ secundum circulum ex sese mutuò fiunt, progrediendum sit ex posteriori ad commonstrandum prius, id quod apertè asseuerat D. Thomas. Nostra sententia facilè respondebitur, in hac cyclica demonstratione valere progredi & à priori & à posteriori, alia tamen ac alia ratione. Nam hac in re, quodlibet quolibet prius est, atq; posterius. Id quod planè testatur Themistius, ita inquiens, Eorum quum aliqua huiusmodi habebuntur, quæ se circuitu quodam generant, in his & demonstratio ambulatoria locum habebit. Quoniam hæc in totum reciprocant, sibiq; modò causæ, modò effecta vicibus sunt, ita vt in argumentando robur & fœlicitas par, siue ab initio, siue à summa auspicium capias. Terra imbri madefacta, halat vapores, hos vi caloris efferri necesse est, Ex his nubem cogi oportet, Hac coacta imbrificatáque, denuò madescit terra. Hæc autem est id à quo sumptum exordium est. Res ergo in orbem deducitur, quum vno aliquo posito, aliud oritur, quo orto, subinde aliud nascitur, quo nato iterum ad originem resilitur. Hæc perpulchrè Themistius, apertè explicans, quo pacto contingat circularem monstrationem fieri. At his obsistet fortassis quispiam, eo q̃ superiori libro dictum sit, non posse fieri, vt sit circularis demonstratio. Respondet quidam, eo in loco Aristotelem egisse de iis demonstrationibus, quæ potissimæ sunt, de quibus solis hoc in loco non est sermo. Verùm Aquinas existimat, allato loco prohiberi circularem demonstrationem, dum ad idem numero reditur, hic autem non ad idem numero finitur augmentatio, sed ad idem secundum speciem. Insuper addit, libro superiori prohibitū esse in demonstrando circulum, in per se causis, non autem in eis, quæ sunt secundum accidens, cuiusmodi sunt ex de quibus impræsentiarum tractatur. Nam quemadmodum primò de Physico auditu dicitur, Ex ente in actu, per accidens fit ens in actu. Et proinde ex aqua, secundum accidens, nascitur vapor, & ex vapore nubes, &c̃. Quòd si rursum occurras, prius monstratum esse, demonstrationem nequire ex iis quæ per accidens sunt, construi. Respondebimus, id esse accipiendum de demonstratione propriè dicta. Ea autem, super qua hic sermo habetur, imperfecta est demonstratio, ex iis quidem progrediens, quę causę sunt per accidens, ad inuicem tamen certum retinentes ordinem, propter quem vnum quodammodò per se fieri ex altero dicitur, quemadmodum conceditur ex vino per se generari acetum, & ex animali cadauer, non autem contrà. Cæterùm quoniam ea, quorum meminimus, vt in plurimum frequenterque veritatem continent, ideo adhibita vna diuisione ostendit, quale eligendum sit medium in hisce demonstrationibus, nempe non necessarium, & quod vt in plurimum sese habeat ad id quod est monstrandum. Illa autem literæ partitio est eiusmodi, Eorum quæ fiunt, quædam semper ex necessitate efficiuntur. Atq; horum quædam sunt, quæ secundum omne tempus sic sese habent, vt habere tres angulos duobus rectis æquos trianguli comparatione Altera eiusmodi sunt duntaxat pro eo tempore, quo esse nata sunt, vt effectus, qui corporibus cœlestibus conueniunt. Alia frequenter fiunt, vt omnem masculum barbam mittere, & pilos in mulieris mento non prodire. Sunt etenim, Philosopho teste, tertiј de animalibus capite vndecimo, in terra Caria mulieres sacerdotes barbatæ.

Dubitatio.

Dilutio.

Eorum quę semper insunt alicui.

In quinti tractatus docentis venari definitionem, primum caput, ostendens quo pacto speciei specialissimæ definitio inuestiganda sit, annotatiuncula.

Postquam superiori tractatu exposuit Philosophus, quomodo quod quid est, & propter quid est, sese habeant ad demonstrationem, præsenti tractatu monstrat, quo pacto hæc inquirenda sint & vestiganda. Hoc autem primo capite aperit, quomodo tandem commodè deprehenderetur definitio speciei indiuiduæ seu specialissimæ, vnico documento præcepto; cui præmittit quandam diuisionem de iis intelligendam, quæ per se primo modo insint. Alioqui ea quæ adferētur, non constituerēt essentialem finitionē, de qua in pręsentia agitur. Principium aūt literę venit intelligēdum de ea specie finienda, cuius nobis ignota est specifica & vltima differētia cum specie cōuertibilis. Nam alioqui per genus proximū, si notum foret,

foret, & talem differentiam esset finienda species. Verùm cum ea quę in pręsenti litera traduntur, satis sint aperta, nostra nō egent cōmentatione ampliori. Cæterùm hac ternarij numeri finitione in litera ab Aristotele reddita. Ternarius numerus est impar, vtroq; modo primus, indicat bifariam numerum dici primū. Vno modo, quando nullo numero aliquoties replicato mensuratur. Secundum quem 2.3.5.7.11.13.17.& 19. numeri sunt primi atq; incompositi. Nam ipsorum sola vnitas, pars est numerās. Qui autē prætermissi sunt, hoc modo sunt compositi. Bis namq; duo, quatuor efficiunt. Ter duo & bis tria reddunt sex. Quater duo & bis quatuor, octo. Ter duo & bis tria, sex. Ter tria, nouem, & sic deinceps in reliquis. Nouenarius autē, qui in præscripto ordine tertium occupabat locum, ternario mensuratur. Item & quindecim per quinarium, quēadmodum septenarius metitur 21. Atq; vt in summa dicamus, oīs numerus non primus seu cōpositus esse agnoscetur hoc modo, si constituta imparium numerorum continua serie, prætermisso ternario, tertium occupet locū, vt constituta illorum serie, 3. 5. 7. 9.11.13. 15.17. 19.21. 23. 25. 27. 29. 31. 33. 35. 37. 39. 41. 43 45. &c. numeri cōpositi sunt 9.15.21.27.33.39.45. Nam hos metiuntur hi numeri 3.5.7. 9.11.13.15. Neq; tamē ob id arbitrandum est, cæteros omissos numeros esse hoc priori modo primos ac incompositos. Nam 15. & 25.35. numeri prius omissi, numeri sunt compositi, quos metitur quinarius, modò ter, modò quinies, modò septies replicatus. Altero modo is numerus primus est, qui non coalescit ex pluribus numeris, sed si quem cōplectatur, illi duntaxat vnitatem adijcit, hoc pacto binarius & ternarius primi sunt numeri, Nam ille ex sola vnitate bis sumpta conflatur, hic autem binario solum superaddit vnitatem. At cæteri omnes hac in significatione sunt compositi. Nam quatuor ex duobus constat binarijs. Quinarius autē, ex 2.& 3. Senarius, ex tribus 2. & duobus 3. item ex 2.& 4. Atq; sic in reliquis progrediendum est, hæc in medium protulimus sperantes non fore iniucunda lectori, præsertim et qui arithmetices est ignarus.

Dupliciter dici numerus primus. Primò. Quis numerus cōposit⁹ Secundò.

In secundi capitis priorem partem, docentem inuestigare generis definitionem, scholia.

Cōgruū aūt est, cū gen⁹ aliquod definire volum⁹ Themistius

HAc textus parte tradit Aristoteles rationem inuestigandi definitionem generis subalterni, (nam generalissima definitionibus carent) quā sic explicat Themistius. Generibus autē ijs, quæ in species alias soluuntur sparguntur que, definiendis, via hæc seruabitur. Primum sumendæ sunt omnes eius generis species indiuiduæ, vt numeri, ternarius, binarius, cæteræq; formæ, Item omnes species lineæ, quæ sunt recta, circumiens, curua. Deinde harum specierū definitiones promendæ, vt paulò ante præcepimus. Tum sumenda omnia, quæ sunt speciebus ijs quæ definiantur congrua. Quid est linea recta? longitudo citra latitudinem, cuius puncta media non prominent ab extremis. Quid est linea circumducta? longitudo citra latitudinē, ad cuius summū lineę omnes à centro ductæ sunt pares. Quid linea curua? longitudo citra latitudinē flexuosa. In omnibus ita definitionibus linearū longitudo citra latitudinē, vt quoddam cōmune, ponitur hoc reponendum, deinde redeundum ad lineam, & in quo ex decem principijs sit quærendum: Et quoniam in quātitatis genere est, hoc sumendum est, & cum illo cōmuni quod in omnibus definitionibus omnium specierū cōperimus iungendum. Ita definitio lineæ tota hæc fuerit. Linea est quantitas citra latitudinē longa, nam genus summū cum ijs quę omnibus speciebus cōmuniter insunt, definitionē generis citerioris constituit, Hæc Themistius. Ex quo patet, quatuor esse obseruanda in peruestiganda generis definitione. Primū diuidendum esse genus subalternū in suas species, Secundū definiendas esse singulas species, secundum superioris capitis præceptū, Tertium, sumendum esse definiendi generis genus, Quartum huic generi annectendum esse quod speciebus omnibus est commune. verbi gratia, fingamus lineam esse genus, eius definitionem hac ratione inuestigabimus, primū ipsam in suas species specialissimas diuidemus, quæ sunt, linea recta, & linea circularis. Definitiones specierum promemus, vt linea recta est longitudo sine latitudine, cuius puncta media non prominent ab extremis: Et linea circularis est longitudo sine latitudine & profunditate, ad cuius summū omnes lineæ à centro ductæ sunt pares. Tertio, genus lineæ inquiremus, quod est quantitas. Et quarto ei iungemus, quod in definitionibus cōmune reperitur, videlicet longitudo sine latitudine, efficietur q; hæc lineæ definitio. Linea est quātitas longa sine latitudinē. nam quod in omnium specierū definitionibus continetur, facilè intelligitur ipsi generi (sub quo species continētur) prius debere cōpetere, ac propriè ad eius definitionē pertinere, maximè cum id solis eius speciebus tribuitur. Cæterùm quem sensum habeat ea literæ pars quæ mox subsequitur (propterea quod simplex & definitio principium est omnium, & ea quę simplicibus conueniunt, per se quidem illis solis conueniunt, cæteris autem per illa) inter commentatores

Quatuor in peruestigāda generis definitione.

Themiſtius

mentatores non modica diſſentio eſt. Themiſtius ſequens Commentatorem, per ſimplex accipit ſpeciem ſpecialiſſimã, quæ vltra diuidi non poteſt, & vt oſtendat quomodo definitio generis ex his conſtituenda ſit, quæ per ſe quidem ſolis ſimplicibus conueniant, cæteris verò per illa, videtur imaginari, in definitionibus ſpecierum in primis ſumendas eſſe differentias, aut proprietates quæ ſupra non ſint, quàm genus quod definiendum eſt. Ac deinde ex iiſdem (vt ſuſpicor diſiunctim ſumptis) vult definiri genus, ſub quo ſpecies illæ continentur, & quia ſupra non ſunt (inquit) ſoli generi proprium quiddã efficiunt. nam genus ex ſpeciebus ſuis conſtat, & quẽadmodum genera per ſuas ſpecies ſunt, ita quæ generi inſunt per ſpecies ineſſe putandum eſt. Hæc Themiſtius. Verùm hæc interpretatio videtur prætẽdere, genus debere definiri per ea quæ ſpeciebus quidem per ſe competunt, generi verò per accidens, & gratia ſpecierum, vt animal per rationale & irrationale. Quòd quàm alienum ſit, & à recta ratione, & à documento ſtatim aſſignato, nemo eſt qui non intelligat. Rectius igitur Thomas & Albertus per ſimplex, ipſum genus intelligunt, quia actu pauciora includit quàm ſpecies, aſſignantque hanc textus ſententiam. Quę generi propriè cõpetunt, facilè ex ſpecierum definitionibus innoteſcunt, quia genus eiuſq; definitio omnium ſpecierum quę ſub illo continentur, principium eſt, & quę generi propriè competunt, per ſe quidem illi cõpetunt: ſpeciebus verò nõ niſi gratia generis, & ideo quoties in definitionibus omnium ſpecierũ ſub eodẽ genere cõtentarũ, aliquid idem reperitur, facilè eſt colligere, id propriè ad genus (quod eſt commune principium omnium ſpecierum) eiuſq; definitionẽ pertinere, ac ei quidem per ſe cõpetere, ſpeciebus verò gratia generis, ſicut ſupra in exemplo textus de hac proprietate (longitudo ſine latitudine) monſtratũ eſt, quæ quoniam in definitionibus omnium ſpecierũ lineæ, reperiebatur, hinc colligebatur, ipſi quidem lineæ tanquam principio ſpecierũ per ſe competere, ſpeciebus verò non niſi gratia lineæ. eundem ſenſum prætendunt, verſio Boetij & Argyropili, ſi quis eas diligenter excuſſerit. Monſtrato itaq; quo pacto inueſtigãda ſit definitio, cõpoſitiuo modo, in litera, ibi. At diuiſiones quæ fiunt per differentias, & cæt. ſubindicat quodam documento alium inueſtigandæ definitionis modum, quẽ diuiſionis viam ad definiendũ neoterici vocant, dicens Diuiſiones quæ ſecundum per ſe differentias fiunt, vtiles eſſe inquirendæ definitioni, cuiuſq; ſpeciei & ſubalternæ & induiduæ. Non autẽ ad demonſtrandũ quod quid eſt. Nam ſyllogiſmo diuiſiuo, quantum ad demonſtrationẽ attinet, nihil aliud efficitur, quàm ſi in initio cuncta quę in definitione ſumenda erant, abſq; diuiſione forent accepta. Verbi gratia, cupientes quod quid eſt hominis reddere, nihil refert an rogando progrediatur, hoc pacto. An homo animal ſit? An ſit mortalis? An ſit rationalis? An hoc modo ratiocinetur. Omne animal eſt rationale vel irrationale, At homo eſt animal, igitur homo rationalis eſt vel irrationalis, non autẽ irrationalis eſt, eſt itaq; rationalis. Omne rationale mortale eſt vel immortale, Sed homo eſt rationalis, igitur eſt mortalis vel immortalis, Non autem immortalis, Quare ipſe eſt mortalis. Nam in hoc argumentandi modo, ex gratis duntaxat ac pręconceſſis ducitur argumẽtatio, id quod palàm contingit in priori progreſſu. Poſt hæc ibi in litera. Refert autẽ eorũ quæ prædicantur quid prius, &c. aſſignat Philoſophus præceptũ exactiſſimè obſeruandum, cum diuiſionis via colligendum eſt quod quid eſt. Cuius ſumma eſt, vt ea quæ per diuiſionẽ excerpta ſunt, rectè collocentur ac ordinentur. Nam id exigit definitio (de qua in præſentia ſermo eſt) vt primo loco ſituetur quod vt potentia ſe habet, id a. quod actus rationẽ induit. Et ſi plura ſint actus conditionẽ ſuſcipientia, id priori loco conſtituatur quod generalius ſit, & quodam modo partibile. Poſteriori autẽ, quod minus eſt commune. Verbi gratia ſit hæc tria, animal, manſuetũ, & bipes, quæ homini definiendo ſunt ſatis, ſi hominis definitionẽ reddere volueris, hoc ordine tria illa erunt tibi explicanda, homo eſt animal manſuetum bipes. Nam ſi hoc reddideris modo, homo eſt manſuetum animal bipes, homo eſt bipes animal manſuetum, homo eſt animal bipes manſuetũ, homo eſt manſuetum bipes animal, id quod veluti materia eſt, poſtremo collocabis loco, actu præpoſito, aut id quod ſtrictius eſt cõmuniori præpones. In cuius rei declaratione nõ eſt nobis immorandum. At obijciet fortaſſe quiſpiam illud ſecundi Peri Hermę. Nomina & verba tranſpoſita idem ſignificare. Et proinde nihil prorſus differre, ſiue quis dixerit hominẽ eſſe animal manſuetũ bipes, ſiue manſuetum bipes animal. Huic in primis reſpondebimus, dum in reddita definitione vnicũ genus cum vnica accipitur differentia, nihil referre quo ad orationis ſenſum, vt ſi quis dixerit hominẽ eſſe animal rationale, & hominẽ eſſe rationale animal. Sed diſcrepantia eſt in reddenda vna definitione. Animal etenim rationale, hominis eſt definitio, nõ aũt rationale animal. Cæterùm quod in hoc loco ab Ariſtotele dicitur, arbitrantur nonnulli eo conſilio factũ eſſe, ne in definitionibus admitteretur nugatio.

Thomas. Albertus.

Quo pacto p diuiſionẽ ingrenda ſit definitio.

Obiectio.

Dilutio.

Verùm

Verùm id nō semper locū habet. Nam nostro iudicio nulla prodibit nugatio, si diuisiuā differentiam, diuiso generi pręposueris, vt rationale animal. Quod si plures differentias eidem rei definiendę diuiso generi iunxeris, & priori loco eam constitueris quę specialior est, eamq; cum genere diuiso velut vnum quoddam genus constitutū acceperis, procul dubio principij committetur petitio. Nam posterior differentia in toto priori essentialiter comprehenderetur, id quod declaratu haud est difficile. Quòd si quis rogitet, quid dicendū foret, si differētiæ tanquam differentiæ acciperentur duntaxat, non autē velut cum genere cui iunguntur, aliquid per se vnum constituentes. Respondebimus, id petendum esse ex septimi Metaphysices libri, capite duodecimo, quo in loco de ea re exactius agit Philosophus. Nam vndè ipsius definitionis vnitas manet, frequentius Aristoteles testatus est Metaphysici esse negotij. Nam id tractatur eiusdem libri eodem capite. At priori sententiæ magis accedunt Philosophus, Themistius, vnà penè cum cæteris commentatoribus. Cæterùm ea de quibus nunc egimus, quæque ab Aristotele tradita sunt, luculenter ac perpulchrè in hunc modum interpretatur Themistius. Diuisio rectè (inquit) per differentias generum cōmodissima est, ad sumendum quæ per se & vniuersaliter prædicantur, quoniam ordine quodam incedit, quasi gradatim in cernendo & eligendo quæ per se adsint. Semper enim differens generi diuiso, additum genus integrum conficit. Iterum genus hoc diducendum per differentias alias est. Idq; vsq; eo prosequi oportet, dum finitio è duabus rebus perfecta, genere & differentia citima coalescit. Diximus genere, quia omnes ante citimā differentiæ, si cum genere cōmittantur, integrum genus vnum attollunt. Quod quidem etiam si innominatū esset, tamen vis in eo generis appareret. Nam & valeret in plura, & in eo quod quid rei esse est prædicaretur. Modus hic mirificè ad ordinem confert, nec præterit quicquàm eorum quę in substantia continentur. Nam semper necesse est differentias maiores, priore situ disponere, neu quæ vellicatim inconditæ aut præposteræ adducantur. Quòd si forma hæc in diuisionibus neglecta erit, sæpe fiet, vt genus non in differentias generis, sed in alias distrahatur, vt qui animal in totipennæ & scissipennę diuideret, is non animalis, sed volatilis differentias adferret. Illæ animalis differentiæ sunt, volatile, gressile, aquatile. Prima igitur in hæc committenda diuisio est. Deinde animal volatile genus alterum, in totipennæ & scissipennæ soluendum: At primæ quidem differentiæ, in quodq; genus conueniunt. Animalis differentiæ, in quodq; animal cadunt. Volatilis differentiæ, in totum auitium. Piscis differentiæ, in omne piscitium. Hac via eunti & ordinem hunc seruanti, nihil prætermittitur, nihil redundat. Si aggrediaris alia, necesse est collabare, & inscienter facias. Hæc Themistius, quæ & si prolixa sunt, idcirco adiecimus, quòd ad multorū quæ prius dicta sunt approbationem confirmationemq; videantur esse accōmoda. Postremo in litera, ibi. Non oportet diuidentem ac definientem omnia quæ sunt scire, &c. quendam excludit Philosophus errorem, quem Themistius tribuit Pseusippo, Platonis ex sorore nepoti, qui existimabat, definiētem necesse esse omnia scire, quod cum impossibile videatur, fortassis opinabatur, neminem posse quicquam definire. At quæ in litera traduntur, peruia satis sunt, modò quis non ignoret, loqui Philosophum de diuersitate secundum substantiam, & differentia cōmuni, dum dicit. Nam non secundum omnem differentiam res diuersa est. Complures enim sunt differentiæ in eisdem specie, quæ quidem non sunt differentiæ per se, ad quas peculiariter pertinet, specificam efficere diuersitatem & secundum substantiam.

Dubitatio.

Solutio.

Themistius

Themistius Pseusippus.

Ad extruendā p diuisiones definitionem.

In secundam partem eiusdem secundi capitis, ostendentem quæ & quot sint obseruanda in inuestigatione quod quid est per diuisionem, scholia.

IN huius literæ exordio recenset Philosophus tria obseruanda in inquirenda per diuisionē finitione, pręsertim si res definienda specialissima sit species. Primū est, sumenda ea esse quę in eo quod quid est pręedicantur, sub quo intellige, vel in eo quod quale quid est, hoc est, quę de finienda re dicuntur essentialiter, siue genera fuerint, siue differentiæ. Secundum, cōmuniora oportere priorem obtinere locum. Tertium, omnia quæ in quid prædicantur esse accipienda, eo qui diuidit ordiente a primo generalissimoq; genere, quod partiatur in proximas differentias, omnia sub genere contenta cōplectentes: Deinde genus proximum, quod ex genere generalissimo & differentia immediata coalescit, simili modo distribuat in differētias proximas, & sic deinceps, donec ad vnū deueniatur, quod non vlterius partibile sit in per se differentias. quibus quidem obseruatis, colligetur speciei indiuiduæ finitio recta assignata, nihil superflui, nihilq; diminuti continens. Cæterùm in litera, ibi. Oportet aūt & aliter definitionem inuestigare, &c̄. Assignat Philosophus alium inquirendæ definitionis modum, quem post Albertum Egidius Romanus putat ab Aristotele peculiariter destinatum esse, ad inuestigādam

Tria obseruāda in ingrenda definitione per diuisionem.

Primum.

Secundū & tertium.

Alter definiendi modus

Albertus.

Egidius.

propriæ

propriæ passionis definitionem. Cui quidē sententiæ satis consentit ipsius literæ exemplum. Nihilo secius alij, inter quos sunt Linconiensis & Diuus Thomas, hoc documentum accipiunt de quauis re definienda. At in eodem præcepto, per similia intelliguntur eiusdem speciei individua, propter eandem similemq; rationem definienda re participantia. Per alia verò, ea quæ etsi inter se eiusdem sint speciei, a superioribus tamen specie differūt, aut eiusdem speciei indiuidua, ob aliam atq; aliam rationē in re definiēda cōuenientia. Atq; vt hoc breuibus expediamus, exempla subijcimus. Esto visibile definiēdum, Respiciendū erit ad coruos particulares, qui idcirco visibiles sunt, quod per propriam nigroris speciē, nati sunt visum immutare. Deinde ad cygnos inspiciendū, qui ideo visibiles existunt, quoniam per propriam speciem albedinis visum immutāt. Et ita deinceps in cæteris coloribus, quibus omnibus vnum cōmune est vniuocum. Et proinde visibilis finitio hæc erit, esse id quod per propriam coloris speciem natū est immutare visum. Insuper si quis dixerit, consulem prudentē esse, quòd rectè & deliberet & consulat. Item & iudicē prudentē, quoniam rectè iudicat & pronunciat, similiter & alios prudentes, quòd rectè iudicata exequantur, his omnibus cōmunis est recta de rebus agendis ratio, Erit prudentis definitio, habere rectā rationem rerum agendarum. Cæterùm si in eiusmodi non experiatur aliquod cōmune vniuocum, vox proposita quæ definienda veniret, æquiuoca erit aut analoga, non autē vniuoca, quale est literæ exēplum, Themistij iudicio hunc locū sic interpretantis. Quoties (inquit) nihil continetur cōmune, tum scire oportet, species illas sub vno genere cōprehendi non posse. Causa exēpli. Quid est altitudo animi? Primùm sumo virtutis eius sensilia, hoc est, omnes qui magno animo memorantur fuisse, Alcibiadem, Aiacē, Achillem. Omnibus his cōmune illud aderat, iniuriam acceptā impunè abire non pati, sed hic bellando vincebatur, ille obirascendo. Alius sibi ipsi manū inferendo. Creduntur & Diogenes & Socrates magnanimi fuisse. Nunquid & hos in eo magnanimos dixeris, in quo Achillem, Aiacem, Alcibiadem, quòd iniuriæ impatiētes essent? Nequaquàm, sed in eo, ꝙ res quæ in fortuna essent positæ, aspernarentur insuperq; haberent. Ergo diuersa in his & in illis virtutis huius ratio est. Illi propterea magnanimi appellantur, quòd notā honoris modicè non tulerunt: Hi propterea, quòd bona fortunæ despicata contemptaq; habuerunt. Nihil in his visitur cōmune. Non est igitur magnanimitas genus, sed duæ virtutes sunt omnino adiunctæ ac dissimiles, sed quę societate sola nominis, vt cætera homonyma cōuenire videantur. Hæc Themistius, quæ ideo a nobis allata sunt, quòd nonnullos reperiamus qui hoc Philosophi exemplum aliter accipiant, relicta ipsius literæ vera intelligentia. Porrò de Alcibiade ex quinto Iustini libro apertum est quod hic habet Philosophus. Qui cum dux Atheniensium fuisset, re patū faustè gesta, in Siciliam vt audiuit se non modò damnatū, sed per omnium Sacerdotum religiones Dijs deuotū, impatiens iniuriæ totū conuertit ingenium, vt Atheniensibus bellum inferret, consiliato sibi Tisapherne Darij regis præfecto. De Achille autē, quòd iniuria offensus ab Agamemnone ob captā Briseida, suppetias aduersus Troes negauerit, Ex Homero habetur. Cuius rei item meminit Ouidius, inducens Briseida scribentem, vt arma quæ propter ipsam dimiserat capessat, hoc pacto.

Quid tandem expectas, Agamemnona pœnitet iræ,
 Et iacet ante tuos Græcia mœsta pedes,
Arma cape Aeacide (sed me tamen ante recepta)
 Et preme turbatos Marte fauente viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira.
 Simq; ego tristitiæ causa modusq; tuæ.

Porrò de Aiace, quòd sibi mortem consciuerit iniuria affectus ab Vlysse, decimotertio Metamorphoseos sic scribit Ouidius.

Hectora qui solus, ferrumq;, ignemq;, Iouemq;
Sustinuit totiens, vnam non sustinet iram,
Inuictumq; virum vicit dolor, Arripit ensem.
Et meus hic certè est, An & hunc sibi poscit Vlysses.
Hoc (ait) vtendum est in me mihi, quiq; cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit.
Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi Aiax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum
Qua potuit ferro, letalem condidit ensem.

De Lysandro (de quo Cicero in primo Officiorum, quo in genere patientissimum Lysandrum Lacedæ-

Linconiēsis Thomas. — Themistius — Lysander.

Lacedæmonium accepimus) ex quinto Iustini libro cognoscitur. De magnanimitate, tolerantiaq; & patientia Socratis, faceta magis quàm seria leguntur apud Laertium. At in Phædone & Menexeno magnanimus & patientissimus legitur, quippe qui vel æquo animo collachrymante lictore è manu famuli qui venenum miscuerat, delumpsit. Et idem calce a quodã percussus in publico, monitus ab vno assectatorum, vt hominem repercuteret, An (inquit) si asinus mihi calcem impegisset, in eum recalcitrarem? Porrò ne quis allatorum exemplorũ occasione falsus arbitretur, indiuiduorum posse reddi definitiones, vt id excluderet, mox subiecit Philosophus. Neq; ob hæc quis opinetur, singularium esse definitionẽ, vbi Singularium nomine accipienda veniunt indiuidua, hoc est, singularia simpliciter, quorum non sunt definitiones, sed vniuersalium tantum. Atq; huius rei probatio hunc sensum habet. Medicus non definit aut huius oculi hanc sanitatẽ, aut sanitatem huius oculi, sed sanitatem oculi vniuersaliter sumpti, aut ad certã speciem determinati, hoc est, humani. De reliquorũ enim animalium oculis, nulla est illi cura. Alij id de quo disserimus, ad hanc vel illam cõplexionem referunt, id est, oculum cholericum, sanguineum, melancholicum, & cæt. Post hæc vt definiendi modum nunc expositũ, quem dicunt esse resolutorium, superiorẽ verò diuisiuum ac cõpositiuũ, ostenderet esse conuenientem, subiecit Aristoteles, facilius esse singulare, id est, minus cõmune definire, q̃ vniuersale seu magis cõmune. Cuius ratio est, quia in vniuersalibus æquiuocationes magis latent, nec facilè potest discerni, an oĩa quæ sunt eorũ significatione cõprehensa, secundum eandẽ rationẽ dicãtur, vt patet de magnanimis superius assignatis, sed in ijs speciebus specialissimis quæ vlterius diuidi non possunt, cito discernitur, an eadem ratione dicantur, an non, ac proinde facilior est eorum definitio, quàm cõmunium, quorum æquiuocatio non facilè explicari, nec potest inexplicata definiri. Porrò ex ijs quę mox dicta sunt colligitur in litera, ex minus cõmunium definitionibus ascendentẽ ad magis vniuersalia, ipsorum colligere finitiones, id quòd sanè fiet, si in specierum indiuiduarũ finitionibus eandem reperiamus cõmunem rationem. At pro illius probatione subnectitur continenter, quòd æquiuocationes magis lateant in vniuersalioribus. Vitanda autẽ est æquiuocatio potissimùm a casu, cum aliquid definiendum suscipitur. Nempe ne definitum æquiuocum sit, néue ipsa finitio æquiuocum complectatur, quẽadmodum in Topicis fusius exponetur. Cæterùm hanc, de qua egimus, literæ partem, ad hunc modum interpretatur Themistius. Ex his (inquit) dilucet, longè facilius speciem indiuiduã finiri, quàm genus. Ea enim quæ singularibus insunt communia, magis quàm quæ speciebus, perspicua sunt. Definitio speciei ex singularibus, Definitio generis ex speciebus colligitur sanè. Præterea euidentior speciei, q̃ generis agnominatio, homonymiaq; est. Proinde species dicitur sensuum esse. Sensibilia facile ignoramus homonyma sint nec ne, vt hominem pictum a vero. Agnominatio generũ non nisi per collationẽ ad species discernitur. Ideo pictum animal, ὁμωνυμῶς animal vocatur, quia homo pictus ὁμωνυμῶς homo intelligitur. Si hæc vera sunt, expeditius finibus quærendis a speciebus incipere subireq; colligendo, q̃ a generibus descendere diuidendo. Hactenus ille. Porro nonnullos est reperire, qui existimant, Philosophũ de ea loqui æquiuocatione, quã Physicã appellant, secundum quã quodq; genus ob specierum sub ipso cõprehensarum multitudinem, dicẽdum foret esse æquiuocum, hi quoq; ad suæ sententiæ approbationem ex Physicis alijsq; Aristotelicis locis multa adserũt.

Verùm hæc expositio æquiuociq; acceptio, neq; consona est literæ deductioni, neq; ipsi Philosopho, qui quodãmodo perstringere videtur, quæ in assignãdis finitionibus sint obseruãda. Neq; enim solę species indiuiduè valent finiri, sed & ipsarũ genera, quẽadmodum superius est monstratũ. Nostra igitur sententia subindicat Philosophus, neq; æquiuocũ æquiuocè sumptũ esse definiendũm, neq; æquiuoco in definiendo vtẽdum esse. Atq; idipsum ab Aristotele subiunctũ esse suspicamur, q; iuxta Themistij sententiam id exemplum quod de magnanimitate prius assignatum fuerat, vtatur termino magnanimus, æquiuocè. Neq; ab hac nostra expositione multũ dissidenti vel illi, qui illud literæ exẽplum ad vnũ cõmune reuocãt. Cæterùm eiusmodi æquiuocationẽ in definitione vitãdam esse, arguũt quæ mox subnectũtur, dum in litera dicitur. Præterea sicut demonstrationes, syllogisticè oportet esse dispositas, ita definitiones esse claras atq; dilucidas. Et inter literæ exempla secundo loco accipitur acutũ, quod palàm est propriè esse æquiuocũ. Sed de his, æquiuocatione, metaphora, alijsq; in definiendo euitandis longeq; reijciendis, in Topicorum sexto libro fusius est considerandum.

Socrates.

Quomõ accipiendũ illud, Facilius est singulare, q̃ vniuersale definire

Themistius

In tertium caput, quod demonstrationis medium docet inuenire, annotamentum.

Vt autẽ facultatẽ habeamus.

POstquam ostendit quo pacto inuestigandum erat quod quid, hoc præsenti capite aperit quomodo inquirẽdum inueniendumq; sit propter quid est seu demonstrationis medium aliquot

Quomodo

Inquirendum sit propter quid est. Primi præcepti in litera assignati sententia.

aliquot documentis siue præceptis, quorum primum traditur, pro inuestigando essentiali medio particularis demonstrationis, cuius hæc est sententia, Si aliqua passio communior demonstranda sit inesse aliquibus speciebus, pro medio sumendum erit id genus, cui ea passio primò competat, vt homini, equo, boui, & cæt. monstrabitur inesse somnus & vigilia, quòd ipsa sint animalia, cui quidem animali competunt primò somnus & vigilia. Quòd si altera accipiatur passio, quæ non primò insit animali, sed alicui ipso inferiori generi, distribuendum erit genus propositum animal, donec perueniatur ad id genus inferius, cui primo illa insit, atque id pro medio erit in demonstratione assumendum, vt si gallus gallinaceus monstrandus sit esse scissipennis, & carpio non respirans, partiendum est animal in animal volatile, animal natatile, & cæt. hoc est, volucrem, piscem, & cætera. Deinde dissecanda est volucris, in animal quod penna volat, hoc est, auem. quod membrana sicca volat, & quod cute volitat: Quo peracto; ostenditur hoc pacto gallus gallinaceus esse scissipennis, Omnis auis est scissipennis, At gallus gallinaceus auis est, Est igitur gallus, & cæt. Item & carpio monstrabitur non respirare, quòd piscis sit, in quibus quidem demonstrationibus assumitur causa, & si non prima. Est enim subiectum, suæ passionis causa. ob quam eiusmodi passio subiecti speciebus tribuatur.

Secūdi præcepti explicatio duplex. Prior.

Cæterùm secundi præcepti pro inuestigando accidentali medio in litera assignati, dum dicitur, Quòd si genus id nomē nō habeat, duplicē reperimus interpretationem. Nam quidam hoc referunt ad genus nomine simplici innominatum, de quo item agebat prius documentum. Huic quoque nihil obsistere putant Boetianam versionem huius loci, sic habentem. Oportet autem non solum in his considerare, sed & si aliud aliquid videtur commune existens accipientem, & cæt. Nam dictionem aliud, facile referunt ad genus nomine simplici nominatum.

Posterior.

At nobis magis probatur altera expositio, asserens in priori documento mentionem fieri de quouis genere, siue nominato nomine simplici, siue composito, in hoc autem de accidente, natura conueniente generi vtroque modo innominato, hoc est, quadam proprietate secundum naturā ex eiusmodi generis essentia manante, ad quam aliæ quædam sequuntur eiusdem proprietates. Nam si genus (inquit Themistius) non habeat nomen, tamen affectio aliqua deprehendi potest, quæ compluribus ex natura sit communis, vt cornigerum esse, ex hac quæ sequuntur adiunctáque sunt, spectanda. Duobus igitur his præceptis docet Philosophus duplex inuenire medium propter quid ipsius demonstrationis eius, quæ non est potissima. Vnum quod subiectum sit ac causa demonstrandæ passionis. Alterùm quod passio existat, sitq; quodammodo prior atque causa aliarum subsequentium, Atq; ex hoc loco vtcunq; licet colligere, proprias eiusdem subiecti passiones, quendā inter sese ordinem obtinere, Esse cornigerum, apparet primo loco esse constituendum: Secundo autē, non habere dentes in superiori mandibula: At tertio duos habere ventres. Neq; hæ passiones inter se recurrunt, sed duos ventres obtinere latius patet, quàm esse cornigerum. De his enim sic scribit Philosophus tertio de partibus animalium, capite decimoquarto, Ventres nec magnitudine, neq; specie inter se similes sunt, sed quæ in sanguineo genere vtrinq; dentata & viuipara sunt, hæc simplicē habent ventrem, vt homo, canis, leo, & reliqua quorum pedes in plures digitos finduntur, & quæ aut solipeda sunt, vt equus, mulus, asinus, aut bisulca quidem, sed vtraq; parte dentata, vt sus, nisi aliqua præ sui corporis magnitudine aut difficultate cibi nō ad cōcoctionē idonei, sed spinosi & lignei, multiplicē habeāt, vt camelus, quēadmodum cornigera habent, quippe quæ non vtraq; parte dentata sint. Et camelus quidem (quanquam cornibus caret) ideo non supernè dentatus est, quod ei magis necessarium est ventrem talem habere, quàm dentes priores, Cum itaq; ventrē similem nō vtrinq; dentatis habeat, dentes etiam simili modo sortitur, vtpote parū necessarios, quin etiam cum cibus durus spinosusq; sit, & tamen linguam esse carnosam necesse sit, natura dentium portione terrena ad palati callum atq; duritiam abusa est. Ruminat igitur camelus more cornigerorum, quoniam ventres similes cornigeris habeat. Habent hæc singula plures ventres, vt ouis, capra, ceruus & similia, vt cum officium oris nō satis in molendo cibo adhibetur propter inopiam dentium, munus ventrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit, scilicet Primus, inconfectum: Secundus, aliquantulum confectum. Tertius, plenius. Quartus, perquàm plenè confectum. Ita fit, vt genus hoc animalium receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita sunt, aut indère licet, venter, arsineum, siue reticulum, omasum, abomasum. Et secundi libri de historia animalium capite 17. & noni capite vltimo. Sunt (inquit Aristoteles) etiam ex dentatis vtrinq;, nonnulla quæ ruminent, vt mures Pontici, & piscis quē ab ea re ruminalem quidam appellarunt. Hactenus Aristoteles.

Tertiū præceptum.

Cæterùm tertio præcepto in litera ibi reddito.

sibi reddito. Insuper alius modus peruestigandi medium,&c. instruimur, cùm aliqua proprietas pluribus conuenit analogicè, quomodo ossi, spinę, & sepio cōperit fulcire sustentareq; moles partes, accipiendumq; esse medium non omnino synonymum, sed proprietati respondens, hoc est, quod eisdem secundum analogiam conueniat, cuiusmodi est durum esse, vel solidum, vel aliud simile illorū comparatione, quanquā ea aut genere aut specie inter se dissideant. Atq; hinc deprehendere licet, analoga non in totum reucienda esse ab ipsis demonstrationibus, Neq; hanc illationem efficacem esse, huic in demonstratione locus est, igitur censendum est vniuocum. Porrò os est terrenorum animalium, Spina, piscium, Et sepium, sepiarum. Sepium (vt inquit Hermolaus in transferēdo Themistio) est quoddam insitum sepius validiusculum, latiusculum, fungosum, ac friabile, inter spinam & os naturā mediam referens, Sepia piscis notus, atramēto quod secum portat (ne deprehendatur) aquas inficiens atq; turbans. Postremò loco in litera ibi, Proposita autem dicuntur eadem quæ idem medium, &c. indicat Philosophus problematum eodem propter quid participantium varietatem, volens quidem specie esse eadem, quæ in eodem secundum speciem medio conueniunt, vt sunt omnia quorum causa est antiperistasis, hoc est, contrariorū vallatio atq; circunstantia, vt sunt, propter quid in vere niues esse, in autumno crebescere grandines, puteales aquas æstate esse algidas, & hyeme feruidas, calcem adhibita aqua incendi, & id genus alia, de quibus in Meteororum libris.

Alia sunt quæ specie discrepantia idcirco eiusdem sunt generis, quòd in eiusdem generis medio consentiant, vt propter quid reboat Echo, propter quid appareat in speculo rei obiectæ imago, &c. hæc enim fiunt repercussione alia atq; alia secundum speciem. Fit enim echo repercussione aeris moti à corpore sonante ad corpus cōcauum. Et in speculo rei obiectæ imago, reflexione visibilis speciei ad speculum. Iris autem prouenit ex radiorum solarium repercussione ad nubem roridam, sed & de his in Physicis plenè pertractatur. Quoniam igitur eiusmodi repercussiones specie inter se dissident, vndecunq; ea differentia nascatur, specie etiam discrepabunt ab inuicem illa problemata. Alia sunt problemata, quę & differunt, & eadem sunt, eò quòd vnius medium, sub alterius sit medio, atque ab eo pendeat. vt si quis rogatus, propter quid Nilus in lunaris mensis fine magis fluat? respondeat, quòd finis mensis hyemi est similior, hoc est, humidior. Deinde interrogatus, cur in fine mensis sit hyemi similior, dicat, quoniam Luna decrescit. Post hæc rogetur, ob quam causam Luna decrescat deficiatq;, & respondeat, eò quòd Soli iungatur in eadem cœlestis signi parte, hęc tria problemata sunt, Propter quid scilicet Nilus in fine mensis fluat, Propter quid mensis in fine est hyemi similior, Propter quid Luna deficit, quibus hæc tria respondent media, Mensem in fine hyemi esse similiorē, Lunam in fine mensis decrescere & deficere, Lunam in fine mensis in eadem signi parte cum Sole cōiungi. Quorū primum ex secundo, & horum vtrunq; ex tertio pendet. Huic expositioni consentit Themistius, Est (inquit) & alius modus, quo inter quæstiones multæ cōueniunt, vt cùm causa vnius quæstionis ab alterius pendet, & continetur sub illa. Verbigratia, quamobrem Nilus torrentior ab idibus videtur? quia mensis, quum exit, hyemantior est. Atq; hæc vna est quæstio, Quamobrem hyemantior est mensis quum exit? quia Luna tum decrescit, & collucere desinit, hæ duæ quæstiones diluuntur causa vna ferè, id est, coitu Solis. Sed interest, quòd coitus proxima ratio est, quòd Luna interlunis collucere desinat. Remota, quòd mensis vergens hyemantior sit, Remotissima, quòd mense prono fluuius concitatis & properantibus aquis vehatur. hæc Themistius. Cæterùm an id quod hic tribuitur Nilo fluuio Aegyptum alluenti septem ostiis discreto, & quotannis Sole solstitium æstiuum occupante, totam inundanti Aegyptum, aliis quoq; fluminibus vtcunq; competat, Physicæ est consyderationis.

In vnicum sexti tractatus caput, quod est de causis & effectis, Scholia.

De causa aūt, & de eo cuius est causa.

Quoniam in superioribus pertractatum est de quod quid est, & propter quid, quæ causæ munus subeunt, idcirco in hoc tractatu ad pleniorem prius dictorū intelligentiam congruenti ordine de causis & effectibus aliquot subiecit quæstiones, inter quas prima est, An causa & effectus sint simul, non quidem tempore, sed secundum consequētiam. Causam dico medium demonstrationis. Effectum verò conclusionē seu prædicatum conclusionis quod de subiecto demonstratur, vt arbor latifolia, vel potius arbor deficiens calido humore, medium est, defluere foliis effectus. Item motus, cōstituere terram directè inter Solem & Lunā & facere Eclypsim Lunę, de his ergo quęritur, An quicquid est arbor latifolia, foliis defluat, & contrà, quæcūq; arbor foliis defluat, etiam sit latifolia, videtur pars negatiua hac ratione probari, si causa & effectus simul sint atq; recurrāt, secundū consequētiam, tunc per se inuicē demōstrabuntur, id est, Sicut effectus per causam demōstratur, sic etiam poterit causa per effectum

Quid causa
Quid effectus.

demonſtrari per circulum, quod eſt abſurdiſſimũ. Sed huius rationis ſolutionẽ ſtatim ſubijcit, textus dicẽs. Quòd licet cauſa & effectus ſint ſimul & recurrant, ſecundũ conſequentiam, tamen ex eo nõ ſequitur, quòd cauſa poſſit demonſtrari per effectũ, niſi demonſtratione quia eſt. Nam omnis demonſtratio propter quid procedit ex natura prioribus ac notioribus, effectus verò non natura prior aut notior ſua cauſa. & rurſus demonſtratio ex cauſa procedit, quare non poterit cauſa per effectum demonſtrari, niſi fortè cõtingat effectũ etiam ſuæ cauſæ viciſſim eſſe cauſam. Poſt hæc ibi. An fieri poteſt, vt vnius, &c̃. proponitur ſecunda dubitatio, ex cuius dilutione quodammodo pendet primæ ſolutio. Ea eſt. An vnius eiuſdemq; effectus valeãt plures eſſe cauſæ? Cui mox adhibet ſolutionẽ, facta quadã hypotheſi dicens, ꝙ ſi idem effectus primò & immediatè prædicetur de pluribus, quorũ neutrum conuertitur cum effectu, ſed ſolum diſiunctũ ex ipſis conflatum, & hæc de alijs dicantur, quibus monſtretur ineſſe effectus per ea quibus primo ille effectus competat, tum vnius eiuſdemq; effectus plures erunt cauſæ, & ex qualibet cauſa ſequetur effectus. Ex effectu verò non valebit inferri vlla cauſa determinata, ſed ſolum hæc vel illa, id eſt, omnes ſub diſiunctione ſumptę. Porrò in litera per a poterit accipere lector, vituperabile: per b, ſuperabundantiam : & per c, defectum: per d, audaciam: & per e, timorẽ. Si primo itaq; vituperabile inſit & ſuperabundantiæ & defectui, modo mox dicto, rectè ſequetur à cauſa ad effectum: Superabundantia eſt, ergo vituperabile eſt: Defectus eſt, igitur eſt & vituperabile. non autem contra colligitur, ſi vituperabile eſt, eſſe ſuperabundantiam: Aut defectum eſſe, ſi ſit vituperabile. Sed duntaxat ſequetur ſuperabundantiam vel defectum eſſe, ſi ſit vituperabile. Inſuper & hæ demonſtrationes. Omnis ſuperabundantia eſt vituperabilis, & omnis audacia eſt ſuperabundantia, eſt igitur omnis audacia vituperabilis eſt. Omnis defectus vituperabilis eſt, omniſq; timor eſt defectus, ergo omnis timor eſt vituperabilis: eundem effectum colligent cõpetere diuerſis, per diuerſas cauſas. At percontabitur fortaſſis quiſpiam, quãobrem diluens dubitationem, hypotheſim addiderit. Huic breuibus imprimis reſponſum ſit, idem poſſe primo pluribus competere, & de his mediantibus, alijs quoque in primo per ſe dicendi modo, vt patet in genere & ſpeciebus ſubalternis ſub ipſo comprehenſis. Verùm ſecundum hunc modum, non ſumitur prædicatum quod effectus rationem habeat, ſed potius cauſę eſſentialis conditionem ſubdit, eorum comparatione de quibus prædicatur, ad quorum quodlibet ſeorſim ſumptum, aptum eſt conſequi, id quod haud difficile eſt nonnullis exemplis enucleare. Inſuper id fieri nequit in ſecundo per ſe eſſe modo proprijſſimè accepto, ſecundum quem neceſſum eſt, ipſa ſubiecta ſecundum ſe contineri in rationibus prædicatorũ, quæ ſunt effectus & proprietates ſubiectorum. An autẽ id contingat in ijs, quæ ad ſecundum modum propriè acceptum reducuntur, ex eo pendet: An omnis proprietas propriaq; paſſio ſubiectum aliquod requirat, cum quo recurrat, nec ne? Tertia quæſtio ſubiungitur, dum in litera ſequitur. An ſemper cum id quod proponitur, eſt vniuerſale, & cæt. cuius ſumma hæc eſt. An ne cum proponitur problema vniuerſale, ſemper neceſſe ſit cauſam quæ inquiritur eſſe quoddam totum, id eſt, vniuerſale. Item & effectum illius cauſæ eſſe vniuerſalem, & proinde hæc inter ſe eſſe æqua & conuertibilia? Propoſitum ſeu problema vniuerſale dicitur, quod interrogat de cauſa vniuerſali, vnica & conuertibili, ſiue prædicatum effectũ deſignans ſubiecto conueniat primò & conuertibiliter, ſiue non, vt ſunt, propter quid arboris latifoliæ folia citius defluãt? Propter quid vitis cito defrondeſcit? Contrà particulare eſt, quod cauſam interrogat particularem, vt ſi quis iuxta ſuperioris quæſtionis declarationẽ roget: Propter quid audacia ſit vituperabilis, & propter quid timor ſit vituperabilis, ea intẽtione vt reſpondeatur, quia ſuperabundantia eſt vituperabilis, & quoniam defectus eſt vituperabilis. Cui quidem expoſitioni conſentit ratio allata ad dictæ dubitationis affirmatiuam partem, dum dicitur. Nam folia fluere toti cuidam determinato ineſt, arbori videlicet latifoliæ, cuius ſi ſint ſpecies, etiam illis vniuerſaliter ineſt, nempe per cauſam vniuerſalem atque conuertibilem, ſcilicet denſitatem humidi, hoc eſt, condenſationem exſiccationemque humidi viſcoſi, non in quolibet, ſed in planta. Cæterùm his tribus quæſtionibus recenſitis, noſtro iudicio non plenè reſponſum eſt, quanquam alijs aliter videatur. Nam in primis dubitationi implicitæ in ratione allata ad partem primæ quæſtionis negatiuam duntaxat factum eſt ſatis. Ad ſecundam ſub hypotheſi reſponſum eſt. Ad tertiam verò tantum abducta eſt ratio ad affirmatiuam partem, eamq; veram in materia propoſita. Poſt has igitur quęſtiones quartum dubium proponit litera, ibi. An fieri poteſt, vt vnius in pluribus (alij in omnibus legunt) diuerſę ſint cauſæ, &c̃. Ex cuius diſſolutione cuncta quæ prius addubitata erant, euadent manifeſta. At huius quęſtionis intẽtio nõ eſt, An ſimpliciter alicuius

Quæſtionis occurrentis ſolutio.

Tertia quæſtio.

Quarta dubitatio.

alicuius eiuſdem effectus, plures ſint cauſæ in eodem aut diuerſo cauſarum genere, quemadmodum commentatorum nonnullis viſum eſt, (Nam id ita eſſe, in rebus naturalibus eſt apertiſſimũ) ſed hæc eſt, An alicuius vnius effectus, diuerſis ſecundum ſpeciem aut genus conuenientis, ſit in omnibus, in quibus reperitur vna atque eadem cauſa. An in aliquibus ſit vna, & in alijs alia, ſiue eiuſmodi cauſa plures contineat complectaturꝙ cauſas, ſiue vnicã. Is etenim ſenſus accõmodus omnino eſt ijs, quæ prius in dubium reuocata ſunt, quem etiam ſubindicat illud literæ, In pluribus vel in omnibus. Huic quæſtioni, & ſi ſub cõditione in litera reſpondeatur, accipienda nihilominus venit ſolutio velut legitima atꝙ vera. Et quoniam Philoſophus de cauſa & effectu conſiderationem ſuſcipit, quatenus demonſtrationem ingrediuntur & procreant, mox aperit duplicem eſſe demonſtrationem. Vnam per ſe, Alteram per accidens, aut per ſignum. ea per ſe demonſtratio eſt, quæ ex propoſitionibus per ſe primo aut ſecundo modo conſtat, ſiue quæ proprietatem aliquã de ſuo æquo recurrenteꝙ ſubiecto monſtrat, per propriam, primam, adæquatamꝙ cauſam, quam ſubinde pluribus in locis diximus eſſe demonſtrationem propter quid & potiſſimam. Demonſtratio autem per accidens ſeu per ſignum eſt, cui horum trium aliquod deficit, vt ſi ſit vel cauſæ, vel ſubiecti, vel paſſionis inæqualitas. Id quod indicat ea literæ portiuncula, Eſt autem & cuius eſt cauſa, & cui eſt cauſa, conſiderari ſecundum accidens: Perinde atque diceret Philoſophus, Non ſolum contingit cauſam conſiderari haberique ſecundũ accidens, ſed & effectum cuius eſt cauſa, & ſubiectum cui effectus ineſſe monſtratur, atꝙ ob hanc vnius termini cum reliquis inæqualitatem, dicetur eiuſmodi demonſtratio cõtineri ſub ea, quæ in priori libro definiebatur eſſe particularis.

Eiuſdẽ dilutio.

Demõſtrationũ vna per ſe eſt.
Et altera ꝑ accidens.

Cæterùm non nobis ſilentio prætereundum, hic eandem eſſe demonſtrationem per accidens & per ſignũ, quanquam alia atꝙ alia ratione. Dicitur etenim per accidens demonſtratio, eò quòd ſecundum aliud & non per ſe, ſimpliciter, abſolutè, ac immediatè monſtrat effectum ſubiecto conuenire. Nam hoc pendet ex demonſtratione potiſſima, in qua æqui recurrentesque ſunt omnes termini. Vocatur quoque eadem demonſtratio ſecundum ſignum, non quoniam per effectum cauſam monſtrat (Prius enim admonuimus, in præſentia ſermonem eſſe ſuper ipſius rei cauſa) ſed quia dicta interueniente inæqualitate, non perfectè cognoſcitur paſſio cõuenire ſuo proprio ſubiecto, (id quod demõſtratoris ſcopus eſt) ſed ſignũ ipſius duntaxat habetur.

Eadẽ eſt demõſtratio ꝑ accidẽs, & ꝑ ſignum, alia atꝙ alia ratione.
Secũdum ſignũ demonſtratio.

Porrò ſecundum hanc demonſtrationis acceptionem, duplicem ſecundũ rem ipſam, triplicẽ attamen ſecundum conſiderationem, duplex eſt cauſa, Vna per ſe, quę demonſtrationi per ſe conficiẽdæ eſt idonea. Altera per accidens, quæ quidẽ ſufficit monſtrãdo effectui, eo quòd per ſe cauſam in ſe cõplectatur, ſed ſpecialior minuſꝙ cõmunis eſt demonſtrãdi effectus cõparatione, cuiuſmodi ſunt harũ demonſtrationũ media, Omne animal eſt nutribile, omnis homo eſt animal, ergo oĩs homo eſt nutribilis. Omnis planta eſt nutribilis, omnis quercus planta eſt, eſt igitur nutribilis oĩs quercus. Nam animal & planta, eſſentialiter complectuntur in ſe corpus animatum, quod nutribilitatis prima, immediata, & æqua eſt cauſa. in his igitur effectus proponitur, qui & cauſæ & ſubiecto cui ineſſe monſtratur eſt communior. At hæc ſpecialior ſtrictiorꝙ cauſa, dicitur eſſe cauſa per accidens ſiue per aliud, collatione effectus ſibi velut ſufficienti cauſæ attributi: Item & ſignum, non ipſius paſſionis ſeu effectus, ſed per ſe cauſæ. Cum etenim perpendimus, cauſam ab effectu excedi, eamꝙ minus patere, inducimur ad per ſe cauſæ inquiſitionem. his plura adijceremus, niſi nobis breuitati quantũ licet foret ſtudendum, & nos non lateret, quæ diximus, intelligendæ Ariſtotelicæ literæ eſſe ſatis.

Duplex cauſa.
Vna per ſe.
Altera per accidens.

Dubitationis itaque quartæ dilutionis ſumma eſt, eius effectus, qui per ſe alicui ſubiecto demonſtratur, vnã eſſe per ſe cauſam, & non plures, in quibuſcunꝙ contigerit illum effectum reperire, vt aptum natum ſentire, per ſe animali demonſtratur ineſſe, ex hoc quòd ſit corpus animatũ ſenſibile. Et proinde neceſſum eſt in vniuerſis, quibus ea ineſt paſſio ſeu effectus, vnicam per ſe cauſam eſſe, nempe corpus animatum ſenſibile. Quod ſi idem effectus per accidens alicui ſubiecto competere monſtretur, accidet eius effectus plures eſſe per accidens cauſas, quemadmodum his exemplis declarari poteſt. Omne animal greſſibile aptum eſt ſentire, At equus animal eſt greſſibile, eſt igitur equus natus ſentire. Omne animal volatile eſt aptum ſentire, & aquila eſt animal volatile, ergo aquila apta nataque eſt ſenſu quicquam percipere, & ita in reliquis animalium generibus. Verùm in his alijſque ſimilibus id quod per accidens cauſa exiſtit, tandẽ in cauſam per ſe eſt reuocandum. Porrò omiſſa Diui Thomæ, poſteriorumꝙ commentatorum, imo & priorum (inter quos & Themiſtius) in hunc locum expoſitione, maluimus Caietani hac in parte a Diuo Thoma diſſentientis (& ſi id diſſimulet) explicationem amplecti, quòd magis conſentiat ijs, quæ poſterius in litera ſubijcientur.

Ad quartã dubitationẽ ſolutionis expoſitio, ac ſumma.

Thomas.

Vni effectui oportet respōdere causam vnam.

Relicta itaq; per accidens causa ac demonstratione ex ipsa construenda, dum in litera subnectitur, ibi. Quod si causa per se & vna afferatur, &c. proponit ostenditq; Philosophus, oportere causæ per se vnitatem respondere vnitati ipsius effectus monstrandi, ita quod si effectus vnus existat, idemq; aut secundum speciem, aut secundū genus. Item vel analogus vel æquiuocus, eiusmodi necesse est esse causam seu medium, quod non oportet accidere, si per accidens causa assumatur. Nam si monstraueris hominē esse nutribilem, quòd sit animal rationale, effectus secundum genus vnū est, causa autem secundum accidens, secundum speciem vna est, & ita in reliquis. Verùm hic Aristotelis locus diuersimodè legitur. Nam textus quem vt in plurimū sequimur, apparet esse ex Themistio depromptus. Ratio igitur (inquit) maioris extremitatis, quæ in conclusione ponitur, medium est. Quocirca maiori extremitati respondere medium oportet, vt si homonyma, id est, cognominis hęc sit, homonymū & medium sumatur. Si ad proportionē similis, id est, analoga, eodem modo & medium ad proportionem simile afferatur. Versio autem Boetiana ad hunc habet modum. Est autem & cuius causa, & cui, considerare secundum accidens, non tamen videntur proposita esse. Si autē non, similiter se habebit medium, si quidem sunt æquiuoca, æquiuocum medium est. Si verò sicut in genere, similiter se habebit, vt propter quid commutabiliter, analogum. Alia enim est causa, in numeris & in lineis. Et eadem quidem inquantum lineæ, alia. Inquantum autem habens augmentum huiusmodi, eadem sic in omnibus. Similem autem esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam esse causam alij. Aequiuocū enim est simile in his, hic quidem est fortassis secundum analogiam, habere latera & æquales angulos. In coloribus autem, vnū sensum esse, aut aliquid aliud huiusmodi. Quæ autem secundum analogiam sunt eadem, & medium habent secundum analogiam. Cæterùm id quod de permutata proportione in litera dicitur, refert Albertus ad analogum, quod Diuus Thomas, Egidius Romanus, & plerique alij existimant ad vniuocum pertinere effectum. Sed de his abundè satis. Porrò decimaquarta septimi libri Elementorū Euclidis monstratur, cur numeri continuò proportionabiles, id est, sic se habentes, vt quæ proportio sit primi ad secundum, eadem sit & tertij ad quartum, cuiusmodi sunt 12.6.8.4. inter quæ dupla consistit proportio, permutatim sint proportionales, hoc est, vt qualis fuerit proportio primi ad tertium, talis sit & secundi ad quartū, vt duodecim ad octo proportio est sesqualtera, quæ est & sex ad quatuor. In cōmuni autem de omni quantitate idem monstratur decimasexta propositione quinti libri, in qua demonstratione licebit inspicere id, quod de augmento, velut causa, hic adfert Aristoteles, cuius declarationem breuitatis amplectendæ gratia prætermittimus, ad literæ reliqua transeuntes.

Themistius

Boetiana versio.

Euclides.

Primæ dubitationis in litera assignata solutio.

Adhibita igitur quartæ quæstioni sua solutione, in litera ibi. Causa autem, & cuius est causa, & cui est causa, & cætera. regreditur Philosophus ad primam quæstionem dissoluendam, adiecta comparatione causæ & effectus, ad effectus subiectum. Cuius sententia est, per se causa alicuius effectus, effectus ipse, & proprium effectus subiectum, sese mutuo consequuntur. Vt si figura recti linea trilatera, habens angulum extrinsecum duobus internis oppositis æquum, est, habere tres angulos duobus rectis æquales est: est quoque triangulus, & contra. Quòd si sumantur cum per se causa & effectu particularia subiecta, ad hæc consequetur & causa & effectus. verùm hęc cum illis seorsim sumptis non conuertentur, sed duntaxat cum omnibus sub disiunctione acceptis, vt triangulo existente aut quadrato, & cęt. est & habere omnes extrinsecos angulos quatuor rectis æquos, & externos internosque angulos figuræ poligoniæ bis tot rectis, quot habuerit poligonia figura angulos, non autem ediuerso. Item & si vitis sit, aut ficus, aut aliqua arborum latifoliarum alia, erit & ciro natum defrondescere, & succū desiccari ad contractū folij & ramusculi, seu marcescere succū qui ex seminis origine cōtrahitur, substātificusq; est, nō ediuerso. Sic itaq; sumptis particularibus subiectis, & causa per se & effectus, illis subiectis cōmuniores erunt. Quòd si prætermissa per se causa, particulares assumātur causæ ac speciales eiusdē effectus, is quidē effectus eā causam consequetur, non aūt contra. Vt si sit animal cholera carēs, & si qua volucrum sicca est, longæuum est. non aūt ediuerso sequitur, longæuū est, ergo animal superflua cholera carens existit. Hæc quoq; eandem retinent habitudinem, cū in demonstratione conficienda assumuntur, quēadmodum indicat litera, ibi. Et in figuris syllogisticis sic manifestum erit, &c. Cæterùm an siccū esse in volatilibus, & in quadrupedibus cholera carere, in vnā eandemq; rationē ac causam reducātur, quæ prima sit æquaq; diuturnæ vitæ, in dubium relinquit Philosophus, cum id non sit Logicæ considerationis, sed potius Metaphysicæ, quēadmodum & illud, An omnis proprietas propriaq; passio immediatum exigit subiectum, siue nominatum siue innominatum, cui immediatè insit, & cum quo recurrat.

Porrò


Porrò quãtum ad literæ exẽpla attinet, Primo meminit Philosophus illius effectus, qui est Habere omnes externos angulos quatuor rectis æquos, quẽ demõstrat Campanus inesse omni figuræ poligoniæ, trigesima secũda primi Elementorũ Euclidis propositione, adhibito eo medio, cuius prius mentionẽ fecimus. Verùm vt id in singulis figuris sigillatim fit lectori cognitũ, nõ grauabimur nõnulla subijcere, quæ id vtcunq; explicẽt. Poligoniarũ figurarũ omniũ prima est triangulus, cuius omnes anguli & interni & externi simul sex sunt, qui per decimam tertiã primi Elemẽtorum ter sumptã, æqui sunt sex rectis (Est aũt ea propositio eiusmodi, Omnis rectæ lineæ supra rectã lineã stantis, duo vtrobiq; anguli aut sunt recti, aut duobus rectis æquales) Demptis igitur tribus internis, qui per 32. eiusdẽ libri duobus rectis æqui sunt, externi æquãtur quatuor rectis. Itẽ in quadrangula figura, intrinseci & extrinseci anguli sunt octo recti, per eandẽ 13. quater sumptã. At ea resoluta in duos triangulos, omnes interni anguli erũt 4. recti. Qui igitur supersunt extrinseci, sunt quatuor recti. Similiter pentagonæ figuræ per eandem 13. omnes interni & externi anguli æquãtur decẽ rectis, quã si in triangulos resolueris, offendes oẽs internos sex rectis esse æquales. Residui igitur externi, quatuor rectis æqui sunt. Quòd si quis in vniuersum desideret cognoscere, quot internos angulos æquales rectis habeat hexagonus, cæteræq; subsequentes figuræ rectilineæ, eam figurã distribuet partieturque in triangulos, protractis lineis rectis ab angulis singulis ad datæ figuræ centrũ vsq;, quo peracto, quatuor angulis sublatis, figuræ propositæ anguli æquales erunt tot rectis, quot restabunt illis quatuor substractis. Verbi gratia. Proposita figura hexagona, distribuatur in sex triangulos, qui octodecim angulos cõplectuntur duodecim rectis æquos. Ab his auferas quatuor, restabunt octo rectis æquales in ipsis triangulis. Et proinde hexagonus sex continebit angulos internos octo rectis æquales. Atq; in reliquis simili modo est progrediendũ. Id quod si lector probè intellexerit, facilè deprehendet, omnẽ figurã poligoniam externos angulos omnes, duntaxat quatuor rectis æquales habere. Sed de his hactenus. nam geometricæ sunt considerationis. At pro alterius exẽpli maiore cognitione, adferri valet id quod scribit Theophrastus primi libri de historia plantarũ capite decimoquinto. Omnibus (inquit) autumno & per autumnum folia decidunt, alijs tamẽ ocyus, alijs tardius, vt quędã etiã ab hyeme occupẽtur. Foliorũ iactura nõ ita germinationi respondet, vt quæ prius germinauerint, prius folia dimittant. sed nonnullæ germinãt quidem præmaturius, sed nihilo ante cæteras folia dimittunt. Quinimò quibusdam tardiores inceptãt, ceu amigdala, Quædam serotinæ germine esse solent, sed nihilo (vt ita diximus) tardius quàm cæteræ folia deperdunt, vt morus. Regio autẽ, solumq; madidum plurimũ ad perdurãdum conferre videntur. Quæ enim in siccis atq; in totũ tenuibus locis extant, prius folia dimittunt. & veteres prius quàm nouæ. Quædam & antequàm fructũ percoquant, folia deperdunt, vt serotinæ fici, & pyri syluestres. Illis quæ perpetuò virent, occasus ortusq; vicissim occurrunt. Non enim semper eadem durãt, sed alia proueniunt, alia exarescunt. Idq; circa æstiuum solstitium maximè factitari videtur. Et paulò superius. Omnia tam in his, quàm in reliquis generibus, quæ coma perpetua virent, folijs angustioribus sunt, & pinguedinem quandam suauemq; olentiam reddunt. Nonnulla, quanquam sua natura semper virere nequeãt, tamen ex loci causa, folia nunquam dimittũt. Hæc Theophrastus. Ex quibus consequens est, vt quæ arbores sint latifoliæ, citò perdant frondium humorem, folioq; fluant ad defrondescant. Cuius causam, queadmodum superius dictũ est, asserit Philosophus esse succi arescentiã, quæ in illis citius maturiusq; fit. Et proinde citius sint folia decidua, necesse est. Cæterùm quæ ad tertium exemplum attinet, de vitæ videlicet prolixioris diuturniorisq; causa in diuersis animãtibus, An eadẽ sit in omnibus, An in diuersis alia atq; alia, in Physicis sunt pertractãda in eo libro, qui apud Aristotelẽ inscribitur, De longitudine & breuitate vitæ. Hactenùs de causis & effectis, eorumq; mutua & non recurrente illatione.

Explorum literæ explicatio.

Triãgulus.



Quadratũ.



Pentãgulus



Hexagonus



In septimi ac vltimi huius secũdi Posteriorum Analyticorũ libri tractatus vnicũ caput, cõplectentis, quod de principiorum cognitione à nobis assequenda considerat, scholia.

De principijs aũt quẽ admodum.

POstquàm determinauerit Philosophus de incomplexo demonstrationis principio, quod quid est videlicet, & propter quid, & ijs quę ad ipsum pertinebãt, In hoc septimi ac vltimi tractatus vnico capite agit de complexis principijs, monstrãs quonã modo eorum cognitio nobis ingeneretur, & quis sit habitus, quo illa cognoscuntur. In initio autem proponit ex prius dictis pluribus in locis, fieri non posse, vt quis per demonstrationem per se, scientiam habeat, nisi prius & immediata cognoscat principia, a quibus pendet res ipsa scibilis. quo quidem (ni fallamur) insinuat Philosophus, ea quæ hic considerat ad scientiam demonstratiuam pertinere, ne quis cum nonnullis putet, hunc tractatum non propriè esse

demonstratiui negotij. Et quia quod diximus non tantum veritatem habet in cōmunibus principijs, verùm & in proprijs, ideo quę hic ab Aristotele traduntur, nō cōmunibus duntaxat applicāda sunt principijs (quēadmodum plures voluere) sed & proprijs: imò potius proprijs, quàm communibus, vt posterius ostendetur.

Primę quæstionis in litera assignatæ sensus.

Post hæc mox mouet Philosophus tres dubitationes, quarum primæ potest esse sensus aut iste, An omnium principiorum immediatorum sit eadem cognitio, eodem designata nomine, facta principiorū relatione ad seinuicem. Huic autem sensui satis factum est in priori libro, cum de dignitate & positione ageretur: Aut hic, An principiorum cognitio eâdem acquiratur via, qua & scientia quæ est de conclusionibus,

Themistius. Cōmētator.

quem sensum sequitur Themistius & Commentator. Necesse est (inquit ille) prima principia ante cognosci a nobis, dicere, aut non cognosci. Si cognoscimus, aut demonstratione, aut alia via cognoscimus. In quo quidem sensu quæstioni satis fit per tertiæ quæstionis solutionem. Potest & hic quæstionis esse sensus. An principiorum cognitio sit eadem cum conclusionum cognitione, atq; eodem nomine nominata? Cui sensui respondetur in textus calce.

Boetius. Quæstionis secundę duplex sensus. Thomas. Themistius. Posterior. Cōmētator. Linconiēsis. Albertus.

Porrò secunda quæstio apud Boetium sic legitur. Et vtrum scientia in vtroque est, an non? An huius quidem scientia, Illius autem alterum aliquod genus sit? Cuius quidem quæstionis duplex est sensus. Vnus, secundum quem conferantur ad seinuicem principia, sitq; quæstio, An omnium principiorum indemonstrabilium sit scientia? An nonnullorū? An aliquorum sit scientia, & aliorum aliud notitiæ genus? Quem sensum habet D. Aquinatis expositio, a qua non dissidet Themistius, dicens. Item aut scietia aut virtute omnino aliqua. Pleraq; enim sciri per demonstrationem non possunt, quæ nihilominus sciuntur, vt finitiones. Alter sensus est, secundum quem principia ad conclusiones comparantur, quemadmodum explicat noster textus, huncq; sensum amplectuntur Commentator, Linconiensis, & cæteri. & hi asserunt, secundam quæstionē esse primæ expositiuā. Adeò enim sunt vicinæ hæ quæstiones, vt Albertus ex ipsis vnicā effecerit. Est igitur quęstio. An pricipiorū immediatorū cognitio eadē sit cū cognitione illatarū cōclusionū? Id est, An principiorū sit scientia, An cōclusionū mediatarū solū sit sciētia, & pricipiorū immediatorū aliud cognitionis genus, q̄d intellectus appellat.

Tertia quęstio. Platonici. Peripatetici.

Cæterùm tertia quæstio id cōplectitur, in quo dissident a Platonicis Peripatetici. Nam illi arbitrabātur, ab ortu nobis inditos esse cognoscitiuos habitus & principiorum & cōclusionū, eos tamen nos latere, neq; a nobis posse deprehendi inesse, nisi adhibito studio. hinc quoq; affirmabāt, omnē nostram scientiam esse reminiscentiam. Contra Peripatetici existimabant, ab ortu animam rationalem omni habitu nudam esse, perindeq; sese habere, vt tabulam in qua nihil depictū est, & in nobis iam adultis per inuentionem aut doctrinam adgenerari habitus cognoscitiuos principiorum & conclusionum, frequenti actuum iteratione, quemadmodum & virtutes.

Peripateticorū contra Platonicos ratio. Maxima.

Quamuis autem ad vtramq; opinionē plures sint rationes, hoc loco tamen duabus duntaxat vtitur Philosophus, quæ nonnullis videntur esse præcipuæ. Prior pro Peripateticis cōtra Platonicos ponitur, ibi. At primum id absurdum est, & cæt. In qua quidē ratione, quæ a minori ad maius desumpta esse apparet, per demonstrationem intellige scientiam demonstratiuam, quæ ipsius demonstrationis est effectus. Ex hac autem textus parte depromi solet illa vulgata maxima, Non posse in nobis vllum inesse habitum, quē non facilè queamus deprehendere nobis inesse. Atq; hanc ad eos restringunt habitus, quos vocant non infusos. Etenim infusis habitibus, quales sunt Theologicæ virtutes, Fides, Spes, & Charitas, quas non nouerant Philosophi, opposita competit conditio & proprietas. Cognoscuntur autem inesse habitus per suos actus, ad quos facilè, promptè, ac cum voluptate, aut delectatione efficiendos, habentem procliuem reddunt.

Platonicorū ratio aduersus Peripateticos.

Porrò altera ratio pro Platonicis contra Peripateticos illic assignata, Si verò illos habitus acquirimus, & cæt. ex ea propositione robur accipere videtur, quam in superioris libri exordio proposuerat Philosophus, Omnem doctrinā atq; disciplinā ex præexistenti fieri cognitione. Cognitione autē principiorum nulla alia apparet esse prior, quemadmodum principio indemonstrabili nihil esse prius, per quod queat cognosci. Porrò huius tertiæ quæstionis, a qua duæ priores pendent, decisionē prius aggreditur, exactissimè atq; pulcherrimè quædam præmittendo, quæ prorsus necessaria sunt pro pleniori cognitione eorum quæ dicentur assequenda.

Literę explicatio.

Dicit igitur imprimis, necesse esse nos a natiuitatis initio ac ortu quandam habere potentiam, quæ prius nobis competat, q̄ principiorum cognitio, & si hęc a natura insita potentia inferior sit ac imperfectior intellectiua potentia, ad quam principiorum pertinet cognitio. Et illius cognitio minus certa sit atq; euidens cognitione principiorum. Vnde autem huiusmodi certitudinis diuersitas emanet & profluat, alijs relinquimus inquirēdum.

Omni aīali inest sensus.

Post hæc mox subnectit, hanc insitam potentiam (quā naturales sensitiuam exteriorem vocant)

cant) omnibus inesse animalibus, eò quod animalia ab ortu habeant omnia, quandam discernendi facultatem atque potentiam inter id quod illi obiicitur tanquam amicum, aut vt inimicum. De qua re sic habet Philosophus libri De sensu & sensato, primo capite. Ipsis animalibus sensum inesse, qua nimirum ratione quodque animal est, necesse est. Nam hoc ipso esse animal, & non esse, definiuimus. Tactus & gustus, animalia omnia necessariò comitatur. Tactus, ob eam quam in libris De anima explicuimus causam. Gustus, ob alimentum. Nam gustus quod voluptate afficit, quodque dolore, in alimento discernit ac diiudicat, adeò vt hoc fugiat, illud persequatur. Deinde tertio superioribus adiicit duas diuisiones, cognitu dignissimas, quarum prior est, Animalium, quibus à natura insitus est sensus, nonnulla sunt quæ facto sensu, siue sensatione (quæ quidem particularia, neque in Boetiana, neque Argyropiliana versione reperitur) hoc est, absente re sensibili, diutius retinent formam seu imaginem rei sensibilis. (Genitiuus enim αἰσθήματος, quo vtitur Aristoteles ad obiectum sensibile videtur esse referendus, non ad imaginem, siue speciem, quam soliti sunt vocare sensibilem) Huiusmodi existunt cuncta animalia perfecta, quibus insunt omnes sensus tum exteriores tum interiores, & quæ motu progressiuo sese mouent. Alia sunt, in quibus sensibili exteriori absente, non fit imaginis rei sensibilis retentio. Et horum quædam reperiuntur, in quibus nullo modo seruatur imago, quales sunt conchæ, ostreæ, vermiculi, muscæ, culices, & alia id genus, quæ inter animalia infimum locum occupant. Alia sunt, quæ absente sensibili, speciem rei sensibilis quidem retinent, sed non diuturna temporis mora. Illis absente sensibili, & ablata exteriori sensatione, interit eiusdem rei interior sensatio, his autē non conuenit vllo modo, aut tantisper duntaxat, dum forma interiori inhæserit sensui, & in ipso perdurauerit. Hęc animalia memoria non sunt prædita, illa eam ipsam habēt, idque potissimùm hac diuisione voluit indicare Philosophus. Porrò quod diximus, de iis animantibus quæ aliquantula mora, absente sensibili, imaginē recondunt ac seruant, intelligit Albertus de perfectis animalibus, ipsisque hominibus, qui subinde ob ad alia vehementē animi attentionē, rerum earum quę fortè fortuna sensibus obiiciuntur, imagines non seruant. Diuus autem Thomas id de quo agimus, ad ea refert animalia, quæ debiliorum sensibilium species nec minimo temporis interuallo, vehementiorum autē aliquantulo reseruant. Verùm is sensus, quem prius sumus persecuti, textui Aristotelis magis est accommodus, & Themistii verbis prorsus consentaneus, quæ in hunc Aristotelis locum sic habent, Sed quamuis omne animal instructum sensibus sit, non tamen iudicio æquè valet omne. Sunt enim ex iis alia, quæ abiuncto sensili, spectrum eius diutius seruant, Alia quæ non seruant. Eorum quæ non seruant, quædam omnino non seruāt, vt muscæ, vermiculi, culices, Quædam exiliter, vt brutorū & auicularum nonnullæ, quæ cantibus, quos audiunt, insuescunt. Et in quorum animis res sensibus perceptæ non mansitant, nihil sine sensu cognoscunt. Hactenus ille. Altera aūt diuisio, qua superioris prius membrum in alia distribuitur, hæc est, Animalium, in quibus semoto sensibili fit permanens formæ ipsius sensibilis mansio, id est, in quibus memoria inest, quædā ratione vtuntur, quales soli sunt homines. Alia verò minimè, cuiusmodi bruta sunt omnia, quibus non competit propriè ratiocinatio (id enim hoc in loco est ratio) licet aliqua eorum quoddam ratiocinationi simile habere deprehēdamus. De his aūt quæ nunc tractamus, in hunc modum tradit Philosophus in exordio primi Metaph. Animalia igitur vnà cum sensu natura fiunt. Ex hoc aūt, in aliis memoria non fit, in aliis fit. Et propterea eorū quę memoriam habent, alia prudentia sunt, Alia magis discere possunt. Et prudentia quidem sine habilitate discendi sunt, quæ sonos audire non possunt, vt apes, & si quod aliud est tale genus animalis. Discit aūt id omne, quod & hunc cum memoria sensum habet. Cætera igitur animalia imaginationibus atque memoriis viuunt, expertiaque experientiæ sunt nisi perparum. Genus aūt hominum, & arte viuit & ratione. Et pro libro De historia animalium, capite primo, Et cùm memorię (inquit) atque disciplinæ complures animantes esse participes possunt, nulla tamen præter hominē potest reminisci. Quæ quasi præfatus Philosophus ibi, Ex sensu igitur fit memoria, &c. monstrat, qua via in nobis fiat principiorū cognitio, dicens, ex exteriori alicuius sensibilis sensatione perfecta, in nobis illius sensibilis fieri memoriam. Deinde ex memoria eiusdem, non secundum numerum, sed secundum speciem subinde facta, nasci experientiam. Post hæc ex experientia, aut ex quocunque vniuersali in anima residente seu quiescente (quemadmodum habent alię translationes) produci principium artis, quæ circa contingentia versatur, & scientię, quæ necessaria consyderat. Hoc aūt artis & scientiæ principium nihil aliud est, quàm principiorum habitus. Cæterùm, vt quæ iam dicta sunt apertè cognoscantur, expendendum est, quid sit experientia. De hac per-

Philosophus in libro De sensu & sensato.

Duplex animaliū partitio.

Prior.

Albertus.

Thomas.

Themistius

Posterior diuisio.

Aristotelis ex initio primi Metaphysices.

Ex primo lib. de historia aīalium.

Artes primo Metaphysicæ.

pulchrè atq; luculenter differit Philosophus, Primi Metaphysicæ primo capite, his verbis. Atq; ex memoria quidem hominibus experientia fit. Complures enim eiusdem rei memoriæ, vnius experientię facultatem efficiunt, videnturq; scientia, & ars, & experientia, ferè similes esse. Per experientiam autem ars emergit atq; scientia. Nam experientia quidem (vt inquit Polus) artem efficit, rectè dicens, inexperientia verò fortunam, fit autem ars cùm ex multis experientię conceptibus vna de similibus oritur vniuersalis existimatio. Nam existimationē habere, hoc ægrotanti Calliæ hoc morbo, atq; Socrati, & cõpluribus, item per singulos, profuisse, id experientiæ nimirum est. At omnibus talibus per vnam definitis speciem hac affectis ægritudine, contulisse, vt iisce quisquis pituita, aut bili abundabant, aut æstu affligebantur, id iam artis esse videtur. Atq; ad agendum quidem experientia non differt ab arte. quin etiam expertos rem magis attingere videmus, quàm eos qui rationem sine experientia habent. idq; propterea fit, ꝙ experientia quidem singularium, Ars aũt est vniuersalium cognitio. Hactenus Aristoteles, Ex quo satis intelligitur, experientiam nihil aliud esse, quàm memoriam multorum singularium, cum ratione seu iudicio de reliquis similibus. Dico cum ratione seu iudicio de similibus, quia experientia omnium esse debet, fieri aũt non potest, vt quis omnia singularia sensu percipiat, aut memoriæ mandet. Sed habita multorũ memoria, ratio idem iudicat de reliquis, & sic experientiam efficit. verbi gratia, Sensit aliquis in se ardorē febris sumpto vino cepisse incrementum, Idem sæpius vidit in aliis, quorũ iam meminit, horum consyderatione, quoties occurrit febricitans, inhibet ei vsum vini, sic apud se exemplo tacitè colligēs, multis illis quorum peculiariter memini, sumptione vini aucta est febris, ergo & huic augebitur, & cuilibet alij simili, singulariter tamen consyderato. Nam in hoc potissimùm consistit differentia inter experientiam & principium scientiæ, vel artis, ꝙ experientia quidem sit de omnibus singularibus sub aliquo cõmuni contentis, sed vt sunt multa & proprietatibus inter se distincta. Principium verò scientiæ vel artis, vt sunt vnum præter multa, vnum, inquam, non secundum rem, sed secundum consyderationē intellectus consyderantis naturam speciei aut generis absq; proprietatibus, quibus singularia inter se distinguuntur.

Differentia inter experientiam & principium artis aut scientiæ.

Ex experientia igitur principium artis atq; scientiæ nascitur, quia per inductionē perfectam ex omnium singularium cognitione enunciatũ vniuersale reponitur, asseruaturq; in anima (quale est, omni febricitanti vinum esse nociuum) Nam in inductione antecedentis cognitio experientia est, consequentis verò artis aut scientiæ principium. hinc secundo Priorũ dicitur, ꝙ inductio sit primę & immediatæ propositionis. quia experientia, qua antecedens inductionis cognoscitur, parit in nobis artis & scientiæ principium, quod nihil aliud est, quàm cognitio primæ & immediatæ propositionis, quæ inductione ostenditur. Dicit ergo textus, ꝙ ex sensu fit memoria, ex memoria aũt eiusdem sæpius facta, experientia nascitur, iungendo ratiocinationē de reliquis similibus. Ex experientia verò pullulat cognitio principij vniuersalis, quę nihil aliud est, quàm artis aut scientiæ principium. Artis quidem, si circa rei cuiuspiam generationē versetur, vt circa generationē domus aut statuæ. Scientiæ verò, si tantùm versetur circa rei alicuius cognitionem, vt omne lucidum esse calefactiuum. Porrò vniuersale, de quo hic est sermo, dicitur esse vnum præter multa, quia debet abstractiuè sumi sine consyderatione singularium, eo modo quo mathematicus abstrahit, consyderando videlicet vna ratione, id quod omnibus particularibus cõmune est, non consyderando proprietates, quibus inter se distinguuntur. Neq; existimandum est, tale vniuersale existere extra singularia, sicut putauit Plato, quia est vnum & idem in omnibus singularibus, vnum, inquam, ratione, re verò multa, secundum singularium multitudinē.

Duplex vniuersale.

Hic distinguunt quidam duplex vniuersale, Complexum & incomplexum. Quid sit vniuersale incomplexum, dictum est in libro prędicabilium. Complexum verò, de quo solo est hic sermo, nihil aliud est quàm propositio aliqua immediata constans subiecto vniuersali vniuersaliter sumpto, vt omne animal rationale est capax disciplinæ. huius duplex est cognitio, apprehensiua tantùm, qua videlicet mente apprehendimus, quid huiusmodi propositione significetur, siue assensu vel dissensu. Et ad hanc cognitionē percipiendam non est opus experientia, sed sufficit cognitio terminorũ, ex quibus constat huiusmodi propositio. Altera verò cognitio est adhæsiua, iudicans verum aut falsum esse quod proponitur. Ad hanc cognitionem opus est experientia & inductione, saltem quo ad ea principia, quę non statim ex suis terminis cum aliqua extremorũ sensatione sunt nota, de quibus latius dicetur initio primi Topicorũ.

Obiectio.

Sed obiicies contra prædicta, Textus dicit, ꝙ anima ex homine & leone colligit animal, Ex animali & planta corpus, & sic deinceps, ergo Aristoteles etiam agit de vniuersali incomplexo.

Responsio.

Responsio. Per hæc simplicia, quæ in textu breuitatis causa ponuntur,

nuntur, a

nuntur, vult Ariſtoteles complexa intelligi. nam ad ſimplicem apprehenſionem animalis, non eſt opus cognitione plurium inferiorū, cùm poſſit immediatè elici ex cognitione ſenſitiua cuiuslibet ſingularis, ſed hæc inferiorū enumeratio ad cognitionem complexam & adhæſiuam requiritur, ſicut prius dictum eſt, hinc ſtatim infert textus, Manifeſtum igitur eſt, prima principia inductione à nobis cognoſci, apertè ſignificās, ſe per ea quę dicta ſunt complexa, voluiſſe intelligere. Poſt hæc continuò ibi, Neq; igitur habitus principiorū, &c̄. Ex ſuperioribus diſſoluit Philoſophus tertiam dubitationē. Et mox illic, Veluti ex prælio facta fuga, &c. quadam ſimilitudine monſtrat, ex pluribus ſenſationibus & memoriis diuerſorum ſingularium fieri poſſe in rationali anima vniuerſalis cognitionē, quam non contingeret prouenire ex vnius aut paucorum memoria. Cæterùm ne principiorū cognitio exiſtimaretur ad ſenſum pertinere, ſubiecit Philoſophus, Talis aūt eſt anima, intellectiua ſcilicet, vt poſſit tale quid pati, id eſt, principij vniuerſalis notionē recipere, vigore naturalis luminis ipſius intellectus. Themiſtius aūt idipſum refert ad omnia quę prius enumerata ſunt. Nam quemadmodum (inquit) inclinato exercitu fuſoq;, ſi vnus aliquis reſiſtere incipiat, ſępe fit, vt alius primùm, deinde alius atq; alius conuolet, Demum globo facto, & fauore multorū addito animo, tota acies iterat pugnam, & redintegrat pręlium. ita de ſimulacliris dicendum, & reliquiis inhęrētibus earum rerum, quæ ſenſu hauriuntur. Primo veſtigio ſecundum allinitur, ſecundo tertium nectitur, ab his alia confluūt corroganturq;, de quibus poſtremò vniuerſalis quędam notio conualeſcit. Hęc enim animę acrimonia eſt, vt etiamſi genera quę accidunt ſenſibus continēter laberentur & fluerent, tamen ſimilitudines eorū excipere & memoria continere poſſet, & quod in ſingularibus cōmune vniuerſaleq; eſt, deprehendere, notareq;, hęc Themiſtius. Porrò in illa literæ parte, Cùm enim reſcderit vna forma, &c. (qua clarè mōſtratur, principia cōplexa inductione à nobis cognoſci) per formā intelligenda eſt imago, ſpecies, ſeu ſimilitudo, quam ex ſpeciebus & phantaſmatibus ſingularium ſenſibilium elicit agens intellectus, & quem in intellectum paſſiuum imprimit, ac ex qua recepta naſcitur vniuerſalis notio. Cæterùm inter ea quę hic traduntur, interſerit Philoſophus illud, Etenim ſentire quidem ſingulare, ſenſus autē vniuerſalis eſt, &c. Quo tacitè hanc excludit obiectionem, Quicquid ſentitur ſingulare eſt, cùm igitur intellectiua cognitio originē ex ſenſitiua accipiat, non poterit anima vniuerſale cognoſcere, ſed ſingulare duntaxat. Cui reſpondendo dicit, omnem quidem ſenſationē circa ſingulare verſari, Senſum aūt eſſe vniuerſalis. & proinde ipſum poſſe vniuerſalis notionem efficere. De illa priore parte nulla prorſus apud commentatores eſt controuerſia, qui vnanimi conſenſu confitentur, quamlibet exteriorem ſenſationem adeò vni ſingulari obiecto percipiendo addictam eſſe, vt ipſa aliud nequeat vllo modo reprę̨ſentare, quod exemplis facilè eſt declarare. An aūt huius albedinis & huius nigredinis eodem tempore viſu perceptarū diuerſæ ſint in oculi pupillæ partibus viſiones, quemadmodum cenſet Egidius Romanus, An non? ex perſpectiua eſt petendum. Porrò de poſterioris partis ſenſu variè ſentiunt autores. Themiſtio viſum eſt, ſenſum primò ac immediatè eſſe ipſius ſingularis, de hoc intermedio etiam vniuerſalis. Nam & ſenſus (ait) hoc (id eſt, vniuerſale) percipit. Quoties enim Socratem quis agnoſcit ſenſu, vnà & hominem agnoſcit in Socrate. Et qui hoc rubens candidum videt, ſimul & rubens & candidum videt. An quiſquam eſt, qui Calliam & hominem, vt eandem omnino rem ſentiat? Alioqui ſicut non eſt niſi vnus Callias, ita videre non poſſe alium hominem niſi Calliam, Sed quum Socratē videt, videt in Socrate id quod in aliis quoq; hominibus ſimile cōmuneq; ineſt. Quare ad quendam modum vniuerſale ſenſu percipitur, non tamen ſeorſum à ſingulari, ſed obiter, ſubindeq;. Sic ille. Quæ ſi diligentius excutiantur, verius atq; manifeſtius offendentur declarare, ipſum ſentire eſſe vniuerſalis, quàm ſenſitiuam potentiam. Porrò ab ea, quam ex Themiſtio attulimus, expoſitione non multum diſſidet Albertus & Thomas eius diſcipulus, Qui hunc locum ſic explicat, Senſus quodammodo eſt vniuerſalis. Cognoſcit enim Calliam, non ſolùm quatenus Callias eſt, ſed etiam quatenus homo eſt. Similiter & Socratē ea ratione qua homo. Si aūt ſenſus ſolùm id quod particularitatis eſt apprehēderet, & nullo modo in particulari vniuerſale, impoſſibile foret ex ſenſus cognitione, in nobis vniuerſalis cauſari cognitionē. Verùm hac tantorū virorū expoſitione, quam verba prę ſe ferūt, prętermiſſa, nobis videtur ſenſus dicēdus eſſe ipſius vniuerſalis, eò ꝙ quiuis ſenſus determinatus ſiue ſingularis, vt hic viſus ſua natura in quoduis viſibile ferri poſſit, & quodlibet percipere, quemadmodum in ſenſibus ſingulis experientia deprehendimus. Senſatio verò determinata atq; ſingularis, ita vni rei ſingulari perceptæ eſt adſtricta, vt per ipſam nulla alia poſſit cognoſci. Minimi referre arbitramur, ſiue dicatur, hic viſus eſt coloris vniuerſaliter,

Themiſtius

ter, quẽadmodum dicendũ esse cõtendit Caietanus, siue hic visus est coloris vniuersalis seu cõmunis. Nõ enim hoc cõfitebimur, perinde ac si hic visus coloris cõmunis perfectiuus foret, sed ob eam quam mox reddidimus causam. Neq; de verbis disceptandũ est, vbi de re ipsa cõstiterit. Indicat igitur Philosophus hac literę parte, nõ posse in nobis nasci vniuersalis notionẽ sensu administratore, si hic vnico dũtaxat percipiendo ac cognoscẽdo sensibili, natura esset destinatus. Hactenus à nobis dictũ sit de iis, quę ad tertię quæstionis decisionẽ pertinẽt. Pro duabus aũt reliquis, quæ ita sibi mutuò cõnexæ sunt, vt secũda dissoluta, prior etiã expedita fuerit, adfert Philosophus vnã habituũ diuisionẽ, nõ quorũlibet, sed intellectualiũ duntaxat, & qui ad intellectiuã attinẽt potestatẽ, & circa verũ versantur, quosq; assequi valemus nullo voluntatis adhibito imperio. Diuisio est huiusmodi, Intellectualium habituum, quibus verũ cognoscere cõtingit, quidã interdũ sunt falsi, vt opinio & ratio. Hoc loco nomine Opinionis accipit Themistius illũ habitũ q circa ea cõtingẽtia versatur, quæ sunt speculabilia, falsitatẽ nõnunq̃ admittentẽ. Rationis aũt nomine, eum qui cõtingẽtia agibilia atq; factilia, quæ aliquoties aliter, q̃ sese habeant, habere possunt, cõsyderat, sub quibus facilè subintelligere licet suspitionẽ. Huiuscemodi rationẽ habẽt ij, qui re vera artifices nõ sunt, aut prudẽtes, sed quadã duntaxat similitudine. Alij semper sunt veri, qui numero sunt quinq;, intellectus, (sub quo intellige solertiam, quæ est quædã medij inuentio) scientia, ars, prudentia, & sapientia, quẽadmodũ in fine prioris libri est explicatũ. Hoc aũt in loco tantùm meminit Philosophus scientię & intellectus, quòd aut de necessariarum & speculabilium habitibus potissimùm ageret, aut facilè sub his duobus reliqua tria subintelligerẽtur, quod magis probamus. Nam in prioribus scientiæ artẽ cõiunxit. Post hanc diuisionẽ respõdet Philosophus secundæ quæstioni, & proinde primæ, Immediatorũ principiorũ cognitionẽ, nõ scientiam nũcupari, sed intellectum. Quod duabus monstrat rationibus. Prior ibi assignatur, Quia principia demonstrationibus sunt certiora, &c. vbi per demonstrationes accipiendæ sunt demonstratæ cõclusiones. Posterior illic, Quod ex eo quoq; perspicuum erit, &c. Dum aũt in litera cõcluditur, Scientiæ nõ esse scientiam, id intelligendũ est de scientia, quatenus est scientia, ex aliquibus accepta principiis prioribus. Etenim re vera vna scientia est alterius effectiua, vt subalternatã producit subalternãs. Principia aũt indemõstrabilia perpetuò accipiuntur vt inferẽtia, nunq̃ vt suntillata, & proinde vnius intellectus nullo modo poterit esse intellectus alter, Alioqui indemõstrabile per indemõstrabile mõstraretur. Principiorũ intellectus, principium effectiuum est scientiæ. Ipsorũ aũt principiorũ principium est nõ effectiuum, sed cognosc itiuũ duntaxat, quemadmodũ indicat marginalis annotatiuncula. Cęterùm illud in calce positũ, Scientia aũt ad omnẽ rem sese habet similiter, in eo sensu accipiendũ est, vt arbitremur, oẽm illius quod scitur cognitionẽ, quale quale id sit, scientię nomẽ sibi vendicare, quẽadmodũ cuiusuis principij indemõstrabilis notio, intellectus nũcupatur, vocabulo intellectus accepto pro cognitione, qui habitus est, nõ aũt pro intellectiua potẽtia, de qua pulchrè admodũ hæc tradit Themistius. Intellectus hic qui principia sciẽtiis ministrat, quẽ primũ natura indidit homini, & qui intellectus potẽtię dicitur, simplicissimus sit oportet. Hic seu animę oculus est, hic initio vitæ iudicio & ratione omni caret. Per hũc homo statim ab ortu suo rationale aial natura existit, hic nobiscũ ab ineunte ætate ad obeuntẽ senectã augetur prouehiturq;. Primũ notiones simplices capit, quos terminos vocamus & incõpositas voces, quę prima orõnis tanq̃ elemẽta sunt. Nam hominẽ, terrã, algidũ, candidum, statim à pueris efferre, & audita ab aliis in complexu intelligere possumus. Deinde quum paulum processimus, tum & progrediens cõfirmatur animus, & simplicia incipit nectere, & quid sit homo cognoscere. Adhuc proficiscente longius ætate, quasi adultior fit, vt iam & conflare vniuersalia & cõmentari à se possit, Nec cessat profectus, quousq; ad expletionem quandã & absolutionẽ naturæ perueniat, & habitũ intellectualẽ, per quem rationale animal sumus, attollat, Ac certè accidit simile quiddã animo, quod corpori. Nam paruuli primò sic iacẽt, vt neq; flectere se, neq; ingredi valeant. Deinde, vt quadrupedes reptant, tum erigũt se, & incedunt, vt bipedes, nec indigent comite, qui manũ det. Adeò verò promouẽt hoc processu, vt iam & ad cursum vegeti, & ad omnes vsus corporis firmi robustiq; sint. Eodẽ modo animus primùm nominare tatùm res potest, & intelligere quæ nominat, Tum componere & meditari, Postremò vniuersalia quædã iudicia & notiones scrutatur, quas protinus quàm elicuit, in seipso deponit atq; consignat. Hac coronide ex Themistio desumpta, his nostris commentariis, quales quales fuerint, finem imponere voluimus, quod & lectu & scitu digna sit, atq; illis, quæ pertractata sunt, intelligendis satis accommoda.

Duarũ reliquarũ quæstionũ solutio.

FINIS II. LIB. POSTER. ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

IN ARISTOTELIS OCTO TOPICORVM LIBROS

PRAEFATIO.

PRIVSQVAM Topices enarrationem ac expositionem aggrediamur, omnino necessum est, si nostris pollicitationibus factum satis velimus, nonnulla præfari, quæ ad prius dictorũ, & posterius aliquot in locis dicendorũ perfectiorem notionem assequendam sunt commoda, opemq; allatura. In horum nostrorum commentariorũ exordio, probatorũ virorum Ciceronis, Boetij, aliorumq; vestigia secuti, differendi artem, id est, Logicam in duas partiti sumus partes. Vnam inueniendi, Alteram iudicandi. Hanc complecti diximus vtramq; Analyticorum & Priorum & Posteriorum scientiam, ac Sophisticorũ Elenchorũ artem. Illam aũt Isagogen Porphyrianam, Prædicamentorũ libros, atq; Topicen, quæ cum construendis argumentationibus, quibus de quauis re probabiliter disserimus, materiam suppeditat (quod inuentionis pręcipuum est officium) ab omnibus rectè inuentio vocatur, inuentionisq; nomen inter eas quas nuncupant nouæ logicæ partes, sibi peculiari quodam modo vendicat. Verùm ne quis errore deceptus, arbitretur hanc scientiam nihil præter materiam exhibere Dialectico, nihilq; prorsus iudicij illi relictum esse, expendendum est diligenter, neq; hanc neq; aliam vllam ferè Logices esse partem, quæ non simul contineat, lectoribusq; proponat, & ea quæ ad inuentionem pertinent, & quæ ad iudicium. & si id iudicij non semper circa partium argumentationis iuncturam connexionemq; feratur. Id quod apertissimè asseuerat Boetius in commentariis quos in Ciceronis ad Trebatium Topica scripsit, Prior (inquit ille) illa partitio Logicæ tribus partibus segregata (definitione videlicet, diuisione, & collectione) ita partes explicat, vt habeat inuentionem materiam singularum, ipsa verò iudicationi materiam præstet. Etenim cùm definit aliquis, vel rei propositæ diuisionem facit, inuenit quidem diuisioni definitioniq; differentias accommodatas, sed an rectè vel definiat vel diuidat, iudicatione perpendit. Ita priores logicæ partes, secundę diuisionis membra coniungunt, vt materiam quidem sui habeant inuentionem. iudicationi verò fiant ipsæ materia. Quod in reliqua etiam colligendi parte contingit. Nam & ea quæ de probabilibus tractat, habet inueniendi suppositam materiam, quæ verisimilia reperit argumenta, & de huiusmodi argumento iudicatorio perpẽdit. Est enim iudicium hoc ipsum internoscendi, quod non necessaria inuentio est, sed verisimilitudinem tenet, sic Boetius. Insuper in Analyticis libris & Prioribus & Posterioribus (qui omnium iudicio ad iudicium pertinent) pręcepta exhibentur atq; regulæ quædam inueniendi medij syllogistici, & simpliciter dicti, & demonstratiui, quod ad inuentionem palàm est attinere. In hac quoq; Topica arte, quam, quemadmodum diximus, complectitur inuentio, nedum illæ proponuntur leges, quibus cognitis, probabilia argumenta facilè assequamur, sed & quędam vniuersales propositiones & maximæ, seu regulæ certissimæ traduntur, secundum quas dialecticos construamus syllogismos, & simul de dialectici syllogismi partibus, tum remotis, cum propinquis, earumq; ordine consyderetur. Atq; ne in huius rei declaratione diutius quàm par sit lectorẽ detineamus, quod dicimus apertè monstrat horum Topicorũ liber octauus, ex quo nunc duntaxat proferemus id, quod in eius exordio (Sunt enim & alia plęraq; eodem spectantia) scriptum reliquit Philosophus. Post hæc autem (inquit) de ordine, & quonam pacto oportet interrogare, dicendum. Oportet autem primùm quidem eum qui interrogare debet, locum inuenire, vndè sit argumentandum. Secundum autem, interrogare & ordinare singula apud seipsum. Reliquum verò & tertium, dicere iam eadem ad alterum. Quoad autem inuenire locum, similiter Philosophi & Dialectici consyderatio. Subinde verò illa ordinare & interrogare, proprium Dialectici. Ad alterum enim, omne quod tale est. Philosopho aũt & quærenti per seipsum, nihil curæ est, si vera quidem sint & nota, per quæ syllogismus. Et non ponit ea qui respondet, eò q͂ propinqua sunt illis, quæ sunt ex principio, & præuideat quod subsecutum est, sed fortassè & studiosè aget, quoniam maximè notæ & propinquæ sunt dignitates. Ex illis enim scientifici syllogismi. Loci igitur vndè oporteat sumere, dicti sunt prius. De ordine autẽ & interrogatione dicendum

Logices duæ partes, Vna inuentio, Altera iudicium.

Omnis logices pars & inuentionẽ & iudicium cõplectitur. Boetius.

Philosoph9 8. Topicorũ

dicendum, diuidendo propositiones quæcunque ad necessarias sumendæ sunt. Necessariæ autẽ dicuntur, per quas syllogismus fit. Sic eo in loco Philosophus. Palàm igitur ex his est, & eam artem, quæ iudicatiua dicitur, admixtam habere inuentionem, & contrà, Inuentionem non nihil continere quod iudicio subsit. Et proinde hanc vel illam scientiam, iudicij aut inuentionis nomenclaturam suscipere, quod hanc aut illam fusius explicet. hanc quoque Dialectices partem, cõparatione Analyticæ rectè inuentionẽ dici, & ediuerso, Topices collatione, Analyticã iudicium, sed de hac re hactenus. Cęterùm de hac arte à plerisque ambigitur, quem locum inter Logicæ partes obtinere debeat, de qua re duæ sunt sententiæ. Nam arbitrantur nonnulli eam prępônendam esse vtrorumque Analyticorum libris, in suę opinionis probationem adferentes, quod Philosophus in primi Priorum primo capite asserat, sese in Topicis monstrasse diligenter, quid sit Dialectica propositio, quodque Cicero in Topicorum ad Trebatium initio scribat, inueniendi artem, quę Topice dicitur, ad vsum potiorem esse, & ordine naturæ priorem, & quoniam in vtraque & inueniendi & iudicandi summa vtilitas est, vtramque si erit otium se persecuturum, ab ea quoque quæ prior est se orsurum. Circa quæ Boetius, Inuentio (inquit) cæteris omnibus veluti materiæ loco supponitur, hoc modo, Nisi enim inuentio fuerit, non potest esse vel definitio, vel partitio, quoniam vnumquodque generum vel differentiarum inuentione, aut diuidimus, aut etiam definimus, Iam verò si abijt inuentio, nequit esse collectio. Et infrà, Stoicos iure increpat Tullius, quoniam id maximè reliquêre, quod & natura prius, & vsu potius erat. Natura quidem, quia fieri non potest, vt de inuentione iudicetur, nisi ipsa inuentio prius extiterit. Ad vsum verò, quia longè vtilius est nuda, & præter artem prolata naturali inuentione susceptum sæpe tueri negotium, quàm inueniente alio mutum ipsum inermeque & tacitum versare iudicium. Simile quippiam sententiæ Ciceronis offendere poteris apud Boetium in primi libri capite de categoricis syllogismis, & apud Rodolphum in sua Dialectica. Alij, inter quos sunt Albertus, Thomas, Egidius, & quotquot posterius in Aristotelem commentarios ediderunt, huic Topicæ arti locum tribuunt, post vtramque Analysim & priorem & posteriorem, sumpto argumento ex eo, quod in noua arte pertractet Philosophus de iis, quæ ad tertiam intellectus operationem attinent, argumentationibus scilicet, & syllogismis, quorũ primus est is qui syllogismus simpliciter dicitur, quem sequitur demonstratio, tertium locum obtinet syllogismus dialecticus. quartum verò & vltimum, sophisticus. quos omnes eo ordine definit Philosophus in primi Topicorũ exordio. Neque huic opinioni desunt rationes, quibus sese tueatur. Inprimis enim profert, hunc Topicorũ librum, illum in Græco codice seruare ordinẽ, quem habere cernimus in Boetiana vniuersisque alijs Latinis translationibus. Insuper secundò adducit, Philosophum in secundi sophisticorum Elenchorum calce, artem dialecticam & sophisticam sic connectentem, perinde ac si illę continenter forent traditæ, cuius verba hæc sunt, Ex quot igitur & ex quibus fiunt iis qui disputant captiosæ ratiocinationes, & quomodo ostendemus falsum, & inopinabilia dicere faciemus, Amplius autem, ex quibus accidit syllogismus, & quomodo interrogandum, & quis interrogationum ordo, Insuper autem, ad quid sunt vtiles huiusmodi omnes orationes, & de responsione simpliciter omni, & quo modo soluendum est orationes, & syllogismos, dicta sint de omnibus à nobis hæc. Reliquum autem est de eo quod à principio erat propositum ad memoriam reuocantes, quippiam de ea re sub breuitate dicere, & finem imponere dictis. Pręmisimus igitur inueniendi facultatem quandam ratiocinatiuam de proposito ex iis quę sunt quàm probabilissima. Id enim opus est dialectices secundum se, & Tentatiuæ. Quia autem præinstruitur, quis ab ea propter Sophistices vicinitatem, vt non solùm experimentum possit sumere dialectico more, sed etiam quasi scientifico, propter id non solùm dictum negotij officium posuimus, orationem posse sumere. sed etiam vt orationem sustinentes, tuemur positionem per quàm probabilissima simili modo. Manifestum est autem in prioribus, & quot, & ad quot id erit, & vnde idonei erimus horum. Adhuc autem quomodo interroganda vel ordinanda quæstio omnis, & de responsionibus, & solutionibus, quæ sunt ad syllogismos. Patefactum est autem & de aliis, quęcunque huiusce disciplinæ sunt orationes. Præter hęc autem & de captiosis ratiocinationibus pertractauimus, quemadmodum iam diximus prius. Hæc Aristoteles. Sunt & quædam alia, quæ in huius sententiæ confirmationem adferri possent, quæ prætermittenda censuimus. Cæterùm quanquam vtramque eo animo proposuimus opinionem, vt lectori liberum foret, vtram vellet amplecti, duabus nihilominus prioris sententiæ allatis rationibus, responsiones subiungere voluimus, quòd certo consilio secundam magis probemus. Ad priorem igitur respondendum, ipsam duplici peccato esse inuolutam, quòd

Super ordine huius libri Topicorũ, cũ cęteris logicæ partibus, duplex opinio. Prior. Cicero. Boetius.

Boetius. Rodolphus. Posterior, quæ est Alberti, Thomæ, & Egidij.

Prior huius opinionis responsio. Posterior Aristotelis in secundo Elenchorũ secũdo libro.

Primæ rationis primæ opinionis solutio.

quòd neque Philosophi verba rectè adferat, neque conuincat, etiam si id Aristotelem dixisse fateamur. Nunquid autem Peri Hermenias librum proximè collocandus est liber Topicorum? Attamen in secundi Peri Hermenias secundo capite fatetur Philosophus de multiplicis enunciationis siue propositionis in diuersos sensus distinctione, in Topicis se dixisse. Arbitramur sanè Philosopho euenisse, quod in artium professoribus nostra tempestate subinde comperimus, qui eiusdem artis diuersas portiones, pro sua aut voluptate aut voluntate explicare conantur, non eo quo traditæ aut tradendæ essent ordine, sed eam prius, quæ re vera posterior est, & contrà, eam posterius, quæ prior est. Hincque factum est, vt in ea, quæ re vera prior est, tanquam dilucida adferantur quædam, quæ prius in posteriori erant explicata. Non erat igitur firma illius rationis collectio. Porrò perperàm allata esse Philosophi verba, palàm est ex versione Boetiana, quæ hoc modo habet. Quid est ergo propositio, & quid differt syllogistica à demonstratiua & dialectica, diligentius quidem in sequentibus dicetur, quibus Philosophi verbis apertè refellitur prior opinio, & secunda stabilitur. Non itaque prius de Dialectica determinauerit Philosophus, quàm Analytica, sed post huius determinationem, illius quoque considerationem se traditurum pollicetur. Ad illud autem quod secundo loco adferebatur, respondendum, id forsitan verum esse, modò intentionem ad respondens sibi iudicium conferatur, sic quoque prior natura, & vsu potior erit ea Topices pars, quæ materiam suppeditat, quàm ea quæ de dialectico syllogismo, & partium eius iunctura ordinéque propriè agit, quemadmodum indicare apparet Philosophus in illis verbis primi capitis octaui Topicorum, quæ prius attulimus. Cæterùm hunc ordinem non perpetuò seruari in disciplinis, ex eo patet, quòd in Posterioribus Analyticis, prius Philosophus de demonstratione ipsa egerit, quàm de demonstratiuo medio. Cùm igitur in Prædicamentorum, & Peri Hermenias libris, abundè tradiderit Aristoteles artem inueniendi, quantum sufficeret ad scientiam libri Priorum Analyticorum, quæ versatur circa syllogismum simpliciter dictum, cui perinde est, vera ne contineat, an falsa, probabilia ne, an diuersa. Ea autem materia argumentationum, quæ in hisce Topicis cognoscenda proponitur, potissimum spectet ad syllogismum dialecticum, cuius cognitio prærequirit & supponit notitiam syllogismi simpliciter dicti, non immeritò scientiæ Analyticorum postponitur Topicorum scientia. Verùm de hoc ordine, nobis sit hactenus dictum. Si cui autem non satisfaciant quæ attulimus, discutere poterit, quæ super hac re tradiderit Albertus. Reliquum est, vt quàm breuissimè cætera perstringamus, huius videlicet artis inscriptionem, materiam, & effectum, seu proximum finem. Inscriptio autorem & materiam (qualis qualis ea sit) complectens, hæc est, Aristotelis Topica, id est, Aristotelis loci. Etenim ars hæc, quæ peculiari nomine dicitur Dialectica, hoc est, facultas per probabilia colligēdi, Græcis dicitur τοπικὴ, Latinis localis, eò quòd maximas quasdam & vniuersales tradat propositiones per se notas, nulla prorsus egentes probatione, quas locos idcirco appellat Aristoteles, quòd reliquas minores in se, veluti loci corpora, complectantur, quemadmodum latius posterius explicabitur. Cæterùm Topices materiam pauci admodum autumant Locum esse, quòd à loco nominationē accipiat. Plurimi verò, quibus compertum est abundè, non semper à materia nuncupationem scientiæ esse tributam, materiam esse existimant, & syllogismum dialecticum, & dialecticum problema, secundum duplicem in Logices proœmio de materia assignatam acceptionem, quibus accedere videtur Philosophus pluribus in locis, & apertè in primi Topicorum initio, dum hunc sic orditur, Propositum quidem negotij est, methodum inuenire, per quam poterimus syllogisare de omni proposito problemate ex probabilibus, &c. Porrò de effectu proximoque huius scientiæ fine, duo sunt dicendi modi, Vnus hunc putat opinionem esse, dialecticumque syllogismum, suapte vi ac natura nullam cognitionem præter opinionem, id est, assensum, cui formido ex necessitate connexa est, posse adgenerare. Diximus Suapte vi, &c. eò quòd quadam audientis animi adhibita affectione, dialectica ratio perfectiorem opinione cognitionem, hoc est, firmam, inceuidentem tamen, frequentius aliquo modo efficiat. Alter tradit aliud quiddam opinione latius, quod nonnulli dialecticam fidem vocant, comprehendens ea duo quæ mox recensuimus, opinionē videlicet & assensum firmum, qui ineuidens est, vnà cum ea cognitione, quæ est euidens, modò accepta fuerit ex cōmunibus quibusdam principiis, non autem propriis, quorum vsus ad vnicum pertinet demonstratorem. Cæterùm facilè poterunt hi respondendi modi in concordiam & consensum reuocari, si quis hunc perpetuò ac in omnibus veritatem habere asseuerer, illum autem vt in pluribus. De hac quoque re fortassis data occasione amplius à nobis dicetur posterius. Porrò quæ sunt Dialecticæ commoda

Secundæ rationis dilutio.

Albertus.

Huius libri inscriptio.

Quæ huius operis materia.

Super huius libri fine opinio duplex. Prior.

Posterior.

moda & vtilitates, quiq; fines veluti externi, in præsentiarum explicare non statuimus, ne eadem citra iustam rationem frequenter repetere cogamur. Hactenus igitur dictum sit de iis, quæ nobis videbantur præmittenda.

Propositũ quidem negotij est

In primi tractatus primum caput, quod proœmium complectitur, adnotatio

Propositionis proœmialis Aristotelicæ expositio, & declaratio.

Quibus vtilis sit hęc Topicorum scientia.

VNiuersa Topica in octo libros partitus est Aristoteles. In primo pręcipuè agit de Dialectici syllogismi substantia eiusq; materialibus principiis. (Nam quæ formæ rationem suscipiunt, penè omnia in Priore Analysi sunt pertractata) Atq; ante illorũ determinationem, in huius primi libri primo tractatu in tria capita distributo, quædam præfatur, eaq; pulchrè admodum. In primo capite duo proponit. Prius etenim explicat, quam in his Topicorum libris traditurus sit disciplinam, quibusq; hæc ipsa erit vtilis. Eam imprimis opponenti fore accommodam indicat. Vnde dicit, Propositum quidem negotij est methodum inuenire, à qua poterimus syllogisare de omni problemate ex probabilibus. Deinde ei qui respondentis officio fungitur, ac quæstionem dubiamq; enunciationem tutatur, dum subnectit, Et ipsi disputationem sustinentes, nihil dicemus repugnans. Hac quoq; duplici commoditate lectoris animum attentum efficit & docilem. Demonstratiua sanè scientia ad demonstratorem duntaxat pertinet, non autem ad eum, qui docendus est, discipulum. Dialectica autẽ (quam nomine Methodi Philosophus designat) & ad opponendum & ad respondendum æquè est idonea, quemadmodum ex sequentibus palàm elucescet. Dicto μέθοδος, qua vtitur litera, semitam propriè significat, & transsumitur, ad compendiariam disciplinam, quo nomine suas iure vocat Aristoteles disciplinas. Sunt enim breuissimæ, & citò nos ad rei, de qua sunt, ducentes cognitionẽ. Porrò ea literæ parte (Methodum inuenire) subindicat Philosophus Dialectices artem à prioribus Philosophis aut omnino nõ æditã fuisse, (Stoici enim, teste in Topicis Cicerone, inuentionẽ reliquerunt ac neglexerunt) aut iam fortassis ab eis traditam cofusius atq; prolixius, quàm par erat, non autẽ breui compendiariæ artis modo. Deinde id quod sequitur, A qua poterimus, &c. siue per quam poterimus syllogisare, quemadmodum habet Boetius, accipiendum est de posse facilè, promptè, expeditè, sine errore syllogisare, &c. Nam circa ea Ciceronis verba in suorum Topicorum ad Trebatium exordio, quam (Topicorum scilicet Aristotelis sententiam) tibi cùm exposuissem, disciplinam inueniendorum argumentorum, vt sine vllo errore ad eam rationem via perueniremus, ab Aristotele inuentam, libris illis contineri. In hoc namq; (inquit Boetius) videtur esse comprehensum, quę sit intentio Topicorũ, quod ait, disciplinam esse argumentorũ, non vt inueniantur, (id enim natura suppeditat) sed vt sine vllo labore, & sine vlla cõfusione, nõ casu, ad ea mens, sed quadam viæ ductione perueniat. Et idem alibi in eisdem cõmentariis. Est Topices intentio, argumentorũ facilis inuentio. Non igitur inuenire docet Topice, quod est naturalis ingenij, sed facilius inuenire, Omnis quippe ars imitatur naturã. Atq; ab hac materia suscepta, rationes ipsa viamq; conferat, vt cùm facilius id quod ars quæq; promittit, tum elegãtius fiat, Velut parietem struere naturalis ingenij est, sed arte fit melius. Neq; id de quo agimus, eos latere potest, quibus probè nota est scientiarũ atq; habituum natura & officium. Cæterùm illud textus, Syllogisare ex probabilibus, ad dialecticum syllogismum censemus referendum, quanquàm non omnino reprobemus eos, qui opinantur loco generis speciei nomen esse positum, hoc est syllogisare, pro colligere seu argumentari. Sunt enim ad dialecticum syllogismum reuocandę ac reducendæ, omnes reliquæ dialecticæ ratiocinationes. Dialecticus autem disputans atq; opponens, ad quem hęc proœmij prior pars pertinet, dupliciter syllogisat, dum aut probare conatur quod assumpsit verisimile esse, aut destruit quod positum est esse verisimile, quod tale non est. Dialectici enim munus est, ex probabilibus anniti, quantum res ipsa patitur, ad astruendam veritatem, & falsitatem refellendam. Deinde quod in litera subiungitur (de omni problemate) rectissimè intelligitur de problemate omni secundum genus, hoc est, constante ex aliquo quatuor prædicatorum & eorundem annexis. Nam in sex sequentibus libris, apertè id à Philosopho docetur. Neque ab hoc sensu longius dissident, qui Dialecticum arbitrantur cuiusque disciplinæ quodlibet problema terminare, & de quolibet disserere, modò id agat per principia communia probabilia, atque verisimilia. Porrò nos positionem probabilem atq; verisimilem defensantes, & respondentis munus exercentes, per hanc methodum nihil dicere repugnans, nihil aliud est, quàm hac methodo ita nos formari, vt habiles promptique simus, ne respondendo quicquam fateamur quod nostræ positioni aduersetur, huius artis principiis, & veritati. Neque enim duntaxat is respondens coarguendus est, qui cum sua positione pugnantia admittit, & ad eam deducitur meram finémque,

Boetius.
Cicero.

Dialecticus dupliciter syllogisat.

Quid nihil dicere repugnans.

quem

quem redargutionis vocitant, verùm & qui ad aliarum aliquam argumentationis vl aut inanimaduertentia quadam est compulsus. Quemadmodum igitur hęc methodus opponenti subministrat, quibus probabiliter monstrare possit id quod est probabile, & euertere refellereq; improbabile, si quando tale quid asserat respondens, Sic & respondenti documenta præstat ac cautelas, quibus promptior efficiatur ad vitandam præsertim redargutionis, & deinde quamlibet aliam sophistices metam. Hactenus de priori, quo Philosophus suam aperuit intentionem. Post hæc in litera ibi, Primùm igitur, &c. secundò proponit Philosophus, ea de quibus proximo capite est dicendum, syllogismum videlicet & eius differentias, id est, minus communia inter se diuersa, & abinuicem discrepantia, quatenus sumatur dialecticus syllogismus, siue, quemadmodum habet Boetius, quomodo sumatur dialecticus syllogismus, hoc est, vt sumatur dialecticus syllogismus. Vult enim Philosophus de syllogismo & eius differentiis capite sequenti eatenus duntaxat esse dicendum, quatenus sufficit ad vtcunque dinoscendam dialectici syllogismi differentiam ab aliis speciebus. Etenim in disciplinis, præsertim plurimum vicinis ac cognatis, aperiendum est discrimen earum rerum, circa quas considerandas sunt occupatæ. Ob id quoque à Philosopho rectè adiunctum est, Hunc enim quęrimus secundum propositum negotium. Porrò materiam alicuius scientię dupliciter inquirere contingit. Priori modo, quando in ea scientia probandum est eam esse, quod quomodo fieri queat, expeditum est in superiori libro Posteriorum Analyticorum. Neque hoc modo hic quæritur dialecticus syllogismus, cùm in nulla huius operis parte esse monstretur. Nam ipsum esse palàm est, nec à quoquam in dubium reuocatum. Altero modo quæritur in aliquo opere ipsius subiecta materia, dum eius explicantur partes, principia, effectus, proprietates, & vsus. Atque hoc modo dialecticum quærit Philosophus syllogismum, id quod sequentia apertè monstrabunt.

Huius libri materia per Arist. indicatur.

Materia alicuius scientiæ dupliciter inquiritur.

In secundum caput, quod est de syllogismo & eius speciebus, adnotamentum.

Syllogismus est orō i qua quibusdam positis.

Quod superiori capite proposuerat determinādum, hic exquiritur Philosophus, in initio constituens syllogismi definitionē, quam ideo repetitam arbitramur, ꝙ syllogismi quandam diuisionē subindicet, quòdq; ex hac syllogismi finitione pendeat, vter litigiosorū syllogismorū videatur esse syllogismus, & re vera syllogismus sit. & vter videatur, non aūt sit. Quærere solent plures neotericorū, quidnam sit discriminis huiusce syllogismi definitionis ab ea, quæ in initio Priorū Analyticorū fuerat reddita. Verùm hi omnes nodum in scirpo quæritant. Cùm enim sensu eodem participent, & paucis duntaxat verbis discrepent, Nam hæc duo (aliquid aliud) & (per ea quæ posita sunt) eadem sunt illis duobus (aliud quiddam) & (eò ꝙ hæc sunt) quorsum attinet tam scrupulosè aut inquirere aut constituere aliquam inter ipsas differētiam? Quare hæc definitio explicanda erit, quemadmodum declarauimus in prioribus, id quod fortassis insinuare volens Philosophus, tanta vsus est breuitate. Porrò syllogismi, quemadmodum in Analyticis Prioribus dictum est, partitiones sunt variæ. Ea aūt, quam tacitè hic tradit Philosophus, dicitur esse syllogismi secundum materiam considerati, atq; ad particularē materiam cōtrahendi & limitādi. Est igitur huiusmodi diuisio quadrimembris. Syllogismorū enim quidam est demonstratio seu demonstratiuus syllogismus, Alius est dialecticus, Alius litigiosus, Et alius falsigraphus. Cuius quidem partitionis diuisum, non pro omni eo, qui prius definitus est, syllogismo est sumendum, sed pro eo solo qui idoneus est ad faciendam alicuius fidem seu assensum, siue is fuerit scientia, siue opinio, seu dialectica fides, siue fallacia, seu error. Nam in hosce fines proximè destinantur syllogismi differētię mox enumeratæ. Et proinde syllogismus in hac diuisione angustius erit sumendus, quàm in definitione. Cæterùm de huius partitionis natura, diuersorū diuersæ sunt sententiæ. Arbitrātur nonnulli demōstratiuum & dialecticū, esse essentiales syllogismorū differētias, ex hac quoq; parte dictam diuisionē generis esse in suas species. Alij in diuersa sunt sententia, ꝙ horū membrorū diuersitas non desumatur penes aliam atq; aliam formam syllogisticā, quæ specificum adfert discrimē, sed ex materiæ ratione, quæ non necessariò speciem variat ac immutat. Insuper addunt & ij, neq; hanc esse totius in partes in modo diuisionē, sed verius analogi in sua analogata, eò quòd syllogismi in forma peccantes sub litigioso comprensi, re vera non sint syllogismi, quemadmodum posterius testatur ipse Philosophus, sicut nec infirma argumentatio verè argumentatio est asserenda. Deinde ex litera sequenti, ipsius demonstrationis, quæ præcipua syllogismi species est, elicitur hæc definitio,

Definitio syllogismi in Topicis reddita eadem est cū ea quæ traditur in prioribus.

Syllogismi quadrimembris diuisio.

Cuiusmodi est syllogismi partitio.

Demonstratio est syllogismus constans ex primis & veris, aut ex talibus quę per aliqua prima & vera, eius quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpserunt. Definitū demonstratio

Demōstrationis finitio & ipsius expositio.

tio, siue demonstratiuus syllogismus, complectitur & demonstrationẽ propter quid, & eam quam quia est vocare consueuerũt, & proinde hic latius sumitur demõstratio, quàm in secũdo capite primi Posteriorũ Analyticorũ. Demonstratio propter quid, & potissima, seu quid absolutissimum, vnico modo contingit, dum videlicet cõstruitur ex veris, necessarijs, primis, immediatis, proprijs, notioribus, causisq; conclusionis, quemadmodum in Posterioribus Analyticis fusius est explicatum, cuiusmodi est hæc, Omne animal rationale est admiratiuum, & omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est admiratiuus. Contrà, demonstratio quia est, varijs fit modis, nempe duobus. Nam huius quędam est, quæ per effectum monstrat causam alicui competere, vt hæc, Quæcunq; non scintillant propè sunt, Planetæ non scintillant, sunt igitur Planetæ propè. Non enim idcirco planetæ propè sunt, quia non scintillant, sed ediuerso non micant, eò q propè sint. In huiusmodi demonstratione commutaueris illam superiorem, si medium pro maiore acceperis extremitate, & contrà, maiorem extremitatem feceris medium, hoc modo, Omne admiratiuum est animal rationale, omnis autẽ homo admiratiuus est, ergo omnis homo animal est rationale, Porrò hæc de qua agimus, demonstratio, duntaxat demonstratio est, quoad nos nostriq; comparatione, non autem secundum naturam, eò q re vera principij petitionem necessario connexam habeat. Huius nihilominus oportuit Philosophum in Analyticis meminisse, q nobis à natura sit innata via ex cognitione effectuum, causarũ notionem colligendi. Alia est demonstratio quia est, quòd causam assumat, sed non primam & immediatã, eò q cum effectu, vel ipsius effectus subiecto non recurrat, aut quòd ex priori eiusdem generis causa pendeat. Exempla sunt, Omne corpus animatum sensibile est nutribile, omne animal vel omnis homo est corpus animatum sensibile, ergo omne animal vel omnis homo est nutribilis. Omne admiratiuum est disciplinæ capax, At omnis homo est admiratiuus, est igitur omnis homo disciplinæ susceptiuus. Has & alias omnes demonstrationes, ex causa (qualis qualis ea fuerit) ad effectum progredientes, contendunt nonnulli dicendas esse propter quid demõstrationes, licet non potissimas, eò quòd propter quid, nihil præterquàm causam videatur indicare. Nos autem Aristotelis vestigia sequuti, qui per propter quid non quamlibet causam accipit, sed eam duntaxat quæ adæquata est, prima, ac immediata comparatione effectus & subiecti cum quibus recurrit, omnes eas sub demonstratione quia est voluimus comprehendere atque enumerare. De huiúsque finitionis definito hactenus sit dictum. Priori definitionis parte, quæ est syllogismus, reijciuntur quæcunque argumentationes non sunt syllogisticæ. Verbigratia, Omnia enthymemata, omnes inductiones, quæ à nonnullis asseruntur esse demonstratiua, cuiusmodi sunt hæc, Omne animal rationale risibile est, est igitur omnis homo risibilis, Socrates risibilis est, & Plato, & Democritus, ergo omnis homo est risibilis. Arbitrantur enim illi huiusmodi enthymematibus & inductionibus non opinionem solùm aut fidem dialecticam adgenerari, sed & scientiam, qualis qualis ea fuerit, quod an rectè an secus dictum sit, non est huius loci perscrutari. Porrò cùm duarum huius descriptionis particularum subiunctarum prior hæc Ex primis & veris, seu ex veris & primis (quemadmodum habet Boetiana versio) adhibita sit, vt sub se complectatur eam demonstrationem quæ propter quid est & potissima, Per prima & vera intelligendæ erunt propositiones veræ, necessariæ, propriæ, primæ, immediatæ, notiores, & causam adæquatam, immediatámque, ac proximam effectus concludendi de eo, cui immediatè competit, continentes, quemadmodum latius explicatum est in Posterioribus Analyticis, atque hæc omnia forsitan nomine primorum & verorum voluit Philosophus esse comprehensa, quòd hic obiter, nempe syllogismi dialectici occasione, demonstrationem finiuerit. Posterior autem pars, Aut ex talibus, quæ per aliqua prima & vera, & cætera. demonstrationes quia est, comprehendit. Atque in hac per principium eius, quæ circa ipsa est cognitionis, accipere oportet originem cognitionis non cuiuslibet, sed indubitatæ, firmæ, & euidentis, quæ circa ea versetur, quæ per prima & vera sunt demonstrata. Exigit enim vtraque demonstratio, & propter quid, & quia, præmissarum & conclusionis assensum certum & euidentem, illarum quidem maiorem, huius verò minorem. In hac quoque literæ parte numerus pluratiuus singularem amplectitur. Nam plurimæ sunt demonstrationes quia est, quæ ex vnica duntaxat propter quid demonstrabili præmissa constituuntur. Vt omne corpus est mobile, & omne cœleste corpus corpus est, ergo omne corpus cœleste est mobile. Omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales, Omnis autem æquilaterus triangulus est, omnis igitur æquilaterus tres dũobus rectis æquales continet. Aliáque eiusdem generis, quorum maior

Demonstratio quia est duobus fit modis.

Prior.

Posterior.

maior demonstrabilis est, & minor indemonstrabilis. Porrò demonstrationes, quarum ambæ præmissæ per prima & vera sui cognitionem accipiunt, facilimum erit dare iis, qui inter eiusdem subiecti passiones illum arbitrantur esse ordinem, secundum quem prior quodammodo sit posterioris causa, secundum quorũ sententiam huiusmodi est hæc, Omne admiratiuum est disciplinæ capax, & omnis homo admiratiuus est, omnis igitur homo est erudibilis. An autem negato hoc passionum ordine, possit vnius & eiusdem demonstrationis vtraq; præmissa demonstrari, curioso lectori inquirendum relinquimus. Præterea pars hæc, de qua agimus, duplicem recipit interpretationem. Nam vno modo intelligi potest de iis quæ actu & re vera monstrata sunt ex primis & veris, quæq; assumpta sunt ad alia demonstranda, quem sensum palàm præ se ferunt Aristotelis verba, & ei cõsentiunt illa in primo Posteriorũ Analyticorum, Ex demonstrabilibus non sciet, non habens ipsorum demonstrationem. Diximus assumpta ad alia monstranda, ab iis videlicet, ex quibus monstrata fuére, eò ꝙ nihil prorsus vtilitatis accidere perpendamus, si effectu conuertibili per causam propriam immediatam, &c. demonstrato, fiat regressus ex eodem noto quidem, sed minus noto ad causam notiorem, nisi fortassis id admittatur ad mutuam vtriusq; demonstrationis, & propter quid, & quia est explicandam conuertibilitatem, Facilius longè admiserimus, primò proposita quia est demonstratione. ab effectu ad causam fieri conuersionem per eam quę propter quid fit à causa ad suum effectum. Atq; huius ratio ex alio petenda est loco. In hoc igitur sensu comprehendit hæc secunda definitionis pars omnem demonstrationem quia est, excepta ea qua ab effectu ad causam fit progressus, & qua ex causa prima immediata cum effectu conuertibili colligitur effectus competere alicui, quod cum causa & effectu non recurrit, sed his aut communius est, aut strictius, in hac enim præmissarum vtraq; est indemonstrabilis.

Illius particular, Aut ex talibus, quæ per aliqua prima & vera, &c.

Prior expositio.

Posterior.

Posterior est, secundum quem illa dicuntur sui cognitionem sumpsisse, ex primis & veris, quæ ex primis & veris nata sunt ostendi, siue monstrata sint, siue non, siue ea ipsa adhibeantur ad collectionem primorũ, & verorum, siue aliorum posteriorum. Atq; in hoc sensu quem plæriq; amplectuntur, omnis demonstratio quia est, sub hac secunda parte continetur, (quemadmodum ex superioribus est apertum) dempta ea, quam in superiori sensu secundo loco excepimus, propter quam nostro iudicio addenda subintelligendaq; erit hæc particula, quæ ex primis & veris constat complectentibus causam propriam & effectum inter se quidem conuertibiles, sed non cum subiecto ipsius conclusionis, quod vtroq; est latius aut constrictius. Nam ad propter quid demonstrationem non satis esse diximus, si illius medium & maior extremitas ad seinuicem recurrant, sed opus simul esse, vt vtraque cum subiecto conuertantur. Omnes igitur demõstrationes, & propter quid, & quia est, à quibus necesse est syllogismum dialecticum esse discretum, vt idipsum indicaret Philosophus, hac definitione conclusit, Demonstratio syllogismus est, constans ex primis & veris simpliciter, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera eius, quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt, aut qui prima & vera secundum se accipit, non autem facta ad illatam conclusionem comparatione. Post demonstrationis definitionem in litera continuò subiungitur hæc dialectici syllogismi descriptio, Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est syllogisatus.

Dialectici syllogismi descriptio, & eiusdem explicatio.

In qua in primis dictio Syllogisatus (cuius loco habet Boetiana translatio collectus) accipienda est, non pro eo quod legitimo collectum est syllogismo, in quo significatu relatiuè opponitur syllogismo, (Nam id non toti integroq; syllogismo, sed syllogisticæ conclusioni solùm conuenit) sed pro eo quod in figura & modo rectè digestum est, atque constitutum, quod cùm non competat iis syllogismis litigiosis, qui in forma deficere dicuntur, rectissimè dicentur huiusmodi syllogismi ex hac parte à præsenti finitione reiici. Deinde sequens particula (ex probabilibus) sub qua intellige, vel de altera probabili, & altera necessaria, separat dialecticum syllogismum à reliquis syllogismi speciebus, verùm quę vocentur probabilia, statim dicetur.

Ex probabilibus.

Nunc illud adiiciendum, definitionem syllogismi dialectici non esse completam, nisi addatur, ꝙ nullam habeat principii petitionẽ, quia quamlibet præmissæ alicuius syllogismi sint probabiles, tamẽ nisi fuerint probabiliores conclusione, non efficiunt syllogismum dialecticum, sed litigiosum, vt in Elenchis dicetur. Quidam huc reduci volunt syllogismos, qui constant principiis communibus, aut iis propositionibus, quæ tantùm videntur respondenti. verùm hi propriè spectant ad syllogismum tentatiuum, vt patet ex definitione disputationum tentatiuarum, quę quomodo distent à syllogismo dialectico, latius explicatur sexto capite, tertii tractatus primi Elenchorũ, quanquam id etiam ex ipsorum definitionibus satis possit colligi. Quid verò dicendum sit de iis syllogismis, qui ex pręmissis non euidentibus, sed firmiter creditis procedunt, aliis discutiendum

Syllogismi ex principiis cõmunibus.

Syllogismi ex præmissis creditis.

endum relinquo. Porrò, quia demonstratio dicta est constare primis & veris, Dialecticus verò syllogismus probabilibus. Ideo statim subiicit Aristoteles vtriusq; definitionem, dicens, Sunt aũt prima & vera, quæ non per alia sed per seipsa fidem habent. Definitũ accipitur pro primis principiis seu propositionibus immediatis. Nam hęc eadem sunt, Primò vera, prima & vera, prima principia & propositiones immediatæ. exempla sunt, Quodlibet est vel non est, Omne totum est maius sua parte, Omne animal rationale est admiratiuum, & similia principia disciplinarũ, siue propria fuerint siue communia. Primam definitionis partem subintelligunt, hanc aut aliam similem, Complexa necessaria, vt à definitione separent ea contingentia, quæ prima sunt, quibusq; firmo & euidenti assensu assensu assentimur citra omnem probationem, vt ego viuo, hic ignis est calidus, hic sol illuminat. Verùm hæc euidentia in sensu consistit, non intellectu, peritq; absente obiecto. nam nullum sensibilium cùm extra sensum est, scimus, ac proinde longè inferior est euidentia intellectuali, de qua hic agimus, quæ nascitur propter necessariam & euidentẽ connexionẽ prędicati cum subiecto, non autẽ propter actualem extremorũ sensationem. Deinde in particula sequente, quæ non per alia. Per alia, intelligendæ sunt propositiones aliæ natura priores, ac notiores. Nam in hoc differunt propositiones mediatæ ab immediatis, ꝙ illæ semper ostendi queant per propositiones natura priores & notiores, hæ verò non, sed habent fidem, id est firmiter & euidenter creduntur per se, & ratione sui, Nam quemadmodum eorum quæ videntur, quædam videntur alieno lumine, quædam verò proprio. Sic & eorum quæ intelliguntur, quædam firmiter & euidenter cognoscuntur ratione suæ euidentiæ, vt principia demonstrationũ. quædam verò ratione alienæ, vt conclusiones. Sed obiicies, Dictum est secundo Priorum capite de inductione, & vltimo capite secundi Posteriorũ, ꝙ principia demonstrationũ inductione cognoscuntur ex singularibus, sed hæc sunt à principiis diuersa, ergo principia habent fidem per alia. Responsio, Principiorũ triplex est genus, Quibusdam enim firmissimè certissimeq; adhæremus ex sola terminorum propria cognitione, cuiusmodi sunt dignitates omnes, vt quodlibet est, vel non est, Omne totum est maius sua parte, & alia prius subinde repetita. Alia verò sunt, quæ præter extremorũ cognitionem egent exempli cuiusdam exhibitione, quod exemplum neq; syllogismum efficit, neq; experientiam, sed quasi inductionem imperfectam. huiusmodi opinantur nonulli plæraque esse Geometriæ principia, & aliarum mathematicarum disciplinarum, quarum professores descriptionibus & protractionibus quibusdam vtuntur, non solùm in monstrandis mathematicis conclusionibus, sed etiam in declarandis principiis. Sunt insuper alia quædam, quæ, præter ea quæ diximus, indigent experientia singularium, ac inductione, de quibus potissimùm disputatur locis prius adductis. Talia plærunq; sunt naturalis scientię, & aliarum similium propria principia, vt Omnẽ substantiam corpoream esse mobilem, Omne lucidum esse calefactiuum, de quibus potissimum proponitur dicta obiectio. Respondendum est igitu, ꝙ hæc tertij generis principia inductione quidem cognoscantur, non tamẽ tanquam vera & principali causa formæ suæ, & euidentis assensionis, quia inductio solùm nata est generare opinionem, sed tanquam causa, sine qua non. nam licet hæc principia euidentia sint, tamen non sunt tam manifesta, vt statim à nostro intellectu, qui imbecillis est, sine omni subsidio sensus euidenter percipi queant, sicut nec omnia per se visibilia tam clara sunt, vt statim possint ab infirmo oculo sine perspicillo, aut alio quouis subsidio manifestè conspici.

Definitio primorum verorum.

Prima pars definitionis

Secunda particula.

Differẽtia inter propositiones mediatas, & immediatas.

Obiectio.

Responsio.

Triplex principium.

Post explicitam Primorum & verorum definitionem, sequitur in litera hæc Probabilium descriptio. Probabilia sunt, quę videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his aut omnibus, aut pluribus, vel maximè probatis, aut (vt habet Boetiana versio) vel maximè familiaribus & probatis. Græcè enim legitur ἢ τοῖς μάλισα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. Definitũ accipitur pro propositionibus verisimilibus. Ea dicũtur videri, quibus noster intellectus debiliter, seu cum formidine de opposito assentitur, & hinc exclusa sunt omnia demonstrationũ principia, simul & conclusiones, quibus non assentimur cum formidine de opposito, sed firmiter & euidenter, nisi fortè quædã tam longè absint à nostra cognitione, vt de eis non possimus certã adipisci cognitionẽ. Non diximus ea videri, quibus intellectus noster verè assentitur, eò ꝙ etiam probabiles sint quædã propositiones, quæ ita latẽter falsæ sunt, vt earũ falsitas vix queat vel à doctissimis tandem deprehẽdi, secundũ illud Arist. 8. Topic. Plęraq; falsa quibusdam veris sunt probabiliora. Tradunt quidam, ꝙ si cõtradictionis vna pars probabilis fuerit, necessum est & reliquã esse probabilem, sed mihi cõtrà videtur, ꝙ si vna cõtradictoriarũ probabilis fuerit, impossibile est reliquã simul esse probabilem saltẽ apud eosdem, quod sic ostendo, Omnis propositio probabilis videtur omnibus aut pluribus, &c. sed si altera cõtradictoriarũ

Definitio probabiliũ.

Pro quo sumatur definitum.

Quæ dicãtur videri.

An cõtradictorię sint simul probabiles.

videa-

videatur omnibus aut pluribus, necesse est reliquam aut nullis videri aut paucioribus. Nam contradictoriæ nō posunt simul iisdem videri, ergo impossibile est, ambas simul esse probabiles. quia quid nullis aut paucioribus apparet, id nemo probabile dixerit. & eadem est in reliquis ostensio. Sed obijcies, Propositio dialectica est interrogatio contradictionis, sic vt liberum sit respondenti, vtrā velit partem eligere, ergo necesse est vtramq; partem contradictionis esse probabilem, nam alioqui opponens nō posset vtramuis partem contradictionis ad suā disputationem accōmodare. Respondendum negando consequentiam, quia licet dialecticus vtramq; partem contradictionis interroget, tamen explicitè tantum eam partem rogat, quā sibi maximè concedi petit, & ex qua conclusurus sit syllogismū dialecticum. Quòd si forte respondens alterā partem eligat, tunc dialecticus eam responsionem in suam transferet disputationem non conficiendo syllogismū dialecticum, sed tentatiuum, quæ ex his quæ videntur respondenti syllogisat. Nam hæc disputatio etiam ad hanc facultatem pertinet. Sed rogabis, quomodo igitur fieri potest, vt disputationes dialecticæ ex probabilibus sint collectiuę contradictionum. Respondeo, quòd hæ disputationes possint quidem colligere contradictionem, non ex propositionibus probabilibus inter se contradictorijs, sed disparatis ac alienis, quæ licet efficere queant, vt contradictoriæ vicissim probabiles appareant, non tamen simul & apud eosdem, vt dictū est. Porrò sequens huius finitionis particula (omnibus aut pluribus, & cæt.) multiplicitatem ac veritatē probabilium explicat. Sunt enim probabilium quędam, quæ omnibus videntur & doctis & indoctis seu vulgaribus. Dictio enim (omnibus) non solum ad vulgares indoctos rudesq; referenda est. Eiusmodi sunt, Religiosè colendū esse Deum, Exhibendam pietatē parentibus, Matrem suum filium diligere, Fratres mutuum amare, Figulum odisse figulum, Benefacienti repetendum esse beneficium, & cæt. Alia sunt quæ non omnibus videntur, sed pluribus, id est, multis seu maiori hominum parti & eruditorum & ineruditorum, vt sunt, Parandas esse opes, Honores expetendos esse, Præstare publicam rem vno, q̄ pluribus principibus regi. Alia sunt, quæ duntaxat sapientibus videntur. Atq; horum quędā omnibus videntur sapientibus. Vt cælum hęc inferiora gubernare, Solem tota terra esse maiorem, Meliorem esse opibus eruditionem, Melius esse iniuriam pati, quàm inferre, Pręstare nomen bonum, q̄ multas habere diuitias. Alia non omnibus, sed pluribus solum apparent. Vt virtutem maximè expetendā esse, Fœlicitatem in virtutis perfectissimæ operatione consistere, Animā rationalem esse immortalem. Vltimo ac postremo loco sunt ea, quę solum videntur maximè probatis seu sapientissimis in aliqua disciplina. Vt sunt. Non plures esse Deos, Deum liberè non aūt ex necessitate agere, non ponendas esse Idæas seu formas rerum singularium, ab ipsis re vera separatas, Visionem fieri non extramittendo, sed potius recipiendo, Contingit contradicere, Non tantum vnum ens esse, & reliqua quę ad alias artes atque disciplinas attinent, modò non fuerint extranea, & contra plurimorū opinionem. Non enim simpliciter absolutéq; dicenda sunt esse probabilia, quæ contra opinionem plurīū probè in aliqua disciplina institutorū, videntur in ea disciplina viris alioqui doctissimis, sed eorū dūtaxat comparatione, Qualia fuere. Non contingere contradicere, Anthisteni. Omnia in continuo fluxu esse, Heraclito. Tantum vnū esse ens, Permenidi, & cæt. Horū autem probabilium multiplicitatis atq; pluralitatis causam rationemq; si quis requirat, apud Albertū offendet. Hactenus à nobis de probabilibus secūdum in his scholis receptā opinionem, dictū sit, cui sanè nō per omnia consentit Boetius in primi libri calce De differentijs topicis. Post hęc in litera, ibi. Litigiosus est autē syllogismus, &c̄. aliquorū iudicio vnica assignatur syllogismi litigiosi generaliter sumpte descriptio. Alij sinceriorem intellectum literæ huius existimant esse, si duæ dicantur tradi definitiones, eò quòd ipsorum sententia admodū tarenter contingat, analogata vna eademq; finitione comprehendi. Huic quoq; sensui fauere existimant illud quod posterius ab Aristot. subiungitur. Eorū ergo qui dicti sunt litigiosi syllogismi, prior etiam syllogismus dicatur, &c̄. Prior est hæc. Syllogismus litigiosus est, qui ex his quæ videntur probabilia, non sunt autem, syllogisat. Posterior est Litigiosus syllogismus est, qui ex probabilibus, aut ex his quæ videntur probabilia, est apparens. Cæterùm syllogismus litigiosus aliàs nuncupari solet sophisticus syllogismus. Verùm hæc duo & si re vera eadem sunt, & mutuo recurrunt ac conuertuntur, tamen ratione discrepant. Quemadmodū etenim in Elenchis docet Philosophus, syllogismus litigiosus dicitur, quatenus pro scopo fineq; contentionem spectat ad victoriam. Sophisticus verò quatenus ad vanā destinatur gloriam, falsamq; scientiæ persuasionem, de qua re in loco allato amplius dicendum est. At in priori definitione, quæ est litigiosi syllogismi in materia duntaxat peccantis, particula syllogismus eo

Oiectio.

Responsio.

Disputatio tētatiua etiā dialectici est officij.

Quæstio.

Responsio.

Probabiliū partitio i ea quæ vidētur omnibus.

Quæ videntur pluribus

Quæ solum sapientibus videntur, & horū quędā omnibus vi dentur.

Quædam pluribus.

Quędā sapientissimis.

Prior syllogismi litigi. definitio.

accipitur modo, quo sumebatur in superiori descriptione. Per ea autem quæ videntur proba
bilia, non sunt autem, veniunt intelligenda, quæ probabilia secundum se videntur & nõ sunt,
ad quæ erunt reuocanda, quæ secundum se probabilia sunt, & secundum illationem proba-
bilia esse apparent, cuiusmodi non sunt. Et proinde hac definitione apertè concluduntur syl-
logismi in materia duntaxat peccantes, quæ in figura & modo legitimè digesti constant ex
præmissis, quæ primo quidẽ intuitu verè apparent, si tamẽ penitius inspiciantur, illarũ statim
deprehendetur falsitas. Cuiusmodi sunt. Quicquid non perdidisti habes, cornua autem id



sunt quod non perdidisti, cornua igitur habes. Omnia quadrata, quorum vnius latera dupla
sunt ad alterius latera, dupli & subdupli rationẽ ad seinuicẽ habent, sed quadratũ pedaneum
& quadratũ quadrupedale sunt quadrata, quorũ huius latera dupla sunt ad illius latera, ergo
& quadratũ quadrupedale & pedale ad seinuicẽ dupli & subdupli rationẽ habent. In quorũ
vtroq; maior primo aspectu, vera esse videtur, cuius tamen falsitatẽ statim dinoscet qui rem
ipsam paulò attentius expenderit & examinarit. Porrò ad hosce syllogismos, quemadmo-
dum prius diximus, reducendi sunt, qui ex secundum se probabilibus progrediuntur ad con-
clusionem, quã neq; secundum naturã, neq; secundum nos probant, & si videantur approba-
re. Exempla sunt. Omne animal rationale coloratũ est, omnis aũt homo animal est rationa-
le, igitur oĩs homo est coloratus. Cicero est orator, & Cicero est Tullius, ergo Tullius est ora-
tor. Verùm ab his excipiendi sunt ij, qui ex effectu peculiariter ad aliquã disciplinã pertinẽte,
ad causam progrediuntur, id est, demonstrationes, ab effectu ad causam, vt sunt hæ. Omnis
homo est erudibilis, omne animal rationale est homo, est igitur omne animal rationale erudi-
dibile. Quæcunq; lineæ non concurrunt sunt parallelæ, sed hæ rectæ lineæ non concurrunt,
sunt igitur parallelæ. Hæ nanq; ad syllogismũ falsigraphũ reiectus, quàm ad litigiosum redu-
cuntur. Nam vtrunq; & falsigraphus & demonstratio ab effectu ad causam, veluti quædam
species, cõtineri videntur sub viciosa demonstratione. Porrò altera definitio in eos syllogis-
mos quadrat, qui in forma syllogistica deficere dicuntur: Quorum quidam in sola forma syl
logistica peccant, eò ꝙ ex probabilibus & secundum se, & secundum illationẽ constat, non ser-
uata forma syllogistica, ob quã rem comprehensus sub huius finitionis priori parte, dicetur es-
se apparẽs syllogismus ex probabilibus, quales hi sunt. Omnis puerpera diligit quem lactat,
omnisq; nutrix diligit quem lactat, est ergo omnis nutrix puerpera. Quicquid peperit pallidũ
est, hæc autẽ mulier pallida est, peperit ergo hæc mulier. Alter sub posteriori parte contin-
tus, in materia simul & forma deficit, quòd ex ijs constituatur quæ solum videntur probabi-
lia, non sunt autẽ, quæq; syllogisticã non obseruant formã, & proinde dicitur apparens syl-
logismus ex ijs quæ videntur probabilia. Eiusmodi sunt hi. Nulla opposita sunt simul ve-
ra, At Socratẽ docere & Platonem audire Socratem docentẽ, non sunt opposita, non sunt
igitur simul vera Socratem docere, & Platonẽ Socratem docentem audire. Quicquid non
perdidisti habes, opes habes, ergo opes non perdidisti. Ex his itaq; palàm est, syllogismũ liti
giosum nonnunquàm ex apparentibus probabilibus legitimã formam syllogisticã sortitum
esse, dum in materia dnntaxat peccat, nonnunquàm ex verè probabilibus constare eadem
neglecta, dum in forma sola deficit, & aliquando ex vtrisq; defectũ manare. Porrò quẽad-
modum superius diximus, eos syllogismos qui ex principijs cõmunibus fiunt non propriè di
alecticos esse, nec contineri sub definitione syllogismi dialectici prius assignata, sed potius es
se tentatiuos. sic existimandum est eos qui fiunt ex dictis principijs malè intellectis non pro-
priè litigiosos esse, neq; falsigraphos, sed ad eos syllogismos spectare, qui cum tentatiui non
sint, tentatiuorũ tamen speciem præ se ferunt. Talis est hæc Brissonis ratio circulum quadra
re nitentis. Quocunq; datur maius & minus, illi datur æquale, sed circulo datur quadratum
maius & minus, ergo circulo datur quadratum æquale. de qua quidem re alibi rationẽ aliter
reddidimus. Item & hæc. Omne totũ sua parte maius est, Socrates autẽ totum quoddam
est sui corporis ratione, erit ergo Socrates suo corpore maior. Nam illud cõmune principiũ,
de ijs quæ sunt eiusdem speciei veritatẽ dicitur continere, cuiusmodi non sunt circulus & qua
dratũ, hoc autem de eo toto quod integrale est, quod non est Socrates, facta ad suum corpus
collatione. Dum in litera mox post litigiosi contentiosiq; syllogismi descriptionem subiun
git Philosophus (Non enim omne quod videtur probabile, &c̃.) vtcunq; declarando dictã fi
nitionẽ, latenter refellit quorundam opinionem, qui teste Aristotele Metaphysices quarto li-
bro affirmabant verũ esse, quicquid verũ apparebat. & re vera probabile esse omne id, quod
videbatur probabile. Contra quos hic asseuerat, multa probabilia videri, quæ verè non sunt
probabilia, vt sunt ea quæ in superficie probabilia dicuntur, vt contentiolarum argumenta-
tionum

Quales sint syllogismi q ex probabilibus in se & apparentes pbabilibus secundũ illationem construuntur.



Posterior syllogismi Litigiosi finitio.

Syllogism⁹ & forma sola peccans.

Syllogism⁹ in materia & forma deficiens.

Litigiosus syllogismus interdũ ex pricipijs cõstat communibus.



Declaratio particularũ i definitiõe syllogismi litigiosi comprehẽsarũ.

onum confirmatiua principia. Id probabile est in superficie, quod cortice tenus verum esse videtur. At verò cum & introspicitur & diligentiori attentione falsum esse reprehenditur. Neque oportet, si quicq̄ exteriore apparentia statim probabile verumq; sese ostentet, omnimodã habere veritatis apparentiam atq; causam. Huiusmodi probabilia sunt. Quæcunq; vni tertio sunt eadem, illa inter sese eadem esse. Si affirmatio vera sit, oportere omnem negationem illi oppositã falsam esse, & contra. Si ab aliqua linea fiat quadrangulum, a dupla linea procreari quadrangulum duplum, quo Socrates in Menone iuuenē illusit. falsum enim id erat, tametsi in cortice & secundum superficiem puero verū esse appareret. Post hæc ex illa textus parte, Amplius præter iam dictos syllogismos, & cæ. solet quartæ speciei syllogismi, quę est pseudographus siue falsigraphus syllogismus hæc descriptio depromi. Falsigraphus syllogismus est, qui ex proprijs alicuius disciplinæ fit principijs non veris. Vt omnes lineæ ab eodem puncto ad idem signum ductæ, æquales sunt, sed lineæ quarum vna corda est, alteraque arcus ductæ sunt ab eodem signo ad idem signum, sunt igitur corda & arcus æquales lineæ. Quolibet numero aliquis quantumlibet potest esse maior: At numerus infinitus est numerus, Infinito igitur numero aliquis quantumlibet potest maior esse. Definitum syllogismus falsigraphus, ex scientijs mathematicis, & præcipuè ex ipsa geometria nuncupationem apparet desumpsisse (id quod subindicat Philosophus in Elenchis) in qua si falsa descriptio principiorū per syllogismū designetur, ab ea dicitur falsigraphus syllogismus. hoc tamen nomine, & alios aliarum disciplinarū similes syllogismos rectè nuncupamus. Prima huius finitionis pars subintelligenda (syllogismus) quamplurimorum opinione accipitur quemadmodum prius definiebatur, id est, pro syllogismo legitimã syllogisticã habente formam. Arbitrantur enim hi, pseudographum omnē ex principio constare non verò, seu in eo sensu sumpto, secūdum quē necessario annexam habet falsitatē. Vt sunt illa quæ prius enumerata sunt, modò in ipsis absoluta intelligatur esse distributio. Particula sequens (proprijs principijs) falsigraphum separat a dialectico syllogismo & litigioso, quorū ille ex probabilibus constat, nō autē ex principijs. Postrema aūt huius finitionis parte (non veris) separatur falsigraphus syllogismus a demonstratiuo, qui licet materia & remota & propinqua, hoc est, eodem principio participent, alia tamen atq; alia ratione eo vtuntur, demonstratiuus quidem, tanq̄ vero certissimeq; cognito, falsigraphus aūt, in eo sensu in quo falsum esse ipsum necesse est, quanquam id ceu verū accipiat syllogisans ob quandam animi aut inanimaduertentiam aut leuitatem aut temeritatē, nō perspecta falsitatis causa atq; radice. Est itaq; syllogismus falsigraphus, cuius mentio hoc in loco agitur, qui ex principijs alicuius disciplinæ proprijs falsis syllogisticè conclusionē falsam colligit. Ad quem reuocanda est oīs reliqua vitiosa demonstratio. Cuius duplex est species. Vna dicitur propter quid demonstratio viciosa, eò quòd aut assumptum principium falsitati sit obnoxium, aut sub ipso vero perperã fiat subsumptio, aut his seclusis syllogistica forma non seruatur. Vt omne risibile est animal rationale, & omnis homo est animal rationale, igitur oīs homo est risibilis. Atq; sub hac continetur pseudographus syllogismus. Altera est ab effectu progrediens, quæ quomodolibet constituta fuerit, semper erit vitiosa demonstratio. Sed de hisce hactenus. Porrò illud obiter annotandū, non solum constitui syllogismum ex proprijs alicuius disciplinæ principijs perperã intellectis, sed & ex principiorum oppositis, quēadmodum docetur in Posteriorū Analyticorum priori libro. Atque hunc syllogismū ignorantię nuncupant, quē nusquam apud Aristotelem legimus dici falsigraphum, quo nomine ipsum hoc in loco appellat Albertus, a cuius sentētia non est quod nos reuocet, modò eiusmodi principiorū opposita non extiterint apertè falsa. Alioqui ad procreandam aliquam fidem assensumq; non forent idonea. Quo aūt pacto contingat quemquam principiorū oppositis assentiri, aliàs est declaratū. Ex ijs igitur quæ superius dicta sunt, palàm constat, falsigraphum syllogismū non contineri sub contentioso, veluti quodam cōmuniori, sed specie ab eo distingui, id quod apertè testatur Philosophus in Elenchorū priori libro. hoc autē in loco satis obscurè subindicat, lucidius tamen in Boetiana translatione, quàm nostro textu. Sic enim illa habet. Amplius præter omnes, qui dicti sunt, syllogismos, ex ijs quæ sunt circa aliquas disciplinas peculiaria, fiunt paralogismi, quemadmodum in geometria & huic cognatis accidit se habere. Videtur autē hic modus differre a dictis syllogismis, &c. In quibus Philosophi verbis imprimis notanda est vniuersalitatis nota, ne quis Aristotelis dictū duntaxar referendum duxerit ad demonstratiuū & dialecticum syllogismos, quēadmodum non nulli censuerunt, sumpto argumento ex posteriori textus deductione, in qua suppresso syllogismo litigioso, Philosophus solum quodam modo meminit demonstratiui & dialectici. Ve-

rùm vt

Quid in superficie probabile.

Quid sit syllogismus falsigraphus.

Eiusdem explicatio.

Qui syllogismi ad pseudographum reducendi.

Duplex vitiosę demonstrationis species.

Prior.

Posterior

Albertus.

Falsigraphū nō contineri sub litigioso tanq̄ communiori.

rùm vt id refellatur, secundò attentè perpendendum est quod subsequitur (ex iis quæ sunt peculiaria circa aliquas disciplinas) quo siquidem (nisi nos nostra fallat opinio) subindicat, propria disciplinarū principia prauè intellecta, sic peculiariter addicta esse constituendo falsi grapho, vt nequeār vllo modo ad contentiosum pertinere. Nam si præter omnes dictos syllogismos, ex propriis disciplinarū fiant falsigraphi, consequēs est, nullum dictorū syllogismorum, ex huiusmodi propriis, non aūt veris principiis constare. Cum igitur vel Iacobo Fabro teste, pseudographorū syllogismorum principia sint in superficie probabilia, prior contētiosi syllogismi finitionis pars intelligenda erit de iis quæ scientiarum non sunt propria principia, id quod superius satis insinuatum est. Porrò occasione illius particulæ (aliquas disciplinas) nonnulli censent ea principia propria, quæ idonea sunt falsigrapho constituendo, oportere pertinere ad speciales particularesq; scientias, non autem ad eas quæ omnibus cōmunes sunt, quæ secundum Philosophū quarto Metaphysices tres sunt numero, Metaphysica, Dialectica, & Sophistica. Quare ex harum principiis perperàm intellectis asserunt, litigiosum syllogismū prouenire non autē falsigraphum. Quorum de numero fortassis sunt hi & similes. Quæcunq; eidem tertio sunt eadem, sibi mutuo sunt eadem, homo aūt & equus animali sunt eadē, sunt igitur homo & equus sibi mutuo iidem. Nulla opposita simul vera sunt, omnia subcontraria opposita sunt, nulla igitur subcontraria sunt simul vera. Omne multiplex distinguendum est, at æquiuocum cuius æquiuocatio eum latet quo cum sermo habetur, multiplex est. ergo æquiuocū cuius æquiuocatio latet est distinguēdum. Insuper quod in litera sequitur. Nam eò quòd quis aut semicirculos describit, aut lineas ducit non vt oportet, &c. In hunc sensum est accipiendum. Is qui ratiocinatur ac syllogisat ex mathematico principio de circulis describendis & ducendis lineis tradito, eoq; perperā intellecto, & secundum falsum illius sensum facta subsumptione (id enim est semicirculos describere & lineas ducere non vt oportet) eum paralogismū constituit, qui falsigraphus vocatur. Est igitur hic syllogismus pseudographus, Omnes semicirculi sunt æquales, a b & c d semicirculi, sunt semicirculi. sunt igitur a b & c d inter se æquales. Illud autē principium non vniuersaliter intelligēdum est de omnibus semicirculis idem centrum habentibus, (Nam primi elementorum Euclidis secunda petitio ne traditur. Super centrum quodlibet quātumlibet occupādo spatium, circulum designare) sed de iis duntaxat, qui eiusdem circuli sunt portiones. Etenim eiusdem primi libri hæc 17. est definitio. Diameter circuli recta est linea, quæ super eius centrū transiens, extremitatesq; suas circumferentiæ applicans, circulum in duo media diuidit. Et hæc 18. semicirculus est figura plana, diametro circuli & medietate circumferētiæ contenta. Alter falsigraphus syllogismus de lineis ductis non vt oportet superius est redditus, cuius principium geometricū est, omnes lineas ab eodem signo ad idem signum ductas, esse æquales, quod quidem verum est de lineis rectis, ab eodem puncto ad id idem protractis. Sint signa a & b ab inuicem distantia, rectam lineam a b æqualem esse rectæ lineæ b a est necesse. Quòd si vnā rectam, quæ corda sit, acceperis, & alterā quæ sit arcus, aut ambas curuas, necesse erit alterā altera esse maiorem, & proinde inæqualem. Hoc eodem principio vtebatur Antiphon in ea ratione, qua nitebatur monstrare, circulum posse quadrari, de qua alibi dicēdum est. Postremo illud literæ sequentis (de omnibus dictis) non incōmodè refertur ad Dialecticum, litigiosumq;, & falsigraphum syllogismū. Nam de aliis, syllogismo scilicet & demonstratione ita prius determinatū est, vt in sequentibus nihil agatur. & per dicenda rectè accipiuntur, quęcunq; posterius in his libris Topicorum & Elenchorū ab Aristotele traduntur, prædicata videlicet 4. inductio, dialecticis argumētationibus abūdandi instrumenta, loci maximæq; dialecticæ, & id genus reliqua, quæ considerantur ob dialectici syllogismi perfectā cognitionem assequendam. Neq; huic loco, in quo pollicetur se Philosophus figuraliter, & crassa (vt aiunt) Minerua de iis quæ ad hanc scientiam pertinent determinaturū, arbitrandum est repugnare, quod definitionū assignandarū pleræq; exactissimè sint ab Aristotele traditæ. Nam idipsum, quantum rei natura admittit, in omnibus obseruandum est definitionibus & descriptionibus.









Consequens aūt erit quæ dicta sunt

In tertium caput, quod huius scientiæ vtilitatem continet, annotatio.

Ad tria est vtilis Dialectica.

PHilosophus suo proœmio finem impositurus, duo in hoc capite proponit atq; explicat. Etenim imprimis mōstrat ad quot & quas res hæc Dialectices disciplina sit vtilis, has tres enumerans, Exercitationes videlicet, Obuiationes, Et secundum Philosophiam disciplinas. Cur autē hunc trium istorum ordinem fecerit, curioso lectori inquirendum relinquimus Porrò illud obiter admonendum est, nimis anxium esse, vtilitatisq; nihil adferre, exactius scrutari, an ne pręter hasce vtilitates, sint & quædā huius disciplinę aliæ. Item an hæ cōmoditates

ad eam duntaxat pertineant Dialecticā, quam vtentem consueuerant nonnulli appellare, eò quòd ad vsum applicetur. Huic loco satis fuerit, huius operis proximū finem esse, dialectici syllogismi eiusq; principiorū ac effectuum cognitionē: Dialecticiq; syllogismi præcipuū scopum esse, ad generare opinionē & dialecticā fidem. Atq; huius ratione ad cætera quęuis ipsum idoneū & cōmodum esse. Nam & qui sese exercent, & qui alijs obuiant (vt interim de secundum philosophiam disciplinis taceamus) nihil agunt aliud, quàm vt de proposito themate aut probando aut confutando, opinionē auditori ingenerent ex probabilibus ac cōmunibus. Verùm his omissis ad literā regrediundum est. Vtilis itaque est primo hæc disserendi ars ad exercitationes, quæ ad aliquā pertinent disciplinā, Cuiusmodi sunt gymnastici conflictus, siue disputationes, quæ in ludis literarijs excolendi acuendiq; ingenij gratia suscipiuntur. Auget enim (vt quidam inquit) disputatio ingenium, linguā erudit, memoriamq; confirmat, ac non modo multa disputādo discimus, sed quæ sic discimus, melius scimus, aptius eloquimur, & firmius recordamur. Insuper secundò vtilis est Dialectica ad obuiationes seu (vt ait Rodolphus Agricola) ad confutandum aduersarium. Nihil enim aliud obuiare apparet esse, q̄ per dialecticas argumentationes acriter & promptè, quantū rei de qua agitur natura permittit, respondentis positioni resistere. Et proinde obuiationes ratiocinationes erunt, quibus ex hoc vel illo dialectico loco depromptis, destruemus atq; interimemus ea, quæ ab alijs minus rectè parumque probabiliter vel affirmata esse videbuntur, vel negata. Cæterùm huius rei probationis subiunctę istum sensum reddit Albertus. Nos de quolibet problemate multorū philosophorū opiniones annumerantes, (Nam Græcis κατηριθμημένοι nominatiuus est) quas ex circumstantibus probabilibus deprehendemus, an veræ sint an falsæ, contra eos ratiocinabimur, non ex aliorum extraneisq; doctrinis, sed ex proprijs eorū, ac per eadem quæ docēt, oppositā rationē accipiemus. Alij per proprias doctrinas accipiunt huius artis documenta, quibus vtimur in refellendis, quæ ab alijs non satis probabiliter nostro iudicio asseruntur. At de hac secunda Dialectices cōmoditate, ad hunc modum scribit Diuus Hieronymus, Verè (inquit) quicquid in sæculo peruersorum dogmatū est, quicquid ad terrenā scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subuertitur, & instar incendij in cineres fauillasq; dissoluitur, vt probetur nihili, quod putabatur esse fortissimū. Porrò loco obuiationū vtroq; loco habet Boetiana translatio colloquia. Nam Græcè legitur πρὸς τὰς ἐντεύξεις, qua voce Alexander & Suydas significari putant τὰς πρὸς τοὺς πολλοὺς συνουσίας, id est, conuersationē congressus colloquiaq;, in quibus aut recreationis aut alicuius vtilitatis gratia, disseritur cum vulgo & multitudine, cui si quid persuasum velis, nulla id ratione efficietur facilius, quàm si omnis tua oratio ducatur ex ijs, quæ ipsi vulgo vera esse videntur, non quæ ex intimis artium penetralibus deprompta admiratur citius rudis multitudo, quàm credit. Huiusmodi colloquia & congressus sunt apud Aulum Gellium in Atticis noctibus, & Macrobiū in Saturnalibus, hanc aiūt nominis ἐντεύξεις significationē arbitrantur declarare ipsius Aristotelis verba, quibus secundæ huius vtilitatis causam reddit, licet ipse in huius octauo libro de obuiationibus confutandoq; aduersario consideret. Tertio, hæc disputandi ars magnā opē adfert ad eas quæ secundum philosophiam sunt disciplinas, hoc est, eas scientias quas nomine philosophię complecti solemus. Describitur enim ab Isidoro philosophia in hac acceptione, esse humanarū diuinarumq; rerum cognitio, cum bene viuendi studio coniuncta. Huius tertiæ vtilitatis duas adfert philosophus rationes, quēadmodum ex ipso quilibet potest deprehendere, quarum occasione nostro iudicio probè fecerimus, si ea in medium produxerimus, quæ in singulis scientijs tradi solent & contineri. Sunt autem hæc numero quatuor, principia, & ex principijs colligendæ conclusiones, ipsa conclusionū ex principijs deductio siue demonstratio, artis traditio, & alia nonnulla, de quibus nequit a nobis haberi cognitio certa atq; euidens. Hoc postremū facile est inspicere in scientijs plerisq;. Habēt etenim & Naturalis Philosophia & Metaphysica (vt interim alias prætermittamus disciplinas) plurima, de quibus a pluribus ambigitur, an vt dicuntur sese sic habeant, vel ad vtramq; contradictionis partem allatis rationibus. Nam non quælibet ratiocinationes, cuiusuis monstrandi indubitatā efficiunt fidem, sed ipsi ratiocinationi vt id ipsa procreare possit. Sunt & alia adhibenda, quæ fusius prosequeremus, nisi breuitatem amplecti cogeremur. Ad hæc autē nostro iudicio probè refertur ipsius Philosophi prior ratio in litera posita: Nam de eiusmodi dubijs singulæ pertractant artes, & quid verum sit, quidq; falsum inspiciunt, sed nō expeditè, nisi dialectices vsu atq; ministerio. Vtuntur enim hac in re eo instrumento, quod Dialecticæ est peculiare, quanquam terminū ex quibus

Ad exercitationes.

Ad obuiationes.

Alexander, Suydas.

Gellius. Macrobius.

Ad secundū philosophiā disciplinas.

Quid Philosophia.

In singulis scientijs cōtinentur quatuor.

quibus illud construitur, ad hanc vel illam scientiam propriè pertineant, modò ipsorum propria consideretur natura, non autem vt alicuius loci dialectici formam induant. Cæterùm

Rodolphus

quantum vtilitatis adferat ipsa Dialectica artium traditioni, pulchrè aperit Rodolphus Agricola secundi libri de inuentione Dialectica quinto capite, cuius sunt hæc verba. Quid ergo dicet aliquis. Nonne & ante inuentā Dialecticen fuerant artes, & disputatum est, & inuentum est verum, & nunc quoq; quotusquisq; eorum qui disputant, Dialecticen tenet? Non est (inquit Rodolphus Agricola) quod negem hæc ita esse. Illi tamen quod Dialectice docet, & faciunt & fecerunt, multò cōmodius si hanc didicissent fortasse facturi. Quemadmodum & ante traditā Rhetoricen diserti viri fuerunt. & priusquam literis cōprehensa est musice, cecinerunt homines. nec Hippocrates, vt primus in artis imaginē medicinā coegit, sic & primus cognouit morbum, profutura meditatus est, ægrum leuauit, facta sunt hæc antequam artes fierent, & ob idipsum quod crebro sunt facta, longa rectè secusque factorū annotatione artes esse cœpere. Prouenere deinde præclara ingenia, quæ dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, rudia perpolirent, & omnia complecterentur, non modò quæ facta essent, sed quæ fieri etiam possent. Sic quod casus ante fuerat, cepit deinde ratio esse & securum est, vt non quia factum iam esset, aliquid debere fieri. sed quia deberet fieri, crederent esse faciendum. Qui priores ergo fuerint artibus, similia his ipsis quæ nunc præcipiuntur, si quando rectè fecerunt, secuti sunt. Sicut hodie pleriq; faciunt quod artis est, sed non ex arte (quippe quā nullam habent) sed vel longa obseruatione, vel ingenij quodam præstanti vigore. Quanto rectius tamen, quanto melius expedirent illa, si certa artium ratione ducerentur. duratura enim sæculis ingenia, & quibus non præsentes solum plaudant, sed quæ omnis posteritas miretur, ea tum demū fiunt, quoties cum optima natura ars perfecta coniungitur. Sic quòd Dialectices est, inuenerunt argumenta homines, & errorem malè inuentorū aliquando deprehenderunt, anteaquam essent omnia præcepta illius in artis formā collectā. Aristoteles tamen, quiq; post eum alij instructi eā fuere, facilè libris suis ostendunt, quàm magnus sit vsus eius, & quàm tractandis omnibus rebus accōmodatus, vtq; sine ea non solum singula, de quibus in artium decursu dubitaretur, explicare nequirent, sed ne artes quidem colligi possent, & in hanc quā acceperunt, redigi formam. Hæc est illa scientia, quam apud Ciceronem Crassus necessariam formandis artibus putat, quamq; cupit esse in Iurisconsultis, quo non essent

Cicero primo libro de oratore.

apud eos omnia actorum similia. Porrò Crassi apud Ciceronē primo libro de Oratore hæc sunt verba. Nihil est (inquit) quod ad artem redigi possit, nisi ille prius qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. hoc video dum breuiter voluerim dicere, dictū a me esse paulò obscurius. Sed experiar & dicam si potero planius, Omnia ferè quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt, Vt in musicis & numeri, & voces, & modi. In geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines. In astrologia, cæli conuersio, ortus, obitus, motusq; syderum. In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus: In hac deniq; ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quondam omnibus, & diffusa latè videbantur: Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt quæ rem dissolutā diuulsamq; conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Hæc eo in loco Crassus. Quòd autem ars ea quā extrinsecus alio quodam ex genere adhibitam dicit, sit

Cicero de claris oratoribus.

Dialectica, id ex alio eiusdē autoris opere facilè ostendi potest, quod De claris inscribitur oratoribus, vbi de Seruio Sulpitio loquens, hunc in modum Bruto interroganti respondet, Sic enim (inquam) Brute existimo, iuris ciuilis magnū vsum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse, artem in hoc vno, quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscurā explanare interpretando, ambigua primum videre, dein distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæq; non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximā, quasi lucem, ad ea quæ confusè ab alijs aut respondebantur aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Rectè inquam intelligis, sed adiunxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillimè perspici potest. Hactenus Cicero.

His igitur existimamus palam esse, Dialecticam siue logicam nedum accōmodam esse, verùm & prorsus necessariā tradendis disciplinis. Cæterùm quomodo deducendæ sint ex suis principijs conclusiones, quæq; hoc in negocio obseruanda sint, etsi pertinere videantur peculiariter

liariter ad posteriorem Analysim, cuius est considerare demonstrationis naturam: Hanc tamen Topicen inueniendo argumēto demonstratiuo esse vtilem, testatur Boetius in primi de Topicis differentijs calce. Topicorum(inquit) intentio est, verisimilium argumentorum copiam demonstrare. Designatis enim locis, quibus probabilia argumenta dicuntur, abundans & copiosa necesse est fiat materia disserendi. Sed quoniam probabilium argumentorum alia sunt necessaria, alia non necessaria, cum loca probabilium argumētorum dicuntur, euenit vt necessariorū quoq; dicantur. Quo fit, vt oratoribus quidem & dialecticis hæc principaliter facultas paretur: secundo verò loco philosophis. Nam in quo probabilia quidem omnia conquæruntur, dialectici atq; oratores iuuantur: In quibus verò probabilia ac necessaria docentur, philosophiæ demonstrationi ministratur vbertas. Non modò igitur dialecticus atq; orator, verùm etiam demonstrator ac veræ argumentationis effector habet, quod ex propositis locis possit assumere. cum inter argumentorū probabiliū locos, necessariorū quoq; principia traditio mixta contineat. Hæc Boetius. Porrò de disciplinarū principijs, & proinde conclusionibus, agit secunda Philosophi probatio. Quo autem pacto quaq; via, propria disciplinarum principia a nobis commodissimè possint cognosci, satis fusè in Posterioribus Analyticis expediuimus. Item & in hoc libro, dum dicebamus, ipsa nullo posse modo ex simpliciter prioribus monstrari, sed duntaxat a nobis cognosci, vel ex sola suorum terminorū cognitione, vel huic simul adhibita rerū per terminos designatarum experientia & inductione, cuius consideratio propriè ad dialecticum pertinet, de qua quidem re capite superius allato sic tradit Rodolphus. Constat(inquit)artes omnes paulatim & per incremēta repertas esse, neq; quisquam idem aliquā artem reperit & absoluit. Prima enim initia a sensuum obseruatione profecta sunt, vt cū viderent homines, aliquid iterum tertiòve & sæpius itidem fieri, experimēto sumpto, ausi sunt tandem affirmare, prorsus sic se rem in omnibus habere. Vt cui primū curæ fuit scrutari rerum naturam, cum videret plantas, animaliaque, non nisi è semine procreari, deinde ducto per radices humore, aut cibo per os hausto augescere. laterem nisi luto non excoqui. cinerem non fieri, nisi ex aliquo quod vreretur: sicque reliqua quæcunque gignerentur, prius aliquid ex quo fierent habere, tanquam firmum exploratumque demum constituit, Nihil ex nihilo gigni. Simili via collegit, etiam omnia quæcunque fiunt, efficientis alicuius vi fieri. Deinde cum per singulas res duceretur animus eius, velletque. etiam naturas proprietatemq; vniuscuiusq; perquirere, ad cōmunia illa rediens, quæ iam veluti leges fixerat, conferensq; illa cum singulis ratiocinando, reputando, colligendo, (id est quod argumentari dicimus) fidem de vnaquaq; sumpsit, & ambiguitates explicuit. Illa ergo, & quæ sequutus est velut firmamēta inquisitionis suæ, & quæ ex illis colligit, propria sunt instituti artisq; suæ, via autem & ratio colligendi paràdæq; fidei ad dialecticum spectat. Hactenus Rodolphus.

Porrò cum Philosophus in hac secunda ratione duntaxat meminerit principiorū propriorum, non immeritò poterit quispiam rogare, an ne eadem sit habenda ratio de communibus principijs. Cui in primis responsum sit, quamplurima disciplinarum principia propria esse eiusmodi, vt eorum certā cognitionem nequeamus assequi, nisi inductionis via, aùt alio simili modo, id quod nunquam ad sui cognitionem exigunt cōmunia principia. Et proinde sub silentio communibus præteritis, rectè proposuit solum ea principia, quæ alicui particulari disciplinæ sunt propria. Tradit Albertus hoc in loco, & dialecticum & philosophum seu metaphysicum ostendere particularium disciplinarum principia, Hunc quidem ex ijs cōmunibus, quæ non solum signa sunt, sed & essentialia & causæ, quæ limitari ac restringi queunt ad propria. Illam autem ex ijs duntaxat communibus, quæ signa existunt, non causæ, & quæ ad propria principia nequeunt restringi. Quod an rectè, an aliter dictum sit, non nobis est animus nunc discutiendi. Ad hæc, secundò respondere possumus, sub proprijs principijs probè esse subintelligēda cōmunia, quæ non simpliciter vel a dialectico vel a philosopho probātur, sed solum huic aut illi, qui huiusmodi cōmunia principia ob animi proteruiam, ore nō animo negat, aut fortassis mente diffitetur vel non credit, eò q terminorū ipsius principij cognitionē, ob intellectus hebetudinem aut nequeat assequi, aut adinuicem cōponere, aut compositione facta intellectus aciem non ad id ipsum, sed ad aliud conuertat. Atq; de hac re cōmodius atq; latius agendum esset quarto Metaphysices libro. Huic loco satis fuerit, dialectico esse propriam maximeq; conuenire, ex ijs communibus quæ probabilia sunt (loco enim communium in huius rationis declaratione habet versio Boetiana probabilia) assensum atque fidem efficere propriorum principiorum earum disciplinarum quæ particulares sunt. Etsi id nō negemus illi competere in communibus, vel ipsius dialecticæ principijs. Est igitur Dialectica,

Boetius.

Rodolphus

Quæstio.

Dilutio.

opem adferens ad secundum philosophiam disciplinas, obuiationes, & exercitationes: Huiusq; rei euidentissimū potest esse argumentum, quòd plurimos videamus hac arte destitutos, plerunq; vbi vel rectam tuentur causam, obmutescere, neq; illis vllum esse victoriæ locum, qui vbi victoriam sunt assecuti, nesciunt quā ob causam. Et meritò ridendi sunt, dum neglecta & præterita hac disciplina, illotis (vt aiunt) pedibus ad grauiores & difficiliores rapiuntur, ad quarū tamen cognitionem serius perueniunt, quàm si annos aliquot Dialecticæ studio impendissent. Post hæc secundo loco in litera, ibi. Habebimus autem perfectā methodum, &c. quia præfatæ tres dialecticæ commoditates potissimùm tribuendæ sunt ei dialecticæ quæ perfecta est, dicit Philosophus, eum esse dialecticum, siue Dialecticā perfectè assecutū, non quisquis probabilibus ratiocinationibus in illo cum quo disseritur, semper opinionē ingenerat dialecticamq; fidem, (Nam id nō ex ipsius pendet arbitrio) sed qui ad id efficiendum, nihil eorū omittit, quæ ipsa Dialectica ars adferre iuberet, perspecta rei de qua agitur natura.

Quis perfectus sit dialecticus.

Id quod simili quodam monstrat de rhetore non semper persuadente, medicoq; non perpetuò sanante, secundum illud Satyrici, Non est in medico semper releuetur vt æger, atq; eiusmodi artificibus, vt sunt poetæ, discipulorum præceptores, ciuium magistratus, duces militum, & similis generis alij. Non persuadet rhetor aliquando ob iudicis auditorúmve peruersum animū, aliquando ob rei de qua agitur malitiam & vitium, aut infirmam argumenti allegationem. Item quandoq; non sanat medicus, quòd aut experimentū fallax sit, aut morbus incurabilis, vel non satis cognitus, vel æger medici præceptis non obtemperet. Simile quiddam dialectico accidit, vel ob problematis arduitatem ac difficultatem, vel propter debilem, quæ sola fortassis occurrit, probationem, aut eius cum quo disseritur proteruiam ac petulantiam. Hæc de proœmio in Topicorum libros a nobis sint dicta.

Primū ergo cōsiderandū est.

In secundi tractatus primum caput, in summa ostendens, ex quibus & quot constet dialectica argumentatio, scholia.

PErtractaturus Aristoteles de materialibus syllogismi dialectici principijs, cōuenienti ordine in præsenti capite de ipsis generatim considerat, in initio dicens, primum esse considerandum ex quibus est methodus, hoc est, ex quibus principijs materiæ vicem subeuntibus, conflatur syllogismus dialecticus, circa quem præsens versatur methodus. Huius probatio mox subditur dum dicitur, Si quidem sumpserimus, &c. Cuius quidem probationis illud (ad quot & quæ) nonnulli referunt ad huius disciplinæ vtilitates proximo capite expositas. Alij eam partē literæ ad problematū numerū & substantiam reuocāt. Nostro iudicio rectius id tribuitur materialibus syllogismi dialectici remotioribus principijs, quæ sunt quatuor prædicata, quēadmodum particulæ illæ subsequentes, ex quibus & de quibus, propriè referuntur ad principia materialia, ex quibus proximè constantur dialecticæ argumentationes, id quod (nisi fallamur) subindicat subiecta ea literæ portio, Sunt aūt numero æqualia & eadē, &c. At parū refert, an orationem accipias, vt idem valeat quod syllogismus dialecticus: An pro omni dialectica argumentatione: An pro ea sola, quæ a dialectico syllogismo separata est. Nam & in sequentibus nōnihil tradit Philosophus de dialectica inductione. Cæterùm inter præpositiones ex & de, quibus litera vtitur, designantes causæ materialis habitudinē & circumstantiam, id est, discriminis, quòd prior indicet inferentis habitudinem, posterior autem eius quod infertur. Et proinde licebit coniectare, cur priori subiecta sit posterior, & vtramq; tribuendā esse & orationi & syllogismo, cum necessum sit horum vtrumq; ex antecedente & consequente esse constitutum. Deinde quod sequitur in litera. Et quomodo his abundemus, palàm est tribuendum esse instrumentis abundandi syllogismis dialecticis. Quibus omnibus pertractatis, huic Topicorū primo libro finis erit imponēdus. Deinde in litera, ibi. Sunt aūt numero æqualia & eadem, &c. Accedit Philosophus ad principiorū declarationē, dicens ea ex quibus fiunt orationes, id est argumētationes, & de quibus syllogismi, esse numero æqualia & eadem, quod quomodo accipiendum sit, postea discutietur. Nunc illud obseruandum est, quòd Aristoteles dicens (orationes ex propositionibus fieri & de problematis esse syllogismos) satenter inter propositionē & problema hanc ponit differentiam, q̄ propositio, antecedentis locum obtineat. Problema verò consequentis. Sed dubitabit quispiam, quomodo verū sit quod sequitur in textu, Omnis autē propositio & omne problema, aut proprium, aut genus, aut accidens indicat, siquidem multæ propositiones, & problemata falsa sunt, quorum prædicata non verè dicuntur de subiectis (vt ex sequentibus magis elucescet) Insuper sunt etiam quædam propositiones, & problemata negatiua, quæ disparatis terminis constant. Sed in his prædicatum non est neq; proprium, neq; genus, neque accidens subiecti, ergo falsum esse videtur quod

Expositio literæ.

Sunt aūt numero æqlia.

Differentia inter propositionem & problema.

Dubitatio.

quod enunciat litera, Omnis propositio & omne problema, aut proprium, aut genus, aut accidens indicat. Ad hanc difficultatem videtur duplex posse dari responsio. Prior est, sed minus verisimilis, quòd tantum loquatur de propositionibus atq; problematis veris & affirmatiuis. Altera verò est, quòd ois propositio, & omne problema siue verũ sit, siue falsum, aliquid horum indicet, non quasi eius prędicatum semper sit proprium, genus, aut accidens subiecti: sed quia ois propositio aut problema quæstionem habet, qua quæritur, vtrum prædicatum subiecto conueniat, aut non conueniat, & quia prædicatum non potest subiecto competere, nisi aliquo horũ trium modorum, videlicet tanq̃ proprium, genus, aut accidens. hinc fit vt in omni propositione, ac problemate affirmatiuo, virtute quæratur, vtrum prædicatum sit proprium, genus, aut accidens subiecti. In negatiuis verò, vtrum prædicatum neq; proprium, neq; genus, neque accidens sit subiecti: vel aliter, Omnis propositio, & omne problema est enunciatio simplex, significans prædicatum inesse aut non inesse subiecto, sed quicquid inesse significatur, hoc indicatur inesse, aut vt proprium, aut vt genus, aut vt accidens. Quòd verò significatur non inesse, hoc indicatur neq; proprium esse, neq; genus, neque accidens: ergo omnis propositio omneq; problema saltem virtute indicat suum prædicatum esse, aut non esse proprium, genus, aut accidens sui subiecti, siue ipsum re vera tale sit, siue non. Ex quo facilè dilui potest ratio, qua se Rodolphus ostendisse putat, Aristotelem angustius conclusisse locorum materiam. voluit enim, inquit, cuncta de quibuscunq; dissereremus, intra quatuor quæstiones contineri, vt quæreretur, definitio ne esset, an genus, an proprium, an accidens. Sed non id agimus, vt de istis semper quæramus sub nominibus illis quæ ab Aristotele sunt posita. Non enim quærimus semper, sit ne album accidens hominis, sed simpliciter sit ne homo albus. Et eodem modo in cæteris prædicantibus. Hactenus Rodolphus. Verùm studio fortè carpendi, non attendit vir disertus, Aristotelem non id velle, vt in omni quæstione dialectica semper expressè & sub proprijs nominibus quæratur, sit ne prædicatũ eius propositionis quæ in quæstionem venit, definitio, genus, proprium, aut accidens subiecti, cum id rarius contingere videatur, sed aut implicitè aut explicitè, sicut prius dictum est. Postremo in litera, ibi. Differunt profectò problema & propositio, &c. Explicat Aristoteles quid intersit inter propositionẽ & problema, seu (vt alij volunt) quæstionem. Nempe quòd propositio explicitè solum interrogetur sub altera contradictionis parte, hoc modo. Estne animal gressibile bipes, definitio hominis? Problema verò explicitè interrogatur sub vtraq; parte contradictionis, hoc modo, vtrum animal gressibile bipes sit hominis definitio, an non? Nam problema proponitur tanquam dubium & in vtramq; partẽ disputabile. Propositio verò tanq̃ a respõdente concedenda, quamuis etiã possit eam negare. Ex hac differentia facilè est intelligere, quomodo propositiones & problemata sunt eadẽ & numero æqualia: quia ois enunciacio simplex siue vera sit, siue falsa, nunc propositio nũc problema euadere potest, mutato interrogãdi modo, vt dictum est. Ex hoc textu colligimus, duplicia esse syllogismorũ dialecticorum principia: Quædam propinqua, cuiusmodi sunt propositiones & problemata, Quędam verò remotiora, quatuor videlicet prædicata, definitio, genus, proprium, & accidens. Prædicatum, secundum quod huic loco congruit illius acceptio, ad hunc modum describi potest. Prædicatum est terminus communis siue complexus siue incomplexus, qui est aptus de alio verè prædicari. Dico prædicatum esse terminum cõmunem, quia terminus singularis propriè aptus est subijci, non prædicari. Addidi verè prædicari, quia prædicata quæ in falsis propositionibus de aliquo enũciantur, designãtur quidem alicui cõpetere ac de ipso prædicari, sed re vera non competunt, & ideo nec prædicata vocãda sunt. Cætera quæ de his spinosè magis, quàm vtiliter dici solent, breuitatis causa prætereo. Porrò inter probatos autores in dubium reuocatur, an species indiuidua inter prædicata sit annumerãda, nec ne. Existimat Albertus, (quẽ complures imitãtur) eam a numero prædicarorũ reijciendam duas ob causas. Prior est, quòd ea duntaxat species prædicetur de indiuiduis, quæ ab artibus reijcienda sunt omnium philosophorum sententia. Posterior, quòd nequeat de ijs quæ indiuidua sunt, speciei problema definiri per aliquã considerationem dialecticam. Existimat enim, nullum ab Aristotele tradi locum, qui huic rei sit idoneus. Neoterici oppositã opinionem amplectuntur, liberè confitentes, aut speciem prædicabilem nomine generis contineri, aut eam ad genus prædicatum reuocandam esse, velut quoddam annexum. Nam si generi prædicato propriè competat, de pluribus specie differentibus in quid prædicari, erit generi annectenda species indiuidua, quod in quid prędicetur de pluribus numero inter se dissidentibus, cum quibus non recurrit. Sin autem generi prædicato per se conueniat in quid prædicari de aliquo non conuertibiliter, species indiuidua

Marginalia: Responsio. — Ois propositio & oẽ problema aliqd prædicatorũ indicat. — Rodolphi obiectio. — Solutio. — Differẽtia inter ꝓpositionẽ & problema. — Propositiones & pblemata numero æqualia. — Quid sit prędicatum. — An species indiuidua seu specialissima sit prædicatum. — Albert⁹ partẽ negatiuã fouet duab⁹ rationibus. — Neoterici affirmatiuam partẽ tuẽtur.

Responsio ad priorẽ rationẽ Alberti.

indiuidua genus prædicatum erit. At quoniam hanc sententiam neotericorum magis proba mus, ad superioris opinionis rationes breuiter respondendum duximus. Priorem rationem inualidam esse, prorsus conuincitur, quod alioqui neq; specialissima species neq; indiuiduum desiuiendum fuisset Porphyrio. Item neq; prima substantia ipsi Aristoteli. Aliud sanè est, pręceptum aliquod in aliqua disciplina in summa de indiuiduis præscribere, & asserere aliquam scientiam versari speciatim circa aliquod indiuiduum, cuius cognitionem duntaxat sibi vendicaret. Cæterùm posterioris allatæ rationis assumptum antecedens apertè falsum existit.

Ad posteriorem.

Nam hoc in libro, cum differit de eiusdem modis, indicat Philosophus, quid sit indiuidua species, quæ item sint indiuidua specie eadem, & quo pacto vtraq; possumus monstrare. Deinde in secundo libro locos tradit a genere ad speciem, & contra a specie ad genus, vt interim taceamus ea, quæ de genere, differentia, & specie, quarto libro differuntur. Distribuitur autem

Prædicati partitio.

prædicatum in definitionem, proprium, genus, & accidens: his quatuor vocabulis aliter acceptis, quàm in ipsa Isagoge Porphyriana, & opusculo de definitionibus. Hic quoque prædicatorum numerus, ex quibusdam aut inexistendi aut prædicandi modis generalibus desumitur, quemadmodum explicat ac monstrat Philosophus tertio huius tractatus capite. At horum prædicandi modorum qui sunt, prædicari conuertibiliter & essentialiter, prædicari conuersim & accidentario, prædicari substantialiter, sed non conuersim, prædicari accidentaliter & non conuersim, primus & tertius non recurrunt conuertunturq; cum definitione & genere acceptis, quemadmodum posterius capite sequenti describit Philosophus, sumens ea veluti ad quę alia sunt reducenda. De qua sanè re inter neotericos quidam eruditus, post varias super differentia opiniones. Differentia (inquit) infima, si conferatur ad inferiora & de indiuiduis prædicetur, rationem generis coniunctã recipit, & generi adiungitur, quòd non de recurrentibus prædicetur, & substantiam dicat. Sic verò prædicetur de specie conspirante, potius termino, quàm proprio velimus adhærere & connecti, quòd sit de substentia rei & conuertibilis, quod proprio nõ conuenit, & eò magis accedit ad naturã definitionis, quàm proprij, quòd ingreditur contextũ definitionis, non proprij. Idem de differentia cum genere conspirãte venit dicendum, quæ si conferatur generi æquo, nõ amplius generis habet naturã, sed definitiuæ. Nam definitiua sunt ea omnia, & definitioni adferẽda problemata, in quibus idem de eodem prædicatur secundũ substantiam, & notius prædicatur. Hæc ille. Quoniam igitur necesse est, ea omnia quibus prædicti conueniunt prædicandi modi, esse prædicata. sintq; aliqua in quæ quadrant dicti modi primus & tertius, qui refugiunt termini & generis nomen, ad definitionẽ & genus tanquam præcipua erunt referenda. Quòd si obieceris, Philosophum neq; differentiæ specificæ, neq; genericæ, inter recensenda prædicata meminisse vsquam. Respondebimus facilè, hæc quemadmodũ & speciem ipsum reliquisse subintelligenda, aut iudicasse, in huiusmodi rebus (id quod fortassis verisimile est) non esse expetendam exactam rationem, vti præfatus est secundo superioris tractatus capite.

Quæstionis incidẽtis solutio.

Dicẽdũ autẽ qd termin⁹

In primam secundi capitis partem, quæ est de Termino, adnotatio.

Philosophus de materialibus dialectici syllogismi principijs determinaturus, legitimo ordine ab ijs orditur, quę remotiola sunt, atq; horũ eo quod est pręcipuũ, nempe definitione, ad quã cætera referenda sunt prædicata, vti posterius videbitur. In huius primæ partis exordio, propositis ijs quæ hoc secundo capite definienda sunt: mox subiungitur termini hæc descriptio. Terminus est oratio, quid est esse significans, aut (vt Boetiana habet versio) quid erat esse significans. Cicero in Topicis definitionem esse scribit orationem, quæ id quod definitur explicat quid sit. Definitum terminus accipitur nõn pro altero propositionis extremo, quẽadmodum in initio Priorum Analyticorum, sed pro essentiali alicuius definitione, quatenus est huiusmodi. Hæc finitio non ineptè quadam metaphora ab agrorum aliarumq; rerum terminis sumpta, terminus dicitur, eò quòd si quempiam cõtingat abigere de re aliqua qd ipsa sit reddita finitione terminetur atq; finiatur ea dubitatio. Diximus quatenus est eiusmodi, vt indicaremus nõ finiri hic terminũ, vt prædicati quædam sit species, aut pręd icati rationẽ induat, sed ea duntaxat ratione, qua est essentialis definitio, quæ multo secundum rationem strictior est, q̃ terminus vt pręd icati est species. Nomine Orationis accipiunt recentiores solam eam orationem, quæ imperfecta est, vt ab hac finitione reijciant huiusmodi orationes. homo est animal rationale, animal est rationale, quas cũ asserant idem significare, quod hæc imperfecta oratio, animal rationale, necesse est fateantur quid est esse significare. Porrò per quid est esse, intelligendam esse quiditatẽ & substantiam, pulchrè indicat Boetius in commentarijs, quos in Ciceronis Topica edidit. Explicat autem (inquit) definitio id quod definitur,

Termini descriptio.

Eiusdẽ definitionis breuis explicatio.

non

non quoquo modo, id est, non in eo quod quale, vel quantum est, non in quolibet aliorū prædicamentorum, sed quid sit, id est, eius quod definit substantiam monstrat. Ea verò definitio substantiam digerit, quæ ex genere differētijsq; consistit. Hæc nanq; vniuscuiuslibet substantiam signant. Explicatur itaq; quid sit res aliqua, dum aut palàm, aut vi quadam, omnes & solæ numerantur illius essentiales partes, id est, omnia genera, cunctæ quoq; per se differentiæ. Quòd si quādo his adijciantur propria, prouenient descriptiones, nō autē substantiales finitiones, nisi proprijs adhibitis veluti differētijs vtamur. Differt (inquit Boetius secūdo de Differentijs Topicis libro) definitio a descriptione, q; definitio genus & differētias sumit. Descriptio subiecti intelligentiam claudit quibusdam vel accidentibus efficientibus vnā proprietatē, vel substātialibus differentijs præter genus cōueniens aggregatis. Sed ex definitionibus, quæ ab accidentibus fiunt, tametsi videntur nullo modo substantiam demonstrare, tamen quoniā sæpe veræ definitionis vice ponūtur, quæ substātiam demonstrat, illæ etiā propositiones quę a descriptione sumūtur, a substātiæ loco videntur assumi. Sed de hisce hactenus, eò q; ea aliàs fusius tractauimus. Post definitionem termini ponit Aristoteles quoddam discrimen inter terminū & terminatum, seu inter definitionē & definitum, quòd definitio semper sit oratio, definitum verò aliquādo simplex nomen, aliquando etiam oratio. Verbi gratia, quando hominem definimus esse animal rationale, tunc definitū est nomen simplex. Quando verò definimus genus aliquod, quod nō potest nominē simplici complecti, aut quando coniungimus definitiones plurium partium in eadem oratione positarum, tunc definitum est oratio. Prioris partis exemplum est, Si animal terrestre definiamus esse corpus animarū sensibile, aptum facere conuersationē in terra. Posterioris verò, vt huius orationis, homo ambulans erit definitio, animal rationale quod per latera mouetur progressiuè. Si verò gratia explicationis nomē pro nomine assignaueris, vt si dixeris, honestum est decens, talis assignatio non erit assignatio definitionis, quia oīs definitio est oratio. Attamen problema in quo huiusmodi nomen synonymum explicationis gratia de synonymo dicitur, definitiuum erit & affine ijs problematis, in quibus prædicatur vera definitio de suo definito, quo fit vt eius prędicatū iuxta recentiores annexum definitioni appellari debeat. Omne igitur synonymū, quod explicationis gratia de synonymo dicitur, non quidem terminus, sed termino seu definitioni annexum nūcupabitur. Sub quo etiam videntur debere cōprehendi omnia prædicata, quæ definitiones quidem non sunt, sed cum definitionibus eodem prędicandi modo participant, vt rationale respectu hominis, quia cum definitione ad eandem methodum pertinent. Definitioni annectit Aristoteles etiam hæc duo prædicata, Idem, & Diuersum, cum quæritur, vtrū homo & animal rationale idem sint, an diuersa. Nam vt ait textus, Illa definitioni annexa dicuntur, quęcunq; cum definitione sub eadem consideratione sunt, intellige cū tamen non sint re vera definitiones. Talia autē sunt hæc duo prædicata (idem & diuersum) quia circa definitiones de eodem & diuerso plurima fit inquisitio. ostendentes enim de aliquo prædicato quòd non sit idem cum subiecto, statim intelligimus ipsum non esse definitionē subiecti, licet nō sequatur contra. Prædicatum & subiectum sunt idem, ergo prædicatū est subiecti definitio. In hac disputatione putant quidam, dictionem (idem) generaliter sumi pro omnibus suis significatis, sed mihi rectius videtur accipi, pro eodem numero, sicut postea explicatur. quia idem genere est generi annexum, non definitioni, vt statim dicetur. Boetius secundo libro de differentijs Topicis, termino etiam annectere videtur eas definitiones, quæ non a rei substantia, sed a nominis significatione ducuntur, quas nos etymologias vocamus, vt vtrum Philosophia sit amor scientiæ, an non. quod an rectè dictum sit, alijs discutiendum relinquo.

[Marginal notes: Boetius. — Differentia inter definitionē & definitum. — Nomen pro nomine assignatū non est definitio — Idē & diuersum annexa definitioni. — Annexa definitioni. — Boetius. — Propriū est, qd' non indicat.]

In secundam partem, quæ est de Proprio, adnotatio.

QVoniam eodem nomine terminus & proprium participant, quemadmodum superius monstratum est, Philosopho visum est, vt post termini tractationē continenter subiungeretur proprij declaratio. Assignat igitur imprimis hanc proprij descriptionē. Proprium est, quod non indicat quid est esse, soli autē inest, & conuersim prædicatur de re. Exempla sunt, admiratiuum, grāmaticæ capax, risibile, hominis comparatione: Item & animal rationale mortale, disciplinæ susceptiuū. Hæc finitio proprij penè totam prædicati proprij naturam explicat, atq; omni proprio competit. Et proinde hac ratione a termini finitione dissentit, quæ non omni prædicato termino, hoc est, cui cōuenit modus prędicandi termini, competebat. Antecedens relatiui (quod) prædicatum est, sub se complectens & id quod incomplexum est, & id quod est complexum. Nam in quinto huius operis libro subinde vtitur Philosophus proprijs complexis, id est, descriptionibus. Particula subsequente (non indicat

[Marginal note: Proprij descriptio & eiusdem explicatio.]

quid est esse) exponenda quemadmodum superiori parte monstratum est, ab hac finitione reijcitur omnis terminus prius descriptus, cui soli competit indicare quid sit ipsa res,& proinde propria erunt hoc loco omnes descriptiones,etiam si omnia rei substantialia principia cõplectātur,qualis est ea quā mox superius posuimus,animal rationale mortale,disciplinæ susceptiuum. Porrò sequens huius finitionis portiuncula (soli autem inest)separat proprium ab omni prædicato genere,atq; alijs a termino prius descripto,quibus ipsius termini modus prædicandi competit. Nam his quatenus eiusmodi sunt non conuenit inesse. Non enim inhærēt seu accidentaliter insunt aut prædicantur, sed essentialiter duntaxat. Hæc quidem conuersim, illud verò non conuersim. Quamobrem genus (si inesset) non soli inesse concedendum veniret. Hac quoq; parte reijciuntur ea propria prædicabilia, quæ non solis competunt suis subiectis,vt sunt gressibile & volatile, hominis & corui comparatione. Item & accidentium quamplurima,quæ latius funduntur parentq;, quàm ea subiecta ad quæ conferuntur. Pars finitionis sequens (conuersim prædicatur de re) neq; priorem ex necessitate continet, neq; ab ea continetur. Nam pleraq; sunt,quæ soli alicui insunt, de quo non conuersim prædicantur, vt risibile ad animal,& albū ad corpus. E diuerso plurima licet reperire, quæ de aliquo conuersim dicuntur,quæ non insunt,vt rationale,hominis collatione: & sensibile respectu animalis. Hæc autē vltima particula proprium ab alijs accidentibus separat,quę suis subiectis non vniuersaliter competunt, Eiusmodi sunt risibile ad animal, nutribile ad corpus & substantiam,& id genus alia. Cæterùm per rem, non sola est intelligenda species aut specialissima aut subalterna,sed omne id quod alicui subijcitur,cuiq; aliud inhæret. Alioqui nulla genera

Obiectio. lissimorū forent reddenda propria prædicata. Quòd si nobis quispiam obiecerit, accidentium nonnulla esse quæ soli & omni insunt,id est,conuersim de subiecto dicuntur, vt quantū cum corpore recurrit,coloratum cum misto corpore. sensitiuum & tactiuū cum animali,cum

Dilutio. homine intellectiuum, & ita in cæteris quibusdam. Respondebimus,hanc vltimā finitionis partem accipiendam esse de ea conuertibilitate, quæ manat ex necessaria dependentia eius, quod dicitur proprium a substantialibus principijs illius,quod subiectum est,si qua illi esse cõtingat substantialia principia,qualem non licet reperire inter quoduis accidens & suum subiectum, quemadmodū in Isagoge Porphyriana latius est expositum. Ex ijs quæ dicta sunt,

Quo pacto sese habeāt propria, prędicabile, & prędicatum facilè licebit deprehendere,quid cõuenientiæ, quidue discriminis intersit inter proprium prædicabile,& prędicatum proprium. Est etenim aliquid,quod vtriusq; rationem suscipit. vt risibile cõparatione Socratis & Platonis, de quibus accidentaliter & ex necessitate prædicatur, proprium est prædicabile. collatione verò ad hominem facta,proprium est prędicatum. Est insuper quippiam,quod alterius duntaxat naturā induere queat,vt animal risibile,homini est proprium prædicatum. prædicabile aūr proprium, neq; homini neq; cuiuis alteri est. Contra bipes,ad hominē & auem proprium prædicabile est,non autē proprium prędicatū,sed potius accidens. Quòd si quis proprium Topicum ad proprium quarto modo contulerit, offendet

Tres proprij acceptiões. Primus modus. illud hoc esse cõmunius. Hactenus de proprij descriptione dictum sit. Porrò modi acceptionesq; proprij,quos hoc in loco proponit Aristoteles,tres sunt numero. Primus modus est,secundum quem aliquid simpliciter,absolutè, proprieq; proprium dicitur, quod ab Aristotele

Secūdus qui duos alios cõplectitur. Prior. iamiam definitum est. Alius est,secundum quem aliquid est proprium ad aliquid. Id autem est,quod sic alicui accidit,ita vt non alteri, ad quod fit illius collatio. Huiusmodi proprium duplex est. Nam quoddam est,quod alicui accidit speciei,non autē omni illius indiuiduo, Vt medicum esse,ad hominem,cui competit ratione Hippocratis, Galeni, alteriusue comparati

Posterior ad alium medicina carentem. Alterum est, quod alicui speciei & omni accidit, non autem soli,quę quidem species ad aliud refertur,cui idipsum nõ conuenit,quēadmodū bipes propriū est homini collato ad equum,canem,cæteraq; animalia quadrupeda. Etenim verius fortassis homini ad auem comparato diceretur bipes esse commune, quàm proprium, id quod subindicare videtur Philosophus. Horum propriorum illud a Porphyrio dicitur esse proprium primo modo, hoc verò secundo, quanquam ratione nonnihil videantur dissidere. Ter-

Tertius. tius modus est,secundum quem quippiam dicitur propriun aliquando, dum id alicui soli speciei accidit vniuersaliter & conuersim, aut aliqua facta hypothesi, vel pro aliquo tempore a natura determinato,aut simpliciter absoluteque,modò eiusmodi recursus ac conuersio non manet profluatque ex alterius substantialibus principijs, quemadmodum superius diximus. In hac significatione canescere, pubescere homini propria sunt: Item & a dextris esse, si omnis atque solus homo a dextris sit huius aut illius equi, aut alterius cuiusuis animalis. Alterius partis subiunctæ exempla in obiectione superius allata, in medium prolata sunt.

Hæc

Hæc propria palàm est pertinere ad propria tertio modo, de quibus à Porphyrio in prædicabilibus est determinatum.

In tertiam partem, quæ de Genere pertractat, adnotatio.

Genus aût est, quod de pluribꝰ.

Generis finitio.

TErtiæ prædicati speciei, quod genus est, rationem naturamq; vtcunq;, & si quàm breuissimè, hæc particula explicat Aristoteles, assignans hanc generis finitionem, Genus est, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est, prædicatur. Hæc generis finitio penè eo explicanda est modo, quò in Porphyriana Isagoge. Nam hic pro finiti genere sumēdum est prædicatū, illic verò vniuersale, quorū hoc illo est strictius. Hinc patet, non omne prædicatum genus hic describi, sed id duntaxat quod generis prædicabilis rationem suscipit, aut cum eo proximè consentit. Hæc enim finitio, neq; differentiæ ad constitutæ speciei inferiora relatæ cōpetit, neq; speciei specialissimæ, quæ superius monstrauimus esse prædicata genera, aut ad genus reuocanda. Porrò omni generi, & iis quę connectuntur communis est hæc finitio. Genus est prædicatum, quod de aliquo substantialiter atq; essentialiter, non autē conuersim prædicatur, quam vel facilè admiserimus conuenire termino seu substantiali definitioni, collatæ ad sui definiti inferius. Cæterùm generi, vti tradidit Philosophus, annectitur Idem & diuersum genere. Eadem genere nonnunquā dicuntur esse ea, quorum vnum alterius est genus, frequentius verò, quæ eodem participant genere, præcipuè proximo, vt homo & brutum, homo & bos. Contrà, genere diuersa sunt, quorū vnius genus non item alterius genus est, vt homo & quercus, quorum illius genus est animal, non autem huius, cuius quidem genus est planta, quod hominis non est genus. Hæc de genere à nobis dicta sint.

Annexum generi est, idem & diuersum genere.

In priorem particulam quartæ partis, quæ est de Accidente, adnotatio.

Accidēs aût est, quod nihil horum est

INter prædicata postremum obtinet locum accidens, eò q; cæteris longius à termini ratione recedat, cuius duę mox in literæ exordio traduntur finitiones. Prior est, Accidens est, quod nihil horum est, neq; definitio, neq; proprium, neq; genus, inest autem rei. Posterior est, Accidens est, quod contingit cuilibet eidem inesse, & non inesse. Habet Boetiana versio, quod contingit inesse cuius vni & eidem, & non inesse. Hæ duę accidentis descriptiones neq; prorsus consentiunt cum duabus postremis Porphyrianis, neq; sibi mutuò omni ex parte sunt eædem. Nam ex quæ hic collocantur, de eo accidente traduntur, quod prędicati species est, & proinde pro eius genere prędicatum sumunt. & in priore proprium atq; genus accipiuntur vt prædicati, non autem vt vniuersalis sunt species. Ediuerso Porphyrianæ finitiones illę accidentis prædicabilis rationem explicant, pro definiti genere vniuersale sumunt, & in priori genus & proprium intelligenda sunt esse species vniuersalis. quamobrem in Porphyrianis, prætermisso termini seu definitionis nomine, mentio fit & speciei, & differentiæ, quæ vniuersalis sunt species. Contrà, harum prior neq; speciem, neq; differentiam, sed definitionem duntaxat accipit. Porrò has accidentis finitiones non esse prorsus sibi easdem, ex eo patet, q; prior omni accidenti prædicato cōueniat. Nam cæteris exclusis prędicatis in ea dicitur, inest autem rei, quod omni accidenti palàm est competere. Posterior autem solùm id accidens complectitur, quod contingit suo subiecto vicissim inesse & non inesse, non illud quod semper & ex necessitate inest, non tamen conuersim prædicatur, eiusmodi sunt bipes ad hominem, contrariorum susceptibile ad spiritum, corpus inanimatum, animal, plantam, & eiusdem generis similia, quæ omnia inter prædicata accidentalia sunt recensenda. Hactenus de accidentis descriptionibus. Si qua enim sint quæ ad pleniorem ipsarum intelligentiam desiderentur, facilè ex Porphyriana petentur Isagoge. Deinde in litera ibi, Annectuntur autem accidenti, &c. aperit Philosophus quid sit accidentis annexum. Recipit autem hæc literæ pars duplicem interpretationem. Prior est, asseuerans magis & minus suscipere, seu cum eiusmodi aduerbiis prædicari, esse annexum accidenti, & quidem soli, sed non omni conueniens. Plurima enim, quemadmodum ex prædicamētis constat, sunt accidentia, quibus nequit ille prędicandi modus competere. Et proinde hoc annexum negatiuè terminabitur per accidentis & ipsius modi prædicandi ablationem, aut ex annexi affirmatione colligetur prędicati assertio secundum has maximas, Quicquid non inest accidentariò, & non cōuersim, seu velut acidens, non prędicari cum illis aduerbiis, Quicquid de aliquo secundum magis & minus prędicatur, illius est accidens. At annexum cum accidente æquum ac conuertibile, est idem ac diuersum accidente, quod ex accidentis ratione prædicandiq; modo colligitur, & affirmatiuè & negatiuè quemadmodum exemplis declaratu haud est difficilè. Altera eius loci expositio, quę literæ magis consentit, est. secundum quem annexi rationem tribuamus, non accidenti, quatenus prędicati est species, sed potius eius denominato, hoc est, termino accidentali positiui gradus,

Prior accidentis finitio.

Posterior.

Duplex literæ de accidentis annexo interpretatio.

Prior.

Posterior.

cui annectendi sunt iidem termini, cum dictis aduerbiis sumpti. Item & ij qui cōparatiui & superlatiui sunt gradus, sui positiui significationem seruantes, ex quorū problematis affirmatiuis construuntur positiuorum problemata, quemadmodum econtrà ex positiuorum negatione, negatiuè colliguntur problemata comparatiuorum & superlatiuorum, siue vni duo conferantur, siue duobus vnum, siue duobus duo, vt latius monstratur secundo & tertio huius libris. Vt legitimè sequitur, Honestum non est expetibile, sed vtile, vti auaris videtur, igitur honestum non est bono vtili expetibilius. Vita secundum virtutem acta non est suauis, igitur ipsa non est suauior ea, quę est secūdum corpoream voluptatē, quemadmodum visum est Epicuro. Vita secūdum virtutem, sapientum opinione, suauior est & eligibilior vita secundum sensum, igitur ipsa suauis est & eligibilis. Priorem interpretationem (nisi nos nostra fallat opinio) idcirco secuti sunt commentatores, quod hic ab Aristotele consyderetur de prędicati specibus, & id ei cōsentiat reductioni, quia posterius reuocātur ad definitionē reliqua tria prędicata, velut imperfectiora, ad eam prædicati speciem, quæ est perfectior, quippe quæ ipsius rei totam explicet substantiam ac essentiam, idque quàm optimè fieri valeat. Reducuntur itaque ac aliquo modo annectuntur tria postrema prædicata definitioni, quod destruatur definitio eisdem tribus maximis, quibus & destruuntur illa quæ sunt eiusmodi. Quicquid non soli inest, siue non conuersim prædicatur, necesse est neque proprium esse neque finitionem. Quicquid secundum se aut sui partem non prędicatur in quid, neque genus est, neque terminus. Quicquid non inest, neque accidens est, neque definitio. At tria hæc vera non esse annexa definitionis, ex eo deprehenduntur, quod ipsa quatenus talia sunt, neque expressè, neque virtute quadam exigant prę uiam definitionis terminationē, neque contrà definitionis problema, problematum aliarum prædicati specierum determinationem, id quod iis quæ re vera annexa dicuntur, oportet, quemadmodum apparet, competere. Cæterùm ne quis occasione huius reductionis in errorem labatur, mox subnectit Philosophus, Non esse quærendam vnam vniuersalem methodum, id est, eandem communem consyderationem, quæ omnium prædicatorum quibuslibet problematibus terminandis finiendisque congrueret, eò quòd difficile sit talem reperire. Nam Alberti sententia, haud facile est inuenire rectéque cognoscere id commune, in quo prædicati species à se inuicem plurimum discretæ proximè conueniant, quòd inhęrendi modus illis analogicè videatur conuenire. Et talis inuenta (verbi gratia, sit hæc affirmatiua, Quicquid de aliquo prædicatur in propositione terminabili, & cæt. est illius aut terminus, aut proprium, aut accidens, cui respondeat hæc negatiua, Quicquid alicui non inest, neque illius est terminus, neque proprium, &c.) Incerta atque subobscura est, ob diuersos inexistendi & prædicandi generaliter implicitos modos, & huic scientiæ inutilis, ad quam non solùm pertinet in summa problemata definire, sed & speciatim monstrare, quo pacto quarumlibet prædicati specierum problemata sint construenda, atque intercimenda, ad quod efficiendum non sunt idoneæ ac accommodæ illæ duæ considerationes mox recensitæ. Hactenus de huius partis expositione à nobis dictum sit.

Primū aūt omniū, &c.

In secundam partem, quæ de Eodem & Diuerso pertractat, annotatio.

QVoniam in superioribus Eiusdem atque Diuersi meminerat Philosophus, volens pleniorem horum cognitionem tradere, nunc figuraliter, summatimque explicat, quot modis quippiam idem dicatur. Etenim exactior huiusce rei cognitio, ex quinto Metaphysices libro est petenda, in cuius sexto capite, prætermisso eo modo quo aliqua per accidens vnum sunt atque idem, octo assignantur modi, quibus aliquid per se vnum est ac idem, plura atque diuersa. Porrò in præsentia Eiusdem duntaxat, non autem Diuersi naturam tractat, eò quòd contrariorum eadem sit disciplina, cognitisque Eiusdem acceptionibus, facillimum fuerit deprehendere, qui sint Diuersitatis modi atque significationes. In huius literæ capite proponit, Idem in tria diuidi distribuique significata, siue Idem tribus accipi modis, id quod comprobat ex cōmuni receptaque hominum sententia, vno ore asseuerantium, quippiam tum idem esse numero, tum specie, tum genere. Pro huius apertiori intelligentia animaduertēdum est, vocabulum Idem ad hæc tria quæ dicta sunt, analogi rationē habere, præcipuumque illius significatum esse idem numero, post quod secundum obtinet locum, quod idem specie est, postremum verò, id quod idem est genere. Etenim hos eiusdem modos ad se inuicem posterius quodammodo comparans Philosophus, Maximè autem (inquit) & indubitanter quod vnum est numero, idem ab omnibus videtur dici. Cæterùm diuersitatis ratio potissimùm tribuenda est, non ijs quæ numero duntaxat discrepant, sed ijs quæ inter se genere dissident. Nam vt primi libri de inuentione dialectica capite vigesimo septimo scribit Rodolphus,

Tres eiusdē modi, & quis præcipuus.

Quis præcipuus diuersitatis modus.

Rodolphus

Quæcunque

Quæcunq; prędicamentis differunt, genere differũt. & quę genere, etiam & specie. & quę specie singulatim differunt. Contrà, quęcunq; singula sunt eadem, hoc est, quæ numero vna dicuntur, etiam specie sunt eadem. Quo fit, vt maxima differentia & minima vnitas sit in prædicamento. Contrà, minima differentia, & maxima vnitas sit in singularibus. Huiusmodi autem & eiusdem ratio & diuersitas, quemadmodum quàmplurima alia, quę dialecticæ sunt consyderationis, modò terminis ipsis attribuuntur, modò rebus per terminos designatis, etiam non relatis ad nomina eas res significantia, quod palàm est iis, qui in brobatorum dialecticorũ libris cõmentariisq; legendis operam collocarunt. Porrò noluimus perquirere, quæ sit huius triplicis acceptionis causa, cuiusmodi sit eiusdẽ & diuersi relatio, an realis, an rationis, & quędam id genus alia, quorũ cognitio perparum, aut potius nihil confert ad ea intelligenda, quę ab Aristotele traduntur in hoc opere. Finitio eorundem numero in litera assignata est hæc. Numero eadem sunt, quorum nomina plura, res autem vna.

Definitio eorundẽ numero, eiusq; expositio.

Quidam putant definitũ (eadem numero) hoc loco solis vocibus posse accõmodari, quia res quę eadem numero dicitur, vnica est, & singularis, nec pluralem admittit numerum, hic verò tam definitum, quàm definitio, plurali numero efferũtur, dum dicitur, Eadem numero sunt, quorum, &c. vnde & hunc reddunt definitionis sensum, Eadem numero sunt, quorum nomina plura, id est, sunt vocabula, quę sunt nomina plura, &c. Verùm si quis diligenter perpẽdat verba definitionis, citò deprehendet hanc interpretationem prorsus esse violentam, & contra normam loquendi. Neq; enim dicit Textus, Eadem numero sunt nomina plura, sed sunt, quorum nomina plura. Iam verò vocabulorũ non sunt nomina, sed rerum.

An sola vocabula dicã tur eadem numero.

Est igitur hic definitionis sensus, Eadẽ numero sunt entia seu res, quæ diuersis significantur nominibus, sed tamen sunt res vna. Porrò ad rationem alterius partis dicendum, q res vna & singularis appellatur, in plurali numero (eadem numero) & entia, non q re vera sit plura, sed quia rationem plurium induit in mentem, secundum quod pluribus significatur nominibus. Posterior definitionis pars (res autem vna) duplicem recipit sensum. vnus est, secundũ quem per rem vnam intelligitur res vna eademq;, pro qua nomina plura accipiuntur, in quo sensu hęc finitio vniuersis, quæ numero quouis modo sunt eadem, competet. Etenim & ea quę definitione eadem sunt, & ea quę proprio aut accidente, numero vnum sunt, necessum est huiusmodi esse, vt pro vno eodemq; accipi queant.

Sensus definitionis eorundem numero.

Primò.

Alter est, dum per rem accipimus id, q primò pręcipueq; per plura nomina significatur, idq; eodem prorsus modo. Quo fit, vt secundum hanc expositionẽ definitio solùm iis competet, quæ eadem numero nomine dicuntur, non autem reliquis. Palàm est enim proprium, accidens, horumq; subiecta, non eandem rem primò designare, sed diuersas. Definitio autẽ idem significat quod definitum, sed aliter. Nam id quod confusè designat definitum, hoc distinctè aperit & explicat ipsa finitio. Porrò cùm res primò per nomina designata duplex sit, singularis videlicer, & communis, necessum erit duplicia eadem esse numero nomine. Quædam enim propriè sunt eiusmodi, cùm res significata singularis est, vt sunt Maro & Virgilius, Naso & Ouidius, &c. Altera quodammodo talia sunt, dum res quam nomina indicant, est communis, quemadmodum sunt tunica & vestis, quibus hic vtitur Aristoteles. Sunt itaq; peculiariter eadem numero nomine, multiuoca, eandem rem singularem primo eodemq; prorsus modo designantia. vulgò adiicitur, sub eadem specie specialissima comprehensa. Communiter autem & hæc ipsa, & quæ simili modo eandem rem communem significant. Ex aduerso propriè numero differentia, diuersa sunt indiuidua, sub eadem specialissima specie contenta, vt Socrates & Plato, Pegasus & Bucephalus, hæc albedo & illa. Quòd si ampliorem sequamur significationem, erunt numero differentia, quęcunq; diuersum constituunt numerum, siue indiuidua fuerint, siue species, siue diuersa genera.

Secundò.

Post hæc hæc, subiiciuntur eorundem specie & genere definitiones huiusmodi, Specie eadem sunt, quę cùm plura, indifferentia sunt secndum speciem, Specie eadem sunt, quęcunq; sub eadem specie sunt. Genere eadem dicuntur, quæcunq; sub eodem sunt genere. Hæ finitiones (quanquam ad vocabula possint adaptari) commodius ad res ipsas, quemadmodum Philosophi exempla apertè indicant, referuntur. Erunt igitur propriè eadem specie, diuersa, indiuidua, ac singularia, eadem specie specialissima essentialiter, & quiditatiuè participantia. Nam hoc ipsum est ea esse indifferentia secundum speciem, vt Socrates & Themistocles, Bucephalus & Pegasus, Melampus & Lycisca. Largius eadem sunt specie, & hęc, & ipsa species, suumq; indiuiduum, vt Carolus & homo. Contrà, propriè specie diuersa, sunt plura indiuidua, sub diuersis speciebus specialissimis comprehensa, vt Plato & Bucephalus. Largè aũt & hęc, & diuersæ species specialissimę, similiter vna species & alterius speciei indiuiduum, vt homo & equus, Socrates & equus. Item genere eadẽ

Quæ eadẽ genere.

Quæ specie diuersa.

propriè

propriè sunt indiuidua, aut species, sub eodem genere contentę, vt Socrates & Pegasus, homo & equus, homo & Bucephalus. E diuersò, genere propriè discrepant, quę veluti indiuidua aut species sub diuersis continentur generibus, quemadmodum Socrates, & hæc pirus, homo & adamas. Dissident aūt hæc duo à seinuicem non perpetuò reipsa, sed aliquando ratione dun- taxat.

Quæ genere dissident.

Nihil enim periculi imminet, si quis fateatur, aliqua eadem, & genere eadem esse, quę genere differunt. Nam homo & fraxinus, collata ad substantiam corpus & corpus animatum, genere sunt vnum, composita verò ad animal & plantam, genere sunt discrepantia. Verùm si loquamur de iis quæ ideo genere eadem sunt, q̃ eodem proximo participant genere, nequibunt huiusmodi esse genere diuersa, vel ad aliud collata. Fieri enim nequit, vt quæ in eodem genere proximo substantialiter conueniunt, sub diuersis contineantur generibus. Porrò generalius eadem genera dicuntur & ea quæ diximus, & genus suumq; inferius, vt Socrates, Homo, & Animal. Genere aūt diuersa, etiam sunt ipsa genera, quę diuersa sunt, vt corpus atq; spiritus genere discrepant hoc modo, licet & eadem sint genere ad substantiam collata. De iis autem quæ generatim eadem & diuersa sunt, intelligendæ veniunt illæ vulgatæ communesq; sententiæ ex Seuerino Boetio, aliisq; autoribus desumptę.

Boetius.

Quęcunq; eadem numero sunt, eadem & specie & genere esse. Quæcunq; eadem sunt specie, eadem quoq; esse genere. Omnia quæ genere differunt, specie atq; numero differre. Et cuncta quæ specie discrepant, oportere & dissidere numero: quarum illæ priores immutabilem obtinent veritatem, modò ea sumantur eadem aut nomero, aut specie, quę alicuius prædicamenti limitibus coercentur. Item & ea quæ posita est tertio loco, si non generalissimis generibus applicetur, quæ subinde apud Aristotelem cęterosq; autores asseruntur diuersa esse genera, & proinde in illa ampla acceptione, genere inter se differre, nunquam verò specie à seinuicem dissidere, cùm ipsa speciei rationem prorsus recusent suscipere. Sed de his hactenus.

Literæ obiectio.

Post quæ in litera ibi, Videbitur autē aqua eiusdem fontis, &c. Insinuat Philosophus quandam obiectionem, qua videretur posse probari, quendam esse quartum eiusdem modum, à tribus propositis diuersum, quodammodo medium inter eadem numero & specie eadem, qui in litera differentia nominatur. Est aūt obiectio hoc modo explicanda, Diuersæ aquæ loco separatæ, ex eodem fonte haustę (quas palàm est numero esse discretas) plus inter se conueniunt, quàm eæ quæ hauriuntur ex diuersis fontibus, sed hæ sunt eiusdem speciei, ergo illæ quæ magis consentiunt, quasq; constat esse eiusdem speciei inter se, quendam eiusdem modum sortientur, quodammodo interceptū inter primum & secundum eiusdem modos.

Solutio.

Pro huius dilutione in litera tacitè indicat Philosophus, duplicem esse similitudinē seu eiusdem rationem,

Similitudinum vna substantialis.

Vna est similitudo substantialis, secundum rerum essentiam sumpta, & hæc duntaxat triplex est, Numeralis, Specifica, atq; Generica, de qua sola determinare instituit Aristoteles, & secundum quam omnis aqua simplex & quę elementaria est, omni eiusmodi aquæ eadē est specie. Aquę enim aliter acceptę species, assignantur quarti libri Meteorologicorū cap. 5. Aquæ (inquit Philosophus) species sunt huiusmodi, Vinum, Vrina, Serum, & omnino quęcunq; nullum aut certè paucum sedimen, nec id tenacitatis ratione habent. Nam tenacitas in causa est, vt quibusdam nihil subsideat, id quod oleo & pici accidit.

Altera accidentaria.

Altera est accidentaria, ex accidentibus rerum desumpta, & manans, quam præterit Philosophus. At aquæ eiusdem fontis dissident ab iis quæ diuersorū sunt fontium, q; inter ipsas maior sit accidentaria similitudo, quippè quæ conueniant in eisdem accidentibus, colore, sapore, calore, frigore, & id genus aliis quàm plurimis. De aquarum diuersitate accidentaria pertractat Philosophus secundo libro Meteorologicorū. De eadem quoq; eleganti carmine ex Pythagora cecinit Ouidius Metamorphoseos libro 15.

Ouidius.

Antè bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigrus aquas, postquam (nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lauere Bimembres
Vulnera, clauigeri quæ fecerat Herculis arcus.
Quid non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus viciatur amaris?
Pauca super referam. quid? non & lympha figuras
Datq; capitq; nouas? Medio tua corniger Hammon
Vnda die gelida est, ortuq; obituq; calescit.
Admotis Athamantis aquis, accendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna recessit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit

Viscera,

Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis & hinc Sibaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt auroque capillos.
Quodque magis mirum, Sunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita est obscœnæ Salmacis vnda?
Aethiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.
Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis.
Seu vis est in aqua calido contraria vino,
Siue (quod indigenæ memorant) Amythaone natus
Prætidas attonitas postquam per carmen & herbas
Eripuit furijs, purgamina mentis in illas
Misit aquas, odiumque meri permansit in vndis.
Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.
Est lacus Arcadiæ (Pheneum dixère priores)
Ambiguis suspectus aquis, quem nocte timeto,
Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

Hactenus de aquarum diuersitate oblectamenti gratia ex Ouidio dictum sit. Cæterùm postremo in litera ibi, Quod autem vnum numero est, &c. Subdiuidit Philosophus idem numero tripliciter. Verbi gratia, in idem numero nomine vel definitione, idem proprio, & idem accidente, adhibita ratione qua probantur aliqua eadem numero esse accidente, alijs prætertis, eò quod de his maior videretur esse ambiguitas. Est autem idem numero analogi rationem ad illa tria habens, cuius præcipuum significatũ est idem numero nomine vel definitione. vt pluribus placet, analogicè idem numero nomine designare, eadem numero nomine, de quibus prius egimus, & eadem definitione, illa quidem primario, hæc autem secundario. Quòd si quis rogitet, cur hæc duo simul connectat Philosophus? Respondebimus in causa esse, quòd quemadmodum eorum quæ peculiariter eorundem nomine rationem accipiunt, sic & eorum quæ definitione sunt eadem, neutrum ab altero est substantialiter separatum disiunctũmve, id quod accidere palàm est in iis, quæ eadem sunt numero aut proprio aut accidente. Item (vt prius diximus) definitum & definitio prorsus idem, diuerso tamen modo designant, hæc explicitè determinateque, illud verò confusè. Et proinde hæc eiusdem numero significatio proximè accedit ad id, quod propriè idem est numero nomine, quod eodem prorsus modo diuersus signis significatur. Cæterùm ea pars literæ (Non intelligente eo cui præceptum facimus, transmutamus, ab accidente, &c.) legẽda est interiecto commate inter (transmutamus) & (ab accidente) id quod apertè insinuat Boetiana versio, quæ hunc in modum habet, Sæpe enim præcipientes nomine vocari aliquem sedentem, transsumimus, quando fortè is non intelligit, cui præceptum facimus, tanquam ab accidente ipso magis intelligente, & iubemus sedentem vel disputantem vocari ad nos, &c.

Trifariam diuiditur idẽ numero

Quæstionis occurrentis dilutio.

In tertium eiusdem secũdi tractatus caput, monstrans omnem dialecticam argumentationem ex aliquo quatuor prædicatorum constitui, annotatiuncula.

Quod autẽ ex prius dictis prædicatis orõnes fiunt.

IN huius literæ exordio Philosophus ostendit, omnẽ dialecticam argumentationẽ ex quatuor, & non pluribus, constare prædicatis, dicens, Quòd autem ex prius dictis prædicatis orationes, hoc est, argumentationes, & disputationes dialecticæ fiant, & per hæc, & ad hæc primò per inductionem patet. Particulas Per hæc & ad hæc, referunt nonnulli ad prædicata, quatenus terminorũ inferentium & illatorũ munera obeunt. Albertus aũt ad propositiones & problemata dialectica, quæ quidem expositio nobis satis arridet, perinde atque si diceret Aristoteles, Orationes dialecticæ ex prædicatis fiunt, non quidem proximè immediatèque, sed mediatè duntaxat, ratione dialecticarũ propositionum assumptarũ, & problematum ex illis collectorũ. At sub prædicatis intellige ea, quæ prædicatis sunt annexa, & ad ea reuocanda, quemadmodum superius alicubi admonuimus. Cæterùm inductio, cuius litera meminit, hæc est, Omnis propositio dialectica, omneque dialecticum problema ex eo constat prædicato ipsum denominante, quod est aut definitio, aut proprium, aut genus, aut accidens, non autem aliud quicquam,

Albertus.

Literæ inductio.

quicquam, igitur omnis dialectica propositio & problema omne ex aliquo quatuor prędicatorum construitur. Et proinde quævis argumentatio dialectica, quam necesse est conflari ex propositione & problemate dialectico, ex aliquo dictorũ quatuor prędicatorũ constat. Prior illa consequutio impropriè inductio appellatur (quam sensibilem esse asserit Albertus) eò quòd à minus cõmunibus disiunctim sumptis, ad communius indistributũ progrediatur. Porrò syllogismus, qui apertè explicat numerum prędicatorũ, & eius causam, est eiusmodi, Omnis propositio dialectica, & quodq; dialecticum problema, solùm cõstituitur ex prędicato, quod aut conuersim prædicatur, aut non prędicatur cõuersim. At omne prædicatũ quod cõuersim aut non conuersim prædicatur, est terminus, proprium, genus, vel accidens. Est igitur omnis dialectica propositio, &c. solùm constructa ex termino, proprio, genere, aut accidente. Quare & omnis argumentatio dialectica, ex solis eisdem prędicatis conflabitur. Deinde in litera ibi, Post hęc autem determinandum est genera prędicamentorum, &c. aperit Philosophus, quo pacto sese habeant prædicata ad prædicamenta, volens omne prædicatum contineri in aliqua prædicamentali serie, id quod restringere limitareq; solent ad id, quod secundum se aut sui partes in vno collocatur prædicamento, aut diuersis, directo modo, indirecto, aut reductorio. Ad hæc in litera ibi. Manifestum autem sit, &c. secundum receptam expositionem remouet Philosophus latentem obiectionem eiusmodi, Inter enumerata prædicata, quid, substantiæ tributum est, igitur quod quid est, & proinde desinitio, non poterit in aliis reperiri prædicamentis. Huic respondens Philosophus, insinuat quòd in aliis à substantia prædicamentalibus ordinibus est reperire, quæ quid indicent, hoc est, rei super qua per quid fit quæstio, quiditatem designent, siue interrogato idem respondeatur, siue eo superius, quodam tamẽ intercidente discrimine. Nam si idem ad quęstionem respondeatur, nihil prorsus notius reddet interrogatum adhibita responsio, etsi substantiam essentiamq; huius aut illius prædicamenti designet. Quòd si quęstioni genus adhibueris, substantiæ & quiditatis partem duntaxat explicabis. Sin verò desinitio respõdeatur, tota rei essentia notior erit reddita. At si, non idem sit interrogato, id quod in responsionem adfertur, neq; vnum alterius genus, sed potius sit subiectum, tum quę ad interrogationem adferenda sunt, rationem accidentis alicuius ordinis prędicamentalis suscipient. Ex his igitur palàm est, significare quid est, in litera bifariam accipi. Primò strictim, vt idem polleat quod primò designare rem & essentiam, quę pertineat ad substantialem ordinem. Secundò vniuersaliter, pro eo quod aliquam significat essentiam, cujusuis sit prędicamenti. Atque hoc modo in singulis prędicamentis est reperire, quę quid est significent. Hactenus dictum sit super vulgari expositione. Cæterùm aliis, inter quos est Albertus, placet hæc ab Aristotele superioribus adiecta esse, vt indicaret in omni serie prædicamentali singula prędicatorum genera reperiri, idq; hoc pacto monstrare licet, In quouis prędicamentali ordine id offenditur, quod ad interrogationem per quid factam, rectè legitimeq; respondere licet, nempe speciem induiduũ comparatione, item & respectu speciei genus & finitionem, igitur continget & reliqua prædicata simul inueniri. Nam in singulis prædicamentis ea quæ diximus præcipua sunt, quibus peculiariter conueniunt & propria & accidentia, id quod ex prædicamentorum disciplina luce est clarius.

Albertus. *Obiectio.* *Dilutio.* *Dupliciter sumitur Significare quid.*

Primũ igitur determinetur, &c.

In quarti capitis primam partem, de propositione dialectica agentem, adnotatio.

Ostensurus Aristoteles quæ sunt ea, quibus abundare oportet ad dialecticas argumentationes conficiendas, definit quid sit propositio dialectica, & quid sit problema dialecticum. Nam neq; omnis propositio est propositio dialectica, neq; omne problema est problema dialecticum: Nemo enim proponet seu sciscitabitur, tanquam propositionem dialecticam id, quod nulli videtur, vt Nunquid oporteat parentes honorare, aut impios esse erga Deos? Nam proponit Dialecticus id quod petit concedi, Nemo autem talia concedit. Et rursus nemo in medium adducet problema, quod cunctis est perspicuũ, quia id ostensione non indiget, vt Sole lucente vtrùm dies sit nec? Nam omne problema dialecticum, dubitabile est, & ostensione indiget, vt patebit ex eius definitione. Omnis verò propositio dialectica debet esse probabilis. Sed obiicies. Dictum est superius, quòd propositiones & problemata sunt eadem & æqualia numero, quodq; ex omni propositione problema facies, mutato interrogandi modo, nos ergo hic malè distinguimus propositionem dialecticam à problemate dialectico. Responsio. Propositiones & problemata generaliter sunt eadem, & numero æqualia, quia omnis enunciatio simplex, sub altera parte contradictionis interrogata, qualiscunq; tandem fuerit, siue vera, siue falsa, propositio dicitur. Si verò interrogetur sub vtraq; parte cõtradictionis, dicitur problema, sed aliud est propositio, aliud dialectica propositio, & rursus

Nõ ois propositio est propõ dialectica. *Obiectio.* *Responsio.*

rursus aliud problema, & aliud problema dialecticũ. Dialectica propositio sic apud Aristotelem definitur, Propositio dialectica est interrogatio probabilis aut omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, nõ extranea. Prima huius finitionis pars (interrogatio) idem pollet quod propositio simplici interrogatione interrogata. Dialectica namq; propositio, primò ei qui interrogat est interrogatio, Deinde syllogisanti sumptio est apparẽtis & probabilis. Adiectum est (simplici interrogatione) ad excludendum dialecticũ problema, quod ad sui rationẽ perfectam duplicẽ exigit interrogationẽ. Eam interrogationẽ nuncupant simplicem, quæ sub altera duntaxat fit contradictionis parte, vt an inimici odio sint habendi? Nónne omnis mater suam diligit prolem? Nunquid pro accepto beneficio rependendũ est malum? & id genus plurima. Duplex verò interrogatio est, quę fit sub vtraq; cõtradictionis parte, aut palàm, aut latenter. vt An omnes parẽtes sint honore afficiendi, an non sint afficiendi honore? Vtrùm bonum honestum vtili sit præferẽdum, nec ne? cuiusmodi interrogatio dialectico problemati peculiariter est addicta, de qua quidem re secundi De inuentione dialectica libri cap. 5. Rodolphus sic scriptum reliquit, Quæstionẽ non vult Aristoteles Dialectico esse propositam, sed id quod πρόβλημα Græci dicunt, quod nos vel sciscitationem vel percunctationem dicere possumus, plærique græco maluerunt vti. Percunctationem vult esse id, de quo pariter est ne, an non est, quæritur. Vt est mundus æternus, an non? Est ne Sol maior tota terra, an non? Id autem quod solùm in vnam partem effertur, vt ecquid est immortalis anima? ecquid virtus est summũ bonum? id πρότασιν, hoc est, propositionem vocauit. Et propositionem quidem non omnem dialecticam esse, sed eam solam, quæ neq; fidei prorsus, neq; dubitationis sit expers. Nihil autem inter percunctationẽ & propositionem interesse, nisi efferendi diuersitatem. Hæc Agricola. Dictio sequens (probabilis) qua ab hac finitione reiiciuntur apertè vera & falsa, duplicem recipit interpretationem seu significatum. Nam Albertus & alij complures probabile sumunt, eo quo prius descriptum est modo, autumantes hanc esse rectam propositionis dialecticę definitionem, interrogatio probabilis non extranea, reliqua autem quæ finitione hac comprehenduntur, solùm adiecta esse maioris explicationis causa, vtpote quæ indicent tot propositionum dialecticarum esse genera, quot sunt probabilium. Alij, ne latentem implicitamq; nugationem fateri cogantur, probabile accipiunt fusius ampliúsque, pro omni videlicet eo, quod aptum natum est videri, adiuncta de opposito illius formidine. nihilo secius tamen consentientes, in diuersis dialecticæ propositionis generibus commonstrandis, per eandem particulam, sequentem omnibus vel plurimis, &c. quàm lector intelliget, accipietq; eo modo quo explicata est in probabilium descriptione. Porrò vltima huius finitionis portiuncula Non extranea (cuius loco habet Boetiana translatio, non inopinabilis, Nam Græcè legitur, καὶ μὴ παράδοξος) dialecticam propositionem à positione separat, quemadmodum mox suo loco monstrabitur. Ibi, sunt profectò propositiones dialecticæ, &c. indicat Aristoteles, propositionem Dialecticam distribuendam esse in propositionem secundum se probabilem, & probabilem ex consequenti. Ea per se est probabilis, cuius probabilitas ex suorum terminorum ratione ac connexione profluit. Cuiusmodi sunt, Parentes diligendos esse, Amicis & benefactoribus esse benefaciendum, & id genus alia. Contrà, illa ex consequenti, atque secundum aliud est probabilis, quæ probabilis est vel propter similitudinem, quam habet cum alia per se probabili, vel propter contrarietatem, vel propter authoritatẽ. Etenim triplex est propositio secundum aliud probabilis. Prima est propter similitudinem, quam ad per se probabilem habet, Cuius exempla profert textus, dum dicit, Quòd si probabile per se est, eandem cõtrariorum esse disciplinam, (Nam Logica quid verum sit, & quid falsum consyderat, Medicina quid sanum, quidue ægrum, Geometria quid rectum, quid curuum; Naturalis Philosophia, quid calidum quid frigidum. & ita deinceps in cæteris disciplinis) secundum aliud erit probabile, Eundem sensum esse contrariorum. Consentiunt enim contraria, quòd eiusdem generis sint & potentiæ. Insuper si per se sit probabile, Grammaticam in Grammatico esse vnam numero, propter subiecti communis vnitatem, erit ex consequenti probabile ob eiusdem similitudinis rationẽ, Musicam in Musico eandem esse numero. Item si secundum se probabile fuerit, in Grãmatico eodem plures numero esse Grammaticas, secundum aliud probabile erit, in eodem Musico plures esse Musicas, ob plurium partium subiectiuarum similitudinem, sub vno eodémque obiecto communi comprehensarum. Atque hæc secundum aliud probabilia, ex per se probabilibus per locum à simili sunt colligenda. At alia probabilis est propter cõtrarietatem, quam habet ad propositionẽ secundum se probabilem, id autẽ bifariàm accidit. Nam primò quædam

Quid dialectica propositio.

Quid interrogatio simplex & duplex.

Diuisio propositionis probabilis.

Propõ per se pbabilis.

Propõ probabilis ex cõsequenti.

Triplex propositio probabilis secũdum aliud.

Aut propter similitudinẽ cũ propõne per se pbabili.

Aut ratione cõtrarietatis, quæ duplex est.

dam est propositio probabilis, propter contrarietatem protensam secundum contradictionem, id quod accidit cùm propositiones eiusdem sunt ac vnius extremi, reliquis existentibus contrariis, ita vt vna affirmatiua sit & altera negatiua, verbi causa hæ propositiones, Amicis oportet benefacere, amicis oportet malefacere, eodem subiecto constant, prædicatis existentibus contrariis. secunda secundum contradictionem protendetur, si negatiua efficiatur, ad hunc modum, Amicis non oportet malefacere. Simili quoq; modo de his est censendum, amicis oportere benefacere, inimicis oportere benefacere, alisq; similibus. Si igitur per se probabile est, amicis oportere benefacere, hoc modo per aliud, & ratione contrarietatis secundū contradictionem protensæ, probabilia erunt, amicis non oportere malefacere, & inimicis non oportere benefacere. Et si per se probabile sit, magistratum esse honore afficiendum, probabile erit, ipsi non esse contumeliam inferendam. Item si secundum se probabile sit, dulce esse gustandum, probabile erit, amarum nō esse gustu percipiendum. Quòd si quis admiserit per se probabile esse, Album esse gustandum, non ob id probabile erit, Nigrum non esse gustandum, Nam illud non apparet per se esse probabile. Altero modo redditur probabilis propositio propter contrarietatem non secundum cōtradictionem protensam, quam appellant nonnulli, in vtroq; extremo contrarietatem, propositionibus eandem quantitatem seruantibus. Verbi gratia, si secundum se probabilia sunt, Amicis oportere benefacere, & inimicis non oportere benefacere. Hoc modo probabilia erunt, inimicis oportere malefacere, & amicis non oportere malefacere. At huiusmodi probabilia ab Aristotele dicuntur probabilia in parabola, aut secundum Boetij versionem, in similitudine. Est enim parabola similitudo, quæ fit, dum res specie differentes inter se comparantur, vti:

Problema in parabola.

Haud secus exarsit conspecta virgine Tereus,
Quàm si quis canis ignem supponat aristis.

Aut propter authoritatē

Tertiò probabilis secundum aliud ea propositio est, quæ ob authoritatem alicuius in aliqua disciplina experti probabilis est, vt sunt in Logica, Tantùm quinque sunt prædicabilia, Decem prædicamēta, Aliquid non prius scitū sciri. In medicina, ambulandū post cœnā sanitatis gratia, & sic deinceps in aliis disciplinis. Vnicuiq; enim experto in sua scientia credendum est.

In secundam partem quarti capitis, quæ agit de problemate Dialectico.

Quō sese habet problema dialecticū ad propositionem dialecticam

Postquàm definiuit Aristoteles propositionē dialecticam, consequenter agit de problemate dialectico. Nam, vt dictum est, propositio antecedentis locum tenet, problema verò consequentis. Cæterùm quomodo sese habeat problema dialecticum ad propositionem dialecticam, potest ex eorum definitionibus intelligi. Nam propositio dialectica, quæ videtur omnibus, non est problema dialecticū. Et rursus problema dialecticum, de quo neutro modo opinamur, Similiter positio omnis, quæ est problema dialecticū, nō potest esse propositio dialectica, vt ex definitione patet. Est igitur hæc dialectici problematis descriptio.

Problema dialecticum

Problema dialecticū est speculatio, contēdens vel ad electionē, & fugam: vel ad veritatem & scientiam, aut per se, aut vt adminiculans ad aliquid aliud huiusmodi, de quo aut neutro modo opinantur, aut contrariè plærisq; sapientibus, aut plærisq; sapientes, aut plæriq; plærisque, aut sapientes sapientibus. Existimant nonnulli illud literæ (de quo neutro modo opinantur, aut contrariè plæriq;, &c.) non esse huius definitionis portionē: quibus apertè refragatur ipsius subiuncta declaratio. Quisquis enim asseuerat eam textus partem (Sunt aūt problemata, & de quibus contrarij sunt syllogismi, &c.) non pertinere ad definitionis propositæ declarationē, ridiculus est, atq; neglecta veterum commentatorū expositione, sine vlla loquēs ratione. Opinamur aūt nos, hanc problematis finitionē ab Aristotele præter suum morem prolixius esse traditam, vt problematis dialectici diuersa genera cōmonstraret. Prima huius definitionis pars (speculatio) si Aphrodiseo credimus, pro quæstione seu quæsito posita est. Etenim speculari (inquit) pro quærere mos eius est dicere. Quòd aūt interpretantur quidem speculationē, id est, propositionē probabilem interrogatam sub vtraq; contradictionis parte, extra omnē controuersiam est. cùm ex hoc capite manifestè constet, quædam problemata dialectica non esse propositiones probabiles, vt dictum est. Particula sequens cōtendens, aut (vt alij vertunt) intendens, id est, conferens, seu cuius cognitio est vtilis ad electionem boni, vel fugam mali, intellige moralis. Nam problemata, quæ sub hac parte continentur, moralia sunt vt Vtrùm voluptas sit summum bonum, an non? Aut ad veritatem & scientiam, id est, ad cognoscendum veritatem, in rebus optimis, quod est finis contemplationis, vt Vtrùm mundus sit sphæricus, an non? Porrò dictorū problematum quædam per se & immediatè conferunt ad ea quæ dicta sunt, quædā verò secūdariò & vt adminiculantia ad aliquid huiusmodi,

Speculatio.

Contendēs.

cuiusmo-

cuiusmodi sunt problemata dialectica, quæ per se quidem non pertinent ad electionē aut fugam, neq; ad cognoscendam veritatē in rebus optimis, sed habent se veluti instrumenta, quibus in eorum cognitionē deduci possumus. Sunt igitur triplicia problemata, Nam quędam per se spectant ad electionē & fugam, seu ad rectam vitæ institutionē, quędam verò ad cōtemplandam veritatem in rebus optimis, & tertio sunt quædam, quæ per se quidem ad nihil horum conferunt, sed adminiculantur duntaxat, cuiusmodi sunt problemata dialectica, & ea quæ ad artes mechanicas spectant. Cæterùm quia in dictis tribus generibus reperiuntur etiam demonstratiuæ quæstiones & dialecticæ, de iis quæ omnibus videntur, quę non sunt problemata dialectica. Nam omne problema dialecticum debet esse ambiguum, & quæstione dignum. Illud aũt est quæstione dignum, de quo homines sani iudicij dubitant, vel contraria sentiunt. Hinc adiecit Aristoteles huic definitioni aliquot particulas, explicantes ambiguitatũ modos, quibus iam dictas quęstiones à problemate dialectico separet, cùm ait, de quo aut neutro modo opinantur, aut contrariè plærięq; sapientibus, aut plærisq; sapientes, aut plęrięq; plęrisq;, aut sapientes sapientibus. Sunt autem quinque duntaxat ambiguitatũ modi, quos Aristoteles his quinq; particulis elegantissimè complexus est. Primus est, Cùm tam sapientes q̃ vulgares neutro modo opinantur, id est, neutri parti contradictionis assentiuntur, sed vtramque ambiguam habent: id quod dupliciter accidit, vel quia pro vtraque parte æquè efficaces habent rationes, vel quia nullam prorsus habent rationem neque ad affirmationem, neq; ad negationem firmandam. Prioris partis exempla sunt, vtrùm virtutes sint cōnexæ, an non? Posterioris verò, vtrùm mundus sit æternus, an non? vtrùm stellæ sint pares, an impares?

Triplex est problema.

Quid quæstione dignum sit.

Ambiguitatũ modi 5.

Duob9 modis, tam sapientes quàm vulgares neutro modo essentiuntur.

Alter ambiguitatum modus, cùm vulgares aliquid opinantur, sed non consentiunt sapientes, idq; vel opinando oppositum, vel de vtraq; parte dubitando, vt vtrùm sol sit exiguę magnitudinis, an non? Tertius est, cùm sapientes aliquid opinãtur, sed dissentiunt vulgares, vt vtrũ sol sit maior tota terra, an non? Quartus, cùm vulagres inter se dissentiũt. Et Quintus, quum sapientes inter se dissentiunt. Quòd si obiicias, Possunt vulgares de rebus certissimis & euidentibus propter ingenij stupiditatem dissentire, & tamen talia non sunt problemata dialectica, igitur non rectè additur quartus ambiguitatum modus. Responsio, Aristoteles loquitur de opinione eorum, qui ratione egent, non pœna, aut sensu, vt sequenti huius capitis parte dicitur, id est, qui sani sunt iudicij & affectu non peruerso. Nam possunt homines propter ingenij stuporem, aut peruicaciam animi, de rebus verissimis pessimè sentire, sed horum negligenda est opinio.

Secundus modus ambiguitatum

Tertius.

Quartus & quintus.

Obiectio.

Dilutio.

In tertiam partem, quæ est de positione, annotatio.

POstquam dixit Aristoteles de Problemate, deinceps dicit de Positione, quia Positio est quædam species problematis dialectici, vt in hac textus parte manifestè dicitur. Sic igitur definitur ab Aristotele. Positio est opinio extranea alicuius notorum secundum philosophiam, id est, Positio est propositio sub vtraq; parte cōtradictionis interrogata, quam opinatur aliquis in Philosophia clarus cōtra reliquorum opinionem, de qua dignum est quærere, propter fautorem quem habent in philosophia clarum & celebrem, vt vtrùm omnia continuò fluant & mutentur, sicut dixit Heraclitus, an non? Et vtrùm vnum tantùm sit ens, quemadmodum Melissus ait, an non? Non est tamen existimandum, cuiusuis opinionem, quæ reliquorum sententiis aduersatur, esse positionem, vt si quis peruersus, contentiosus, aut imprudens contra reliquorum opinionem tenere quicquam statuerévc moliatur. quia positio dicta est, esse opinio alicuius clarissimorum Philosophorum. quo fit etiam, vt hæc propositio, Non omne ens est factum vel æternum, quam contra omnium Philosophorum placitum asserunt sophistæ, positio dicenda non sit, quamlibet nitantur eam sophisticis rationibus asserere, sic colligentes, Musicum esse Grammaticum est ens quoddam, sed neque est sempiternum, neque factum, ergo falsa est recepta apud omnes sententia, Omne ens est factum vel sempiternum. Porrò minorem probant, quia Musicum esse Grammaticum, aliquando non fuit, ergo non est sempiternum. Similiter etiam non est factum, quia quicquid fit, hoc ex materia fit, vel ex contrario, sed Musicum non est materia Grammatici, neq; contrarium. Verùm tota hęc collectio sophistica est, & nihil ad rem pertinens, quia recepta sententia habet, q; omnis res naturalis est facta vel sempiterna, contra quam nihil adferunt sophistæ, sed appetitu gloriæ excæcati verba in ventum spargunt, quibus in sui admirationē rapiunt imperitos. Porrò quòd in litera mox subditur, est igitur omnis quidem positio problema, non autem omne problema positio, &c. intellectu facile est, modò ex subiecta probatione ad memoriam reuocemus eos ambiguitatum modos, quos in definitione proble-

Quid positio.

 matis

matis superius annumerauimus. Est enim positio species quædam problematis dialectici, vt diximus. Deinde ne quis arbitretur omne problema, omnemque positionē, dialecticę esse cōsyderationis, In fine huius textus indicat hanc problematū diuisionem. Problematū quoddam pœna indiget, id est, quoddam tale est, vt eius ignorantia pœnam mereatur, cuiusmodi sunt, An Deos reuereri colereque oporteat, an non? An parētibus subueniendum sit, nec ne? verùm filij exponēdi sint, an non? An obtemperandū sit magistratui, an non? Nam huiusmodi ignorantia ex sola animi peruersitate videtur proficisci. Alia problemata indigent sensu, id est, proueniunt ex solo sensus defectu, id est, ex sola ambigentis stoliditate, vt, verùm nix sit alba, an non? Verùm ignis calidus sit, an non? An sol localiter moueatur, an non? Alia sunt, quorum propinqua est demonstratio, id est, quorum euidentem facilè possumus nancisci cognitionem, puta ex sola terminorū notitia, aut quadam ratiocinatione manifesta, quæ in promptu est, atque vltrò sese nobis offert. Cuiusmodi sunt per se nota, vt quodlibet esse vel non esse, Omne totum sua parte maius esse, & alia nonnulla, de quibus prius tractauimus, modò sub vtraque cōtradictionis parte interrogentur. Alia sunt, quæ vt sibi fides adhibeatur, rationem quidem exigunt, sed non eam qualem mox diximus, atque horū quædam sunt, quorū demonstratio valde longè existit, hoc est, plurimū est ardua, dialecticæque artis limites egrediens. cuiusmodi putantur esse hæc, An circulus secundū continētiam alicui quadrato æqualis sit, an non? verùm sphęrico corpori cōtingit æquum assignare cubum, &c. ad quę probāda ex Dialectica nihil videtur posse depromi. Alia sunt, quorū demonstratio ratioque non est longè petenda, neque adeò difficilis, vt Dialecticæ finibus non possit cōprehendi, Hæc aūt Dialecticæ sunt consyderationis. Verùm vt plenius intelligantur, quæ de variis propositionum generibus hactenus sunt dicta, non inconuenienter mihi videntur enunciationes posse hac ratione distribui. Enunciationum aliæ sunt euidenter veræ, aliæ euidenter falsæ, aliæ verò neque euidenter veræ neque euidenter falsæ. Propositiones euidenter veræ potissimùm ad demonstrationem pertinent. Dico potissimùm, quia Dialecticus in syllogismis tentatiuis etiam principijs communibus vtitur. Propositiones euidenter falsæ sunt in duplici genere. Nam quædam præ se ferunt aliquam veritatis speciem, quæ sophisticæ appellantur. Est enim propositio sophistica, quæ primo aspectu aliquam veritatis speciem præ se fert, sed paululum inspecta, etiam ab eo qui est mediocris ingenij, deprehēditur esse falsa, sicut dicit Aristoteles secundo capite huius libri, cùm ait, Nam itatim, & sępius etiam eis qui parva videre possunt, manifesta est in his falsitatis natura. Reliquæ propositiones manifestè falsæ ad nullam facultatē pertinent. Porrò propositiones quæ neque sunt euidenter verę, neque euidenter falsę, sunt in multiplici differentia, Aliæ enim omnibus videntur, Aliæ nullis, Aliæ sunt inter has media. Quę omnibus videntur, tantùm sunt propositiones dialecticæ, sic videlicet, vt non etiam sint problemata dialectica. Quæ vero nullis videntur, improbabiles appellantur, quanquā fortè inter has reperiantur etiam propositiones sophisticę. Sed obijcitur, Propositio sophistica videtur sophistæ, aut ei qui per sophistam decipitur, ergo non potest reperiri inter eas propositiones, quę nullis videntur. Responsio, Si sophista suam opinetur propositionē, excæcatus est à vana gloria, & ideo cōputandus est inter eos qui pœna indigent. qui verò per sophistam est deceptus, debet iis annumerari qui sensu indigent, & ideo negligenda est horum opinio. Reliquæ verò propositiones, quæ inter iam dictas mediæ continentur, sunt problemata dialectica, pertinentia ad quinque ambiguitatū modos, quos circa definitionē problematis explicuimus, quanquā nonnullæ earum sunt etiam propositiones dialecticæ, aut positiones, vt ex dictis patet.

Diuisio problematis.

Diuisio enūciationum.

Propositio sophistica.

Diuisio propositionū, quę neque euidenter sunt veræ, neque euidenter falsæ.

Obiectio.

Responsio.

In quarti tractatus vnicum caput, quod est de speciebus argumentationis dialecticæ.

POst consyderationem terminorum ac propositionum, ex quibus conficitur argumentatio dialectica, proponit Aristoteles, quot sint species argumentationum dialecticarum, quas enumerans dicit, Aliam quidem esse inductionē, Aliam verò syllogismum, Omnia enim aut syllogismo aut inductione credimus. Verùm illud addendum est, quòd ad has species tanquam perfectiores, reuocandæ sunt aliæ duæ, Enthymema & Exemplum. Nam, vt ait Boetius secundo libro de differentiis Topicis. His duobus velut principijs & generibus argumentandi, duo quidam alij deprehenduntur argumentationis modi, vnus quidem syllogismo, alter verò inductioni suppositus. hi autem sunt Enthymema, & Exemplum. Quid sit syllogismus prius dictum est. Inductio verò sic definitur, Inductio est à singularibus ad vniuersalia progressio, id est, Inductio est argumentatio, progrediens à singularibus ad vniuersale distributum. vt, Gubernator eruditus est optimus, & auriga eruditus est optimus, ergo in omni facultate, quicunque est eruditus is est optimus. Nonnulli etiam inductionem

Diuisio argumentationis.

Definitio Inductionis

onem vocant eam argumentationem,qua ex pluribus particularibus aliud monstratur particulare,sed ea proprię exemplum nuncupatur. Duæ igitur sunt inductionis species, altera enim est perfecta,altera verò imperfecta. Perfectam voco, in qua omnia singularia numerantur,quæq; necessariò colligit. Imperfectam verò,in qua non omnia enumerãtur,sed aliqua duntaxat,quæq; verisimiliter & non necessariò colligit. Diuiditur autem vtraq; inductio in affirmatiuam & negatiuam. Et rursus,in eam quæ fit enumeratis singularibus in subiecto antecedentis. Et eam quæ fit enumeratis singularibus in prædicato antecedentis. Exemplum prioris partis est,Omnis homo est longæuus,& omnis equus est longæuus,ergo omne animal non habens choleram est longæuum. Nam singularia homo & equus, in subiecto collocantur. Posterioris,vt Petrus est prudens,modestus,temperans,& sic de cæteris, ergo est omni virtute præditus. Post hæc ponit Aristoteles hanc differentiam,inter inductionem & syllogismum,intellige non inductiuum. Inductio est verisimilior, clarior, & ad sensum notior,id est,antecedens inductionis est nobis verisimilius, clarius, & ad sensum notius, quàm antecedens syllogismi,ac proinde est etiam pluribus commune, quo ad notitiam, quia à pluribus cognosci potest. Syllogismus autem est valentior,& ad concludendum efficacior.

Duæ inductionis species.

Diuisio vtriusq; inductionis.

Differentia inter inductionem & syllogismũ.

Sed obiicies, Inductio perfecta necessariò colligit sicut syllogismus, ergo syllogismus non rectè dicitur ad concludendum efficacior. Huic obiectioni duobus modis videtur posse responderi. Prior est, vt dicatur, Aristotelem hic tantùm agere de inductione imperfecta. Nam secundo Priorum distinguens inductionem perfectam à syllogismo qui per medium concludit, nullam huius rei mentionem facit. Posterior responsio est, vt dicamus Aristotelem hic etiam loqui de inductione perfecta, quæ dicitur minus efficax syllogismo, non quasi non necessariò colligat, sed quia antecedens sumit valde obnoxium instantiæ, dum acceptis aliquot singularibus (nam impossibile est omnia percurrere) idem de similibus postulat haberi iudicium in particula,Et sic de cæteris. Porrò hanc, quam declarauimus, finitionẽ suo more suggillat Laurẽtius, tertij libri de Dialectica quinquagesimo octauo capite, In hac (inquit) definitione tria maximè necessaria omittuntur, quòd insit appositio similium, quòd interrogatio, & probatio. Nam possumus sine probatione & similium appositione ad vniuersalia progredi,vt sic dicam,ego,tu,ille,homo,piscis,animal. Quòd autem de interrogatione non facit mentionem Boetius,hinc causa fluxit,quòd magister eius, vt aliena euerteret, vtq; ipse omnis sapientiæ autor videretur, Socraticum illum probandi morem per interrogationem cùm improbare non posset,nec probare vellet, nonnihil commutauit, & in supellectilem familiamq; suam redegit,veluti cùm quis equum furto sustulit,recisa cauda tonsisq; iubis, & si fieri potest, nonnihil colore mutato, dissimilibus phaleris, & toto cultu à priori mutato, hoc agit,vt suus equus non furto sublatus esse videatur. Sed nos,cuius hic sit equus, agnoscimus, & interpollatum potius quàm exornatum esse cognoscimus, ideoq; sine interrogatione negamus esse inductionem. Hæc Laurentiana est ratio, qua labefactare ac euertere annititur, quæcunq; de inductione ab Aristotele atq; Boetio constructa sunt & tradita. Verùm si eam, mi lector, attentè consyderaueris diligẽtiusq; excusseris,adeò efficax & valida tibi (nisi fallamur) videbitur,vt nihil præter iocum & risum ex ea colligere valeas. Estne planè ridicula,ne dicamus sophistica, Laurẽtiana illa à particularibus sine probatione & similium appositione ad vniuersalia progressio, ego, tu, ille, homo, piscis, animal ? Existimamus sanè, & nullatenus dubitamus, si quem ita argumentantem, dum in viuis ageret Laurentius comperisset,legisset ve,statim eum vt nugacissimum sophistam, explosisset, suoq; more dignum eum qui Sisyphi saxum voluat censuisset. Et si res sic se habeat, non grauabimur tamen ea diluere,quæ aduersus probatos autores, imò veritatem ipsam attulit Laurentius. In primis censet,nullam posse constitui inductionem sine similium appositione,id quod illi lubenter donabimus,asseuerantes hoc ipsum in omni inductione locum habere. Qui enim fieri potest,vt singularia eiusdem vniuersalis ad idem subiectum aut prædicatũ collata, (quod in omni obseruatur inductione) non subeant similium rationem ? Laurentius autem nuda adfert singularia,ex quibus solis nequit vlla procreari argumentatio. Insuper secundò existimat, nullam inductionẽ perfici,nisi ad assumpta singularia adhibeatur interrogatio,id quod negamus. Palàm enim fatemur secundum Aristotelis sentẽtiam,frequentius constitui inductionẽ,interrogatione adiuncta singularibus, quod inficiari videtur Laurentius. Nam superius descripsit propositionẽ dialecticã esse interrogationẽ probabilem,quam apertè constat,vel ex ipso Philosopho,cuiuslibet argumentationis dialecticæ posse esse principium. Cùm igitur singularia simplicia ab inducẽte sic sumi possent,vt propositionẽ constituant dialecticam,nulli dubium

Obiectio.

Solutio.

Altera responsio.

Laurentius Valla quid de inductione iudicet.

Laurentianis rationibus respondetur.

 esse

eſſe poterit, quin Ariſtotelis iudicio partes inductionis ſubinde valeant habere adiunctam
interrogationem. Ad hæc, cur neglecta interrogatione, non poterit eſſe inductio? ſi eadem
prætermiſſa queat eſſe dialecticus ſyllogiſmus, id quod fatetur Laurentius. Et apud probatos
autores, imò ipſum Ciceronem, deprehenduntur inductiones ſemotis interrogationibus,
quod exemplis monſtraremus, niſi futuri eſſemus prolixiores, quàm par ſit. Quod autem So
crates apud Platonem ferè interrogationibus vtitur, id non ea de cauſa facit, quòd omnino
aliter inductio fieri non poſſit, ſed quia eiuſmodi ratio elocutionis maximè ſit apta dialogis.
Cæterùm quod tertio loco ſubdit Laurentius, Ex particularibus vniuerſale probari non

Cicero.

poſſe, omnino inficiamur. Nam Cicero in oratione ea, quam dixit pro lege Manilia, probat
in Pompeio omnes res eas ineſſe, quæ in ſummo Imperatore exiguntur, propterea quòd in

Plato in Phædone.

eo inſit ſcientia rei militaris, quòd virtus, quòd autoritas, quòd felicitas, quæ quidem indu-
ctio eſt, vel teſte Rodolpho. Et Plato in Phædone comprobat, cuncta quæ fiunt ex contrariis
fieri, eò quòd minus fiat ex maiori, & contrà, debilius ex robuſtiori, ex tardiore velocius, ex
meliore deterius, ex iuſtiore iniuſtius, & contrà. Quomodo autem in inductione accidat, prin
cipij petitionem fieri, poſterius ſuo loco dicetur. Inſuper, quod habet idem Laurentius, ſtul-
tum dictu eſſe, ſi quis in inductione apponat hæc verba, & ſic de aliis, aut alia fortaſſis, quo-
rum tamen eadem ſit vis & ſignificatio, id planè cum eo pugnat, quo prius diximus, inducti-
onem eſſe alteram perfectæ dialecticę argumentationis partem. Etenim alioqui erit inductio
omnis imperfecta, neq; legitimè poterit reuocari reduciq; ad ſyllogiſmum, ex quo vnico cæ-

Plato in Gorgia.

teræ cunctæ argumentationes accipiunt ſuæ illationis vires atq; firmitudinem. Præterea Pla-
to in eo dialogo qui Gorgias inſcribitur, in ea inductione, quam ſolam probat Laurētius, eiuſ-
modi vtitur clauſula, in quo legimus ad hunc modum. Socrates, Quid verò? qui ea quæ ad
fabricam pertinent didicerit, nonne faber eſt? Gorgias, Eſt. Socrates, Et qui muſicam, muſi-
cus? Gorgias, Ita. Socrates, Et qui ea quæ ad medicinam pertinent, medicus? Atq; in cæte-
ris eodem pacto, quiſquis didicerit aliquid, talis euadit, qualem cuiuſq; ſcientia reddit? Gorgi
as, Omnino. Socrates, Non igitur per hanc rationē iuſtus erit quicunq; iuſta didicerit? Gor
gias, Maximè. Huc uſq; Plato. Licebit itaq; pari ratione & in alia inductione (quam refu-
tat Laurentius) vti adiectione huius clauſulæ, quæ omnia ſingularia non prius recenſita com
plectatur. Hactenus de inductione à nobis ſit dictum. Conſueuére autem Neoterici annota-
re, plæraq; obſeruanda in inductione, Item inquirere, An inductio omnis valida ſit argumen
tatio? an huius vna ſit re vera adprobatiua eius vniuerſalis quod colligitur, Altera verò nō?
Inſuper, an hæc ſit conſequentia duntaxat materialis, vt eorum verbis vtamur, illa verò for
malis, & id genus alia, à quibus omnibus in præſentia duximus abſtinendum eſſe, quippe quę
ad huius loci intelligentiam nihil adferunt momenti, & eorum plęraque non ex probatis au-
toribus depromuntur, ſed verius in ſterilibus ſophiſtarum agris naſcuntur.

Inſtru- menta aũt per quę ab- undem?

In quarti tractatus primũ caput, in ſumma explicãs inſtrumētorũ abūdādi numerũ, annotatiũcula.

EXpeditis iis, quæ pertinent ad materialia argumentarionũ dialecticarum principia, in
hoc vltimo primi libri tractatu pertractat Philoſophus de inſtrumentis, quibus ſyllogiſ-
morũ copiam nobis ad diſſerendum ſuppeditamus. Atq; in primi capitis exordio mon-

Quatuor abundandi dialecticis ſyllogiſmis inſtrumenta.

ſtrat, quot & quæ ſint eiuſmodi inſtrumenta, nempe hæc quatuor, Propoſitionum non qua-
rumlibet, ſed dialecticarũ duntaxat ſumptio, Multiplicis dictionis diſtinctio, Differentiarum
inuentio, Et in differētibus ſimilitudinis conſyderatio. Sub propoſitionũ ſumptione nonnulli
arbitrantur comprehendi diuerſorũ terminorũ ſumptionem, quemadmodum & ſub dictio-
nis multiplicis diſtinctione, orationis ambiguæ in diuerſos ſenſus diſtributionem. Cæterùm
quoniam hæc quatuor non ſimili modo accõmoda ſunt multiplicandis ſyllogiſmis dialecti-
cis, ſub quibus ſubintellige cæteras dialecticas argumentationes, ideo ſubindicat mox ibi,
Sunt aũt hæc tria poſteriora, &c. propoſitionum ſumptionem præcipuum eſſe inſtrumentum,
quod immediatè conducat ad ſyllogiſmorũ habendam copiam, ad quod reliqua tria ſunt re-
uocanda, & quo mediante ſolum efficiunt, vt prompti & idoneiſſimus ſyllogiſmis multipli-
candis. Nam hæc tria deſtinantur ad plurium propoſitionũ ſumptionē. vt ſi dicatur, eligen-
dum eſſe bonum, explicata boni analogia ad honeſtum, delectabile, & vtile, tres huiuſmodi
proueniunt propoſitiones, eligendum eſt honeſtum, eligendum eſt delectabile, eligendum eſt
vtile, ſimili quoq; modo in aliis eſt cenſendum. Nam ex ſcientię & ſenſus differentiarũ inuen-

Ariſt. in 6. lib. de hiſtoria animalium.

tione ſumitur, ſcientiam obliuione deperditã, eandē ſecundũ ſpeciem poſſe reparari, id quod
ſenſui nequit competere. Cæterùm huic poſteriori repugnare apparet, quod ſcribit Philoſo-
phus ſexti lib. quinto cap. de hiſtoria animalium, Pullorũ (inquit) hirundinũ adhuc recētium
oculi

oculi, si quis stimulo vexârit, resanescunt, & cernendi vim postea planè recipiunt. Et quarto de animalium generatione cap.6. Aues(inquit) nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, videlicet quæ cum paruæ corpore sint, multos progenerant, vt cornix, pica, passer, hirundo: & paucipari generis, quæ copiam alimenti parere vnà cum prole non solent, vt palumbes, turtur, columba. Quamobrem si quis hirũdinum nouellarum adhuc oculos præpungat, rursum incolumes reddentur. Cum enim fiunt nõ facti iam corrumpuntur, itaq; denuò oriuntur, ac pullulant. Porrò quòd dicit Aristot. καὶ δ' εὐεκτικὸν πρὸς εὐεξίαν, quia non facilè verbum succurrebat, non interpretatum reliquit interpres. Boetius vertit, & habile ad bonã habitudinem. Nam εὐεκτικὸν bene habituatũ habileq; designat, & εὐεξία bonam habitudinẽ. Nam εὖ bene, & ἕξις habitudinem significat. Et maxime habile ad bonam habitudinẽ & ad bonas corporis potentias naturalesq; affectiones desumere solent: quales sunt qui agiles sunt, qualesq; sunt qui neq; nimium macilenti exesiq;, neq; nimium pingues sunt, sed inditam potentiam bonæ corporis habitudinis effectricem retinent. Arbitratur Albertus euexiam esse bonam corporis tam internam quâm externam dispositionem, seu carnis densationem, qua facilè contrariis resistitur.

Albertus.

In secundum caput, quod pertractat de propositionum sumptione, adnotatio.

Sumendæ quæ sunt propositiones.

Philosophus speciatim de singulis abundandi dialecticis argumentationibus instrumentis determinaturus, in hoc secundo capite agit de primo abundandi instrumento, quod est Propositionum sumptio, per sex documenta. Quorum primũ & sextum, quodammodo cõmuniora sunt reliquis quatuor. Primum in exordio capitis assignatum, palàm est ex ipsa propositionis dialecticæ definitione atq; diuisione. In secundo aũt dicente eligendas esse propositiones, non solum quæ secundum se probabiles sunt, sed & quę probabilibus sunt similes. Exemplum primũ perperàm videtur sic legi, Vt quòd contrariorum est eadem disciplina. Nam ipsorum est idem sensus. Etenim cum superius exponeretur propositionis dialecticæ partitio, dicebatur, Si probabile est eandem esse contrariorum disciplinã, & sensum eundem esse contrariorum, probabile apparebit. Quare sic legendum erit, Vt quod contrariorũ est idem sensus, Nam ipsorum est eadem disciplina. Atq; eo ordine illa duo vertit Boetius, post græcum codicem. De secundo autem exemplo, nos scilicet videre suscipientes aliquid, non emittentes, in secundo de anima, & in libro de sensu & sensato est disserendum. At Plato in Timæo voluit, nos videre non per acceptionem formarum a visibili, sed produci visionem per emissionẽ radiorũ ab oculis, & splendoris effusionem. Cur aũt magis secundum se probabile sit nos audire, olfacere, gustare, aut tangere, aliquid suscipientes, non autem emittentes, diligentiori lectori relinquimus inquirendum. Præceptũ tertium ibi assignatũ, Amplius sumendæ sunt propositiones, &c. admonet sumendas dialectico esse propositiones probabiles, vt in pluribus veritatẽ continentes, tanquam principium & positiones apparẽtes, hoc est, velut vniuersaliter veras, & nullam admittentes instantiam, quæq; valeant esse syllogismi dialectici principia. Quod venit intelligendum, si eiusmodi propositionum vt in pluribus verarũ instantia nota nõ sit ipsi respondenti, id quod planè insinuat subiuncta probatio. Alioqui quemadmodum docetur secundo huius, assumenda foret propositio cum sua instantia.

Primũ præceptum.

Secũdũ præceptum.

Tertium.

Illud insuper non est prætereundum, propositione vt in pluribus vera vti & dialecticum & sophistam: dialecticũ quidem, vt id quod aut verũ est aut verisimile colligat: Sophistam verò, vt illati falsitate non cognita, respondentem decipiat, aut eàdem deprehensa redarguat, de qua re posterius copiosius. Porrò quartũ documentum in Boetiana versione ad hunc modum legitur. Eligere autẽ oportet & ex scriptis disceptationibus. Descriptiones aũt facere in vnoquoq; genere supponentes seorsum (vt de bono, aut de animali, & de bono omni) incipientem a quid est. Quo sanè præcepto indicat Philosophus, sumendas esse propositiones ex descriptionibus terminorũ in quæstione positorũ, quæ descriptiones nõ sunt miscendæ, sed vna quæq; seorsum, ne respondens turbetur, suo descripto est assignanda, & supponenda esse illius descriptio, cuiuscunq; generis prædicamentalis fuerit descriptum: nam bonum ad qualitatis prædicamentũ pertinet, animal verò ad substantiam. deinde dandæ sunt descriptiones, nõ huius vel illius, aut animalis, aut boni, sed boni vniuersalis, atq; animalis, hoc modo. Bonum est, quod omnia appetunt. Animal substantia est, quæ seipsam motu locali mouet. Nam sic pluribus propositionibus abũdare poterimus, quẽadmodum explicat vltimũ documentum. Erunt autem huiusmodi descriptiones inchoandæ ab eo quod quid est, hoc est, a genere, quod necessum est in omni definitione ac descriptione primum obtinere locum. Nonnulli præterea per quid est, substantialem accipiunt definitionẽ, qua probè cognita, asserũt facilè posse

Quartum.

Problematum & propositionum diuisio.

cognosci alias,& descriptiuas,& accidentarias. Cæterùm in propositionum & problematum diuisione ex materia desumpta, atq; continenter quinto documento subiuncta nomine propositionum Ethicarum,intelliges etiam eas, quæ politicæ sunt & œconomicæ, ad quas & aliarum artium,quæ mechanicæ seruilesq; vocantur,sunt reducendæ. Per Physicas eas, quæ sunt naturalis consyderationis,sub quibus comprehendes eas,quæ ad medecinam,Mathematicas disciplinas,ac Metaphysicam pertinenr. Per logicas verò,id est, rationales, accipiendæ sunt eæ, quæ sunt Grammaticæ consyderationis,Rhetoricæ,& consimilium artium.Neq; facile est,vt in litera subnectit Philosophus,quamlibet propositam quæstionem ac propositionem certò definire determinaréve,esse aut Ethicam,aut naturalem,aut rationalem.Sunt etenim quædam morales,quæ videntur non esse in electionem aut fugam destinatæ. Vt vtrùm morales virtutes sint connexæ? An voluptas sit motus? sed ex literę exemplis probè cognitis,quòd eiusmodi sint, exemplari inductione colligemus,alias eiusdẽ generis esse,aut morales, aut naturales, aut rationales. Verbi gratia, ex primo Philosophi exemplo colligẽtur hęc problemata esse Ethica, An parentibus dissidentibus, patri potius quàm matri sit obediendum? An leges condere conducat pro tranquillitate Reipublicę? Item ex secundo hæc Physica,An mundus vnicus sit? An æternus?An ingenerabilis & incorruptibilis? Insuper ex tertio hæc esse logica, An contraria sese sub eodem susceptibili expellant? An quæcunq; cõtraria sunt, immediata sint,aut mediata? Arbitramur nos ex D. Thomæ sententia alicubi superius dixisse, hoc problema, An contrariorũ eadem sit disciplina, quo velut logico vtitur hic Aristoteles,ad primã philosophiam pertinere, quod si,verum fuerit, poterit nihilo secius ad logicam attinere,quatenus contrariorũ rationẽ in se cõplectitur. Porrò problematum, quæ propriè logica sunt,exactam curam sibi vendicat logica. Aliorũ aũt certam cognitionẽ,quãtum res ipsa patitur, singulæ aliæ disciplinæ tradunt,aut ipsa prima Philosophia, de quibus eatenus dumtaxat agit Dialecticus, quatenus ipsorũ valet probabilẽ efficere assensum. Atq; hoc ipsum est,quod indicat Philosophus,dicens,Ad Philosophiam igitur secundum veritatẽ, de his determinandum,dialectico aũt modo ad opinionem. Reliqua per se satis sunt aperta.

Ipsum aũt multiplex inuestigãdum est

In tertium caput, quod multiplicis inueniendĩ quosdam locos explicat, Scholia.

Quõ multiplex à Dialectico consyderãdum.

MOnstraturus Aristoteles,quibus modis liceat deprehendere id quod multipliciter dicitur, in præsentis literæ exordio præmittit, distinctionem Multiplicis à Dialectica non esse in summa ac generatim duntaxat assignandam,dicẽte hoc esse illud hoc modo,seu in hac significatione,& istud alio modo esse illud. Verbi gratia,iustitiam & fortitudinem esse vno modo bona,atq; alio modo bona esse euecticon & salubre,verùm etiam oportet ipsum reddere diuersas rationes ac definitiones, secundum quas tale multiplex suis æquiuocatis competat. Cùm enim æquiuoca sunt,quorũ solum nomen cõmune est,ratio aũt substantiæ secundum nomen diuersa,redditis talibus rationibus diuersis, euadit manifestissimũ, tale nomen esse multiplex. Verbi gratia,Iustitia & fortitudo dicentur esse bona, quòd quædam sint qualitates animam aut corpus perficientes.Euecticon autem & salubre bona dicentur,non quia quædam qualitates sunt animam aut corpus perficientes, sed quia effectiua vel conseruatiua sunt eius qualitatis,quæ animam aut corpus perficit. Post hæc subiungit Philosophus documenta siue pręcepta numero sedecim,pro multiplici dinoscenda dictione.Quorum duo prima sumuntur ex contrarij consyderatione,Duo sequentia ex medij,Quintum ex collatione ad contradictoriè oppositum,Sextum ad priuatiuè oppositum,Septimum ex casibus ad seinuicem comparatis. Tria sequentia,octauum, nonum,& decimum ex generis inspectione.Reliqua verò sex ex definitionũ aut earum partium consyderatione. Continent autẽ huiusmodi præcepta quasdam maximas,quas non necesse est prorsus esse necessarias,sed aliquoties duntaxat probabiles sunt,atq; in pluribus veritatem habentes. Verbi gratia,hęc secundi præcepti maxima,Si vnius dictionis huic significato aliquid sit cõtrarium, illi verò nihil contrariè opponatur,talem dictionẽ æquiuocam esse,vt in plurimum vera est,& instantiam patitur in intellectiua cognitione,quæ veluti genus vulgo asseritur cõtinere intellectionẽ simplicẽ,cui nihil contrarium est,& assensum intellectiuum, cui dissensus eiusdem obiecti est cõtrarius,sed de hac re sit satis lectorẽ admonitũ esse,cùm & id ipse Aristoteles in 2.cap.primi tractatus huius libri proposuerit,dum diceret, Summatim aũt de omnibus dictis & dicendis, &c. Porrò primum præceptum in litera ibi assignatum, Primum quidem ad contrarium perspiciendo,duos locos complectitur,quorũ vnus qui dicitur à pluribus cõtrariis re & nomine,est. Si cuipiam plura nomine dissidentia & ratione,probentur esse contraria,illud firmissimè tenendum esse multiplex. Alter dicitur à pluribus non nomine sed ratione contrariis,quã

Primũ literę pręcepti

est

est hic, Si alicui idem nomen contrarium sit, quod æquiuocum sit, alterum quoq; necesse esse æquiuocum. Atq; in hoc præcepto per contraria in specie solum dissonantia & diuersa, accipienda sunt ea, quæ eidem tertio contraria sunt, & a se inuicem secundum specificam naturã diuersa sunt, licet eodem nomine designentur, vt cõparatione clari obscuritas in voce, & obscuritas in coloribus, vtraq; significata hac voce obscurum. Ea autem nominibus dissonant, quæ eidem sunt contraria, quæq; secundum naturã specificã diuersa sunt, & diuersis designãtur nominibus, vt respectu acuti, graue in voce & in magnitudine obtusum. Contraria autem reperire, quæ solum nominibus differant, non autẽ specie, non contingit. Cessat igitur obiectio de hac nigredine & illa, quæ albedini acceptæ vniuocè contrariæ sunt. Nam illæ nigredines sunt eiusdem speciei, Et proinde secundũ speciem nequeunt a se dissentire. Intelligere quoq; solent hoc præceptum de ijs contrarijs, quæ alicui primò atq; immediatè, & non alterius gratia opponuntur. Nam liberalitati vniuocę acceptæ, contrariè opponuntur & prodigalitas & auaricia. Verùm de hac re nonnihil in prædicamentis a nobis est tractatum. Loco illius tertij exempli huius primi præcepti: Similiter & bono in animali, fœdũ contrariatur, &c̃. sic apud Boetium legitur, Similiter autẽ & pulchro ei quidem quod est in animali turpe: ei verò quod est in domo, perniciosum, quare æquiuocum pulchrum.

Secundum.

Cæterùm præceptum secundum ibi redditũ, Amplius si huic quidem est aliquid cõtrarium, &c. cõtinet eum locum, quem a cõtrarijs secundum partẽ vocãt, quiq; est eiusmodi. Si eiusdem vocis vni significato aliquid sit contrarium, alteri verò simpliciter nihil contrariè opponatur, eam dictionẽ esse multiplicẽ. At pro declaratione prioris exempli huius documẽti afferre solent illud Philosophi ex septimo Ethicorum capite duodecimo. Est igitur operatio in cupiditatibus restantis habitus atq; naturæ. Nam & sine dolore cupiditateq; sunt voluptates, vt operationes contemplandi non deficientę natura. Atq; illud decimi capite tertio, Indigentes facti, & antea affecti dolore, repletione capimus voluptatẽ, hoc autem non circa omnes accidit voluptates. Nam sine dolore sunt & ipsæ mathematicæ voluptates, & quæ per olfactũ & auditum fiunt ac visum, & spes cõplures, item & recordationes voluptate afficiunt, quę an monstrant quod hic dicitur, imprę̃sentiarum non decreuimus discutere, eò quòd id sit Ethici negocij, non Logici. Id igitur sic supponatur tanquam verũ, aut a nonnullis veteribus, aut ab Aristotele assertum.

Quis amor secũdũ mẽtẽ & animam.

Porrò quod in secundo exemplo dicitur de amore secundum mentẽ & animã, ac amore secundũ corporalem actũ, diuersi diuersimodè accipiunt, quorũ interpretationibus breuitatis causa omissis, dicimus per amorẽ secundum mentem & animã intelligendum esse amorem siue sensitiuũ siue intellectiuum, quo nobis aut alijs bonum volumus. Et huic amori contrarium est odium, quo alijs aut nobis malum volumus, alijs quidẽ & per se & per accidens, nobis autẽ per accidens duntaxat, cum nihil seipsum per se odio habeat.

Quis itẽ secũdũ actũ.

Amor autẽ secundum actum corporalem nihil aliud est, quàm externus signũ amoris ad corpus ipsum pertinens, vt sunt oscula, amplexus, & id genus alia, quibus nihil est contrarium, aut simpliciter, aut ea ratione qua hæc signa communia sunt & amanti & odienti. Meliora sunt, inquit Sapiens, vulnera diligentis, q̃ fraudulenta odientis oscula. Et Ioab tenens manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est. Iudas quoq; Filium hominis osculo tradidit in impiorum manus.

Tertium & quartum.

Porrò tertio atq; quarto documentis, hi tres continentur loci. Si quorundam contrariorum medium habeatur, & quorundam eodem nomine significatorum nihil sit medium, necesse est illa, esse multiplicia. Si duorum contrariorum sit medium non tamen idem, illa esse multiplicia. Si contrariorũ nunc plura sint media, nunc vnũ aut pauciora, illa oportere esse multiplicia. Quorũ primus a medio secũdum partẽ, secundus a rei mediæ distinctione, & tertius a medijs secundum numerũ distinctis nuncupari potest. At in præcepti declaratione, per sensibile secundum animã intelligetur id, quod potentiam sensitiuã habet, vt est oculus visum habens, Et per insensibile priuatiuè oppositũ, id quod aliqua potentia sensitiua caret, cuiusmodi est oculus cæcus. Per sensibile autẽ secundũ corpus, accipe id, quod potentia sensitiua vtitur, seu quod actu sensationẽ habet & exercet, quã dum exercere cessat, dicitur insensibile secundum corpus, autore Alberto.

Albertus.

Quibusdam placet, sentire secundum animã idem esse, quod intelligere: & secundum corpus sentire, idem quod exteriorem sensationẽ organorũ ope accipere.

Topica maxima.

Ex hisce præceptis allegari solet maxima illa topica, Quot modis vnũ oppositorũ dicitur, tot modis dicitur & reliquũ: quæ etiam in relatiuè oppositis veritatẽ obtinet, quæ subintelligenda reliquit Philosophus sub alijs oppositis. Quam intelligunt de pluralitate significatorũ, non autẽ suppositorũ, etsi vni secundum quodlibet suũ significatũ, alterũ opponatur.

Octauum.

Porrò octauum documentũ, quod de generibus traditur generalissimis,

ralissimis, interpretandum venit de eo, quod propriè & per se sub diuersis generalissimis continetur, vt corpus sub substantia & quantitate, bonum in vna significatione sub ad aliquid, & in altera sub qualitate. Ratio autem æquiuocationis est, quod prædicamentorum naturæ sint impermixtę. At idem atque vniuocum per se vnius esse generalissimi, & per accidēs alterius, nihil absurditatis habet. Cæterùm textus exempla non videntur eo spectare. Nam bonum in cibis, quod voluptuarium dicere possumus. & bonum in medicina, id est, salubre. & bonum in anima vel homine, id est, studiosum. Si voluptatem, sanitatē, & virtutē spectemus, ad qualitatem pertinet. Quòd si referas, quemadmodum habet Aristotelis litera, ad subiecta ipsa, de quibus bonum prædicatur, poterunt subiecta diuersorum esse prædicamentorū, qualia sunt homo & sopor, quantitas mediocris & tempus conueniens, vt dum dicitur, Bonum esse naui periclitante merces proucere in mare: aut eiusdem reductiuè, vt homo & anima. sed non ob id necessariò prouenit æquiuocatio respectu significati principalis, sed tantùm comparatione connotati, ob dictionem nunc acceptam, vt id solùm cōnotet, nunc autem illud, Verbi gratia, bonum dum de anima & homine dicitur, eandem virtutem aut aliam qualitatem designat, non aūt diuersas. Respicienda aūt esse subiecta, indicant duo sequentia exempla. Nam claritas, quę est coloris, corpus quod terminatū est, & substantia opaca, pro subiecto habet. Claritatis aūt, quæ est facilè auditu perceptibilis, vox est subiectum, quę sunt diuersorū prædicamentorū. Item acuties nunc competit voci cito ac velociter auditum penetranti ac immutanti, vt dicunt Musici, de consonantiis agentes: nunc competit angulo seu superficiei, vt testantur Geometrę. nunc gladio aut alteri substantię, sed non his duobus æquiuocè, nisi eo quo iam iam diximus modo. In exemplo noni præcepti, nonnulli legunt loco dictionis Græcè ὄνος, Latinè asinum, verùm non satis congruenter, eò quod vox asinus Latinis non sit æquiuoca ad animal & ad vas, quare oportuit vel relinquere eandem immutatā dictionē Gręcā ὄνος æquiuocā, quemadmodū habet noster textus, aut in locū dictionis Gręcę omissę aliam Latinā substituere, quæ simili modo esset æquiuoca, & ad animal & ad vas, id quod egit Boetius equum legens. Dictio Grçca ὄνος nunc asinū & asinā designat, nunc id saxum quod in molis substernitur, vt alterū quod circumagitur sustineat, quod ob segnitiem & quietē ὄνος Græci vocant. In qua significatione in prouerbio est, Ἀργεῖος ὄνος, de quo apud Desiderium Erasmū Chiliadis secundæ centuria quinta. Porrò equus pro animali passim inuenitur, vt apud Vergiliū,

Nonum.

> Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.

Et pro vase, vt apud eundem,

> Fracti bello fatisque repulsi
> Ductores Danaum, iam tot labentibus annis
> Instar montis equum diuina Palladis arte
> Aedificant.

Vndecimū. Pręceptum vndecimum hoc pacto apud Boetium legitur. Vtile aūt ad definitionem inspicere, quæ de composito sit, vt candidi corporis, & candidæ vocis. Nam sublato proprio, eandem rationem oportet relinqui. Hoc aūt non accidit in æquiuocis, vt in iis quę dicta sunt, &c. Idem tamen euenit, si definitio de simplici reddatur, & non de solo composito, Proprium autem hoc in loco genus est, quod vni sic competit, vt non alteri, vt claro in coloribus conuenit corpus, non autem esse vocem. E diuerso, esse vocem congruit claro in voce, non autem esse corpus. Clarum in colore, corpus est colorem eum habens, qui sit disgregatiuus visus. Clarum in voce, vox est, bene audibilis. Porrò quomodo omne vniuocum comparabile sit ad sua vniuoca, penes magis aut minus aut æqualitatem, cuius rei meminit præceptum decimumtertium, ex Isagoge Porphyriana constare facilè poterit. Nam quatuor prima prædicabilia Genus, Species, Differentia, & Proprium, quatenus sunt huiusmodi, æquè participantur a suis speciebus indiuiduis, constitutis & subiectis compluribus accidentibus intensionem & remissionē, prædicationemque secundū magis & minus admittentibus. At decimiquarti documenti sententia aperta est ex secunda regula antepraedicamentali, in qua diximus nomine differentiarum intelligendas esse differentias magis proprias, quæ eædem constitutiuæ sunt & diuisiuæ. Vtitur tamen Aristoteles in literæ exemplo differentia alia, dum dicit, magnitudinem a magnitudine differre, quia acuta est. Neque enim acuties neque obtusitas, differentia est essentialis alicuius magnitudinis. Cæterùm in decimoquinto præcepto, per differentias accipe differentias diuisiuas, & specierum diuisi constitutiuas, quemadmodum literæ exemplum insinuat. Et quod de differentijs dicitur, id de speciebus similiter est accipiendum.

Decimumtertium.

Decimum quartum.

Decimum quintum.

Color

Color in melodijs, qui & chroma dicitur (teste Fabro) est, cum tetrachorda procedunt per duo hemitonia & trihemitonium, de quo in Musicis. Vltimum documentū vtcunq; obsistit illis, qui arbitrantur, inter differentias superioris & inferioris, siue generis & speciei consistere rationem. Hactenus de huius capitis expositione sit dictum. Locos autem in ipso comprehensos monstrat hæc subiecta formula quàm breuissimè.

Faber.

Vltimū præceptum.

MVLTIPLEX.		
A contrario, si contrario extremo.	1.	plura contrarientur nomine & ratione.
	2.	plura ratione.
	3.	partim contrarientur.
A medio, si contrariorum.	4.	sit medium partim.
	5.	sint media ratione distincta.
	6.	sint plura numero.
A contradictione.	7.	si affirmatio & negatio, & contra.
A priuatiuis.	8.	si priuatio & habitus, & contra.
A relatiuis.	9.	si vnum & alterum, & contra.
A coniugatis & casibus.	10.	si coniugatum & casus, & contra.
A genere.	11.	si diuersorum sit prædicamentorum.
	12.	si generum non subalternorum.
	13.	si contrarium sit multiplex.
A definitione.	14.	si non eadem sit, neq; voce, neq; re.
	15.	si non sit eadem re.
	16.	si non conferatur eidem.
A differentia.	17.	si eadem sit diuersorum generum.
	18.	si diuersæ eisdem differentiæ.
A specie & differentia.	19.	si idem sit species & differentia.

Differētias aūt eorum quę sūt.

In quartum caput, quod determinat de differentiarum inuentione & consimilium consideratione, annotatiuncula.

IN præsenti capite pertractat simul quàm breuissimè de reliquis duobus instrumentis, duo præcepta assignans pro differentiarum inuentione, quorum prius agit de ijs, quæ sub eodem genere proximo comprehenduntur, quemadmodum Iustitia & Fortitudo, Temperantia & Prudentia sub morali virtute continentur. Secundum verò traditur de ijs, quæ sub diuersis continentur generibus non nimis differentibus, hoc est, subalternis eiusdem generis generalissimi, vt sunt sensus & scientia, quorum illum complectitur naturalis potentia, hanc autē habitus. Genera nimium distiucta sunt, quæ diuersorum sunt prædicamentorum. At sensus a scientia differt, quòd ille sit in corpore, in nobis fiat absq; vlla nostra operatione, amissus nequeat idem reparari. Cōtra, hæc in anima est, exercitatio & per doctrinam fit in nobis, & deperdita eadem valet reparari &c. Porro pro similitudinis consideratione tria subduntur præcepta. Primum traditur de ijs, quæ continentur sub diuersis generibus, etiam non generalissimis, in cuius exemplis monstrat, similitudinē, de qua agit, esse duarū rationum seu proportionū similitudinē, Aut respectu obiecti, vt dum dicitur simili modo sensus ad sensibile se habere, quo se habet ad scibile scientia, Aut respectu subiecti, quēadmodū euenit in altero exemplo. Secundū ibi assignatum. Maximè autē ad ea, &c. de ijs traditur quę sub diuersis cōprehenduntur generalissimis. At tertium ibi redditū. Considerandum autem, &c. ijs tribuendum est, quæ eiusdem sunt generis, quibus nonnunq̄ idem substantialiter, aliquando idem accidentario est cōmune, vt gressibile & sensitiuū esse, hominis: equi, & canis comparatione.

Primū præceptum.

Secundum.

Vtile autē est conside rare.

In quintū caput, quod trium instrumentorum vtilitates complectitur, annotatio.

INstrumentorū vtilitates assignaturus in hoc vltimo capite Philosophus, Sumptionis propositionum commoda prouentusque non recenset, quod tria reliqua, Multiplicis videlicet distinctionem, Differentiarum inuentionem, & Similium considerationem quodam modo complectatur, quare qui horum emolimenta explicat, Sumptionis quoque propo-

sitionum

Quibus vtilis est multiplicis distinctio.

sitionum fructũ assignat. Tres igitur in initio multiplicis distinctionis vtilitates proponit. est enim commoda, vt id quod ab opponente respõdenti proponitur, fiat manifestum. Deinde vt construãtur syllogismi, nõ ad nomẽ duntaxat, sed ad rem. Tertio, vt respõdens id quod est multiplex cognoscẽs non decipiatur, & opponens seu interrogans, respondentẽ multiplex ignorãtem fallat. Admonet tamen, hunc disserendi modum quo interrogans valear decipere respondentẽ apparenti ratiocinatione, ob ignoratã dictionis multiplicitatẽ, non esse dialecticę accõmodatum, sed potius sophisticæ. Non enim dialectici est fallere, sed argumẽtatione quæ nullum errorẽ claudit, dialecticã fidem facere; Et proinde a dialectico prorius alienũ esse debet, ad nomen disserere, quod fit dum is qui interrogat, & is qui respondet, non ad idem intelligentiam ferunt, qua quidem disputatione, licet non vt legitimo organo, vtitur dialecticus contra proteruũ, dum aliter cum respondente agere nequit. Post hæc in litera, ibi. Differentias aũt inuenire, &c̃. duas assignat vtilitates differentiarum inuentionis, nempe quod idonea sit ad conficiendos syllogismos de eodem & diuerso. Nam in quibus reperiuntur differẽtiæ, ea diuersa sunt, & non eadem: & ad definitiones cognoscendas. Nam specierum eiusdem generis definitiones, per solas earũ differentias a seinuicem separamus & discernimus, non autẽ ipso genere, quo tanq̃ communi omnes participant. Deinde ibi. Similitudinis verò consideratio, &c̃. tres quarti instrumenti cõmoditates adfert explicatq; Aristot. Et quod vtilis sit ad conficiendas inductiones, eò quòd non possit quis facilè inducere, nisi cognoscat similia, hoc est, id in quo similia sunt atq; conueniunt singularia. Item & ad syllogismos ex hypothesi & suppositione, eos præsertim, quos vocabamus in priori Analyticorum libro ad transsumptũ syllogismos. Et tertio ad assignandas definitiones, in quibus construendis primo loco sumendum est genus, aut aliud quod vicem eius subeat, cui inueniendo maximè accõmoda est similium consideratio, siue proposita parũ distent, siue multum, modò (vt inquit Albertus) genere generalissimo non differãt, vt sunt maris tranquillitas, & serenitas aeris, quibus communis est quies. Item punctũ & vnitas, quorum hæc numeri est principium, quòd frequentius explicata numerum procrear, illud verò lineæ, quòd ex sui in longum ductu atq; protractu lineam relinquat. Hactenus de primo Topicorum libro a nobis dictum sit.

Duo differẽtiarũ inuẽtionis cõmoda.

Similitudinis consideratio ad tria vtilis.

Finis primi libri Topicorum.

Sũt aũt problematũ alia vniuersalia

IN SECVNDI LIBRI TOPICORVM

PRIMI TRACTATVS VNICVM CAPVT, QVOD QVIbusdam diuisionibus præmissis, docet accidentis problema terminare, annotatio.

EXpeditis superiori libro dialecticorum syllogismorũ principijs, quatuorq; abundandi instrumentis, posterioribus libris aperit Philosophus, quo pacto diuersis dialecticis locis terminanda ac definienda sunt dialectica problemata, id ipsum hoc secundo agens in ijs, quæ simplicis inhærentiæ problemata vocari consueuére. Nec sanè iniuria, quippe cum huiusmodi problemata, & natura, & secundum nos priora sint, atq; notiora. Est namq; simplicis inhærentiæ problema, in quo vnum alteri designatur inesse aut conuenire, nullius prædicari annexi, modive prędicandi vel inexistendi facta mentione: cuiusmodi sunt, vtrũ homini insit albedo, nec ne: an homo albus sit, an non: an homini insit risibilitas, nec ne: an homo animal sit, an non: & eius generis alia, quæ omnia apertissimum est esse priora his, An homini insit albedo vt accidens, an non: An in homine insit risibilitas velut proprium, nec ne: Vtrum homini insit animalitas vt genus, an non: quæ quidem nuncupari possunt, problemata determinatæ restrictæq; inhærentiæ, de quibus potissimùm tractabitur quarto, quinto, sexto, & septimo, libris sequentibus. De illis verò quẽadmodum diximus, hic secundus liber differit atq; considerat. Porrò quia accidenti nihil aliud quàm inesse competit (Nam cætera quæ in eius definitione ponuntur, videlicet non esse definitionem, neq; proprium, neq; genus, negatiua sunt, & ex sequentibus libris, in quibus de his prædicatis disseritur, intelligenda) hinc fit, vt non solum problematum simplicis inhærentiæ, quibus simpliciter quęritur, an hoc sit in illo, sed etiam problematũ accidentis, loci, hoc eodẽ libro rectissimè tradi dicantur, quia eadem

Hoc loco tractãtur loci & simplicis inhærentiæ & accidentis.

eadem est de vtrisque ratio: vndè Rodolphus libro primo de inuentione dialectica, postquàm Aristoteli calumniam struxit, quòd cuncta de quibus disserimus, intra quatuor quæstiones voluerit continere, vt quæreretur, definitio ne esset, an genus, an proprium, an accidens, quasi videlicet eos locos omisisset, qui ijs quæstionibus accommodantur, quibus simpliciter quæritur, sitne hoc in illo, vt sitne homo disciplinæ capax? tanquam ab ipsa veritate compulsus, hanc pro Aristotele responsionem subiecit. Verùm omnes hæ quæstiones, de quibus nos loquimur, quoniã solum id agit, vt sciamus, sitne hoc in illo, vt sitne homo animal, quia etiam an sit nec ne, de accidente primùm quæri solet, poterat idcirco videri, quod ad has quæstiones pertinet, satis esse accidentis tractatu explicatum, & cæt. Hoc enim est quod dicimus hoc secundo libro, & accidentis, & simplicis inhęrentiæ problemata eodem tractatu sufficienter explicari. Cæterùm ne obiectioni satisfecisse videatur, hanc suam responsionem statim conatur euertere dicens. Esset hæc aliqua ratio, si omnia quę ad ostendendum inesse aliquid, accõmodata sunt, recensuisset Aristoteles, cum de accidente loqueretur. Cuius obiectionis summa est, quòd Aristoteles hoc secundo libro accidentis problemata pertractans, simul etiam explicuerit eos locos, qui ad simplicis inhęrentiæ quęstiones pertinebant, sed non sufficienter. quia non omnes locos enumerauit, qui huic negocio seruiunt, nec locorum nomina adiunxit. Sed huius oppositũ manifestè ex ipso Aristotele monstratur, qui & locum a coniugatis, a casibus sæpius vocat, & reliquos locos enumerat, quos alij scriptores post eum hactenus tractauerunt. Ad id igitur a quo digressi fueramus redeuntes, dicimus, Aristotelem hoc secundo libro de vtrisq; problematis pertractare, & simplicis inhęrentiæ, & etiã accidentis. In primi aſit tractatus vnico capite nonnulla pręmittit, pro dicendorum posterius pleniori faciliorìq; cognitione assequenda. In literæ exordio duas proponit problematis partitiones seu diuisiones.

Rodolphus

Prior pblematis partitio.

Prior est, Problematum quædam vniuersalia sunt, vt sitne omnis voluptas bonum, nec ne? An nulla voluptas sit bonum, an non? Alia sunt particularia, vt sitne quædam voluptas bonum, nec ne? Vtrum quædam voluptas non sit bonum, an non? Atq; sub his intelligenda veniunt indefinita, sub quibus etiam facilè fuerit comprehendere singularia, etsi non nullis visa sunt idcirco omissa esse, quòd singularia ad disciplinas non pertineant. Posterior, quam tacitè subindicat Aristoteles, est hæc. Problematum alia sunt constructiua, id est, affirmatiua. Alia destructiua siue negatiua. Constructiua quidem, vt an cuncta bonum appetant, an non? Vtrum genus & formam regina pecunia donet, an non? Destructiua verò, vt an dici beatus ante obitum nemo, supremaq; funera debet, an non? Hæc autem ad se inuicem conferens Philosophus. Sunt (inquit) vniuersalia tam constructiua, quàm destructiua, illationis ratione communia, atque ex se idonea ad colligenda vniuersalia & particularia, quod partim vniuersalem sensum recipit, partim particularem. Est enim omne problema vniuersale, siue affirmatiuum siue negatiuum, aptum inferre particulare sub se comprehensum, sibiq; respondens, sola quantitate variata, non autem semper ex ipso licet aliud vniuersale colligere, nisi fortassis quis sumere velit aliud quoduis subiectum, quod cum vniuersalis problematis subiecto recurrat, ac conuertatur, quo modo hoc problema vniuersale, sit ne omnis homo sapiens, nec ne? commune diceretur his. Vtrum omne rationale sit sapiens, an non? Sit ne omne disciplinæ capax sapiens, nec ne? In quo quidem sensu, vtriusq; partis vniuersalis sententia vera erit. Cæterùm Alberto apparet, omne problema vniuersale (quale quale id sit) esse commune ad aliud vniuersale destruendum, id est, refutandum, Et particulare construendum siue approbandum. Quo autem ordine de huiusmodi problematibus determinaturus sit Philosophus, palàm aperit in ipsa litera.

Posterior.

Albertus.

Post hæc in textu, ibi. In accidentibus non semper, & cæt. Ostendit Philosophus, quo pacto terminari monstrarique queant simplicis inhærentiæ problemata, potissimùm accidentis. Possunt autem huiusmodi problemata duplici modo terminari. Vno, via quadam communi generaliq;, ex eo quòd insunt prædicata aut non insunt, de quo in pręsentiarum agitur. Altero, peculiaribus quibusdam vijs, maximisq; propositionibus, de quo in sequentibus futurus est sermo. Duæ igitur ex hac literæ parte eruuntur desumunturq; propositiones maximæ. Prior, In singulis prędicatorum firma est illatio a denominare ad inesse. Posterior, Ab inesse ad denominare semper efficax est ratiocinatio in tribus primis prędicatis, termino, proprio, & genere, In accidẽtibus verò nõ semper. Quę quidẽ maximæ magis elucescunt ex Boetiana versione, quæ hunc in modum habet, Est autem difficillimum cõuerti ab accidente ad propriam nominationem. Nam aliquo modo & non vniuersaliter, in solis contingit accidentibus. A definitione enim, & proprio, & genere, necessarium est conuerti. Porrò in huius rei, de qua agimus, explicatione vtitur Philosophus

Locus ab inesse ad denominare, ac cõtra à denominare ad inesse.

Quid ſimpliciter ineſſe & non ineſſe.

his quatuor particulis,ſimpliciter ineſſe,ſimpliciter non ineſſe,ſecundum quid ineſſe,& ſecundum quid non ineſſe, quarum ſignificantiam in præſentia aperire conſtituimus, ne quorundam cõmentariorũ occaſione fallatur lector. Id itaq; ſimpliciter ineſt,quod dum alicui ineſt, ſufficit illi ſuam denominationem tribuere. Contra id ſimpliciter non ineſt,quo non exiſtente in aliquo,ab ipſo aufertur quæuis illius denominatio. Verbi gratia, in homine ſimpliciter inſunt animalis & rationalis natura,diſciplinæ capacitas, patris filijq; relationes, quæ ſimpliciter nõ inſunt plantæ,lapidi, & id genus alijs. Item illud ſecundũ quid ineſt, quod cũ inexiſtit, non ſufficit illi in quo ineſt, ſuã concedere nominationẽ. Ediuerſo id ſecundum quid nõ ineſt, quod ſic nõ ineſt,vt tolli valeat & non tolli ab eo, in quo non ineſt quæcunq; illius denominatio præſertim abſoluta. Exempli cauſa,albedo dentis æthiopici,ſecundũ quid ineſt in æthiope:& aquæ tepidæ calor & frigus. quòd ab illa nõ dicatur æthiops candidus, neq; ab his aqua tepida,aut calida,aut frigida. Similiter ſecundum quid ineſt iuſtitia in eo,qui ad iuſtitiæ aſſecutionem diſponitur. contra æthiopi ſecundum quid, nempe ſecundum dentes non ineſt nigredo,& aeri ſecundum Naturalium placita,ſecũdum quid,id eſt,ſecundum ſummũ gradum non ineſt calor,attamen & æthiops niger exiſtit,& aer calidus.

Quid argumentari ab ineſſe ad denominare, &c.

Quãobrem quemadmodum ex ſecundum quid ineſſe inualidè infirmeq; colligitur denominatio,ſic neq; ex ſecũdum quid non ineſſe rectè tollitur abſoluta denominatio. Cæterùm & ſi hæc literæ intelligendæ ſatis ſint, vt tamen res hæc manifeſtior euadat,nonnulla ſubijciemus. Argumentari ab ineſſe ad denominare nihil aliud eſt, quàm ex propoſitione, in qua res aliqua per aliquod concretum deſignata denotatur in aliquo ineſſe,colligere concluſionem, in qua eiuſmodi cõcretum de ea re prędicatur,vt in Craſſo erat multus lepos,& in Carolo Imperatore ineſt pietas, ergo Craſſus erat multum lepidus, & Imperator eſt pius. Sumitur autem verbum (ineſt) hoc loco,vt deſignet quartum & quintũ eſſendi in modos,ſecundum quos pars eſſentialis in ſuo eſt inferiori conſtitutóve, & accidens in ſubiecto, atq; in materia ſpecies ſeu ſubſtantialis forma.

Quid hoc loco ſit concretum.

Concretũ item non ſpeciatim accipitur pro ſola ea dictione , quæ aliquã deſignet accidentalem formã (alioqui in definitione,proprio,& genere,nulla eſſet collectio ab ineſſe ad denominare) ſed fuſè amplećq; pro termino omni,qui ſecundum prędicationem aliquo modo concernit aut inferius,aut ſubiectum.

Diſcrimẽ accidẽtiũ & reliquorũ prędicatorum.

Porrò inter accidens reliquaq; prædicata, id eſt diſcriminis, quòd in definitione,proprio,& genere,ſemper valeat huiuſmodi colligendi forma,ſi concretum id cõcernat,in quo res per ipſum deſignata reperitur. In accidentibus verò,etiam ſi eiuſmodi obtineãt concretum,nõ ſemper efficax eſt illa illatio. Inſtantiam etenim in ijs patitur accidentibus omnibus,quæ intenſionem remiſſionemq; admittunt, ſui extenſionem,ſi citra delectũ cuiuis ſubiecti particulæ ineſſe queant,aut inexiſtendi morę breuitatem,quæ omnino ſecundum quid contingit ineſſe, hoc eſt,remiſſè,vt iuſtitiam,non ſatis extenſè, vt, æthiopis candorem,aut veluti citius prætereuntia,vt ei qui verecundia afficitur,ruborem: & timenti, pallorem. Quòd ſi hęc cuncta ſecluſeris,aſſumpſeriſq; accidentariæ formæ ſufficientem intenſionem,extenſionẽ,& inexiſtendi morã,firmus atq; validus erit eiuſmodi argumentandi modus. Exempla breuitatis gratia prætermittimus.

Quę forma ſatis intenſa ſit.

Ea forma ſatis ſufficienterq; eſt intenſa, quæ medium ſuæ intenſionis gradum ſuperat, id eſt, quæ pluſquàm quatuor intenſionis gradus continet. Conſueuere enim Naturales totã formæ accidentariæ intenſionem in octo partiri partes,quos gradus vocare illis collibitum eſt.

Quæ ſatis extenſa.

Illa verò conuenientis eſt extenſionis, quæ in eo to ſecundum ſe, & ſui quamlibet partẽ ineſt, aut eius maiori parti ſecundum ſe totam & ſui quodliber. Porrò hæc argumentandi formula ab ineſſe ad denominare,proximè ad eam accedere apparet,quẽ locum a cauſa formali ad ſuũ effectum appellant dialectici,imò noſtro iudicio illi prorſus conſentit. Quid enim intereſt,an hoc ratiocineris modo? Sapientia eſt, ergo ſapiens eſt: Prudentia eſt, ergo prudens . An hoc? Socrati ineſt ſapientia, eſt igitur Socrates ſapiens. Plato prudentiã habuit,igitur Plato fuit prudens.

Boetius.

Nam pro exẽplo loci a cauſa formali ad effectũ,hoc adfert Boetius ſecundo de differentijs topicis libro, Dædalus nullas naturali forma pennas habuit,non potuit igitur Dædalus volare. Ariſtoteles quoq; in ſecundo de naturali auſcultatione libro, & definitionem,& genus,ad formam reducit. Neq; tamen inficiabimur,aliam eſſe inexiſtendi rationẽ,aliamq; cauſæ formalis, finitionis, & generis, quatenus ſunt eiuſmodi. Sed de his ſimilibuſque,fortaſſe poſterius dicemus fuſius. Poſtremò in litera, ibi. Determinare autẽ oportet & peccata,&c̃. Ante ſequentium determinationem aſſerit Philoſophus, neceſſe eſſe,vt explicentur ac cognoſcantur peccata ſeu vicia, quæ in problematibus & ab opponente, & reſpondente, ſunt vitanda, velut ea quæ impedimento ſunt

Duo peccata dialectico vitanda.

dialecticæ diſputationis fini,quæ eſt veritatis cognitio. Sunt autem eiuſcemodi peccata, duo.

Vnum

Vnum est, Manifeste falsi vel assumptio, vel concessio. Hoc aūt vitium sumitur, facta ad rem designatā collatione, cui medicina (teste Alberto) adhiberi potest, si ab ipso committatur respondente. Poterit enim disputans ad apertius inconueniens respondentē deducere, ex cuius manifestiori falsitate monstrabit prius concessi falsitatē. Alterum vitium (quod sermonis est ad loquentē relati, cuiq; nemo per argumentationē mederi valet) est, Positā locutionē transgre di, id est, vti aut vocabulo, aut oratione, contra receptū loquēdi vsum. Quo sanè vicio laboraret, qui mulierē terrā, virumq; cælum appellaret. Peccat nimirū & ridiculus est, qui volens dicere mulierē viro suo virū peperisse, ita positā locutionem transgrediens dicat, terrā cælum cælo peperisse. Cæterùm platanus (cuius in litera fit mentio) genialis arbor ac voluptuaria, capacitatis permagnæ foliorū densissima vmbra, æstiuum solem arcens, brumalem admittens, nutritur (vti refert Plinius) vino radicibus infuso. Qui igitur hominē platanum appellat, quod forte vtrumq; delicatū sit, vinoq; nutriatur, vocabulo præter id ad quod inditū est, abutitur, positamq; transgreditur nuncupationem. Hæc autem duo peccata generalia sunt, vtriq; & disputanti & respondenti cauenda. Si qua verò sint, quæ sub his comprehendantur, aut illorum alteri duntaxat opem ferant, in sequentibus declarabitur.

Vnū, manifeste falsi ex pressio.
Albertus.
Alterū, positā locutionē transgredi.
Quid platanus.

In secundi tractatus primum caput, quod est de loco accidentis, adnotatio.

Vnꝰ ergo locꝰ est.

TRactaturus Aristoteles de problematis vniuersalibus destructiuis, statim hunc locū ponit. Oportet inspicere secundum alium modum inesse, quod vt accidens inesse assignatū est. Locus aūt apud Aristotelem dupliciter sumitur, aliquando enim præceptum ipsum, ex quo elicitur maxima topica, locus dicitur, vt oportet argumentari a contrarijs, oportet inspicere si secundum aliquē alium modum inest, quod vt accidens inesse assignatum est. Aliquando verò ipsa maxima locus dicitur, vt, Si cui inest vnum contrariorum, ei non inerit reliquum: Cuicunq; inest definitio, ei inest etiam definitum. Dicit ergo Aristoteles, quòd vnus locus sit, inspicere si secundum alium modum inest, quod vt antecedens inesse assignatum est. Ex quo elicitur hæc maxima. Si aliquod prædicatū assignetur inesse vt accidens, quod inest secundum alium modum, id est, tanquàm terminus, genus, aut proprium, interimendum est problema. Maximè autē peccatur hoc modo circa genera, id est, inter tria priora prædicata nullum prædicatum sæpius assignatur inesse vt accidens, quàm genus. cuius ratio est, quia genus maiorem habet similitudinē cum accidente, quàm terminus & proprium. Nam hæc conuertuntur cum suo subiecto, genus verò pluribus alijs competit, sicut accidens. Porrò quod secundum alium modum inest, duobus modis assignari potest inesse vt accidens. Priore modo explicitè & manifestè exprimendo nomen prædicati accidentis, vt, acciditne albedini color, nec ne? vtrum motus sit accidens deambulationis, an non? Posteriori modo implicitè, nempe enūciando denominatiuè, & per modum accidentis, vt, sitne albedo colorata, nec ne? An ambulatio moueatur, an non? Problemata, quę ad priorem modum pertinent, videntur ex eo peccare, quòd mentiantur seu falsum dicant. Quę verò ad posteriorem, ex eo quòd positam locutionem transgrediantur. Non enim sic loqui consueuimus, Albedo est colorata, ambulatio mouetur: sed albedo est color, & ambulatio est motus. Cæterùm an reperiri queat aliquod genus, quod denominatiuè prædicatur de vno inferiori ratione alterius sui inferioris, quod de priore denominatiuè dicitur, sicuti dicunt quidam, intellectum esse qualem, quia intellectus est sciens, alibi est discutiendum.

Locus dupliciter sumit.
Aliquid dupliciter vt accidens assignatur.

Adnotatio in secundum caput, quod de loco à partibus in quantitate ad totum considerat.

Alius locus est, si aliqd dicatur

HIC rursus assignatur locus præceptiuus, iuxta priorem modum superius dictū, qui ad hunc modum reddi potest. Si in proposito problemate aliquod prædicatum alicui subiecto enuncietur vniuersaliter, aut affirmatiuè aut negatiuè, considerandæ sunt in primis proximæ species sub illo comprehensæ: Deinde harum specierum aliæ species, donec perueniatur ad indiuidua vsque. Quòd si in nulla specierum seu inferiorum offendatur instantia, problema est construendum, id est, asserendum ac approbandum. Sin verò in aliquo instantia reperiatur, destruendum est, seu velut falsum existimandum. Duæ itaque ex litera sumentur huius loci propositiones maximæ. Vna est, Quicquid dicitur de omnibus alicuius superioris inferioribus, dici de eodem superiore vniuersaliter accepto. Altera, Quicquid remouetur a singulis alicuius vniuersalis inferioribus, remoueri quoque ab eodem vniuersali vniuersaliter sumpto. Maximæ verò aliæ duæ, quæ vtiles sunt huiusmodi problematibus destruendis, aliquorum iudicio ad hunc pertinent locum. Alijs magis placet, eas ad eum locum attinere, qui dicitur a specie ad genus, adhibita simul lege contradictoriarum.

Porrò quod diximus de ſpeciebus accipiendis, ſi accipiatur de iis, quæ propriè ſpecies ſunt, literæ exemplum non omnibus numeris abſolutum erit. Nam vt conſtat, iuſtum, iniuſtum, duplum, dimidium, & reliqua quæ ſequuntur, neq; ſpecies oppoſitorum ſunt, neq; contrariorum, &c. Quòd ſi ſpecierũ nomine intelligantur quæcunq; fuerint minus communia, aliter ſeſe habebit res. Præterea quòd dicitur (vſq; ad indiuidua) accipiunt plures de iis, quæ ſecundum formam ſunt indiuidua, id eſt, ſpeciebus ſpecialiſſimis, eò quòd ſingularium ſimpliciter conſideratio ad nullam pertineat diſciplinam. Verùm nihil prorſus incommodi euenturum perſpicimus, ſi vel indiuiduorum vocabulo ea ſingularia intelligamus. Neq; enim tradita ab Ariſtotele conſideratio peculiariter agit de eiuſmodi ſingularibus.

Alius locus eſt ſi accidẽs.

In tertium caput, quod eſt de loco à definitione. & aliis quibuſdam, adnotatio.

IN huius literæ exordio ſubindicat Philoſophus modos tres, quibus & affirmatiuè & negatiuè valeamus a definitione ad definitum dialecticè ratiocinari, nempe a prædicati definitione ad prædicatũ finitũ: a finitione ſubiecti, ad ipſum: & a finitionibus vtrorumq; ad vtraq;. Affirmatiuè quidem, ſi vnius extremi ratio cum altero non pugnet, aut alterius ratione. Negatiuè verò, ſi hæc inter ſe ita diſſideant, vt de ſe mutuo negentur. Porrò Philoſophus, poſterius dicens, Deinde conſiderare, ſi aliquid poſitum in definitione vnius, &c. monſtrat integram finitionem alicui repugnare, ſi vel vnica ipſius pars ab eodem dimoueatur, neq; ad id efficiendum opus eſt, vt ſingulæ partes ab eodem diſſideant atq; negentur. Cæterùm literæ exẽpla ſunt eiuſmodi negatiua, Deus nulli nocet ſponte ac ſine cauſa, nõ eſt igitur iniuſtus Deus. Is qui in apparenti proborũ proſperitate triſtitia afficitur, nõ eſt ſtudioſus, igitur inuidus non eſt ſtudioſus. Ille qui in malorũ proſperitate triſtatur, nõ contriſtatur in bonorũ proſperitate, ergo indignans non eſt inuidus. Maximæ reſpondentes ſunt, A quocunq; remouetur definitio, & definitum, Quicquid de definitione negatur, & de definito negandum eſt. Si definitio a definitione remoueatur, & definitũ quoq; a definito. Porrò is eſt iniuſtus, qui res vult iniquas, iniuriaſq; agit, hoc eſt, turpes ad alterum operationes, & ſponte alteri præter rationẽ nocumentum infert, præter eius qui læditur voluntatem. De inuidia autẽ & indignatione ſic ſcribit Philoſophus primi magnorum Moralium cap. 28. Indignatio (inquit) eſt inuidentiæ & maleuolentiæ medietas, ambæ enim iſtæ ſub vituperationem cadunt. At indignabundus, laudabilis. Eſt enim indignatio, egrimonia de bonis, quæ indigno alicui aliquo pacto euenerunt. Indignabundus, qui in huiuſmodi triſtatur: idemq; rurſus triſtetur, ſi quem videat indignè malis afflictarum, ac demum indignatio & indignabũdus talis. Cui contrarius eſt inuidens, quippe qui triſtabatur, cum quempiam prorſus ſiue dignum ſiue indignum bene agere viderit. Cui ſimiliter maleuolus par eſt, quippe qui lætatur, quod quis malè agat, ſiue dignus ſit, ſiue indignus. Nec indignabundus eiuſmodi, verùm inter hos medius. Hactenus Ariſtoteles. Cæterùm quam ob cauſam Ariſtoteles, & poſt ipſum Boetius, in medium protulit exempla duntaxat negatiua, non ſatis conſtat, niſi quis exiſtimauerit id factum eſſe, quod pollicitus fuerit, ſe prius de negatiuis, quàm affirmatiuis problematibus conſideraturũ. Porrò quid ſit definitio, & quotuplex ſit, quæq; vnicuiq; ſunt peculiaria, alìàs a nobis dictum eſt. Exiſtimant quidam, definitionem hoc loco ampliſſimè ſumendam eſſe, vt omnem & quid nominis & quid rei finitionem complectatur. Facilè ſanè admiſerimus, eam omnem comprehendere, quæ eſt quid rei, non quæ eſt quid nominis, eò quòd ſpeciatim in ſequentibus pertractet Philoſophus de nominis interpretatione, quæ nihil aliud videtur eſſe, quàm quid nominis definitio. Quare ſub hoc loco intelligi volunt locos, a definito ad definitionem, a deſcriptione ad deſcriptum, & contra, a deſcripto ad deſcriptionem. Item & locum ab vno cõuertibilium ad reliquum. Admonent inſuper neoterici, ſi dialecticas huius loci argumentationes cupiamus conſtituere, obſeruandum dum a definitione ad definitum progredimur, vt terminus is accipiatur communis, qui vtriſq; eſſentialiter competat, aut ex iis manat profluatq; principiis, ex quibus conflatur definitio. Quòd ſi contra, argumentationẽ nectamus, pro eiuſmodi termino ſumatur cõmune accedẽs. Nam illorũ iudicio illa notiori modo definitioni q̃ definito attribuuntur, hæc è diuerſo definito, q̃ definitioni. Id quod rectè, an ſecus dictum ſit, non ſtatuimus in præſentia diſcutere. Sed rogabit fortaſſe quiſpiam, nec iniuria, qui fieri poſſit, vt ſyllogiſmus conſtituatur cenſeaturq; dialecticus, qui ex ſubſtantiali definitione, velut medio, propriam paſſionẽ de ſuo ſubiecto colligit euidentiſſimè? Aberrant enim toto (vt aiunt) cælo, qui arbitrantur dialecticos locos ſolis enthymematis tribuendos eſſe, non autem ipſis ſyllogiſmis. Neque minus falluntur, qui hunc locum tantum eſſe dialecticum fatentur, cum imperfectis ſyllogiſmis applicatur. Etenim etſi huius loci tantum, eos adferat Boetius

ſyllogiſmos

syllogismos qui ad secundam pertinent figuram, Cicero tamē in suis ad Trebatium Topicis, euidenti syllogismo vtitur huiusmodi. Ius Ciuile est æquitas constituta ijs, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas, Eius autē æquitatis vtilis est cognitio, vtilis est ergo iuris ciuilis scientia. Nonnullis respondendum apparet, hunc locum tali syllogismo tributum esse dialecticum, non absolutè quidem ac simpliciter, sed eius duntaxat cōparatione, cui præmissæ sunt probabiles, videnturq; debiliter veræ cum oppositi formidine, id quod & in alijs aliquot locis assueuerant, locum habere. Nos autē (saluo semper saniori iudicio) respōdebimus eum syllogismū cuius meminit quæstio, demonstratiuū esse simpliciter, secundum se, & quatenus ex primis veris immediatis, &c. colligit conclusionem. Dialecticū, ea ratione, qua complectitur habitudinē definitionis ad suū definitum, id est, huic innititur maximæ aut alteri simili. Quicquid attribuitur definitioni, tribuitur & definito, quam constat & ad alios syllogismos posse adaptari. Et si communia principia fateamur dialecticum constituere syllogismū; quid prohibebit eum qui demonstratiuus secūdum se existit, dialecticum esse, quatenus suam accipit firmitudinem ex communi dialecticoq; principio? Verùm de hac re satis sit dictum.

Post in litera, ibi. Sumere autem oportet & pro nominibus obscuris, & cæt. præcepto quodam admonet Philosophus opponentē, vt si quando in alicuius assumpta definitione, ponatur nomen illi ignotū, qui respondentis officio fungitur, ob quod assumptū ab opponente, meritò posset negari, loco illius nominis, ipsius definitionē assignet, donec omni ablata obscuritate, a respondente longius abigatur vniuersa negandi assumpti occasio. Insuper in textu, ibi. Amplius propositio vniuersalis habēs instantiam, &c. Assignat Philosophus quartū locū, qui intellectu non est difficilis, si nouerimus vniuersalem propositionem sumi cum instantia, dum illi exceptio adijcitur, ipsam instantiam comprehendens, hoc modo. Omne animal præter hominē esse irrationale. Cuncta calefactiua præter cælestia, calorē habere. Nihil præter Deum optimū esse immobile, quæ ita monstrantur, Omnis leo irrationalis est, & oīs bos, item & oīs equus, & sic de alijs omnibus animalibus prèter hominē, est igitur omne animal, præter hominē, irrationale. Nulla substantia incorporea est immobilis, & nullū corpus item est immobile, atq; ita in alijs cunctis rebus, vnico Deo omnipotentissimo excepto, nihil ergo præter Deum est immobile. Hunc locum plures autumant pertinere ad respondentem, quē dum tutatur, vniuersalem propositionem instantiam opponenti cognitā habentem necessum est illam exprimere, ne mox illam opponens obijciat. Verùm nostro iudicio ex æquo quadrat in opponentem, quē etiam necesse est instantiam vniuersali propositioni adhibere aduersus respondentem assumptæ, si eiusmodi instantia respōdenti satis fuerit perspecta. Alioqui vniuersalem ab opponente allatam, meritò inficiabitur respondens ob neglectā instantiam. Cæterùm cur hunc locū hic tradiderit Philosophus, & non potius capite superiori, cum illi sit penè idem, quēadmodum habeat litera, nos latet. Quòd si quis huius & aliorum quàmplurimorū inquirendam causam animo duxerit, caueat ne somnia ridiculaq; pro causis inueniat, inuentaq; in apertū temerè proferat. Postremo in textu, ibi. Amplius considerādum est, quę oporteret dicere vt plures, &c. tradit Philosophus quintum locum, quem vocari soliti sunt. Ab vsu plurium in nominibus, & expertorū autoritate in rebus. Hunc autem idcirco post quartum, qui ex finitione sumebatur, constituit, quòd a veteribus subinde in reddendis definitionibus peccabatur, quippe qui positam transgrediebantur locutionem, & metaphora vtebantur nimium remota, & proinde definitionibus inutili: Hic locus vtrāq; sui parte accommodus est ad construendum destruendumq;, id est, propositi problematis colligendam vtramuis partem, & affirmatiuā & negatiuam. Verbi gratia sint hæc problemata. An Socrates dicendus sit homo, an non? an platanus, nec ne? An effectiua sanitatis, salubria, an non? An insalubria, an non? respondendum, Socratē vocandum esse hominem, non platanū: & effectiua sanitatis salubria, non autem insalubria, quia nobis re nuncupandæ sunt, quēadmodum plures vocant, ex quorū vsu pendet nominum significatus. Atq; hoc modo definitio quid nominis, ex plurium vsu sententiaq; erit depromenda. Quod si de rei propositæ natura ac conditione disputetur, sitne ipsa huiusmodi, nec ne, valebit propositum problema & affirmatiuè & negatiuè finiri, secundum expertorū atq; sapientum autoritatem in quauis disciplina. In omni etenim professione ab omnium, vel plurium, vel paucorum sapientum, imo vnius eximiæ sapientiæ vel experientiæ iudicio, argumētari licebit. Hoc igitur loco ab Aristotele cōprehensus est & ille, quē Cicero ex autoritate vocat, artisq; expertē. Boetius autē a rei indicio. Cæterùm de hoc loco, eo quoq; qui superiori capite traditus est, alijsque compluribus, de inuentione dialectica primi libri capite tertio scribit in hunc modū Rodolphus, Aristotelem notans

Quintus locus.

Cicero. Boetius. Rodolphus.

ac fuggillans. Aristoteles (inquit) neq; locos describit, neq; numerũ ipsorũ facit, aut nomina, sed deducta ex locis argumenta, quæstioni propositæ applicat. Deinde pleraq; pro locis ponit, quæ nullius propria sunt loci, vt cum dicit, inspiciendum esse, quibus insit aliquid omnibus, vel quibus nullis, id est, de quibus vniuersaliter affirmetur vel negetur. Ea de quibus affirmatur, dicit esse species. Quid ergo? Definitio, genus, proprium, nõ omnibus insunt? Iam pleraq; etiam accidentia, si debemus accidens vocare, quicquid non est aliquid trium illorum, insunt omnibus. Nam quod non de aliquibus negetur vniuersaliter, nihil propemodum est. Quicquid enim affirmatur de aliquo, de aliquo etiã diuerso naturæ suæ negatur. Iam quod dicit, præscribendũ esse differẽti, quas res oporteet vocare vt vulgus, quas contra: sic etiam, si proposita sit res tenuior ad differendũ, quo pacto ad vberiorẽ aliquã elabendũ, sic pleraq; alia, quæ non res nobis subijciunt, vndè possumus deducere argumentũ, sed differẽtis tantũ astus artesq; continẽt, haud video, quo pacto ista possunt loci vocari. Quid ergo? Non vtiliter præcipiuntur ista? vtilissimè certè. Quis neget? Sed non tamẽ quicquid differenti vtile est, locus erit: nisi & didicisse multa, & diligenter id quod in disceptationẽ venit perspexisse, & contentiosius aliquando aliquid affirmare, locos credere velimus, cum sine prioribus illis nemo commodè differere queat, & constans asseueratio persæpe argumenti impleat fidem. Sic Rodolphus. Qui (vt constat) astrictius loci nomine vtitur, q̃ Aristoteles, qui cautelas, & id genus alia, locos subinde appellat. Neq; de ea re diutius est digladiandum ac contendendum, cum ex ipsius vocabuli significatione tota huius rei summa pendeat.

Ampli⁹ si multipliciter dicatur

In quartum caput, quod est de problematum multiplicium terminatione, adnotatio.

QVoniam autem aliquoties euenit, vt de multiplici problemate sit differendum, data per opponentem vel respondentem aut vtrumq; occasione, operæprecium fuit explanare considerareq;, quo pacto eiusmodi problemata modo dialectico sint definienda, id quod in præsentia expedit Philosophus per tres locos, quorũ duo priores traduntur de eo problemate, cuius multiplicitas profluit manatq; ex dictionis æquiuocatione. Tertius autem de eo, quod multiplex est propter orationis amphibologiam ambiguumq; sensum. Primus, qui cæteris prioribus adnumeratus sextũ obtinet locum, est huiusmodi. Propositio multiplici problemate ratione dictionis æquiuocæ, cuius multiplicitas latet respondentẽ, sufficit dialectico opponẽti ipsum construere vel destruere pro altero illius significatu. si non contingat ipsum pro vtroq; construere vel destruere. Porrò quæ in huius literæ exordio dicũtur, quæq; in subsequente declaratione, apparent esse referenda ad problema vniuersale affirmatiuũ aut negatiuũ, cuius subiectũ sit æquiuocũ. Et proinde illud literę (quod positũ est inesse alicui aut nõ inesse) ad subiectum problematis erit applicandũ, secundum illum intelligendi modum, quo in Prioribus Analyticis dicebatur, subiectũ in toto inesse vel nõ inesse prædicato. Cæterũ hic de quo agitur locus (vt testatur Aristoteles) vtilis est ad construendum atque destruendum, hoc est, vniuersale problema colligendũ & affirmatiuũ & negatiuũ. Exempli gratia, sunto hæc problemata. Estne oĩs canis animal, nec ne? Vtrũ nullus canis sit corpus cęleste, an nõ? lateatq; dictionis canis æquiuocatio, sic ratiocinabitur. Omnis canis latrabilis animal est, & omnis item canis marinus, est igitur omnis canis animal. Nullus canis latrabilis est cæleste corpus, nullusq; canis marinus, nullus ergò canis corpus est cæleste: & ita in reliquis. Porrò in parte literæ mox subiuncta (veruntamen destruentẽ nihil oportet ex concessione disputare, &c.) alio in significatu sumenda sunt vocabula construere & destruere. Construere quidẽ, vt idem polleat quod approbare, & destruere idem quod improbare atq; confutare. Eius aũt differẽtiæ, cuius hic Philosophus meminit, sentẽtia est hæc. Si quis animo statuerit, vniuersalẽ affirmatiuã vel negatiuã (etiam cuius subiectũ nomẽ fuerit multiplex) monstrare falsam, inspiciendo ad partes in quãtitate, sufficit ostendere idem prædicatũ competere vel non competere vni talis subiecti in quãtitate parti. Nam ex hac couenienter colligetur particularis aut affirmatiua aut negatiua cõtradictoriè opposita illi vniuersali proposito problemati affirmatiuo vel negatiuo. Contra si monstrandũ sit problema vniuersale, aut affirmatiuũ aut negatiuum, idq; ex vna in quãtitate parte, nõ aũt ex omnibus, queadmodum in secundo capite huius tractatus traditum est, necessum est vt pręconfiteatur respondens, si alicui parti ostensum fuerit prædicatum conuenire, aut non conuenire, cuilibet etiam alteri competere, aut non competere, id quod subinde contingit in familiaribus disputationibus. Sed vt subiungit Philosophus, non perpetuò opus est huiusmodi respondentis præconfessione, sed duntaxat vbi mox nõ occurrit vna cõmunis causa & ratio, quę cunctas in quantitate partes complectatur,

Literæ discriminis explicatio.

& qua

& qua participent. Si enim eiuſmodi facilè citraq; laborem obuiam ſeſe offerat, eam aſſumet dialecticè diſſerens, neglecta reſpondentis gratis danda præconfeſſione. Quemadmodum Geometra volens monſtrare, omnem triangulum tres angulos habere duobus rectis æquos, minimè deſyderat ex reſpondente præconfiteri, ſi monſtratum fuerit, iſoſceles duobus rectis habere tres æquales, idem eſſe & in æquilatero, & in ſcaleno, ſed is pro medio argumentóque communem aſſumit cauſam ac rationem, Omnem videlicet figuram rectilineam, cuius vno latere in longum protenſo, angulus exterior duobus interioribus ſibi oppoſitis eſt æquus. Ex his igitur colligere licebit, quæ in hoc capite ab Ariſtotele traduntur, non omnia perpetuò tribuenda eſſe multiplicibus problematibus. Neq; enim ſatis conſtat, an animam poſuerit Philoſophus æquiuocam ad animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. & ſi fateamur veteribus Philoſophis profectò difficillimum fuiſſe, reperire vnam communem animę rationem, qua omnes illæ animæ ex æquo participarent. Cæterùm Ariſtoteles inſinuare videtur ſuo exemplo triplicem de animæ immortalitate philoſophorum opinionem. Aſſerebant enim Epicuræi, animam omnem vel humanam atque rationalem mortalem eſſe, & vnà cum corpore perire. Alij contrà, omnem animam exiſtimabant immortalitate donatam, & rationalem in brutorum corpora migrare. De quibus Ouidius ex Pythagoræ ſententia, libro Metamorphoſeos decimo quinto.

Triplex de aiæ immortalitate Philoſophorũ opinio. Prima. Secunda. Ouidius.

Morte carent animæ, ſemperq; priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt habitantq; receptæ.
Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus.
Spiritus èq; feris humana in corpora tranſit,
Inq; feras noſter, nec tempore deperit vllo.

Qui melius cenſuerunt Socrates, Plato, Ariſtoteles, cęteriq; cordatiores philoſophi, ſolam rationalem rectè exiſtimauerunt eſſe immortalem. Poſt hæc in litera ibi. Si autem non lateat multiplicitas, &c. ponit ſecundum locum, qui in omni ordine ſeptimus eſt, quiq; eſt huiuſmodi, Propoſito problemate multiplici ob dictionis æquiuocationem, cuius æquiuocatio reſpondẽti eſt cognita, ipſum imprimis diſtribuendum eſt, ac partiendum in omnes ſenſus. deinde qui veri fuerint, erunt adſtruendi. qui verò falſi, deſtruendi. Verbi gratia, ſit quęſtio, Medicina hominem deceat, nec ne? ſitq; decens æquiuocè deſignans, & quod vtile eſt, & quod honeſtum, enumeratis explicatiſq; his duobus ſignificatis atq; ſenſibus, ſi vtrumq; medicinę congruat, conſtruendum eſt problema. Si verò neutrum, problema in totum deſtruendum. Eodem quoq; modo cenſendum eſt, ſi dictionis æquiuocæ plures duabus fuerint ſignificationes. Ex hoc autẽ literæ exemplo facilè fuerit monſtrare, Philoſophum etiam loqui de eo problemate, quod ſuam multiplicitatem accipit ratione prædicati æquiuoci Inſuper in textu ibi, Rurſus quæ multipliciter aliter quàm ſecundum æquiuocationem, &c. Aſſignat Philoſophus tertium locum duobus ſuperioribus ſimilem, tribuendum problematibus, quorum oritur multiplicitas ex oratione amphibologica, dubiumq; ſenſum habente, cuius ſententia ex ſuperioribus facilè noſcitur. Diſciplina autem (quemadmodum proſequitur litera) tripliciter dicitur eſſe vna plurium. Primò, quia vnius eſt velut finis, & alterius tanquam medij in eum finem deſtinari, quo modo medicina eſt ſanitatis, atq; cibi & potus. Secundò, quia vtrorumque eſt tanquam finium æquè principalium, in quo ſenſu contrariorum eadem eſt diſciplina. quod verum eſſe autumant, ſi loquamur de diſciplina, quæ ſpeculatiua ſit, non actiua. Medicina enim actiua ita morbum conſyderat, vt eius curationem in priſtinæ ſanitatis reſtitutionem referat. Tertiò, quia vnius per ſe eſt, ac velut obiecti immediati, alterius autem per accidens, id eſt, ratione alterius, ſiue tanquam mediati obiecti, ac remoti, Vt Geometria, qua Geometer cognoſcit triangulum habere, &c. per ſe eſt trianguli diſciplina, & per accidens æquilateri. Nam quicquid eſt alicuius per ſe, etiam eſt per accidens illius quod accidit ei quod per ſe eſt, Vt qui per ſe cognoſcit Socratẽ, ſi ſit veniens, per accidens cognoſcit venientẽ. Triangulo autem accidit eſſe æquilaterum. Nam eſſe æquilaterum extra trianguli eſt ſubſtantiam. licet contrà triangulus, eſſentiæ æquilateri ſit quædam pars. Verùm quia triangulo accidit æquilaterum eſſe, dum per ſe cognoſcimus triangulum tres angulos duobus rectis ęquos habere, per accidens etiam cognoſcimus, æquilaterum tres duobus rectis habere æquales.

Tertia. Huius literæ ſecũdus locus.

Tertius huius literæ locus.

Porrò ante eam textus partem, Et valent hi loci tam ad affirmatiuam quàm negatiuam cõſtruendam) in noſtro textu nonnulla prętermiſſa ſunt. Sic enim habet Boetiana verſio, Id autem faciendum in iis cùm latuerit quotupliciter dicitur. Et eſſe hoc quidem huius, aut non eſſe,

ex eiſdem locis adſtruendum, vt diſciplinam huius quidem, aut vt finis, aut vt eorum quæ ſunt ad finem, aut vt eorum quæ ſunt ſecundum accidere, vel rurſum non eſſe aliquid ſecundum aliquem dictorum. Hæc ideo attulimus, vt ex Ariſtotelis ſententia perpenderemus, orationis amphibologiam non ſolùm naſci ex collatione vnius ad plura, verùm & ex comparatione vnius ad alterum, diuerſum modum admittens. Nam quemadmodum plurium ad idem comparatorum contingit varias diuerſáſque eſſe habitudines, ſic & duorum inter ſeſe queunt multiplices eſſe comparationes. Poſtremò ſuperioribus adiicit Ariſtoteles, hunc locum in iis quæ ſunt adaliquid, vtilem eſſe, iccircò quòd penè talia ſunt ea quæ ſunt adaliquid, quemadmodum habet Boetiana translatio. Dixit autem Philoſophus Penè, eò quòd in nonnullis adaliquid, huic loco non ſit locus. Nam ſi aſſeueraueris, Socratem Sophroniſci eſſe filium, Patrem filij eſſe patrem. Item dimidium dupli eſſe dimidium, Quadrupedale duplum eſſe bipedalis, & eius generis alia, in quibus ipſius relatiui modo quodam certóque indicatur correlatiuum, vnus duntaxat accipitur ſenſus orationis, non diuerſi. Planè enim ineptiſſimum fuerit, ſi quis conceſſerit, iccirco Simonem ſenem patrem eſſe Soſiæ, quia hic illius eſt ſeruus, atque eodem modo in cæteris eſt iudicandum. Cæterùm illud obiter admonendum eſt, quòd etſi in amphibologica reddenda oratione vtatur Philoſophus terminis relatiuis potiſſimùm ſecundum dici, putà diſciplina, & deſyderio, nihilo ſecius amphibologiam ſubinde orationi competere, quæ nullum nomen relatiuum complectatur atq; contineat. Id quod erit apertiſſimum ex priori Elenchorum libro. Inſuper aduertendum, aliter Dialecticum, & aliter ſophiſtam conſyderare multiplex problema. Nam ſophiſta eo vtitur, tanquam idoneo inſtrumento ad decipiendum, atque proinde eius multiplicitatem occultare nititur. Dialecticus autem ipſum conſyderat, quatenus ex eius multiplicitate explicita, diuerſæ ſumuntur ac multæ propoſitiones, quæ probabilem veritatem aut falſitatem contineant, quæq; in diuerſos reſolutæ ſenſus, poſſint probabiliter conſtrui, aut deſtrui.

Amplius transferre oportet nomen.

In quintum caput, cuius inſcriptio eſt De loco à tranſumptione, annotatiuncula.

SVperius cùm de definitionis loco pertractaret Philoſophus, eum ſubiunxit locum, quo admonebamur, ſi quando in finitionibus nomina collocarentur, quæ non ſatis cognita eſſent, vt eorum loco notiores acciperemus definitiones, donec ablata eſſet reſpondenti, negandorum per diſputantes aſſumendorum omnis occaſio. verùm ne quis exiſtimet loco obſcuri minuſq; noti nominis, ſemper aſſumendam eſſe finitionem, hoc in capite locum proponit, quo veluti duce quodam, ex nomine notiori valeamus & prædicando & ſubiiciendo conſtruere & deſtruere propoſitum problema, ex nomine ignotiori conſtans. Cuius quidem loci, duplex in litera aſſignatur exemplum. In priori certum ſeu exactum, quemadmodum habet Boetiana translatio, ſupponitur nomen eſſe ignotum, notius autem clarum, id eſt, quod leuiter à quolibet cognoſcitur. Nam particula (in opinione) duntaxat adiecta eſt à Philoſopho, vt tolleret nominis clari æquiuocationem, de qua nonnihil dictum eſt in fine primi huius. In poſteriore autem, pro ignotiori nomine aſſignatur inueſtigare, Et pro notiori inquirere. Verùm ſecus legit Boetiana verſio hunc in modum. & pro curioſitate, cupiditas ſuperfluarum rerum. Quod quidem exemplum ſuſpicamur nonnullis præbuiſſe anſam cauſámve, vt tranſumptionem eſſe dicerent, nominis ignotioris per nomen aut orationem magis notam expoſitionem. Græcus autem codex nominibus vtitur ſimplicibus (etſi compoſitis) quæ ſic habet, καὶ ἀντὶ τῆς πολυπραγμοσύνης ἡ φιλοπραγμοσύνη. Noſtri (vt inquit Iacobus Faber) polypragmoſinem (quæ à multitudine negociorum dici videtur) interpretari ſolent curioſitatem, & multis verbis ad multas res agendas congreſſionem, vt Aulus Gellius Noctium Atticarum ſecundi libri, decimo ſexto capite. Ariſtoteles autem eam dicit cupiditatem negociandi vno nomine tantùm, nempe φιλοπραγμοσύνη. Hunc locum poſt Boetium vocant à tranſumptione ad tranſumptum, quem Cicero vnà cum loco ab interpretatione, a notatione appellat. Eſt autem tranſumptio, nominis ignotioris expoſitio facta per nomen notius, idem cum ignotiori quodam modo ſignificans, vt ſapiens, Philoſophi comparatione. Huius loci (qui proximè accedit ad eum qui dicitur a nominis interpretatione) exempla ſunt, Clarũ eſt apud Græcos ſeptẽ fuiſſe ſapientes inſignes, qui primùm in Græcia honeſtè vixerunt, Thaletem Mileſium, Biantem Prieneum, Pittacum Mytileneum, Solonem Salaminum, Chilonẽ Lacedæmonium, Cleobulum Lyndium, Periandrum Corynthium, certũ igitur atq; exactum eſt, apud Græcos ſeptem fuiſſe inſigniores ſapientes. Sapientia eſt, quæ maximè ſcibilia, primas cauſas, & prima principia contemplatur, ergo philoſophia

Iacobus Faber.

Aulus Gellius.

Quid tranſumptio.

eſt.

est, quæ primas considerat causas, atq; prima principia. Maximæ propositiones similes sunt iis, quæ pro loco à definitione enumeratæ sunt.

Ad ostẽdendũ aũt cõtraria.

In sextum caput, de loco à genere ad speciem, & contrà, annotatio.

Post locum à definitione, eosq; quæ illius consyderationi subiecti erant, recto ordine subnectit Philosophus determinationem locorum à genere ad speciem, & contrà à specie ad genus. Nam definitio omnis pro definito speciem accipit, & genus in se complectitur. Sunt autem ij loci tres numero. Primum in literæ exordio rudi generaliq; ac inexposito modo proponit dicens, Ad ostendendum autem contraria eidem contingere inesse, considerandum est ad genus. Nam quod hic dicitur, in nonnullis duntaxat veritatem continet. Eius autem vniuersalem legitimumq; vsum & omnibus accommodum indicat posterius, dum dicit, Primus autem locus falsus est ad construendum. Nam non semper à genere ad speciem affirmatiuè subiiciendo firma est illatio, sed solùm negatiuè vniuersaliter subiiciendo, vel prædicando. Vnde à genere indistributo ad speciem subiiciendo, posita speciei constantia, (quam subintelligere arbitramur Aristotelem) comparatione substantialium prædicatorũ, atq; aliorum quæ ex his profluunt ac manant, gratia materiæ valida est collectio seu ratiocinatio.

Primus huius literæ locus à genere ad speciem.

In hoc quoq; sensu, accipit Albertus huius capitis initium, ob id forsitan, q; proprias generum passiones frequentius circumloquimur disiuncto ex cõtrariis constante, quemadmodum entis passiones dicuntur esse vnum, plura, necessarium, vel contingens. par vel impar, numeri, & ita in aliis. Cæterùm Sentire sumendum est, non vt omnem designet sensationem (alioqui iudicium nequiret esse sensationis genus) sed eam duntaxat, qua interior sensus alicui assentitur, quam iudicium sensitiuum vocare licet. Post hæc in secundo loco, qui est à specie ad genus duo assignantur hæc exempla, Disciplina est studiosa, ergo dispositio amplè accepta est studiosa. disciplina est praua, igitur & dispositio praua est, quibus eidem generi per eandem speciem quodam modo monstrantur simul inesse contraria. Dicitur autem aliqua scientia praua esse, non sui ipsius, sed obiecti cuius est ratione, aut ob habẽtis prauitatem. His duobus locis respondent hæ maximæ propositiones, Quicquid à genere remouetur, necesse est à specie remoueri, Quicquid speciei competit, necessum est & generi competere. Insuper post dictos locos assignatur in litera ibi, Quoniam aũt necessarium est, de quibus prædicatur genus, &c. tertius locus, qui & generi & speciei cõmunis est, aliter quàm prius consideratis. Nam in superioribus locis genus ad vnicam speciem, & contrà vnica species ad genus vnum cõferebatur. Hic aũt genus ad omnes suas species disiunctim sumptas, & ediuerso omnes species ad genus. Huius autem loci duę sunt partes. Prior est, si genus non vniuersaliter sumptum, alicui subiecto aut simpliciter aut denominatiuè insit, necesse est ipsius generis aliquam speciem eodem modo illi inesse. In cuius declaratione secundo exemplo insinuat Philosophus definitionem quam de anima tradebat Plato, finiens animam esse numerum sese mouentem.

Albertus.

Secundus literæ locus, qui est à specie ad genus

Locorũ superius tradi torũ maximæ proposi tiones.

Tertius literæ locus.

Pars posterior est, Si alicuius generis aliqua species cum reliquis disiunctiuè sumpta, simpliciter aut denominatiuè alicui conuenit, eodem quoq; modo genus illi conuenire est necesse, Etsi ab aliquo, aut simpliciter aut denominatiuè remoueantur omnes alicuius generis species, ab eodem simili modo genus remouebitur. Exempla sunt, Anima vel generatur, vel corrumpitur, augescit vel minuitur, alteratur vel loco transfertur, ergo anima mouetur. Anima neq; generatur neq; corrumpitur, neq; augetur neq; minuitur, neq; alteratur neq; secundum locum transfertur, non igitur anima mouetur. Verùm hoc exemplum, à partibus est in quantitate ad suum totum, totum & partes prædicando. Porrò in literæ calce admonet Philosophus opponentem, vt si quando penes hos locos non sit illi argumentandi facultas copiaq;, his omissis locis, sese transferat ad rei propositæ, siue species sit, siue genus, definitionem, quæ re vera substantialis est finitio, aut talis videtur, cuiusmodi est descriptio, non autem ad vnam tantùm, sed & ad plures. Nam nihil prohibet, plures eiusdem rei esse descriptiones. Illius causam subnectit Philosophus, quòd ad definitiones facilis sit argumentatio.

Cõsiderãdum aũt ad antecedens.

In septimi capitis, quod locos ab antecedente ad consequens, & contrà, continet, adnotatio.

Quoniam genus & species, quorum de locis superiori capite determinatum est, peculiari quodam modo ad seinuicem habent rationem antecedentis & consequentis, conuenienti (vt apparet) ordine post illorum tractatum mox videtur subiecisse Philosophus locos ab antecedente ad consequens, & contrà, qui numero sunt tres. Ante quorũ explicationem vtile fuerit horum rationes atq; multiplicitatem præmittere. aut potius perquàm pauca in memoriam reuocare. Nam de iis ipsis in superioribus libris satis amplè pertractauimus. Imprimis itaq; dicimus, Antecedens & cõsequens nonnunquam absq; vllo intermedio ad se-

Quid antecedens & cõsequens.

ad se inuicem conferri, id quod creberrimè vsu venire consuetum est, Quomodo homo ad animal est antecedens, & cōtra, animal ad hominem consequitur. Aliquando autem ad idem tertium comparantur, quemadmodum huius literæ exordium indicat, dum dicit, consyderandum ad antecedens & consequens propositi. Verùm siue priori modo, siue posteriori loquamur, nihil interest. In posteriori enim sensu id quod propositum est, medium obtinet locum, atq; vtriusq; suscipit rationem, & antecedentis & consequentis. Consequentis quidem, si ad primum conferatur, Antecedentis verò, si ad tertium. Verbi gratia, sunto animal res proposita, de qua disserendum sit, homo eius antecedens, consequens autem corpus, animal hominem consequitur, & corpus antecedit, atq; proinde vtriusq; denominationē assumit. Cęterùm antecedens consequensq; duplex est, vnum incomplexum, alterum complexum. Antecedens incomplexum id est, ad cuius esse ex necessitate aliud sequitur, siue id prius tempore altero fuerit, siue posterius, aut simul. Contra, consequens est, quod ad alterius esse ex necessitate consequitur, vt homo animal anteit, & risibile. peperisse, cum viro concubuisse. bellum inimicitias. & arrogās odiosum. Rursum huiusmodi antecedentia & consequētia in duo genera sunt partita. Nam antecednntium quædam cum suis recurrunt cōuertunturq; cōsequētibus, quemadmodum homo cum risibili atq; animali rationali. Queadmodum enim si quid sit homo, necesse est ipsum & esse animal rationale & risibile, sic, si quid aut animal rationale sit, aut risibile, necesse est vt id sit homo. Alia sunt, quibus non conuenit huiusmodi conuersio cum suis consequentibus: eò q; nihil prohibeat, antecedentibus non existentibus, esse consequentia, vt homo cum animali non conuertitur, neq; peperisse cum viro concubuisse, neq; arrogantem esse cum odioso. Insuper eorum, de quibus agimus, quædam sunt quorum consequentia de antecedentibus, aut particulariter, aut vniuersaliter prædicantur, vt de homine vniuersaliter pręedicatur & animal & risibile, & de numero binarius particulariter. Alia sunt, quæ quamlibet de seinuicem prædicationem recusant, quemadmodum hominem anima sequitur. domum quoq; consequuntur fundamentū, & paries, & tectum. quæ omnia mutuam de se non valent suscipere prædicationē. Porrò eiusmodi antecedentibus incomplexis, quæ de seinuicem nequeunt pręedicari, vtimur in pronunciatis de est secundo adiacente, ea duntaxat subiiciendo, vt si domus est, paries est. si homo est, anima rationalis est. Aliis verò vtimur & eodem modo, & dum in pronūciatis de est tertio adiacēte de eodem enunciantur, vt si homo est, necesse est & animal esse. & si Cicero homo est, necesse est & eundem esse animal. Cęterùm antecedens cōplexum, enunciatio est, quam altera ex necessitate consequitur. Consequens verò cōplexum, ea est enunciatio, quę ex altera necessariò colligitur. Atq; hæc subinde cōuertibilia sunt, seseq; mutuò inferunt. Nonnunquā ex consequente ad antecedens regrediens illatio, infirma est & inefficax. Exemplis abstinemus, eò q; in promptu sunt, ac ad manū.

Porrò quęcunq; incomplexa sunt antecedentia & consequentia, dum in pronūciatis sumuntur, perpetuò procreant antecedentia & consequentia incomplexa. Non autem ediuerso, quæcunq; velut complexa antecedentia sunt, consequentiaq;, ex antecedentibus & consequentibus constant incomplexis, quorum ratione vnum pronunciatorū alterum legitime inferret. Exempli causa, hominē esse sanum, anteit hominem non esse ægrum, sano non antecedente ægrum, etsi sanum esse anteeat non esse ægrum. Item virtutem esse, si sit iustitia, antecedit vitium esse si fuerit iniustitia, istis illa non consequentibus. Atq; ita in aliis plærisque.

Insuper vtrisq; antecedentibus & consequētibus, tribuuntur esse & non esse, non autem eodem prorsus modo. Nam in complexis attributa existentiam designant, & non existentiam. Quòd si complexis comperere dicātur, veritatem significant ac falsitatem. Cæterùm hunc locum vocat Seuerinus Boetius conditionalem, eò quòd eius exempla explicari debeant per enunciationes hypotheticas siue conditionales, quemadmodum posterius dicetur. His itaq; præmissis, ad literæ Aristotelicę expositionē nobis est accedendum. Subindicat Philosophus in textus initio has duas maximas, Posito antecedente, poni & consequens. Destructo consequente, similiter & antecedens destrui, hoc est, proposito conditionali pronunciato, ex positione antecedentis sequitur positio consequentis, Et contrà ex destructione consequentis, colligitur antecedentis destructio. Exempla sunt, Si Socrates est sanus, non est æger, sed Socrates sanus est, ergo ipse non est æger. Si Bucephalus est homo, ipse est risibilis, sed Bucephalus non est risibilis, ergo Bucephalus non est homo. Eiusdem rationis sunt hæ, si homo est, animal est, sed verum est hominem esse, ergo & animal esse verum est. si homo est, animal est, at falsum est animal esse, igitur similiter hominem esse falsum est. Notissimę autem sunt illæ vulgates maximæ, ac regulæ, Si antecedens fuerit possibile aut necessarium, eiusmodi necesse est

esse

Antecedentis & cōsequentis diuisio.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Antecedens cōplexum quid sit.
Antecedētibus & cōsequētibus tribuūtur esse & non esse. nō diuerso Boetius.
Literæ præsentis maxi mæ propō nes atq; loci ab antecedē te ad consequēs, & cōtrà.

esse consequens, Si consequens falsum fuerit, aut impossibile, tale esse antecedens oportet. Documētū.

Deinde in litera ibi, Amplius ad tempus inspiciendū,&c. Pro manifestiori eorum cognitione, quæ ad seinuicē re vera antecedentis & consequētis (de quibus locus mox traditus erat accipiendus) rationem habent, documentum assignat Philosophus, quo dinoscere valeamus, antecedens & consequens perperàm esse reddita, facta ad aliquam temporis differentiam collatione. Prauè siquidem antecedens & consequens assignantur, si id quod velut consequens assignatur, non pro omni tempore respōdeat antecedenti, hoc est, non semper sit dum ponitur esse antecedens, aut non perpetuò illi insit, cui inest id quod tanquam antecedens est assignatum. Verbi gratia, Ad nutriri non consequitur verè augeri. Potest enim nutritio esse sine augmētatione. Et contingit animal aliquo tempore nutriri, quo non augescit. Nutriuntur enim semper animalia (vt inquit Aristoteles) non autem semper augentur. Et in Physicis, Quamdiu saluum manet animal, & si decretionem subeat, alitur, sed non semper accrescit. Similiter, si quod pro antecedente assignatum est, plura complectatur sub pluribus temporum differentiis, cuiusmodi est scire, id verò quod velut consequens, aliqua duntaxat pro paucioribus, vt est reminisci, perperàm erunt assignata scire & reminisci, velut antecedens & consequens, quod efficiebat Plato. Post hæc in litera ibi, Amplius sophisticus modus est ducere,&c. Alterum ponitur documentum siue præceptum, quo opponens instruatur, In quo modus ducendi ad id ad quod idonei sumus argumētari, siue id antecedens sit, siue consequens, dicitur sophisticus, eò quòd à sophistis primùm sit inuentus, aut quia tertius ducendi modus in litera designatus solùm ad sophistam, non autem ad dialecticum pertineat. Admonet præterea in præcepti calce Philosophus, eum qui respondentis munere fungitur, non oportere esse discolum, grauiterq; ferre, si nonnunquam adferat disputans, quæ sunt inutilia positioni improbandæ, aut assumpto per opponentem astruendo, sed potius quæcunq; inutilia vera sunt, fateri, & concessa modestè opponenti monstrare, ea non conuenire rei probandæ aut improbandæ. Porrò huius capitis secundum locum assignatum ibi, Amplius quicunque vnum dicit,&c. qui in margine notatur esse decimusquartus, putant Alberti sequaces à priori solùm discrepare, quod hic accipiendus sit de antecedentibus, consequentibusq;, quæ incomplexa sunt, ille verò de complexis (id quod rectè dictum sit, nec ne, neque ex Aristotele ipso, neque ex vlla translatione constare potest. Quæ enim dicuntur, indiscriminatim vtrisque queunt attribui) Nos autem hoc solum interesse discriminis arbitramur, quòd hic admoneat inspiciendum esse ad plura antecedentia & consequentia, atque illorum quod constructu, horum autem quod destructu facillimum fuerit opponenti assumendum. Et proinde hic locus fusius explicat, quod superiori loco erat traditum. Cæterùm tertius literæ locus, ab Aristotele iccirco subiectus apparet, quòd consequentium incomplexorum duplicem animaduerterit conditionem. Nam quædam sunt eiusmodi, citra omnem alterius sub disiunctione sumpti adiectionem, quemadmodum hominem cōsequitur animal rationale,&c. Alia sunt quæ tantummodo sequuntur, dum illis alterum prædicto modo iungitur. Hæc autem (vt litera indicat) cōtraria sunt immediata, ad susceptibile subiectum relata, siue id cum contrariis recurrat, siue minimè. Sunt enim ægritudo & sanitas immediata contraria cōparatione hominis, veluti subiecti non cōuertibilis. Porrò ex his contrariis dupliciter cōnectitur argumētatio. Priori modo, dum ex subiecto susceptibili colligitur disiunctum ex cōtrariis, hunc in modum, Si homo est, sanum vel ægruum est, at homo est, erit igitur sanum vel ægrum. Si Socrates est homo, ipse est sanus vel æger, sed verum est Socratem hominē esse, est igitur & verum, Socratem esse sanum vel ægrum. Hanc argumētandi formam manifestum est ad locum ab antecedente ad consequens pertinere, & si eius non meminerit Aristoteles, nisi quis contēderit illum subindicasse, eò quòd hunc superioribus adiecerit. Altero modo ita, homo est sanus vel æger, & est sanus, non est igitur æger. aut homo nō sanus est, ergo est æger. Quæ quidem ratiocinandi forma, quanquam ad locos à diuisione vel contrariis attinet, facilè tamen fuerit, eam ad locum ab antecedente reuocare, hunc in modum, Si homo est sanus, non est æger, at sanus est, non igitur æger. Hic enim locus per omnes dialecticos locos sese fundit, cunctisq; est communis, de qua re postea forsitan futurus est sermo amplior.

Secūdus literæ locus quō differat à primo.

Alberti imitatores.

Tertius literæ locus.

Consequētium incomplexorū distributio.

Dupliciter fit argumentatio in contrariis immediatis.

Primò.

Secundò.

Amplius argumētando, &c.

In octauum caput, locum A nominis interpretatione complectens, annotatiuncula.

HVnc à nominis interpretatione locum, apparet existimare Albertus ideo loco ab antecedente ad consequens, & contrà, continenter subiunctum, quòd duplex sit antecedentis & consequentis habitudo, Vna, quæ ipsis tribuitur rebus, de qua superiori capite pertractatum est. Altera in vocibus duntaxat consistit, de qua in præsenti litera, Verùm prius

Albertus. A nois interpretatione locus.

prius admonuimus, non oportere lectorem esse nimis anxium curiosúmve super reddenda ordinis obseruati ratione. Nam initio pollicitus est Philosophus, de his, quæ ad hanc pertinẽt artem, non exactè, sed figuraliter, & in summa se determinaturum. Ex Aristotelicis exemplis colligunt recentiores, interpretationem esse nominis ignoti (adiiciunt & hi vel orationis) explicationem per orationem notiorem. Hinc quoque interpretationem à transsumptione dissidére. sed de ea re posterius dicetur. Prius literæ exemplum satis facile est, cùm dicitur, vt magnanimum non fortem (sicut quidam videntur existimasse) sed magnum animum habentem, dicimus, seu interpretamur. Est enim fortis, qui circa honestam mortem, & omnia quæ repentè eueniunt, & ipsam afferunt, interritus est. Magnanimus verò, qui & magnis honoribus est dignus, & dignum sese magnis esse censet. in posteriori verò exemplo per εὐδαίμονα quidam fortunatum, quidam verò ingeniosum intelligunt, nam δαίμων Græcis tum fortunam tum genium significat. Cæterùm noster interpres secutus est posteriorem significationem, secundum quam satis manifesta est huius nominis interpretatio, si quis intelligat particulam εὖ Græcis idem valere quod Latinis bene. Nam εὐδαίμων, id est, ingeniosus, seu bonũ habẽs ingenium. Xenocrates, philosophus fuit Calcedonius, Platonis auditor, qui in Academia Pseusippo Platonis ex sorore nepoti successit, & vigintiquinque annis docuit. Hic quia nomine δαίμων vniuscuiusq; animam significari putauit, hinc εὐδαίμονα interpretatus est, qui bonam seu studiosam sortitus esset animam.

Quid interpretatio.

Fortis. Magnanimus.

In nonum caput, quod pertractat de loco A disparatis, annotamentum.

Quoniam aũt rerũ aliæ quidem,

PErtractatis strictim & in summa iis locis, quos intrinsecos nuncupare consueuerunt, sequentibus aliquot capitulis eos consyderat, qui extrinseci vocantur, eò q̃ ex aliquo extraneo rei subiectæ aut prædicatæ in proposito problemate argumentum sumatur. Cæterùm cum eorum quæ à re proposita in quæstione sunt extranea, potissimùm eiusmodi sunt, quæ dicuntur disparata, (Nam contingit hæc diuersis ordinibus prædicamentalibus contineri. contraria aũt cæteraq; opposita, necesse est quodammodo sub eodem generalissimo genere comprehendi) congruenti ordine in hoc nono capite locum tradit argumentandi ab iis quæ sunt disparata, quæ quid sint, quiq; ab oppositis discernuntur, in prædicamentis est expeditum. Albertus tamen hoc loco putat disparata oppositis esse communiora. Proponit itaq; Philosophus in huius literæ initio quandam diuisionem, ex qua depromit modum argumentandi à disparatis. Partitio est hæc, Rerum aliæ sunt ex necessitate, Aliæ vt in pluribus, Aliæ ad vtrumlibet. Sub secundo autem membro subintelligendum est quartum illi oppositum, putà quasdam res esse rarius. Cęterùm etsi hæc diuisio rebus secũdum se, & per se sumptis tribui queat, quemadmodum palàm est ex secundo libro Peri Hermenias, & primo Priorum Analyticorum, nostro tamen iudicio commodior erit expositio, si eam de rebus prædicatis interpretemur. Hoc quoq; modo duplicẽ admittit sensum. In primis enim crebrò consueuimus asseuerare, subiecto prædicatum ex necessitate cõpetere, vt in pluribus, raro, aut ad vtrumlibet, nulla prorsus in ipsis pronunciatis adhibita particula, quę hos inexistendi modos designaret, Verbi gratia, sunto hęc pronunciata, hominem esse animal, hominem esse vnicipitem, hominem sedere aut ambulare, illius primi prædicatum dicitur ex necessitate subiecto conuenire. secundi, vt in pluribus. tertij autem, ad vtrumlibet prædicatum subiecto conuenit, considerata rerum ad seinuicem habitudine. Secundò, dum in ipsis propositionibus hos diuersos inessendi modos explicamus, siue res designatæ sic sese habeant, siue non, vt si dicatur, hominem ex necessitate nasci vnicipitem, & vt in pluribus esse animal, & raro esse quadrupedem, Atq; hic sensus ipsi literæ magis videtur consentire. Nam in huius capitis priori loco docet ratiocinari penes hos differentes inessendi modos, quæ sic disparati sunt, vt nequeant vllo modo vni ac eidem comparatione eiusdem sub eadem ratione conuenire, quemadmodum & superius est dictum. Quòd si in huiuscemodi discrepantibus inexistendi modis, ab vnius de aliquo affirmatione ad alterius de eodem negatione firma sit collectio, facillimũ fuerit intelligere, ex affirmatione cuiusuis prædicati disparati de aliquo, efficacem duci argumentationem ad alterius de eodem diuisionẽ, id quod subindicare videtur Philosophus, aperte explicans id de quo minus possit videri. Quæcunq; enim disparatorum re vera suscipiunt rationem, nequeunt vnquam de se mutuam admittere prædicationem. Porrò illi quod in litera dicitur (si quod ex necessitate est, vt in pluribus esse ponatur, manifestum quòd non omni dicit inesse, cùm insit omni, &c.) obsistere videtur, quòd plura prædicata subiectis ex necessitate conueniant, de quibus non valent vniuersaliter prædicari. Nam animal necesse est esse homi-

Partitio rerum in literæ exordio reddita, & eiusdẽ explicatio duplex.

Vna.

Altera.

Primus locus huius capitis.

Obiectio.

hominem,& rationale & risibile,si vniuersalis aut particularis affirmatiua de necessario, in particularem respondentem de necessario liceat cōuertere, quemadmodum in primo Priorū Analyticorū monstrauit Philosophus. Huic obiectioni respondet Albertus, Id quod in præsentia ab Aristotele dicitur,infallibilem obtinere veritatem in iis prædicatis,quę de suis prędicantur subiectis, velut definitiones,propria,& genera, quæ omnia constant ex superiori libro de suis subiicibilibus vniuersaliter prædicari. Cæterùm homines in pluribus prauos esse, attestantur quàm plurimis in locis Sacrosanctæ literæ, & Poeta Satyricus canens,

Dilutio.

Rari quippe boni,numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Deinde ex cautela pro instruendo opponente in litera subiunctâ ibi, Si quis autem dixerit, vnum alteri inesse, non determinans,&c. conantur recentiorum nonnulli robur adferre illi maximæ ab ipsis receptæ. Omne analogum per se positum,pro præcipuo suorum significatorum esse sumendum. quod an rectè faciant,nec ne, aliorum esto censura. Porrò quoniam & prçter eos qui dicti sunt inexistendi modi,sunt & alij uidem disparati, nempe inexistere alicui tanquam idem,aut tanquam diuersum,subiunxit Aristoteles in litera secundum locum ibi,Amplius si idem sibi ipsi accidere,&c. quod apertius sic explicat traslatio Boetiana. Amplius & si idem sibi accidens posuerit vt alterum,eò quòd alterum sit nomen. Explicat enim quam ob causam adduci quisquam valeat,vt opinetur idem sibiipsi accidere. Huius igitur loci maxima est huiuscemodi, Nihil posse sibiipsi accidere sub diuerso nomine idem significante. Atq; proinde nec sub nomine eodem. Dictio autem Accidere aut propriè accipi potest,vt prædicato accidenti duntaxat tribuatur, quod necessum est re vera diuersum esse ab eo cui accidit, Aut amplè pro quouis prædicato. Nam quandam esse diffidentiam necessarium est inter singula prædicatorum,& ea quorum sunt prædicata. Quare nihil suiipsius comparatione dicendum erit sibiipsi velut aliquod prædicatorum accidere. Cæterùm ex litera dicente, Quemadmodum Prodicus diuidebat, &c. licet annotare, cuiuslibet partitionis legitimè assignatæ membra diuidentia nonnihil oportere à diuiso esse discreta, illi quoq; quodammodo accidere. Discrimen autem quod adferunt Grammatici inter gaudere & lætari, ex re primùm per hæc designata,non desumitur.

Secūdus literæ locus,dicens,nihil sibiipsi accidere.

In decimum caput, quod locos A contrariis complectitur, annotatio.

Sūt aūt cōtrariorum.

Pertractaturus Aristoteles locos, quibus à contrariis differendum est atq; disputandum, in literæ huius exordio monstrat,quatuor cōtrariorum sex fieri posse connexiones. Verùm Boetiana translatio ante harum connexionum complexionumq; latiorem explicationem, quendam locum proponit, in qua sic legitur, Quoniam autem contraria connectuntur quidem sibi inuicem sex modis, contrarietatem autem faciant quadrupliciter, complexa accipere oportet contraria quocunque modo vtile fuerit & destruenti & construendi. Huic quoq; palàm consentit literę pars posterius posita. Accipere ergo oportet contrariorum quodcunq; erit ad positionem vtile. Verùm hoc loco, qui generalis est, obiter ostenso, ad literæ expositionem nobis est accedendum. Quatuor igitur contrariorum(vt habet Aristoteles) sex possunt connexiones fieri, quarum quatuor contrariæ sunt. (Nam hoc est ipsam contrarietatem facere) Reliquæ verò duæ minimè. Duplex autem in litera insinuatur,contrarietas, Vna incomplexorum, quæ vocibus aut rebus simplicibus attribuitur, de qua in prædicamentis determinatum est. De hisce contrariis, traduntur hoc in capite loci in margine annotati 19. & 20. Atq; horum contrariorum,quædam sunt moralia, Alia autem non sunt,sed naturalia potius. Vtrorumq; autem meminit Philosophus, si rectè atque diligenter eius dicta expendantur. Etenim moueri & quiescere contraria sunt non moralia, cuiusmodi sunt amor,odium. benefacere, malefacere. amicum esse,inimicum esse, & plurima eius generis alia. Altera, sunt contraria complexa, quæ in præsentia nihil aliud sunt, quàm enunciationes,in quibus duo contraria de vno subiecto enunciantur, aut idem prędicatum de duobus contrariis. Exempla sunt, Amicis oportere benefacere, amicis oportere malefacere, Amicis est benefaciendum, Inimicis est benefaciendum. Quòd si duo contraria de duobus contrariis enuncientur,non erunt contraria. Neque enim secum pugnabunt in veritate & falsitate, neque ratione honesti eligendive,& honesti ac fugiendi. sed vtraque aut vera erunt, honesta, atq; eligenda, vt amicis benefaciendum est, inimicis malefaciendum est, Aut falsa, inhonesta, fugiendaq;, vt amicis esse malefaciendum, inimicis esse benefaciendum. Ex quibus liquet, literæ exordium accipiendum esse de huiuscemodi contrariis moralibus. Nam cætera contraria (quorum & si totidem valeant esse connexiones, quot sunt & horum) non perpetuò reti-

Sex contrariorū cōnexiones.

Incōplexorū cōtrarietas.

Cōtrariorū quædā moralia sunt, Alia natura lia.

Cōtraria cōplexa.

In vndecimũ cap. quod est De cõsequẽtiis ecõtrario & in ipso, in singulis oppositorũ generib9, annotatio.

Quoniã autẽ oppositiones.

APerit hoc capite Philosophus alium quendam ratiocinandi modum penes quadruplicia opposita, secundum quem ex duobus oppositis non sibi mutuò, sed alijs, colligimus alia duo opposita. qui quidem argumentandi modus à Dialecticis suetus est appellari consequentia in ipso, vel ecõtrariò. Græcis dicitur ἐπὶ ταὐτὰ ἀκολούθησις ἢ ἀνάπαλιν.

Quæ sit cõsequẽtia ecõtrario terminorum.

Est autem consequentia econtrario terminorum oppositorum, (de quibus solis hic pertractatur) in qua ex duobus oppositis certum inter se ordinem habentibus, inferuntur duo alia opposita, variato atq; transmutato ordine. Econtrà consequentia in ipso erit, si in consequente is oppositorum teneatur ordo, qui & in antecedente.

Quæ sit in ipso consequentia,

Et quòd vtramq; accidat bifariã fieri.

Potest autem vterq; argumentandi modus dupliciter fieri. Priori modo in categoricis pronunciatis, vt omnis prudentia virtus est, omnis igitur imprudentia est vitium, omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo. quarũ argumentationum illa in ipso est, hæc aũt econuerso. Posteriori, in enunciationibus hypotheticis seu conditionalibus, id quoq; bifariam euenire contingit.

Primo.

Primò, ex solis oppositis nullatenus ad idem relatis, vt si prudentia est, virtus est, ergo si imprudẽtia est, vitium est: si homo est, animal est, igitur si non animal est, erit & non homo.

Secundo.

Secundò tribuendo singula bina opposita vni eidem tertio, hunc in modum, si quis prudens est, is est studiosus, igitur si quis imprudẽs sit, is & prauus erit. si quid est homo, ipsum est animal, ergo si quid sit non animal, erit & non homo. Neq; sunt hæ duę colligendi formę prorsus eędem. Nam etsi ad secundam prima consequatur, non tamẽ secunda ad primam, quemadmodum nec ad categoricum pronunciatũ sequitur altera hypothetica. Neq; ex antecedente primæ formulæ mox dictæ sequitur categoricum pronunciatũ. Quæ omnia exemplis facillimũ est declarare. Nam ad omnem hominẽ candidum esse, neq; sequitur candidum esse, si homo sit. neq; quippiam esse candidum, si ipsum fuerit homo. Item neq; ad caput esse, si homo sit, consequitur aliquid esse caput, si id homo fuerit, neq; similiter hominẽ esse caput. Simili modo & in alijs censendum est. Hactenus de hisce argumentandi formulis. Ad literæ expositionẽ accedamus, quam nonnulli autumant intelligendam esse de consequentiis in ipso, & econuersò, ex simplicibus categoricisq; pronunciatis constantibus. Alij ad alias earundem consequentiarum formulas referunt, pro ratione adferentes, q in litera subinde fiat mentio sequelæ vnius ad alter. Ad quod responderent illi, Prædicatum categorici pronunciati iccirco ad subiectum consequi, q ex ipso natum est inferri, etsi actu non inferatur. Atq; hæc apparet esse Alberti expositio.

Albertus.

Amplectetur lector vtram libuerit, magisq; probauerit expositionẽ. Porrò illud in initio literæ positum (volenti construere & destruere) non est exponendum, vt idem polleat, quod colligere affirmatiuè vel negatiuè, sed vt idem sit, quod approbare & improbare, id quod apertè testatur illa textus portiuncula, Si ergo nec per consequentiam in ipso, nec per ecõtrario consequẽtiam, &c. cuius exemplum posterius subijciemus.

Primi literę loci sententia.

Cęterùm primus literę præsentis locus, qui marginali annotatione censetur secundus & vicesimus, quiq; traditur de cõtradictoriè oppositis, inter quæ maxima est repugnãtia, hunc habet sensum. propositis duobus contradictoriè oppositis, quorum vnum alterum infert, non econtra, vtendum est consequentia econuerso non in ipso, Nam quemadmodum constat ex vltimo capite prioris libri Priorum Analyticorum, alijsque plerisque locis, vt in plurimum Philosophus per id quod consequens est, accipit illud, a quo non conuertitur essendi consequentia. Huius loci exempla sunt, omnis equus est animal, ergo omne non animal est non equus: si quid sit corylus est planta, ergo si quid sit nõ planta, est id ipsum nõ corylus. Item sequitur, omne bonum (Epicureorũ iudicio) est suaue seu delectabile, ergo omne non suaue est non bonum. & contra, omne non suaue est non bonum, igitur omne bonum est suaue. indefinitas autẽ, in vniuersales commutauimus eam ob causam, quã reddidimus in priori Priorũ Analyticorum libro, cum de conuersione per cõtrapositionem ageremus. Quare vniuersa huius loci exempla ab Aristotele assignata, in vniuersali sensu accipienda sunt, aut velut eiusmodi quæ in vniuersalem cõmutata sensum, eandẽ veritatis causam retinẽt. Est enim huiusmodi ecõtrario consequẽtia in terminis contradictorijs sumptis in pronunciatis categoricis, prorsus eadẽ cum cõuersione per cõtrapositionẽ. Quòd si quis aliter, hoc est, ex hypotheticis enunciationibus ducere velit, nihil prohibet, quin liceat ratiocinari neglecta vniuersalitatis nota. Erit enim illatio valida, etsi subinde in quàmplurimis exemplis, antecedentiũ falsitas erit apertissima.

Secundus literæ locus pro contrarijs.

Huiusmodi autem argumentandi modus in hypotheticis pronunciatis consentit primæ regulæ consequentiarum à Philosopho traditæ vltimo capite prioris libri Priorum Analyticorum. Deinde in litera ibi, In contrarijs autem, & cæt. secundo loco pro contrarijs assignato, asserit Phi-

losophus in contrariis, vt in plurimũ vtendum esse consequentia in ipso. In paucis verò econuerso consequentia, adiectis pro consequẽtia in ipso duobus exemplis. In quorum vtroq; duo sunt contraria generalia, virtus & vitium, eligẽdum & fugiendum, quemadmodum aliàs fusè est explicatum. In consequentiæ econtrario exemplo, loco bonæ habitudinis & malę, Grę-cè legitur εὐεξία, & καχεξία, quorum illud in superiori libro dictum est similiter designare bonam corporis habitudinem & externam & internam, hoc aũt disiunctim significat malam corporis habitudinẽ, & internã & externam. Et proinde rectius fiet huiusmodi consequentia in hypotheticis pronunciatis, quàm categoricis. Neque enim bona habitudo est ipsa sanitas, sed eam complectitur potius, veluti partem integralem. quandoquidem sanitas nihil aliud est, quàm interna corporis recta habitudo atq; proportio. Cæterùm huiusmodi consequentiæ econtrariò in contrariis solùm locus est, cùm contrariorum id quod antecedit, sese habet vt totum integrale, id verò quod consequitur, velut pars designans disiunctim vtriq; parti toti-us contrarium. Porrò quod in litera sequitur (Si ergo nec per consequentiam in ipso, nec per econtrariò consequentiam, &c.) hunc habet sensum. Asserat quis, virtutem esse, si sit fortitudo, aspiciendum erit, an vitium sequatur timiditatem, An contrà timiditas vitium. Non secundum, quippe cùm non sequatur, vitium est, ergo timiditas est. Sed primum, Sequitur enim, timiditas est, ergo vitium est, quare sequitur per consequentiam in ipso, si timiditas est, vitium est. ergo si fortitudo est, virtus est. Item si asseratur, malam habitudinem esse, si ægritudo sit, inspicere oportet, an sanitatem consequatur bona habitudo, an contrà, bonam habitudinem sanitas. cùm aũt secundum ita sese habeat, non autem primum, vtendum est consequentia econuerso, huuc in modum, Si bona habitudo est, sanitas est, ergo si ægritudo est, est quoq; mala habitudo. Insuper si dicatur amarũ esse, si nigrum sit, considerandum an id quod candidum est, consequatur dulce, an cõtrà, id quod dulce est, candidum, At cùm neutrum sit verum, non poterit propositum problema construi per dictarum consequentiarum alteram. Neq; enim sequitur probabiliter, si candidum est, dulce est, igitur si nigrum est, amarum est. si candidum est, dulce est, igitur si amarum est, nigrũ est. Sunt etenim antecedentia apertè falsa. Sed erit problema hoc modo destruendũ, neq; si candidum est, dulce est, neq; si dulce est, candidum est, igitur neq; si nigrum est, amarũ est. Simili modo in reliquis est iudicandum. Cæterùm quę in litera subnectuntur de priuatiuè relatiueq; oppositis, ex superioribus satis dilucida sunt, & proinde nobis in ipsis nõ est immorandum.

Quõ accipienda sit insensibilitas.

Annotare solent dictionẽ (insensibilitas) accipiendam vt designet non cuiuslibet, sed alicuius sensus carentiam. Alioqui consequentia in ipso infirma esset, cùm cæcitas non sit cuiusque sensus carentia (non enim est surditas) Atq; insensibilitas sic accepta, & sensus, priuatiuè opponuntur suorum inferiorum gratia, nempe visus & cæcitatis, & secundũ se sumpta valent de eodem simul prædicari. Quòd si sensibilitas cuiusq; sensus significaret priuationem, vtendum foret econuersò consequentia, vt si visus est, sensus est, ergo si insensibilitas est, cæcitas est, hoc est, si cuiusq; sensus carentia est, est quoque cæcitas.

Duæ in litera allatę obiectiones. Prior.

Porrò in calce literæ duas proponit Philosophus instantias, contra eum locum qui tradit, in relatiuè oppositis vtendum esse in ipso consequentia. Prior est affirmatiua hæc, Sensibile est scibile, igitur sensus est scientia, cuius antecedens verum esse apparet, consequente existente falso.

Platonicorũ responsio

Verùm quidam (nempe Platonici) arbitrãtur, hanc non esse veram instantiam, neq; antecedens verum esse. Quippe qui existiment, sensibilium non posse esse scientiam, sed solùm vniuersalium, seu Idæarum, quę horum iudicio sensibilia non sunt, neq; per se, neq; per accidens. Verùm de hac re in septimo Metaphysices libro agitur, quemadmodum in Posterioribus Analyticis diximus.

Posterior.

Altera instantia negatiua est huiusmodi, Sensus non est scientia, ergo sensibile non est scibile, quam asserit Philosophus non minus priore vtilem esse ad eius loci improbationem.

Platonicorũ dilutio.

Sed & huic responderent Platonici, non item veram esse instantiam. Neq; enim ipsorum iudicio, ex vero falsum colligitur.

Vtriusq; obiectionis legitima dilutio.

Nos autẽ, qui intrepidè fatemur, eadẽ & sensibilia & scibilia esse, etsi alia atq; alia ratione, respondebimus, vtramq; re vera instantiam esse, cauendumq; in eo de quo agitur loco, (vt interim alios omittamus) ne in prædicationibus per accidens affirmatiuè argumẽtemur à duobus cõcretis ad duo abstracta, Aut negatiuè à duobus abstractis ad respondentia concreta. Hactenus à nobis dictum sit de huius capitis percipienda intelligentia. Si qua verò sint, quę istis ratiocinandi modis amplius cognoscendis à lectoribus desiderentur, ea posterius explicabimus.

Rursus in cõiugatis. Boetius.

In duodecimum caput, quod locum A coniugatis & casibus continet, annotaciuncula.

DE loco à coniugatis & casibus determinaturus Aristoteles, in huius literæ exordio exemplis quibusdam monstrat, quæ sint coniugata, quive casus, ex quibus Boetius hasce desum-

desumpsisse videtur descriptiones, quas in secũdo de differẽtiis topicis libro tradit. Cõiugata dicũtur, quę ab eodẽ diuerso modo deducta fluxerũt, vt à iustitia, iustum, iustus. Hęc igitur inter se & cum ipsa iustitia cõiugata dicũtur. Casus verò est, alicuius nominis principalis inflexio in aduerbium, vt à iustitia inflectitur iustè. Hæ Boetij descriptiones videntur casus à cõiugatorũ nomenclatura separare, cùm tamen Philosophus paulò inferius inter coniugata casus annumeret, generalẽ quandam coniugatorũ finitionẽ insinuans, dum dicit, Coniugata dicuntur, quæ secundum eandem coniugationẽ sunt omnia. Cui quidem acceptioni planè cõsentit idem autor in cõmentariis in Ciceronis Topica. Definitio (inquit) cõiugatorũ à Cicerone prolata talis est, Coniugata dicũtur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem, id est, quę ab vno verbo variis inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere verba sunt, iustitia, iustus, iustè, iustum, & quæcunq; alia in diuersas possunt vocabulorũ species inflecti. Quęcũq; enim ab vno quolibet orta variè cõmutantur, hæc à Græcis quidẽ σύζυγα dicũtur, apud Latinos verò cõiugata. Nam quod Gręci συζυγίαν dicũt, nos cõiugationẽ appellamus. Hęc aũt sunt vt sapiens, sapienter, sapientia, & quæcunq; in varias partes orationis, variasq; inflexiones, ab vno quodã ducta cernuntur. Hæc ille.

Quæ cõiugata secũdũ Boetium.

Qui casus secũdũ eundẽ autorem.

Erũt itaq; cõiugata abstractum & suum cõcretũ, siue partis nominis sit, siue verbi, siue participij, siue aduerbij, & diuersa quoq; cõcreta eiusdem abstracti, idem primò designantia, licet eorũ varia sit cõnotatio. Similiter casus erũt, & cõcreta aduerbialia, vt fortiter, fortius, fortissimè, & hæc ipsa similiter collata cum aliis concretis nominalibus, verbalibus, & participiis. Casus (inquit Rodolphus) sunt ea, quę à primo illo decidentia deriuataq; cum eo ipso cõponuntur, vt sapiens & sapienter, iustus & iustè, fortis & fortiter. Cæterùm an coniugatorũ atq; casuum ratio solùm in vocabula possit quadrare, nõ aũt in res, quatenus per vocabula signantur (id quod primo intuitu subindicare apparet illud literæ, Similiter & effectiua & conseruatiua, coniugata sunt illi cuius effectiua sunt & conseruatiua) curiosioris lectoris examini iudicioq; relinquimus. Item & an secundũ triplicem denominatiui acceptionẽ, quam in prædicamentis explicuimus, triplicia quoq; sint coniugata atq; casus, voce videlicet tantum, significatione tantũ, & voce & significatione simul, de quibus postremis pręsertim in hoc loco loqui cõsueuêre. Huiusmodi coniugatorũ diuisionẽ tradit Rodolphus primi libri de inuẽtione dialectica, cap. 10.

Coniugata quę sint secũdũ Arist. similiter & qui casus sint.

Rodolphus

Cõiugatorũ secundũ quosdã partitio.

Porrò penes hunc locum à coniugatis bifariam cõtingit ratiocinari. Vno modo eiusdem extremi, præsertim prædicati, cõparatione, vt iustitia est laudabilis & bona, ergo iustum laudabile est atq; bonum, Et iustus laudabilis & bonus, Et quod iustè fit laudabile est & bonum. Maxima est, Coniugatorũ in eo quod coniugata sunt, vnam atq; eandem esse naturam. Aut, cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatũ eius posse sociari. Oportet aũt huiusmodi pręedicationes esse quarti aut quinti pręedicabilis, non aũt per accidens, neq; generis aut speciei de suo subiicibili. Altero modo argumentari contingit à duobus coniugatis ad duo coniugata in per se prædicationibus, vt iustitia est qualitas, ergo iustum est quale, &c. Arbitrantur quidam, primum argumentandi modum Philosophum indicasse, dum dicit, Manifestum igitur, q̃ vno eorũ quę sunt secũdum eandem coniugationẽ, vt bono vel laudabili ostenso, reliqua omnia, &c. Sed nostro iudicio, secundum colligendi modum solùm indicat Philosophus. Nam iustum, & iustus, & iustè, in litera dicuntur esse laudabilium, eò q̃ iustum sit laudabile, & iustus laudabilis, & quod iustè fit, id fit quod laudabiliter fit. Nam subiungit Philosophus, Dicetur ergo iustitia virtus, iustum studiosum, & iustè studiosè, quo in loco vtitur Philosophus coniugato, quod est denominatiuum duntaxat significatione. Cæterùm consyderatio in literæ calce posita explicat, consequentiam in ipso in contrariis fieri posse, quæ coniugata sunt, non autem argumentari docet à coniugatis. Atq; in posteriori exemplo notatur Socratis opinio, putantis morales virtutes quasdam esse disciplinas.

Dupliciter cõtingit argumentari penes locũ à cõiugatis.

Primò.

Secundò.

In decimũtertiũ cap. cõtinẽs locos A generatione & corruptione, effectiuo & corruptiuo, adnotatio.

Amplius in generationibus.

DE locis a generatione & corruptione, ad genitum & corruptum. Item ab efficientibus & corrumpentibus, ad effecta & corrupta, quam breuissimè pertractat Philosophus, in exordio literæ proponens, huiusmodi locos idoneos esse ad affirmatiuè & negatiuè colligẽdum, aut re vera, aut virtute quadã. Affirmatiuè quidem, dum vtimur prædicatis, bono, & non malo, Negatiuè verò, dum non bono vtimur & malo. Idem enim pollent quãtum ad hunc locum pertinet, bonum esse & nõ esse malum, non esse bonum & malum esse. Cæterùm de iis quę nunc diximus generationibus, genitis, corruptionibus, atq; corruptis, &c. agit Philosophus solummodo facta ad hæc prædicata bonum malum, aliàve idem valentia comparatione, quemadmodum apertè explicant maximæ propositiones ab Aristotele hic traditę, quę sunt octo numero. Prima est, Cuius generatio bona est, ipsum quoque genitum est bonum,

Loci à generatione & corruptione octo maximæ.

Prima.

 Vt

Vt bona est Socratis generatio, est igitur Socrates bonus. Viri sapientis generatio vtilis est reipublicæ, est igitur sapiens reipublicæ vtilis. Domus constructio cōmoda est, igitur domus est commoda. Secunda, Cuius generatio mala est, ipsum genitū quoq; malum est, Vt insipientis atq; furis generatio est mala, malus igitur est insipiens atq; fur. Generatio aconiti nō est bona, igitur aconitū non est bonum. Tertia, Cuius corruptio bona est, ipsum est malum. Quarta, Cuius corruptio mala, ipsum corruptū bonum est. Quinta, Cuius causa effectiua est bona, effectum quoq; est bonum. Sexta, Cuius efficiens malum est, ipsum effectum est malum. Septima, Cuius causa corruptiua bona est, ipsum corrumpendum est malum. Octaua, Cuius corrumpens malum est, ipsum corruptū est bonum. Accipiuntur aūt bonum & malum his in locis, pro vtili, cōmodo, inutili, incōmodo: etsi nonnullis arrideat, ipsa aliquoties sumi, vt bonitatē & prauitatē artis designēt, dum videlicet ad ea applicantur, quæ per artem efficiuntur. Porrò longiori sermone non decreuimus impræsentiarū annotare ac declarare, q̀ entium quædam permanentia sunt, alia successiua, Quòd generationū corruptionumve quędam simplices sunt, siue substantiales, quædam secundum quid atq; accidentales. Et harū quædam momentaneæ, aliæ successiuæ. Deinde q̀ causarum genera sunt quatuor, Et harum, quędam sint in potentia, quædam in actu, aliaq; id genus plurima. Nobis satis fuerit, q̀ secundum eorum, de quibus agitur, naturam atq; exigentiam fiat copulæ mutatio, quam faciendam facilè aduertet, quisquis vel mediocri valet ingenio, sed de his fortassis postea fusius dicetur.

[Margin: Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Quo pacto hic sumatur bonum & malum.]

[Margin: Rursus in simili⁹ cōsiderādum.]

In decimumquartum caput, quod est de locis A simili, maiori, & minori, annotatio.

IN exordio literæ vnum assignat Philosophus locum, qui annotatur esse septimus & vicesimus, ad colligendum similia ex similibus & affirmatiuè & negatiuè, insinuans de similibus, par atque idem habendum esse iudicium. Sunt autem impræsentiarum similia, non solùm ea quæ eadem aut qualitate aut quantitate, à qua æqualia dicuntur, participant, sed ea quibus similiter inest idem prædicatum, aut inesse videtur, aut quibus similiter diuersa insunt prædicata, vni vnum, & alteri alterum, aut quæ similiter vni atque eidem insunt. Vel si libuerit magis, id simile est, quod eandem cum altero suæ veritatis probabilitatē habet. Huius loci propositiones maximæ in literæ calce subiiciuntur, quæ sunt huiusmodi. Vno similiter in duobus existente, si vni insit, inerit & alteri: etsi vni non insit, neque alteri inerit. Exempla sunt, Sicut inest scientiæ vnum esse plurium, ita & opinioni, At scientia vna est plurium scibilium, puta contrariorum, erit igitur & opinio vna plurium. Quemadmodum inest homini quadrupes, sic & aui inest, at nullus homo est quadrupes, nulla igitur auis est quadrupes. Altera est, Duobus eidem similiter inexistentibus, si vnum insit, & reliquum inerit. & si vnum non insit, neque inerit reliquum, vt quemadmodum homini inest bipes, sic & ipsi inest disciplinę capax, sed homo bipes est, ergo est capax disciplinę. Sicut inest nigrum cygno, ita & ei inest rubedo, sed cygnus non est niger, nō est igitur & ruber. Tertia, Duobus similiter inexistentibus, si vnum vni inest, inerit & alterum alteri, Quòd si vnum vni non insit, neq; alterum alteri inerit, vt quemadmodum visum habere, inest videre, sic & auditum habere, inest audire. At videre secundum potentiam, est visum habere. erit igitur & audire, auditum habere. Quemadmodum inest equinis dentibus candor, sic & inest nigrum cæterorum animalium dentibus. at equini dentes in senectute redduntur candidiores, ergo & aliorū animalium dentes in senectute nigrescunt. Sub loco autem à simili subintelligendus est & locus oppositus, qui à dissimili dicitur. Cuius exemplum est, Non quēadmodum inest homini risibile, sic & equo inest, at homo est risibilis, non est igitur equus risibilis. Cęterùm cum in loci vicesimi octaui declaratione (qua monstrantur Scire & Intelligere non prorsus, omniq; ex parte esse eadem) dicitur, Contingere plura scire simul, intelligere autem non, verbum Scire habitum nominat, quo penè (vt ita dicamus) innumera cognoscimus, nempe ea omnia, quorum scientificos possidemus habemúsque habitus. Intelligere verò (cuius loco vertit Boetius cogitare) actum & functionem designat. Id enim habet nostra infirmitas, vt ad duo simul, quatenus plura sunt, & non vnum, cogitare nequeamus. Nam protinus vt ad vnum cogitare vis, vt alterius cogitatum relinquas, oportet. Est enim cogitatio, quædam mentis diligens attentio, quæ aliam extrudit. Verùm de hac ipsa re in libris De anima fusius est consyderandum. Atque proinde noluimus impræsentiarum eas adducere obiectiones, quas apud plærosque commentatores poterit lector reperire. Nonnulli, inter quos est Albertus, referunt (scire) ad actum vel habitum, quo principia cognoscuntur, ad quorum ascensum non est necessaria plurium cognitio. Ad assequendam autem conclusionis scibilis scientiam, etiam necessaria est principiorum cognitio, & proinde horum sententia contingit plura scire, non autē plura

[Margin: Quæ sint similia. Primi loci maximæ. Prima. Secunda. Tertia. Loci à dissimili exēpla. Quo pacto cōtingit plura scire, & non plura intelligere. Alberti eiusdem loci interpretatio.]

plura intelligere. Alij idcirco id opinantur verum esse, quoniam ex eadem præmissa, hac videlicet, omnis homo est animal rationale, accidit plures scire conclusiones eiusmodi, omnem hominem esse admiratiuum, omnē hominem disciplinæ capacem, & cæt. Verùm prima expositio, quam Diuus Thomas amplectitur, nobis magis probatur. Porrò ex primi loci eius quod magis est declaratione (in qua instruimur a comparatiuo ad positiuum ratiocinari) consueuit hæc depromi maxima propositio: Sicut simpliciter ad simpliciter se habet, sic & magis ad magis, Idq; aliquorum iudicio non satis rectè, eò quòd literæ deductio potius insinuet oppositum colligendi modum, nempe a comparatiuo ad positiuum: verùm illi maximæ ex litera decerpendæ occasionem prebuere (nisi fallamur) Philosophi exempla, si modò græcus codex non fuerit deprauatus, quem quidem interpretatus est in hunc modum Boetius. Vnus quidem, Si magis sequitur magis, vt si voluptas est bonum, & magis voluptas magis bonum: etsi iniuriam facere malum, & magis iniuriam facere magis malum. In his etenim exemplis non ex comparatiuis positiua, sed cōtra ex positiuis colliguntur cōparatiua. Quod animaduertentes quidam non satis congruere rei prius positæ probandæ, in hunc modum putauerūt esse legendum, vt si dicatur quòd voluptas seu voluptuosum est bonum, perspiciendum est, an magis voluptas sit magis bonum: & iniuriam facere malum, si magis iniuriam facere magis malum. Etsi igitur Aristotelica exempla eam, quā diximus, commonstrent maximā, ea attamen quæ in litera subijciuntur, ibi. Nam si ad incrementum subiecti sequatur incrementum accidentis, hoc est, prædicati, &c. (Nam & reliqua omnia ab accidente prædicata, quatenus insunt, accidentia dicuntur) docent & affirmatiuè & negatiuè ex comparatiuis colligenda esse positiua: Id quod verum existimant scriptores, si subiectum & prædicatum concretiuè designata, per se prædicationem constituant, si magis & minus suscipiant, & negatiuè ratiocinando, subiecti antecedentis constantia subintelligatur, quemadmodum ducta a positiuo ad comparatiuum assertoria affirmatiuáve argumentatione, exigitur existentia subiecti consequentis, reliquis duobus itidem in hoc colligendi modo obseruatis. Post hæc in litera, ibi. Alius vno de duobus dicto, &c. Indicat q̄ breuissimè Philosophus tres maximas negatiuas pro loco a maiori, tres quoq; affirmatiuas pro loco a minori, respōdētes illis, quæ superius a nobis propositæ sunt ex literæ calce pro loco a simili. Locus etenim a maiori vim colligendi duntaxat obtinet in negatiuis pronunciatis. E diuerso autem in affirmatiuis, is qui a minori dicitur. Cæterùm quia ex his quæ de similibus diximus, satis constare potest, quid hic sit dicendum maius, quidue minus, de quibus etiam fusius posterius sumus dicturi, huius capitis expositioni finem imponemus.

Tertia eiusdem expositio.

Thomas. Secundus à maiori loc⁹.

Quō a cōparatiuo ad positiuū sit ratiocinandū & cōstruēdū & destructiuè.

Tres maximæ propositiones pro loco à maiori & minori

In decimumquintum caput, locum ab oppositis continens, annotatiuncula.

Præsens hoc capitulum decimumquintum complectitur duos locos siue propositiones maximas, quibus instruimur dialecticè ratiocinari ex appositione, siue ex proprietate quadam in eo reperta, cui alterius facta est appositio ob ipsam appositionem. Prior est, Si vnum alteri appositum, efficit ipsum cui apponitur, imò totū ex vtroq; conflatum, tale, quale prius non erat, id quod appositū est itidem est tale, vt calx parieti apposita efficit ipsum album, est igitur & calx alba. Atramentum papyro adiectū, ipsam reddit atrā, est ergo & atramentum atrum. Felle tincta aurea vidētur, igitur fel aurei & fului est coloris. Posterior est, si vnum alteri appositum, efficit ipsum magis tale, quale prius non erat, ipsum esse tale. Similiter si quid alteri appositum reddit ipsum plurimum aut maximè tale, ipsum etiam erit tale, id quod suspicamur subindicare Philosophum adiectione illius particulæ, Similiter autem & in alijs. Exempla sunt, cibus saccaro conditus dulcior est, est igitur & saccarum dulce. Vinū iniecto felle amarescit, ergo fel est amarum. Deinde in litera, ibi. Vtilis autem non in omnibus hic locus, & cæt. Subnectit Philosophus secundam maximā tantum ijs prędicatis contribuendam esse, quę magis & minus suscipiunt, in quibus cōparantur, & id quod alteri apponitur, & id cui facta est alterius appositio. Insuper & eandem vtilem esse constituendæ affirmatiuę argumentationi, non autē negatiuæ, hoc est, ex negatiuis pronunciatis conflatæ, quod & priori maximę & loco competit, quemadmodum insinuant ipsius literæ exempla. Nam ex æquo non sequitur, dulce amaro iniectū non efficit maius dulce, ergo dulce non est dulce, Dulce amaro iniectum non efficit ipsum dulce, ergo dulce non est dulce. Album nigro appositū non efficit magis album, aut non efficit album, ergo album non est album. Ex albo & nigro cōmixtis ad inuicem, secundum eorum diuersam mixtionē, fiunt varij medij colores. Porrò tradunt his in locis obseruādum, vt id quod apponitur, susceptiuum sit eius denominationis, in quo fit collatio, quodq; causa sit efficiens vniuoca, integra, per se, atque sufficiens. Nos

Prior p loco ab appositis maxima.

Posterior.

autem has dictas maximas eo intelligimus modo, quo in Posterioribus Analyticis declaraui mus illud esse accipiendũ. Propter quod vnũquodq; tale, & illud magis. Cæterùm sub hoc ex appositione loco facile fuerit & illum cognoscere, quem ex separatione appellare possumus. Cuius maximæ propositiones illis duabus superioribus respondentes, sunt huiusmodi. Si vnum ab altero separatum efficit ipsum non tale, quale prius fuerat, ipsum separatum est tale. Si vnum ab altero separatum efficiat ipsum minus tale, quale prius fuerat, ipsum separatum est tale. Exempla sunt, calx a pariete semota relinquit parietem non album, qualis prius fuerit, ergo calx est alba. saccaro a cibo detracto, cibus minus est dulcis, est ergo saccarum dulce. Verùm hæc ingenioso lectori ita aperta sunt atq; manifesta, vt nobis non sit diutius immorandum in eiusmodi rebus admonendis.

Locus à separatione, cuius duæ sunt maximæ.

Si qd secũdum magis.

In decimumsextum caput, quod est de loco à parte in modo ad suum totum, annotatio.

HOc vltimo capite monstrat Philosophus, quemadmodum argumentandum sit a parte in modo ad suum totum. Et proinde a toto ad suã partem. Nam ex cuiusq; illationis legitimæ consequentis opposito licet & antecedentis oppositum colligere, vti aliàs quoq; dictum est. Porro pro huius literæ apertiori intelligentia quàm breuissimè admonendum est, quid sit totum in modo, quidve pars in modo, atq; quotuplex sit. Nam his cognitis manifesta erit Philosophi sententia. Est igitur totum in modo, dictio secundum se sumpta, nulla adiecta determinatione restringente, vt homo, animal, album, &c. Pars verò in modo dictio est, cui adhibetur restringens determinatio, vt homo albus, currens velociter, strennuè dimicans, alter homo, deambulans in Licio, & cæt. Puerile autẽ est inquirere, an huiusmodi complexa partes sint in modo, an potius eæ dictiones, quæ prius absq; determinatione sumptæ, nunc adiectam habent restringentem determinationem. Huiusmodi pars in modo quadrifariàm dicitur. Nam vna próuenit ex adiectione horum aduerbiorum, magis, minus, maximè, minimè, & aliorum similium propriè acceptorum. Atque de hac in huius capitis initio agitur, non quatenus a similium ratione discedens, dissimilis maioris minorisque quodammodo formam habeat, secundum quem modum forsitan decimoquarto huius libri capite pertractatum est, sed inquantum huiusmodi restrictionem complectitur. Cæterùm inter tertias reliquas (de quibus traditur in litera secundus locus, priori prorsus in colligendo similis) prima est ea in modo pars, quæ determinationem restringentem accipit, quæ secundum quid dicitur, hoc est, vt vulgarem sequamur expositionem, quæ partem designat. Nostro iudicio rectius dicetur, quæ ita restringit, vt neque comparationem superius explicatam designet, neque locum, neque tempus. Nam alioqui inesse secundum quid, si amplè sumeretur, nihil discriminiscum inesse secundum quando & secundum vbi haberet, cum tamen de his Aristoteles velut differentibus loquatur, & non valentibus in idem coincidere. Secunda est, quæ restrictionem continet secundum quando, id est, tempus designantem. Tertia verò prouenit ex restrictione locum significante, quæ quidem restrictio secundum vbi potest appellari, id quod ex Boetiana versione palàm est, posterius dicente. Nam quod simpliciter est impossibile, neq; secundum quid, neque secundum vbi, neque secundum quando contingit. Quæ quidem probatio quodammodo robur accipit ex illo communi principio dialectico. Ex consequentis consequentiæ legitimæ contradictorio, antecedentis rectissimè colligi contradictorium. A parte igitur in modo ad suum totum valida est affirmatiua illatio: Et contra negatiua, a toto in modo ad suam partem, toto atque parte existentibus prædicatis secundum Philosophi sententiam. Post hæc in litera, ibi. Instantia tamen est, & cæt. Proponit Philosophus sex instantias, id est, quæ instantiæ videntur esse. Prima, contra id quod secundum quid inest, est hæc. Non sequitur, quidam natura sunt liberales, casti, ac studiosi, igitur sunt simpliciter liberales, casti, ac studiosi. Ad quam respondendum est, determinationem natura aut naturaliter, determinationem esse non restringentem, sed verius alienantem aut distrahentem. Secunda est, contra id quod inest secundum quando, eiusmodi. Non contingit aliquid (quod videlicet successiuè est corrumpendum) corrumpi in instanti, non ergo contingit illud corrumpi simpliciter. Ad quã respondendum est, negatiuam esse ductã argumentationẽ a parte in modo ad suum totum, id quod præcipuè in hoc ratiocinandi modo est vitandum. Insuper etsi determinatio (in instanti) restringat limiteq; corrumpi affirmatiuè sumptum, non tamen si negatiuè accipiatur, cuius collatione verius est diminuens determinatio. In tertia autem, contra secundum vbi allata, quæ est. In loco morboso expedit dieta vti, id est, certa victus obseruantia, ergo & simpliciter expedit, determinatio similiter est dimi-

Quid totũ in modo, quidve pars respondens.

Quadruplex pars in modo.

Prima.

Primus literæ locus.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Sex in litera assignatæ instantiæ.

Prima.

Solutio.

Secunda.

Dilutio.

Tertia.

est diminuens. In quarta, quæ est contra secundum vbi, in aliquo videlicet loco tantū vnū possibile est esse, ergo tantum vnum possibile est esse: quodammodo colligitur negatiuè a parte in modo ad totum cum totius distributione, perinde ac si diceretur, non queunt hoc in loco esse plura, ergo absolutè nequeunt esse plura. In quinta, quæ est, Tribalis bonum est patrem sacrificare, igitur bonum est simpliciter sacrificare patrem, determinatio (in Tribalis) similiter est diminuens. Hanc autem instantiam asserit Philosophus non rectè induci contra secundum vbi, sed potius contra secundum quid. Nam vbicunq; fuerint Tribali, illis bonū est parentes mactare dijsque sacrificare. Sunt autem Tribali populi Thraciæ, qui ad Istrum vsq; se fundunt, Apud multas nationes olim execrabilis ritus fuit, ad aras suorum deorum immolare homines, Vt Gallis, Diti & Saturno. Schytis in Taurica regione, Dianæ. Tribalis etiam, patres sacrificare moris fuit. Sexta est, expedit medicari quando quis ægrotat, igitur simpliciter medicari expedit. Atq; hęc eodem quo proximè superior laborat morbo, quippe quæ determinationem accipiat diminuentem, non oppositam secundum quando, sed potius secundum quid. Quæ sequuntur in litera apertiora sunt, quàm nostra egeant declaratione. Hactenus de ijs quæ ad huius secundi libri literæ expositionem videntur pertinere, prosecuti sumus. Reliqua autē quæ ad omnium locorum intelligentiam desiderari possunt, pro virili nostra mox pertractabimus.

Quarta. Quinta. Triball. Sexta. Solutio.

At locos ab Aristotele hoc libro traditos, excepto illo generali, quo ab inesse ad denominare, & contra a denominate ad inesse argumentari instruimur, quàm breuissimè monstrat hæc subiecta formula.

1. A trium prædicatorum distinctione accidentis comparatione.
2. A partibus & toto in quantitate.
3. A definitione.
4. Ab instantia.
5. Ab autoritate.
6. Ab æquiuoco.
7. Ab amphibologia.
8. A transsumptione.
9. A subiecto genere.
10. A supposita specie.
11. A genere & specie prædicatis.
12. Ab antecedentibus & consequentibus.
13. Ab antecedentium & consequentium multitudine.
14. A contrarijs immediatis.
15. A nominis interpretatione.
16. A disparatis.
17. Ab eo quod sibiipsi ponitur accidere, quem vocant nonnulli a polyonymis.
18. A complexione contrariorum.
19. A contrarijs dupliciter.
20. A contrariorum subiecto.
21. A contradictorijs secundum consequentiam in ipso, vel econtrario.
22. A contrarijs simili modo.
23. A priuatiuis simili modo.
24. A relatiuis eodem modo.
25. A coniugatis & casibus.
26. A causis & euentis, siue a generatione & corruptione.
27. A simili ad vnum vel plura.
28. A maiori tripliciter.
29. A minori tripliciter.
30. Ab appositione.
31. A comparatiuo.
32. A parte in modo, siue a determinatione loci, temporis, vel modi.

τέλΘ·.

Auctarium in secundum

TOPICORVM ARISTOTELIS DE LOCIS

DIALECTICIS, COMPLECTENS ABSOLVTAM INVENTIONIS Dialecticæ methodum, quæ aperit locorũ vsum, in quærenda omni quæstioni tractandæ materia, in tractandis affectibus, denique in omnibus ijs, quę vel à Rhetore, vel à Philosopho, vel etiam à quocunque disserente ex artis præscripto obseruãtur, vt hinc lector studiosus facilè promptus euadat ad iudicandum de scriptis autorũ, simul ad instituendam orationem de omni themate, in quacunque versetur disciplina.

Ex præscripto eorum, qui tyrones curæ nostræ concreditos, ad expeditam disserendi copiam exercent.

EXecuti hactenus quicquid in secundo Topicæ artis volumine, fusius explicãdũ usque illustrandnm, aut carptim adnotãdum videbatur: grande nobis operæprecium speramus facturos, si hoc Inuentionis caput, quod Aristoteles hoc secundo libro, qualicunque locorum enumeratione perstrinxit, vberius copiosiusque explicemus. Quam rem, ita demum exorsuros atque adeo prę̃stituros ex re auditorũ putamus, si causas expoluerimus, quibus adducti, post Aristotelem, Themistium, Ciceronem, Boetium, Rodolphum, cæterosque alicuius nominis Dialecticæ patronos, de sola inuentionis parte Auctarium hoc adscribamus. Dialecticæ, hoc est, (verbum è verbo) disserendi facultas, absoluitur partibus duabus, autore M. Tullio in Topicis. Altera inueniendi, quæ ad vsum potior est, & ordine naturæ prior. Altera iudicandi, quã Stoici propriè signateque dialecticen appellant, vtpote proximum differendi instrumentum. cum inuẽtionis pars, duntaxat materiam dialectico subministret, in quam ex iudicij præscripto, formã argumentationis inducat. nam & definiendi ac diuidendi artificium pertinet ad inuentionem dialecticam, vt quod materiam suppeditet, formæ argumentationis capacem. Quanquam alia quadam ratione definitio ac diuisio referuntur ad partem iudicandi, quatenus scilicer definire ac diuidere certa lege dialecticus docet, quæ ipsa lex ex æquo competat in materiam cuiuscunque disciplinæ. Iudicium aũt verbosius tractare post libros Priorum Analyticorum ac Posteriorum, vt reliquos dissimulemus, nihil erat opus, cum ibi latissimè hanc partem, omnium huius ætatis dialecticorum sententia, noster Aristoteles exequatur, Ac ea planè methodo qua & percipi primùm in scholis, & percepta teneri facillimè potest. De inuentione autem ratio ferè in diuersum recidit. hæc enim licet eleganter copioséque per singula quæstionum genera ab Aristotele tradita sit, tamen loci sparsim per diuersos libros fusi, magis exercitio peritiorum qui cõpendium aliquod prius didicerunt, quàm iuniorum captui ac memoriæ accõmodati esse videntur. Aliam igitur viam sequentes, puerorum ingenijs (vt nobis quidem videtur) magis accommodam, in hoc nostro Auctario, in quo de omnibus, in genere locis dialecticis, seu probabilia contineant argumenta, seu necessaria, tractabitur, familiaria potissimùm exempla proponemus, suppressis dedita opera plerisque abstrusioribus, a rudium tyronum captu alienis. nisi res interim poposcerit, vt simus copiosiores, Dehinc locis ordine digestis, nomina suum cuique dabimus iamolim Boetio & Græco interpreti Aristotelis Themistio vsurpata, omniumque huius Academiæ philosophorum vsu quotidiano protrita. Nec Maximas interim propositiones negligemus. Quæque præterea videbuntur ad præsentis instituti rationem spectare. Verùm de his latius in sequentibus. Nos rem aggrediamur.

Iudicandi pars cur hoc loco nõ tractetur, vt inuentio.

Qua ratione in præsenti tractatu pcedendũ.

Præmittitur tractatio de quæstione, vt hinc de argumentato & loco statuamus.

LOcorum vim omnem & rationem explicaturi, prælibanda quædam esse duximus de natura & officio quæstionis: hæc enim proponit scopum, ad quem omnium locorum argumenta ceu tela diriguntur. Dialecticus cum sit artifex disserendi, requirit materiam, in

quam

quam vires suas experiatur. ergo quęstionem proponit aliquis, ex qua elicitur thema siue status, quem artis suæ regulis tractare dialecticus, prout feret natura rei, debeat. Quæstionem itaq; visum est hoc pacto definire. Quæstio est, cum interrogatione elata vox, siue dictio illa sit, siue oratio. vt quid est antiphus? an cœlum est rotundum? Nam haud quaquam putamus Rodolpho hic assentiendum, qui contra Aristotelem & reliquos veteres contendit, quæstionem esse orationem cum interrogatione elatã. ad quam simpliciter affirmando aut negando responderi potest. etenim cum quæstio sit dubitationis indicium, quo inuitatur dialecticus ad docendum. equidem contenderim, omnem vocem cum interrogandi particula a dubitante propositam, aptè hoc vocabulo notari, seu responderi possit, est, non est: seu longiori oratione, & responsione alioqui obliqua, satisfieri debeat interroganti. Tum quod ait, orationẽ esse, parũ videtur cum dialectices officio posse exæquari. nam dialecticus in vniuersum circa omne thema versatur, quod aliqua docẽdi via possit explicari: atqui primũ constat moueri quæstionem de simplici themate, vt an sit, quid sit, quale sit, quas habeat partes, quam causam, quæ officia. Deinde de themate complexo, vt an habitantes sub æquinoctiali sint diuturnioris vitæ, quàm populi septẽtrionales? Verùm verè dixit Aristoteles, mundum esse ingenitum? & quæcun, præterea quæstiones oratione complexa proferuntur, quibus nimirum de veritate propositi thematis ambigitur. Eâdem de causa Boetius quoq; in primo de Topicis differentijs non plenè descripsit, quæstionem esse dubitabilem propositionem. cum simplex quoque vox cum interrogatione clara, quæstionis ambitu contineatur. nisi Boetius dicatur quæstionem ad locorum naturam attemperasse, qui proculdubio ab Aristotele & reliquis omnibus tractati sunt, quatenus themati complexo subseruiunt. Quanquam non inficiamur thematis incomplexi locos in albo dialecticorum locorum descriptos esse, vt definitionem, diuisionem, causas, partes, similia, dissimilia, pugnantia, contraria. sed illi ipsi ab Aristotele, Boetio, Rodolpho, & alijs, referuntur ad differendum argumentationis instrumento de themate complexo. & quod Rodolphus libro secundo tam operosè cõtra Aristotelem disputat, dialecticæ materiam non esse problema, nullo ferè negotio discernetur. Aristoteles enim nomine dialectices accepit eam totius logicæ facultatis partem, quę de cõplexo themate probabilibus, id est, verisimilibus & non necessarijs argumentis differere docet, Artem verò differendi ex necessarijs argumentis, expediuit in vtroque libro Posteriorum. Rodolphus contra vult, omnem quæstionem compositã ad dialecticum pertinere, siue de ea verisimilibus argumẽtis differere possit, siue necessarijs, siue in speciem duntaxat plausibilibus, quæ in fabulosis & mythologicis orationibus adhiberi solent. Certè hæc omnia consistunt intra dialecticæ professionis terminos. At falso interim coarguit Aristotelem, qui aptissimè partes dialecticæ proprijs officijs discreuit, particulatim omnia exponens, quæ cõmuni quęstionis appellatione Rodolphus parũ distinctè significauit. Quód si quis fidem huic nostræ cõmentationi velit abrogare, producemus in defentionẽ partium nostratũ, non recentiores dialecticos, quorũ autoritas a Rodolphi sectatoribus facilè eleuetur, aut prorsus etiam repudietur, sed ipsum Boetium veteris philosophiæ interpretem religiosissimũ, qui Topica Ciceronis enarrans, in ipso statim capite Ciceronianę orationis loquitur in hanc sententiam. Ratio diligens differendi, quã Cicero sic appellat, a Peripateticis veteribus, logicæ vocata est, continens in se inueniendi iudicandiq; artificium, a Stoicis & Platone dialectice, quòd hi alterã partem quę iudicandi dicitur præcipuè sint prosecuti, inueniendi arte in totũ relicta. Porrò Aristoteles logicę facultatis princeps, totã differendi artẽ complexus est, quæ triplici partitione continetur. Aut enim definit, aut partitur, aut colligit. Colligendi facultas autẽ triplici diuersitate tractatur. Aut enim veris & necessarijs argumentationibus dispositio discurrit, & disciplina vel demonstratio nuncupatur. Aut tantum probabilibus, & dialectica dicitur. Aut apertissimè falsis, & sophistica, id est, cauillatoria, perhibetur. Logica igitur primũ de definitione, deinde de partitione, tum de collectione ex necessarijs, vel ex probabilibus, vel ex sophisticis argumentis, in cõmune tractat, atque huius postremi generis vnam partem Aristoteles dialecticam vocat, id est, facultatem per probabilia colligendi. Consimili ferè differentia Boetius indicat plenũ officium logicę facultatis, in calce libri primi de Topicis differentijs. nisi quod oratorem a dialectico separauit. qui locus an verum contineat, iudicandum est ex illa disceptatione de locorum dialecticorum & rhetoricorum differentia. quam prosequitur Boetius in quarto eiusdem operis volumine. Exactius tamen videtur Agricola tractasse, libro secundo, capite decimo octauo. Rectè igitur Aristoteles problema statuit esse materiam, non totius logicæ facultatis, sed eius partis, quam teste Boetio Peripatetici dialecticam vocauerunt, ab Aristo-

Definitio quęstionis. Quæ defenditur cõtra Rodolphũ Agricolam.

An rectè Boetius descripserit quęstionem.

De materia dialectices, Agricola secus q̃ Aristoteles.

Boetius in Topica M. Tullij, cum Aristotele sentit.

Idem lib. 1. de differẽtijs topicis.

ab Aristotele octo libris Top. explicatam, in quibus crebra est mensio dialecticæ siue topicæ disciplinæ. Contra, malè Rodolphus definitionem ac diuisionem a dialectico auulsam, soli metaphysico propriam fecit, quando circa quæstionem simplicem, hoc est, simplicis thematis, dialecticus definiendo diuidendoq; versatur, vt circa quæstionem complexam argumentando. Nomine enim dialectices, totā logicen Rodolphus intellexit. Vt autem in vniuersum de quæstione statuamus, visum est eam hac diuisione explicare, vt singulis partibus sui loci accommodentur. Quæstionum alia est simplex, alia enunciatiua. Simplex est, qua de re ali qua simpliciter interrogamus. Species huius enumerari possunt breui catalogo. Prima est, qua ambigimus quid vox significet, vt habet Aristoteles in primo Posteriorū. Cæterùm in omni disputatione, quæ de simplici re instituitur, initio statuendum est, quid nomen significet, ne disputantes, nominis ambiguitate inuicem ludificentur, vel tanquā in tenebris errantes, omnia differant in incertum. Huic quæstioni adhibetur definitio quid nominis, siue etymologia & interpretatio vocis. de qua rhetores huius tempestatis, in statu definitiuo differere consueuerunt. Secunda quæstio est, an res sit, vt ecquid sint antipodes? num fuerit aliquando diluuium illud Platonicum? an exoriturus olim sit Antichristus? Quibus exemplis datur intelligi, quæstionē An sit, quadrare in omnes temporū differentias. licet ex præsenti de reliquis omnino statuere oporteat. Tum illud quoq; perspicitur, in quæstione, an est, plures nōnunquam includi pro numero terminorū & rerum quæ significātur, vt an fuerit diluuium? an vixerit olim Plato? an de diluuio pronunciauerit in suis legibus? tres inquam hæ quæstiones in vnica illa cōtinentur. Quanquam, si quis exactè iudicet, fatebitur, dictam quæstionem non esse simplicem omnino, sed in partes simplices solui posse. nisi contendas, omnem eam dici simplicem, qua non de veritate inquiritur, sed rei vel rerum simplici natura. siquidem alioqui eadem ipsa quæstio censebitur esse prædicatiua, vt mox apparebit. Tertia inuestigat quid res sit, vt quid Deus, quid antipodes. hanc terminare oportet definitione rei, aut substituta in eius locum descriptione, vel denique genus rei, si fuerit ipsa res vniuersalis. aut species, si fuerit singularis, satisfaciet quæstioni, si definitio nō suppetat. Huc referri debēt, quæcunq; ad explicandā rei essentiam conferunt, etiam accidentia, si reliqua desiderentur, vtpote quæ magnum conferunt adiumentum, ad cognoscendum τὸ τί ἐστι, vt habet Aristoteles primo de anima, quod latinè vertunt, id quod quid est, pro qua periphrasi Rodolphus mallet dicere quiditatem, si per grammaticos liceret. Quarta quæstio quærit de qualitate, vt qualis est anima, materialis, an immaterialis? mortalis an incorruptibilis? Ad hanc responderi solet vel differentia, vel proprium, & nonnunquam accidens, vel potius multa cumulo accidentia, quæ sunt instar vnius differentiæ substantialis. Quinta species quæstionis est, qua de causa rei propositæ ambigimus. Hanc vocat Aristoteles secundo Posteriorum τὸ διότι, propter quid. Verùm ea hoc loco peculiariter, non de veritate complexi thematis, sed de propria rei causa, præsertim efficiente inquirit. nam forma & materia in definitione ferè includuntur, & finis in sequēti intelligitur quæstione. Sexta est, qua quæritur, quis sit rei effectus, quæ vis, quod officium. huic autem propriè satisfit reddendo finem proximum, vt quis dialecticæ finis, siue quod officium? Finis autem vltimus nomine effectus, siue officij, non perinde significanter venit, vt hominis finis vltimus est beatitudo cælestis. quare finis quæstionem, si ita lubet, ad caput causæ reducamus. Septima est, quæ vestigat de re, quot & quas habeat partes. Hanc trifariàm nonnulli distinguunt, vt principio de partibus nominis, hoc est, multiplici significatu. deinde de membris, quæ partitione proueniunt. tum de speciebus, quæ subiectiuæ sunt partes, quæratur. Quid autem sit discriminis inter partitionem & diuisionem, non attinet hoc loco explicare. suffecerit partitionem dici a partibus integralibus, diuisionem a subiectiuis. Octaua quęstio vno cōplexu potest efferri, vt inquiramus, quæ similia, quæ contraria, quæ affinia, quæ pugnantia. de re enim proposita hi loci admonent, quid sit differendum, licet aliquanto longius argumenta petantur. Videas tamen plerosq; de simplici themate ita differere, vt a similibus, a contrarijs, item ex partibus inter se iuxta locos eiusdem & diuersi comparatis, venentur totā rei vim & quiditatem. Ex istis facilè fuerit cognoscere, quàm latè pateat vsus simplicis quæstionis, quandoquidem dicto ordine tractare solent disertissimi quiq; viri, nominatim Aristoteles in decem libris moralium, felicitatis naturam & partes, per virtutum gradus declarans. Et Cicero, quid officium, quotuplex, in quibus negocijs, quo delectu exercendum, graphicè explicat in tribus illis Officiorum voluminibus. sic reliqui omnes, vbi docendi officium instituunt, filum harum quæstionum sequuntur, tum operosis voluminibus, tum in scholasticis disputationibus suntque nimirum hi ipsi,

Diuisio quęstionis.

Simplicis quæstionis genera.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octaua.

quos Boetius in fine libri de Topicis differentijs philosophi nomine intellexit, quos & hodie passim non rhetores, non dialecticos, sed apposito nomine, possumus philosophos appellare, quod alicuius artis materiam prosequentes, per eiusmodi locorum gradus paulatim ad fastigium veritatis & sapientiæ, rudem discipuli animum perducant. Enunciatiua quæstio est oratio, qua de enunciatione interrogamus. Quam diuidimus in prædicatiuam & compositam. Illa categorica, hæc hypothetica recentioribus dialecticis nuncupatur. Prædicatiua, quam simplicem dicere possumus, est, quę vnum prædicatum de vno subiecto, interuentu copulæ verbalis, enunciat, siue complexa alioqui sint extrema, siue incomplexa. Composita quæstio vel vsitatius hypothetica, dicitur, quæ multa interrogat, coniunctionis tanq̃ principalis copulæ interuentu. Huius species notæ sunt. Copulatiua, vt voluatúr ne cælum iam inde ab æterno, & terra in medio quiescat? Disiunctiua, vt num aut dies est, aut nox est? Vtrum aut cælum est perpetuum, aut cessabunt aliquando rerum inferiorum generationes & corruptiones? Conditionalis, an, si terra inter solem & Lunam obijciatur, necessarió pro ueniat Lunæ defectus? Ad has referuntur, quæcunq; Boetius de hypotheticis disseruit, quæ Trapezontius, quæ alij huius quoque sæculi scriptores. Porrò autem diuisiones quæstionis a Rodolpho traditas, haud difficulter ad istam reduxeris. Modales item, quas hodie passim vocant, pari iure veniunt intra præscriptam diuisionem. Si quis rationem desiderat, quam ob rem illam vnicam diuisionem deligendam putauerimus, in promptu est, eam ex officio dialecticæ obuia coniectura adsequi. Loci enim in commune, hoc loco nobis enarrandi, referuntur ad eum finem, ad quem dialectice tota, hoc est, ad differendum de omni themate, quod in quæstionem vocari potest. Quoniam itaq; prima diuisionis membra, quæstiones generatim distinguunt, non relatas ad hanc illámve scientiam, non ad hunc illúmve quærendi modum adstrictas, sed absolutè descriptas, vt immediatè possint organo dialecticæ tractari atque expediri: Simplices quidem definitionum ac diuisionum regulis: Enunciatiuæ autem, instrumento argumentationis. Hanc nimirum ob causam arbitrati sumus, non modò sufficere præsenti loco diuisionem illam, verùm etiam reliquas omnino superuacaneas esse. Hanc autē ipsam diuisionem, quo singulatim partes obuiæ essent, visum est in tabula oculis tyronum exhibere.

Enunciatiua quæstio bipartita est.

Prędicatiua

Composita

Cur ista diuisio quęstionis præ cæteris magis placeat.

Quęstio est cum interrogatione elata vox, siue dictio illa sit, siue oratio. diuiditur hæc in

- Simplicem, id est, qua simpliciter de re aliqua interrogamus. Cuius partes octo numerantur.
  - Prima, qua ambigimus, quid vox significet. vt quādo quęrimus, Quid sit seruitus? Quid libertas? Huic quæstioni adhibetur definitio quid nominis, siue etymologia.
  - Secunda, an res sit. vt cum quærimus, An sint Pigmæi? Fueritne aliquando Troia? Sitne futura rerum omnium quies?
  - Tertia, qua dubitamus, quid sit res. vt qua quęrimus, Quid sit Deus? Quid antipodes? Hanc quæstionem terminare oportet definitione, aut substituta in eius locum descriptione.
  - Quarta, qua sciscitatur quis, de qualitate rei. vt cum quæritur, Qualis sit anima? materialis an immaterialis? corruptibilis an incorruptibilis?
  - Quinta, qua inquirimus, quæ sit rei causa. vt quæ fuit causa priscis mortalibus condendarum legum?
  - Sexta, qua quęrimus, quis sit rei effectus. vt cum quærimus, Quis sit finis vltimus hominis?
  - Septima, qua quærimus, quot & quas habeat partes. vt, Quę sunt partes animæ? Quibus partibus cōstat respublica?
  - Octaua, qua quęrimus, quæ similia, quę contraria, quæ affinia. vt, Quæ vitia contraria magnificentiæ, quę tantum affinia?
- Enūciatiuā, id est, qua, verū an falsum sit, quod significatur oratione, interrogamus. diuiditurq; in
  - Prædicatiuā, id est, qua vnum prędicatum de vno subiecto interuētu verbalis copulæ interrogatur, huius partes sunt tres.
    - Prima est, qua quęrimus, an sit res, id est, an res, tota oratione significata sit vera. vt an sint Troiani?
    - Secunda, qua quęrimus, an hoc sit illud. vt an bellum sit iustum?
    - Tertia est, qua quęrimus, quomodo hoc sit illud, quæ potest diuidi in quatuor membra pro numero prędicatorum. Verùm hæc è Rodolpho desumpta, aliubi videntur altius expendenda.
  - Cōpositā vel hypotheticā, quæ multa interrogat, cōiūctionis tanq̄ principalis copulæ interuentu. hęc species habet præcipuas.
    - Copulatiuam, vt voluatur ne cęlum iam inde ab æterno, & terra in medio quiescat?
    - Disiunctiuam, vt num aut dies est, aut nox?
    - Conditionalē, vt an si terra inter Solem & Lunam ponatur, necessariò proueniat Lunæ defectus?

Descripta quæstione, atq; in partes suas distributa, proximum est, vt perstringamus, qua ratione inueniri possit, vt inuentæ quæstioni, totius orationis argumenta concinnè aptentur. Hanc autem quæstionis inuentionem esse necessariam, docet Rodolphus, eò quòd patefacit nobis statum & præcipuum orationis scopum seu finem, qui ab omni differente prospici, & perpetua intentione retineri debet. Alioqui enim quid oratio conficere velit, quid a differente expectādum sit, nemo intelliget, ideoq; dicentis labor in cassum abibit,

De inueniēda quęstiōe.

finem verò commonstrat promptissimè ipsum genus causæ. nam pro causæ diuersitate opor
tet aliũ atq; alium statuere scopum orationis. vt verbi causa, finis in genere didascalico est do
cere, in genere suasorio lenire dolorẽ consolando, aut dissuadendo ab instituto auocare: & in
alijs consimiliter, finem ex ipso negocio seu causa poteris coniectare. Inuenitur quæstio, teste
Agricola, bifariàm. tum in oratione, quæ aduersarium habet & cõtentione duorũ pluriũmve
absoluitur. tum in oratione vnius partis quæ obsequentẽ habet auditorem. Ex contentione
oritur quæstio, vbi disceptantes cœperint consistere, vt neuter alterũ progredi aut elabi pati-
atur. Et in scholasticis quidem certaminibus, ex opponẽtis intentione & respondentis contra
dictione, statim obuia est quæstio. In ciuilibus autẽ negotijs, aliquando perplexa est quæstio-
nis inuentio, propter causæ obscuritatem. Ex quęstione porrò elicitur status, quem Cicero,
Quintilianus, & alij permulti videntur accepisse pro ea sententia, de qua in oratione potis-
simùm dubitatur, etiam si sit propositio minor: vt in Miloniana oratione obijcitur Mi-
loni, quòd occiderit Clodium, Fatetur Milo, instant Clodiani, Milonem teneri lege Cor-
nelia de Sicarijs: negat Cicero. Quæstio est, an teneatur. & quia iure occidisse contendit Mi
lo, quòd insidiatus sit Clodius, status elicitur, Clodium fecisse Miloni insidias: in quo argu-
mentis muniendo Cicero potissimùm elaborat. Alij, quos distinctius putauerimus loqui, no
mine status venire adfirmant conclusionẽ pręcipuam, qua confirmata, stat & consistit oratio
nis conatus, estq; finis & scopus vltimus differentis comparatus, vt in dicta oratione pro Milo-
ne, status erit nõ minor, sed conclusio principalis, Iure Milo Clodium occidit. Oratio vnius
partis, minus expositã habet quæstionẽ: idcirco Rodolphus trium consideratione eruere atq;
inuenire quæstionem docet, personarum, rerumq; & conatus siue intentionis. Hoc ipsum in
consolatione, in gratulatione & gratiarum actione, declarat exemplis. Breuiter in genere de
liberatiuo, & demonstratiuo, quæstionis hæc constitutio maximè locum habet, vt prior illa
in genere iudiciali, sub quo comprehendimus scholastica exercitamenta. Quæ Rodolphus
addit continuò, de ratione deducendi quæstionem vnã in plures, tum ex ijs quæ verbis conti
nentur, aut necessariò, aut ex cõditione quadam & circumstantia. quæq; sub calcem eiusdem
capitis habet, de adhibendo iudicio & delectu, in tam ampla quæstionum copia & varietate.
Suffecerit quantũ ad quæstionis diuisionem attinet, vno exemplo rem declarare, vt simili ex-
ercitatione prompti euadant adolescentes, ad inueniendum propositæ quæstioni idoneum
argumentũ, quod sine hac propagatione ac multiplicatione quæstionis, quasi in tenebris deli-
tescet, aut parũ appositè & distinctè accõmodabitur, dum ignoratur, quid in quæstione propo
sita lateat, & item de quo potissimùm dubitetur. Exemplum habet Rodolphus, quod breuis
simè hoc pacto reddi potest. Sit quæstio, An rectè Cato Martiam tradiderit Hortentio: hæc
ex verbis ipsis diuidetur in istas, an fuerit Cato, an fuerit Martia, an fuerit Hortensius. tum in
has, An Cato Martiam tradiderit, An Cato Martiam Hortensio tradiderit, An rectè tradi-
derit Cato Martiam Hortensio, quæ prima omnium proposita, nunc tandem diuisione qua-
dam, postrema est constituta. Ex his quæ verbis continentur, & quidem necessariò, prædicta
quæstio diuidetur in has, An rectè quis vxorem tradiderit alteri. Cui insunt hæ, An habuerit
quis vxorem, an dimiserit, an dimiserit rectè. an tradiderit, an rectè tradiderit. Deinde pro ge
neribus subijciendo species, reditur ad caput quæstionis: An Cato habuerit vxorem, an re-
ctè, an dimiserit, an rectè, &c. Itẽ an Cato habuerit Martiam, an rectè, An dimiserit, &c. De-
niq; an Hortensio tradiderit, ex qua oritur prima quæstio, An Cato Martiam Hortensio re-
ctè tradiderit. Hic palàm est, aliquem hominem in Catone, alterum hominem in Horten-
sio, vxorem in Martia necessariò contineri. ex quibus facta est quæstionis propagatio in
multas. Ex ijs autem, quæ conditione quadam insunt verbis, hoc est, continentur ex qui-
busdam circumstantijs, quæ thesin transferunt ad hypothesin (vt aiunt rhetores) hæ ori-
untur: An Cato, philosophus Stoicus, ciuis Romanus, Senator, homo spectatæ seueritatis &
constantiæ, Martiam, fœminam nobilem, benè moratã, opulentã, forma & pudicitia conspi-
cuam, trium liberorum matrem, tradiderit, rectè, habita nimirum ratione loci, temporis, mo-
di, & aliorum similium, Hortensio, viro nobiliori, liberius viuenti, consulari, opibus, gra-
tia, facundia claro. His inest circumstantia & conditio quædam tacita, si talis sit Cato, si ta-
lis sit Martia, si talis Hortensius, qualem circumstantiæ descripserunt, an tum rectè tradi-
derit: quæ omnia expressa faciunt hypothesin, vt modò fecimus. Thesin autem, si genera-
libus verbis includantur, vt an Cato rectè Martiam Hortensio tradiderit, in quibus latent
omnes circumstantiæ. neq; hypothesis est, quia nihil interest, Catonis proprio nomine vta-
ris, an hominis, modò substãtia Catonis sola intelligatur. Verùm ista nolumus in præsentia
prosequi

Idq; bifariã.

Ex cõtentione.

Hinc status elicitur.

Tũ ex oratione vnius partis.

Ratio multiplicãdę quęstionis, exẽplo indicat.

In q thesis ab hypothesi discernit.

proſequi verboſius, partim, quòd a Rodolpho ſint explicata, partim, quòd a nobis longiori catalogo expoſita, nihil tamen peculiaris iudicij adderent in cognoſcendo locorum vſu, & copia huius Topicæ facultatis dijudicanda, quando communiter hæc ratio multiplicandæ quæſtionis obſeruari poteſt a dialectico & oratore. licet alio genere, ſcilicet illuſtrandæ orationis, a dialectico munus oratoris ſecernatur.

Præter hæc opus eſt inſtrumēto & tractatu, de quibus Agricola.

EXpoſito capite quæſtionis, reſtare videtur, vt tractemus de inſtrumento tractandę quæſtionis, hoc eſt, oratione. tum de vſu tractatuq; locorum, quo ſcilicet de omni quæſtione diſſerendi promptitudo & facultas expedita comparatur. Nos tamen conſulto hæc omnia præterimus, tum quòd apud Rodolphum tam copioſè explicantur, vt non poſſint magis, tum quia præſentis inſtituti finibus contenti, explicatius diſſerere volumus de natura locorum, è quibus deprompta argumenta, quæſtioni propoſitæ cōmodè & appoſitè ad fidem, accommodantur. Hoc ſollicitè interim monemus, vniuerſam locorum farraginem parum fructus dialecticæ candidatis allaturam, niſi tota illa Rodolphi, de inſtrumento diſſerendi, & vſu locorum tractatio, bene meditata & explorata penitus habeatur. quandoquidem præter materiam (de qua in locis agitur) cum primis requiritur argumentationis forma, qua deficiente, nullum è locis ductum argumentum, ad fidem rei dubiæ adſtruendam ſatis idoneum erit. Quantum verò ad cumulum inuentionis & iudicij, acceſſio promptæ & expeditæ copię requiratur, palàm eſt iudicare ex eis, qui certis argumentorum eruendorum legibus addicti, ſemper de aſini vmbra, mira loquacitate nugantes, protinus infantes, & nudi argumentorum apparent, vbi extra vſitatam illam diſputandi arenam deſcendendum eſt ad ſerium certamen, in quo de aliqua re graui ſeriò diſſerendū eſt. Priuſquam ad loci definitionē veniamus, explicandū eſt, quis argumenti vſus, quę deſcriptio, vt hinc de loci ratione liquidò ſtatuere poſſimus, quando locus omnino penſandus eſt ex argumenti qualitate in loco reſidentis. Neceſſarium eſſe quæſtioni argumentum, graphicè demonſtrat Agricola primi libri cap. 2. vbi in hanc ferè loquitur ſententiam. Nulla res dubia, de qua per quæſtionem ambigitur, ex ſeipſa fidē adſequi poteſt. ſed aliquo magis explorato extrinſecus adhibito debet probari. perinde vt tenebræ indigent lumine aliundè illato. Nec tamē probādis omnibus omnia cōueniunt. quid enim diſſerenti de optimo ciuitatis ſtatu profuerit ſcire, reſpirent, nec ne, ſub aqua piſces? Et quanquam Ariſtoteles primo Priorum Analyticorum libro tradit, omne verum omni vero conſentire, aliud tamen eſt, ipſa inter ſe conſona eſſe vera, aliud fidem & aſſenſum aſſequi. Ergo, vt fides ei quod dubium eſt comparetur, adhiberi debet aliquid certa ratione coniunctum & cognatum rei probandæ, vt cum illo res probanda ſubſiſtere debeat, & rurſus cum eo ſubuerti, hoc eſt, vt ex eo ſeu affirmato ſeu negato, res proinde vel in hanc vel in illam partem diſputetur. Hic autem ſubmonere oportet, Rodolphum agere de quæſtione enunciatiua, non ſimplici, quæ duobus extremis, quæ τὰ ἄκρα dixit Ariſtoteles, enunciatur, quod his nimirum, inuentum è locis argumentum debeat accommodari, certa interim iudicij lege obſeruata, vt ſi ex præſcripto inuentionis & iudicij, argumentum cum extremis conſentiat, ſtatim arguat & probet, illa ipſa inter ſe conſentanea eſſe. Contra ſi diſcrepet, illa item diſſidere. Hæc obſcuriora videntur, verùm vtriuſque & inuentionis & iudicij vſum coniunctè Rodolphus aperuit adeò luculenter & ſpecioſè, vt videatur operæprecium totum fermè locum huc adſcribere. Videmus (inquit) in metienda rerum magnitudine, ſi duo ſint propoſita, quæ æqualia vel inæqualia oſtendere velimus, ſi huiuſmodi res ſint, vt applicari altera alteri nequeat, accipitur tertium aliquid, quod poſſit vtrique adhiberi. neque temerè illud, aut quoduis, ſed quod alteri ſaltem illorum ſit æquale. Id deinde alteri adhibitum, ſi fuerit & illi æquale, iam æqualia illa inter ſe dicimus. ſin inæquale, inæqualia. quoniam certum exploratumque eſt, eam magnitudinum eſſe proprietatem, vt quæcunque duæ cuiquam tertiæ ſint æquales, ſint & inter ſe æquales. & quarumcunque duarum altera, tertiæ alicui æqualis ſit, altera inæqualis, ſint inæquales inter ſe. Quorſum hæc? vt oſtendam, quēadmodum in magnitudinibus dixi, ſic in omni rerum natura eſſe, vt quæcunq; duo cuiquam tertio conſentanea ſint, inter ſe quoq; eſſe conſentanea. Conſentanea aūt voco, quorum poſſit alterū de altero dici, vt homini & ſubſtantię conuenit in animali, quoniam omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, ſequitur ergo conuenire ipſis inter ſe, hoc eſt, omnē hominē eſſe ſubſtātiam. Et contra. Quorumcunq; duorum alterum conſentaneum eſt alicui tertio, alterū diſſidens, ea quoq; inter ſe diſſident: vt lapidi & homini, lapidi quidem animal diſſidet, homini verò conuenit. certum eſt igitur lapidem & hominē inter ſe diſſidere.

Pręmittitur ad loci tractationē nō nihil de argumēto ex Agricola.

Si qua duo itaq; conueniant, nec ne, velis perspicere, si sint eiusmodi, vt quẽadmodum magni tudines diximus applicari non posse, sic & ista consentanea sint, an dissentanea ex ipsis peripi ci nequeat, necesse est, tertium aliquod inuenias, quod alteri horũ consentaneum esse certũ sit, idq; alteri deinde cõparatũ, proinde vt illi fuerit consentaneum, vel dissentaneũ, ita esse inter se ambo, quæ proposita fuerant, sciamus. Id tertium, tum medium argumentationis dicitur, quoniam proposita velut extrema duo coniungit. tum quia probabiliter propositis iungitur, instrumentumq; est faciendæ de illis fidei, vocatur argumentum. Hanc partem excogitandi vel medij vel argumenti, vocant dialectici Inuentionis. Altera est pars quæ Iudicandi vocatur. Ea cuiusmodi sit, ex prædicta eadem similitudine iudicemus. Cum mensurã aliquam metiendarum duarum magnitudinum sumpserimus: ea si proba esse debeat, necesse est certa & firma sit. quòd si aut extendi possit, aut in arctum contrahi, & quemadmodum ait Aristoteles de regula Lesbia, quæ ad parietis flectitur formã, sic ista aptetur magnitudini metiendæ, fallax nimirum erit. Hoc pacto vnũ illud, cui vel consentanea vel dissidentia ea quæ proponuntur diximus esse debere, id si opinione solum atq; adspectu, non re vera sit vnũ, fallemur argumentatione, euenietq;, vt quę consentanea esse ostendi argumentatione credimus, dissideant maximè: & contra, pro dissidentibus consentanea capiamus. Vt si dicamus, aliquod animal est irrationale, homo est animal, ergo homo est irrationalis. videtur quidẽ iungi in animali, irrationale & homo, sed perspicuũ est, non esse idem animal, de quo irrationale dicitur, & quod dicitur de homine, sed nominis tantũ ambitu & generis similitudine idem videri. Quod si adhibito iudicio, legem syllogismi obserues, dicasq;, omne animal est irrationale, homo est animal, ergo homo est irrationalis, iam quando pro consentaneis accipiuntur ea quę dissident, vt omne animal irrationale esse, nihil mirum est, homo & animal quanquam consentanea sint, hominẽ tamen & irrationale dissidere. Vt ergo certũ sit atq; liquidum, id quod in argumentũ assumimus, non facie, sed re vera, vnum esse. adhibita est inuentioni hęc iudicij pars, cui omnis de modis figurisq; syllogismorum præceptio & cautio omnis captiosarum argumentationum, quas fallacias dixere, subseruit. Hactenus Agricola, cuius verba declarãt illud ipsum, quod rei dubiæ quæstione cõplexa propositæ, fidem facit, proprio nomine dici argumentum, quatenus in genere complectitur veram probationem, siue necessariam, siue probabilem. Nihil enim huc facit quadripartita illa argumentorum differentia, quam habet Boetius in Topicis differentijs, ad separandum dialecticum a demonstratore: cum nos omnem verè disserentem, appellatione dialectici, aut si mauis, logici accipiamus. Rectè igitur Cicero in topicis definiuit, Argumentum esse rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.. & quoniam fides argumentationis instrumento conficitur, vt ad inuentionem, iudicium accedat, Boetius aptissimè descripsit argumentationem, vt sit argumenti per orationem explicatio. Quæ ipsa si nitio insinuat, argumentum ita demum censeri, si in oratione, rei dubiæ, tanquam ratio adhibeatur. siquidem extra orationem, res alioqui probatiua, dici potest causa, non autem ratio, itaque nec argumentum. Quin & in oratione res proposita non erit argumentum, nec ratio, nisi ipsa oratio præ se ferat habitum & formam argumentationis. vt si expositione sola enunciettur, causa dici poterit, ratio nequaquam: vt optimè distinguit Rodolphus libro secundo de inuentione, capite de expositione. Est enim causa per quam res est, vt in Posterioribus ostenditur. Ratio, per quam res dubia probatur: quapropter omnis causa censebitur & ratio, si in argumentatione proferatur. Id verò nomen ipsum argumenti refert, quo appellatũ est, quia rem dubiam arguat, & verisimilem faciat, idq; quatenus oratione prolatũ est, & propositionũ firma & certa contextione dispositum: vt asserit Boetius, & grammatici adnotant in illo hemistichio Maronis. Degeneres animos timor arguit, libro quarto Aeneidos. Contra non omnis ratio causa, effectus enim in argumentatione propositus ad causæ cognitionem, ratio est, causa esse nequit. siquidem effectus & causa relatiuè opponuntur. Hinc liquet, cur sensus, qui crebro rei dubiæ fidem facit, nõ sit argumentum. quia non est ratio. Cæterùm illud, Plus probat oculatus testis vnus, quàm auriti decem, referendum est ad probationes inartificiales, quæ in orationẽ translatæ pro re præsenti a dicente, hactenus argumẽta dici possunt, vt in progressu latius ex Agricola ostẽdemus. Res autem, cui argumentum adhibetur, dubia esse debet, aut tanquam dubia proponi. Cum enim argumentum eò adferatur, vt arguat & probet, non aptè notabitur hoc nomine, si rei manifestariæ accommodetur, quæ lucem probationis, quandoquidem est extra tenebras dubietatis, non admittit. Quod modò adiecimus, aut tanquam dubia, & cætera. Indicat hoc loco argumentum accipi generatim pro omni medio, seu dialecticæ, seu demonstratiuæ argumentationis, qua scilicet amplitudine considerantur a nobis

Iudiciũ quale sit.

Argumentũ quid, è Cicerone.

Argumentatio quid Boetio.

Ratio & causa quid differant.

Qualis res, cui argumẽtũ quæritur.

à nobis loci, ficut antea teftati fumus. Quanquàm non fumus nefcij, à nonnullis argumentum pro eo dumtaxat medio fumi, quod fit probabile, non certum. quomodo videtur Cicero in Partitionibus defcripfiffe, Argumentum effe probabile inuentum ad faciendam fidem. Quadruplex argumẽtum diftinxit Boetius, in calce primi de Topicis differentijs, in hanc ferme fententiam. Argumẽtorum omnium, Alia funt probabilia & neceffaria, Alia probabilia & non neceffaria, Alia neceffaria & non probabilia, Alia nec probabilia nec neceffaria. Probabile eft, quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel fapiẽtibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel maxime notis atq; præcipuis, & quod vnicuiq; artifici fecundum propriam facultatem, vel quod ei cum quo fermo conferitur, vel ipfi, qui iudicat, videtur. In quo nihil intereft, verum, an falfum fit, modò verifimilitudinem teneat. Ariftoteles verò in Topicis paulo ftrictius probabilia defcripfit, cum hic etiã primò verum dicatur probabile, quod tamen proprie videri cum formidine non poteft, licet in genere videatur, id eft, habeatur verum. Rodolphus libro fecũdo generaliter accepit, pro omni eo quod appofitè ad fidem dici pofsit, etiam fi fabulofum fit, interim redarguens immerito Ariftotelem, quãdoquidem probabilia ad fyllogifmum retulit dialecticum, qui peculiariter in Topicis confideratur. Agricola verò ad logicen vniuerfam, quæ omnem argumentationem fibi propofitam habet. Neceffarium, inquit Boetius, eft, quod vt dicitur ita eft, atq; aliter effe non poteft. videlicet probabile dependet ex opinione feu qualicunq; fide adfentientis, propter obuiam terminorũ fignificationem, & rei fignificatæ verifimilitudinem. Neceffarium verò ex indiffolubili extremorum connexione & certa rei veritate, fiue quis adfentiatur, fiue diffentiat. Probabilia igitur ac neceffaria dicuntur, quibus, cum aliter fe habere non pofsint, facile adfentiũtur audientes. vt fi quid cuilibet rei fit additum, totum maius efficitur. & reliqua principia, quibus ex fola terminorum fignificatione adfentimur, probabilia ac non neceffaria funt, quibus facile animus acquiefcit, licet ipfa veritatis non teneant firmitatem. vt mater diligit filium, quatenus in hac argumentatione proferri poteft, fi mater eft, filium diligit. Omne enim argumentum, re vera nomen fuum tuebitur, fi in argumentatione, rei probandæ adhibitum, natum fit arguere & probare, quamuis actu nullius rei faciat fidem. Neceffaria ac nõ probabilia funt, quæ ita fefe, vt dicuntur, habere neceffe eft. fed his non facile confentit auditor, vt obiectu lunaris corporis euenit defectus Solis, Sol eft tota terra maior. Si cauilletur quifpiam, hæc non dici argumenta, quòd cum probabilia non fint, proinde nec fidem facere pofsint. Refpondemus ex Boetio, ea dici per fe ac fimpliciter actuq; probabilia, quibus fponte atque vltrò confenfus adiungitur. atqui neceffaria & non probabilia, ab hac defcriptione reijciuntur, ꝙ ea non ftatim vt audita funt, approbare foleat auditor. Verùm vbi neceffariis ac probabilibus argumentis antea demonftrata fuerint, tum demum ad alterius rei dubiæ fidem trahentur, dicenturq; probabilia iam argumenta, quæ antequàm funt demonftrata, aut certè dialecticè probata, vt non funt verè & actu probabilia, ita nec argumenta actu fuerint, ne peritis quidem, inquantum & illi requirunt aliquam probationem, qua ad affentiendum inducantur. Porro quoniam argumenta dicuntur, non quòd arguant, fed arguere nata fint. probabilia quoq; dicentur, quòd faltem à peritis nata fint credi, poftquàm adhibita fuerit qualifcunq; probatio. Huius generis funt fpeculationes geometricæ, quæ theoremata Græci dicunt, quę tum deniq; cum demõftrata fuerint, aliarum fpeculationum vere & actu argumenta cenfentur. Neque neceffaria neq; probabilia funt. quæ neq; opinione hominum, neq; in veritate confiftunt, vt quod quifque non perdidit, habet. verum hæc, quia non faciunt re vera fidem ei, de quo dubitatur, argumenta dici nequeunt, nifi analogice. Hæc quatuor argumẽtorum genera, Boetius quatuor differendi facultatibus fingulatim attribuit. per artificem differẽdi promifcue intelligendo eum, qui vere differit aliqua de re, & eum qui differere videtur. Sunt autem quatuor artifices differendi, Dialecticus, Orator, Philofophus, & Sophifta. Dialecticus, vt à philofopho diftinguitur, & quatenus eft vtens tantum non docens, & fimul orator, in communi argumẽtorum materia verfantur, argumenta fequentes probabilia, fiue neceffaria fint, fiue non fint. Duo igitur genera, probabile & neceffarium, probabile ac non neceffarium confiderant. Vbi licet obiter admonere, ꝙ orator hic intelligitur, qui verifimilibus è medio fumptis cauffam fuam munire folet, cui Arift. in rhetoricis enthymemata, & exempla tanquam propria facit, vt dialectico fyllogifmos & inductiones. quod & in fecundo Priorum indicat, capite de inductione. Multo autem aliter extra locum præfentem, dialecticum à rhetore putamus difsidere, vt antea fubmonuimus. Philofophus fiue demonftrator de fola veritate pertractat, vt quæ fola fit fapientiæ finis & materia, Vendicat ergo fibi omne argumentũ neceffarium feu probabile actu, feu non probabile,

Argumentũ effe quadruplex, autore Boetio.

Probabile quid fit.

De quo Arifto. reprehẽdit immerito Agricola.

Neceffarium differt a probabili.

Primũ probabile & neceffarium.

Secũdũ probabile, & nõ neceffarium

Tertium neceffarium & nõ ꝓbabile.

Artifices differendi quatuor.

babile, quo duæ species designantur, necessarium & probabile, necessarium ac non probabile, quanquam species illa pertinet etiam ad dialecticum, alia ratione, videlicet quatenus probabile est argumentum. Sophista, qui sola imagine disserendi artifex est, vtitur argumentis, quæ nomine solo ita vocantur, hoc est, quæ neque probabilia sunt, neque necessaria, itaque ne argumenta quidem. Topicorum itaque intentio est, vt ait Boetius, verisimilium argumentorum copiam demonstrare, quæ propriè ad Dialecticum & Oratorem pertinent. Ad Philosophum verò, quatenus verisimilium aliqua, necessaria quoque sunt. Nos hic nolumus rimari, an rectè Boetius omnia probabilia, etiam generaliter accepta, putet ad locos pertinere Aristotelicos, tantùm affirmamus, in hoc nostro locorum Auctario omnia argumenta tractari, quę modò verè probatiua sint dubiæ propositionis, siue necessaria fuerint, siue probabilia duntaxat, non etiam necessaria, vel certè quæ ad explicandam simplicis thematis vim trahi possint. Exigenda namque sunt argumenta ad quæstionem, cuius ambitu complexi sumus in vniuersum omne thema, de quo ambigi possit, quod partim simplex, partim enunciatiuum esse ostendimus, quo fit, vt argumēta plæraque omnia, iuxta congruant in vtrumque thema. Quanquam vsus Dialecticorum iam olim propè obtinet, vt loci suppeditent argumenta problemati, hoc est, dubiæ quæstioni terminandæ. quomodo & Boetius propriè, non generatim locos accipit in eodem libro. Illa verò, inquit, argumenta, quę necessaria quidem sunt, sed non probabilia, atque illud vltimum genus, scilicet nec probabile nec necessarium, à propositi operis consideratione seiunctum est. Fatetur interim Boetius, necessaria quoque è locis dialecticis posse depromi, sed inquantum probabilia eadem habētur. Ex qua sententia protinus elucescit, quanta sit inuentionis dialecticæ seu localis disciplinæ commoditas, ne dicam necessitas, ad perceptionem altiorum facultatum. Magnum enim aliquid, sicuti Boetius ait, locorū consideratio pollicetur, scilicet inueniendi vias, quod quidem ij, qui sunt huius rationis expertes, soli prorsus deputant ingenio, neque intelligunt, quantum hac consideratione quæratur, quæ in artem redigit vim & potestatem naturæ. Quibus Boetij verbis, apertissimè consentit Aristoteles primo Topicorum, quo loco dialecticæ, hoc est, Topicæ facultatis commoda & vtilitates enumerat, cuius loci verba cōsultò dissimulamus, quia fusius inibi prosecuti sumus. Quin & Rodolphus libro secūdo Inuentionis, toti Logicæ tribuit vim adiuuandi naturam, & in certas artis regulas cogendi vniuersam expeditè & appositè differendi facultatem. cuius veluti semina quędam promiscuè omnibus indidit naturę parens Deus. locus autem (ne quis desyderet) est capite quinto. Peculiariter verò de locorū vi ex instituto agit toto hoc secundo libro. & vtilitates inuentionis grauissima oratione explicat primo libro, sub finem capitis primi. Vtilem autem (inquit) esse hanc locorū rationem apparet, cùm magnæ parti humanorum studiorum, quandoquidem plæraque in ambiguo hærent, & disserentium certaminibus sunt exposita. Tum verò eis præcipuè confert, qui tractant illa, quorum nullæ traditæ sunt artes. Dico, qui consilio rempublicam gubernant, quos de pace, bello, cæterisque ciuitatis negotiis in rem præsentē, sępe Senatui, sępe populo fidem facere oportet. quique in iudiciis item accusare, defendere, petere, abnuere, quique populū docere iustitiam, religionem, pietatem, in professo habent. Et mox tertiam exponit, nec instruere solùm os facultas ista, & tantùm dicendi copiam subministrare, sed prouidentiam animi, & rectè consulendi quoque aperire viam videtur. Quando non alia re prudentiam constare apparet, quàm perspicere, quid in quaque re sit positum. & consentanea repugnantiaque, & quo quicque ducat, quid ve euenire possit, colligere. Hoc autē ipsum confirmat, statim subiecto exemplo de Cicerone & Demosthene, quibus prudentiæ consiliique laus, vel ab emulis est concessa. quòd quæ dicebant in Senatu, in foro, antea prudenter, adminiculo scilicet locorū, cogitassent. Namque dicere, inquit, prudenter, nisi qui prudenter cogitārit, non potest. Constat igitur, hanc locorum dialecticorum facultatem Philosopho, Oratori, Dialectico, & quisquis insuper, vel aperta oratione disserit, vel tacita meditatione de quęstione aliqua tractanda occupatur, in primis vtilē atque adeò necessariam esse.

Argumenti in præsentia generatim accipi, vt omni themati adhibeatur.

Locorū vtilitas ex Boetio.

Aristotele.

Rodolpho.

Ex istis omnibus de argumento hactenus expositis, obuium erit cognoscere, quid sit locus, quem iamiam describemus, si prius breuiter indicatum fuerit, qua ratione loci principio inuenti sint ab hominibus ingeniosis. Hanc rem expedit Rodolphus in hunc ferè modum. Cùm nullæ dubiæ rei queat ex se constare fides, neque vlli quæstioni (vt nos addimus) absoluta tractatio adhiberi, sed ex aliis quibusdam notioribus magisque exploratis, de vnoquoque dubio certitudinem, & de omni porrò quæstione expeditam tractationem, siue explicationem, colligamus necesse est. Iamque alij mentis acumine freti, celerius copiosiusque argumentum quæstioni finiendæ idoneum excogitent. Alij contrà hebetiore mentis &

Loci quomodo inuenti, autore Rodolpho.

& ingenij vi, nihil vel serò saltem quid dici quouis de themate posit, inueniat. Vtilissimo sanè studio prudentes quidam viri, & longo disserendi vsu ac rerum obseruatione exercitati, sedes quasdam argumentorum excogitauere, quorum admonitu, velut signis quibusdam circum ferremus per ipsas res animum, & quid in quaque esset probabile, vel alioqui propositæ quæstioni accommodatum, perspiceremus. Cæterùm, vt expeditè inueniri posit, ratio quædam obseruanda est, qua deprehendamus, quod nam ex omnibus inuentis cum proposita quęstione cohæreat, & quadam veluti societate naturæ copuletur. Cum enim non quiduis sit cuiuis terminandæ quæstioni idoneum, adminiculo aliquo egemus, quo diiudicare liceat, quid cui sit cognatum themati. Ergo (vt plenius inuentionem locorum aperiamus) ex effusa illa rerum varietate (quarum quæ, quibus cōueniant aut discrepent singulatim, nulla oratio, nulla mentis humanæ vis consequi potest) communia quędam capita siue locos ingeniosissimi virorum excerpsere, quibus tanquam indicibus generales rerum ordines, & quasi classes distinctæ proponerentur, quemadmodum categorię decem rerum ordines complectuntur, quorum vnusquisque certarum rerum communes habitudines, & eandem in genere essentię rationem propriis notis designat. Sic & loci, quæ communia rerum capita diximus, singuli habitudinem & proprietatem in commune significant, qua res omnes illius ordinis, inter se conueniant. per hos igitur dum studiosa indagine mentis, singulas rerum naturas, partes, causas, effecta, reliquaque id genus peruestigamus. ita demum, quæ consentanea, quę dissentanea propositæ quęstioni, argumenta adhiberi posint, inueniemus. In hanc ferè sententiam Agricola, qui statim locum definit hisce verbis. Locus est communis quædā rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile sit, potest inueniri. Per notam intellige signum & indicem, qui res omnes & argumenta, communi & generali quadam habitudine quærentibus indicet. vt enim quondam statuæ illæ Mercuriales, nunc ferreæ aut ligneę manus, quas crucibus in biuijs affixas videmus, indicant viatori, qua vertendum sit iter, Ita hi loci eum qui inuenire cupit argumenta veluti manu apprehensum, ducunt eo quo tendit. Idem habet Quintilianus libro quinto Institutionum ora. capite decimo, Locos appellans sedes argumentorum, in quibus latent argumenta, ex quibus sunt petenda. Nam vt in terra non omni generantur omnia. nec auem aut feram reperias, vbi quęque nasci aut morari soleant ignarus. & piscium quoque genera, alia planis gaudent, alia saxosis. regiōibus etiam litoribusque discreta sunt, nec elopen nostro mari aut scarum ducas, ita non omne argumentum vndique venit, ideoque non passim quærendum est. Multus alioqui error est, & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire, nisi casu. At si sciērimus vbi quicque nascatur, cum ad locū ventum erit, facile quod in eo erit peruidebimus. Sic Fabius. qui nos docet, per omnes eūdum esse locos, vt si vnus aut alter non proferat argumentum in rem præsentem. id tertius quartusue, vel certè aliquis tandem omnium queat suppeditare. Quod & Cicero planissime tradit, in Partitionibus, vbi filio sciscitanti, omnibus ne igitur ex his locis argumēta semper sumemus? Respondet Cic. pater, Imo verò scrutabimur & quæremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium, vt leuia semper abijciamus, nonnunquam etiam communia prætermittamus & non necessaria. Idem attingit Rodolphus, sed nos in re manifestaria superuacuum esse lumen arbitramur. Illud addendum quòd Cicero de loci nomine habet in Topicis. Vt igitur earum (inquit) rerum quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco, facilis inuentio est, sic cum peruestigare aliquod argumentum volumus, locos nosse debemus. sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hę quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, Locum esse argumenti sedem. Hanc verò posteriorem loci descriptionem Boetius enarrat secundo libro, de Topicis differentijs ad hunc modum. Argumenti sedes, partim maxima propositio intelligi potest, partim maximæ propositionis differentia. Maximæ propositiones dicuntur, quæ cum per se notæ sint, tamen nihil vlterius habent, quo demonstrētur. Dicuntur autem maximæ propositiones, quòd antiquissimam habent probationem, qua sic alijs fidem adstruunt, vt ipsæ à nulla alia notiore, & quasi natu maiori, fidem assequi debeant, Et quadam graduum ratione videntur maximæ appellatæ, vt prima syllogismi propositio dicatur maior, quod plus efficaciæ habeat ad illationem conclusionis, quàm propositio minor, quamuis ipsa quoque vim probatiuam obtineat. Sed quoniam vtraque propositione maxima confirmari potest, cum ipsa non habeat vllam priorem, qua probetur. merito sola propositio maxima nūcupatur. Et quia generali complexu argumenta continet, rectè locus dicitur, quòd sic fidem facit argumento, vt ipsum non egeat aliena probatione. Sit exempli causa quęstio, an regnum sit melius consulatu, & tali enthymemate respondeatur, Regnum diuturnius est consulatu, melius igitur est quàm consulatus.

Loci definitio ex codē.

Fabi9 Quintilianus.

Cic. in partit.

Idem in Topic. definit locum.

Boetius de loco maxima.

latus. infirma per se est probatio, quare maxima propositio adhibenda est eiusmodi, Bonum diuturnius, melius est eo, quod parui est temporis. Potest hęc maxima iam inde ab initio in argumentatione misceri, vt proueniat huiusmodi syllogismus, Omne bonum diuturnius est melius temporaneo bono, atqui regnum diuturnius est consulatu, est igitur melius. Sunt tamen argumentationes, quarum maximæ non videntur in ipsis includi, sed extrinsecus vires probandi subministrare. vt quæstio sit, an sapiens sit inuidus, adhibeaturq; talis argumentatio, Inuidus bonis affligitur alienis, sapiens non affligitur bonis alienis, ergo sapiens non est inuidus, Maxima forinsecus aduocari debet. Quorum diuersæ sunt definitiones, ipsa quoque esse diuersa. Maxima igitur propositio, quæ vniuersalis, & principalis, & indemonstrabilis, ac per se nota est, rectè locus dicitur. Quia, vt locus naturalis in se corporis quantitatem continet, ita hæ propositiones maximæ intra se, hoc est, significationis complexum, quasi residentem habent ac locatam omnem vim cæterarum propositionum, & potissimùm ipsius conclusionis consequentiam seu illationem. Quòd si quis roget, an vtriusq; argumentationis modò propositæ maior, dici possit maxima propositio. Respondendum existimamus, Omnem eam dici maximam, quæ nulla indigens probatione, continet tamen in se vim probandi alias, qualis fuit maior vtriusque syllogismi. Et pari ratione, cuiuscunque syllogismi maior propositio, si per se nota sit, maxima dicetur, quia generalem explicat medij & maioris extremitatis habitudinem, ex qua pendet illatio conclusionis, imò multarum conclusionum, pro varietate minoris extremitatis, vt indicat Aristoteles primo capite secundi Priorũ, in potestate plura concludendi per sumptionẽ sub medio. Si pergat quis interrogare, num omnis maxima sit in præsentia locus dialecticus? Opinamur exactè responderi non posse, nisi adhibita distinctione. Alias esse maximas rerum, quæ habitudinem rerum significatarum, per terminos in quæstione positos ad ipsum argumentum explicant. Alias terminorũ, si quis ita patiatur vocari, quæ ipsæ maximæ dialecticam habitudinem terminorum exponunt. Illius generis sunt omnes propositiones maiores syllogismorũ, non constantium vlla voce logica, vt omne bonum diuturnius est melius temporaneo bono, quisquis sapiens est non inuidet. Posterioris generis sunt propositiones Dialectico peculiares, quę principia dialectica vocari solent, vt quod definitioni tribuitur, definito quoq; tribuendum est. Ex quibus fiunt syllogismi dialectici seu demonstrationes dialecticæ, quoniam principio dialectico & reliquis dialecticis propositionibus constant. vt exempli gratia, quod definitioni competit, & definito, sed erudibile esse cõpetit animali rationali. igitur & eius definito, vt pote homini. Cæterùm an sint veræ demonstrationes, an potius dialectici syllogismi propter ineuidentem & accidentariam subsumptionem, lectoris ingenio perlustrandum relinquimus ex primo Topicorũ, & primo Elenchorũ, vbi agitur de disputationibus & argumentationibus dialecticis, Item doctrinalibus seu demonstratiuis. Non ignoramus tamen, omnem argumentationem non demonstratiuam vocari posse dialecticam, sed in alium sensum, quia nimirum probabilis ac verisimilis est habitudo argumenti seu medij ad consequens, non autem quia dialecticis terminis sit constituta. Ex hac distinctione, quod in præsentia succurrit, loco responsionis adferemus, eas duntaxat propositiones, quæ sunt posterioris ordinis, verè dialecticas maximas esse, & proinde locos item dialecticos, quoniam continent generalem argumenti & quęstionis habitudinem, in qua significantur, & tanquam in loco resident multa argumenta, siue multæ propositiones, quarum vnaquæque possit esse antecedens dialectici enthymematis. vt verbi causa in prædicta maxima continentur hæc argumenta, Animal rationale est erudibile, animal rationale est natum loqui, animal rationale est natum nauigare, relata ad cõsequens, igitur homo talis est. Prioris autem generis maximæ, tantùm explicant rerum habitudinem aliquam, non relatarũ interim ad dialecticas proprietates, nisi quatenus ad eas recurrẽdum est, si dubitetur, an argumentatio sit gratia materię probatiua. Sed si tota argumentatio sit syllogistica aut inductiua, magis gratia formæ bona esse ostendetur, vbi iam de iudicio agitur, non de inuentione, vt ipse testatur Agricola, quo loco similitudinem à magnitudinibus desumpsit, quam superius attulimus. Illud obiter (quia locus vtcunq; submonet) adijciamus, maximam dialecticam, quæ inuentionis est, ferè adhiberi enthymematis, vt materia esse proba, & consequentia item firma declaretur. Syllogismis autẽ regulatiua quædam principia solent accommodari, quibus forma tantùm argumentationis exploratur, verè syllogistica sit, an secus, quod in primo Priorum circa definitiones dici de omni & dici de nullo attigimus. Hinc apparet, num consequentiæ sint confirmandæ, ex eo quòd certo è loco ducta sunt argumenta. Sanè Rodolphus palàm inficiatur libro secundo capite primo. Contrà, Dialectici nostra hac ætate in scholis confirma-

Num omnis maxima sit locus dialecticus.

Responsio ducta ex premissa differētia maximarum.

Quatenus per locū dialecticū aperte cōfirmari possunt argumentationes & consequentiæ.

confirmare solent more illo probandi iam aliquot ferè seculis vsitato. In concordiam reduci posse cum nostris Dialecticis Rodolphum ita putamus, si dixerimus, nullam argumentationem idcirco quia à specie vel genere, vel quouis aliorum locorum ducatur, necessariò cohærere. quoniam ex omnibus istis ineptæ & minimè cohærentes duci queant. Sed rectissimè confirmari aliqua propositione maxima, certam habitudinem ipsius medij ad quæstionem probandam explicante. ad quam argumentum omnino examinari debet. nisi mauis ad syllogismum vel aliam argumentandi formam semper recurrere, quæ iudicij est, non inuentionis, cùm dialecticæ maximæ contrà se habeant. Hic tamen obseruandum, ne quis per eam maximam, quæ intra complexum argumentationis continetur, putet rectè probari consequentiam, quæ malè confirmatur per antecedens, cuius pars principalis est ipsa maxima. antecedens enim, non ad consequentiam totam, sed ad consequens refertur, eiusq; probatiuum est. Per eas verò maximas, quæ extra sumuntur, rectè consequentia probatur. Materialis quidem per maximam Topicam, Formalis autem per maximam syllogisticam, vel alterius argumentationis, cuius formam esse bonam ipsa maxima propositio declaret. Consequentia in genere bona esse probatur per definitionem argumentationis, quæ demonstrabit propositā consequētiam esse probatiuam, aut per generalem regulam cōsequentię, quam elicere possumus ex fine primi Priorū talem, Ex opposito consequētis infertur oppositū antecedētis, vel in eundem sensum, Oppositū consequētis repugnat antecedenti, qua ostendit Aristoteles, cōuersionem particularis negatiuę non esse bonam consequentiam, aliquod animal non est homo, igitur quidam homo non est animal, quia scilicet oppositum consequentis stat cum antecedente. Exemplum primi, hoc est, de consequentia materiali, equus est hinnibilis, igitur animal est hinnibile, probatur consequentia hac propositione maxima, Quod speciei conuenit, & generi cōuenit. si subsumas, sed hinnibile conuenit equo, & inferas, ergo conuenit animali, iam fit argumentatio vel demonstratio topica, quæ non ostenditur bona esse consequentia per dictam maximam, cùm illa ipsa tacitè intrà sumatur, & pars sit argumentationis syllogisticæ, ad quam adiectione maximæ, hoc enthymema potest immediatè reuocari. Sed prioris enthymematis illatio, per eandem rectè confirmatur, quoniam extra ipsum enthymema profertur, sic, vt non possit fieri vera præmissa, nisi mutetur habitus orationis, vt in prædicto syllogismo per sumptionem dialecticam fecimus. Secundi exemplum de formali consequentia, omne animal rationale est naturaliter amans virtutis, homo est animal rationale, ergo est amans virtutis. Conclusio quidem probatur ritè per maiorem, vt omne consequens per suum antecedens verum esse ostenditur, Illatio autem siue ipla consequentia potest confirmari hac maxima, Quicquid dicitur de subiecto completè distributo, dicitur etiam de quolibet subsumpto sub eo. vel hac, Quæ syllogisticè conueniunt in eodem tertio medio, debent etiam inter se conuenire. Hæc tamen ipsa, si fiat subsumptio, atqui amans honoris & homo consentiunt in animali rationali, dehinc illatio subiiciatur, conueniunt ergo inter se. Iam vides quemadmodum probet rursus ipsam conclusionem postremò illatam, non autem ipsam consequentiam, quæ bona esse relinquitur ex euidentia dispositionis, quemadmodum ait secundo Priorum Aristoteles, opinatis præmissis, necesse est conclusionem opinari. Quocirca dici posset, bonitatem consequentiæ syllogisticæ non posse re vera probari, quòd habeatur à Dialectico pro primo principio, sed hæc ad initium Priorum pertinent. Exemplum tertij, de consequentia in genere, attulimus ex Aristotele ipso, de conuersione. Quo addi potest ex modo expositis, consequentiam syllogisticam fortasse confirmari posse generali maxima. Consequentis oppositum repugnat antecedenti, quam nos interim malumus referri ad cōsequentiam materialem, cuius bonitati non suppetit alia probatio generalis. Ex his intelligi potest, in quem sensum nonnulli probant consequentiam per antecedens, quia scilicet antecedens ostendit consequens esse verum, itaq; ipsam quodammodo consequentiam bonam esse, vt argumenti nomen, quod antecedenti propriè tribuitur, interim vsurpatur autore Boetio, pro tota argumehtatione, atq; etiam pro argumentationis probatione. Cum Boetio videtur sentire & Fabius, qui liberius accepto nomine argumenti, complexus est ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις, hoc est, enthymemata, argumentationes, demonstrationes. Locus est libro secundo, capite decimo. Locus ergo maxima, id est, maxima propositio, rectè à Boetio descripta est, & ab Aristotele quibusdam locis adiecta, etiam si Rodolphus diuersum iudicat in calce primi de inuentione. Locus differentia maximæ à Boetio & posterioribus in hunc fermè modum describi solet, Differentia maximæ est generale caput rerum, quo vna maxima propositio ab alia differt, cuiusmodi sunt definitio, definitum, interpretatio, similia, repugnantia, quæ

Consequentia nō probatur per antecedens.

Differentia maximæ quid.

quæ & hoc pacto assignantur. Locus à definitione, locus ab interpretatione. Et rursus, Locus definitionis, locus interpretationis, locus repugnantium. quæ in eandem omnino sententiam dicuntur. Demus in exemplum hanc maximam, Cui definitio competit, eidem definitum, quæ distinguitur ab ista, Cui tribuitur definitum, eidem competit definitio, quòd ibi locus differentia maximæ est definitio, hic definitum. Quod vt manifestum euadat, cùm vtrobique proferatur vterq; locus definitionis & definiti, perstringere operæpreciumest, triplicem in argumentatione dialectica terminum, Inferentem, Illatum, Communem. Inferens est, qui rem significat, ex qua tanquam principali ratione aliquid infertur. Illatus est, quo significatur res illata, de qua fuerat præcipua mota quæstio. Communis est, qui communiter illato & inferenti iungitur. Et (quod annotare solent) inferens terminus tantum profertur in antecedente, Illatus duntaxat in consequente, Communis verò vtrobiq;. verbi causa, in hac argumentatione, Sapiens non est inuidus, ergo philosophus non est inuidus, terminus inferens est sapiens, Illatus verò philosophus, Communis, esse inuidum. Hæc autem differentia terminorum, ne dominata esse videatur, ac temerè conficta, est apud Rodolphum primo libro, capite secundo, ex quo supra ostensum est, in argumentando tribus esse opus, Principio duobus in quæstione propositis, quæ consentanea vel dissentanea esse probandum est. tum aliquod tertium certa ratione adsitum proponitur, in quo ipsa comparantur, perinde ac magnitudines duæ in tertio aliquo, tanquam propria mensura, conferuntur. Hic enim paratum est videre, tertium illud esse terminum inferentem, quoniam sic in eo extrema quæstionis terminandæ comparantur, vt ex couenientia vel discrepãtia cum illo, inferantur illa ipsa vel conuenire inter se, vel discrepare. Terminus illatus est, alterum duorum, de quo principaliter est quæstio instituta, vt ferè subiectum directæ conclusionis, tantùm in consequente dialectici enthymematis proferri solitum. etsi in antecedenre quoq; nonnunquam profertur, dum suppressa maiore, vtpote obuia, enunciatur minor præmissa. Terminus communis est, qui tertio, siue medio, siue inferenti, & illato iungitur, illi in antecedente, huic in consequente, & ferè est prædicatum directæ conclusionis, si enthymema sit, quod immediatè possit ad syllogismum reduci. Sin argumentatio dialectica proponatur, quatuor pluribúsve terminis constans, adfirmabimus eam esse in simplices argumentationes soluendam è tribus terminis compositas, quemadmodum vel Rodolpho teste, duplicatis è locis nonnunquam argumentari contingit, vno tamen orationis complexu. Aut si proponatur argumentatio tam perplexa, vt reduci nequeat ad syllogismum, qualis, exempli causa, videtur esse, Bonum est suaue, ergo non suaue est non bonum. Item, duplum est multiplum, ergo subduplum est submultiplum. Dicemus Rodolphum & receptam de tribus terminis differentiam intelligi de argumentatione recta, non obliqua. simplici, non composita, siue hypothetica. Primus enim ordo rationalis discursus, hoc est, argumentationis, rectus est ac simplex è duorum in vno collatione, hanc illámve quæstionis categoricæ partem concludens. Ex his iamdudum apparet, cur maximarum, quas modò posuimus, priorà definitione, posterior à definito, tanquam loco differentia maximæ peculiariter nominetur. videlicet à termino inferente significamus ipsum locum, quòd in eo tanquam argumento seu medio, vis probationis includatur, cùm de reliquis tantùm dubitetur. Quoniam ergo in priori maxima definitio esse terminus inferens designatur, quia particulam illatiuam præcedit, In posteriori definitum. iusta nimirum ratione maximas propriis locis, quæ differentiæ vocantur maximarum, distinximus. Terminum autem simplicem dicemus argumẽtum, non quòd per se arguat, sed quia in argumentatione quæstioni adhibitus, eam probet. quare & loci nomine, differentia maximæ rectè censetur, quod in eius generali significatione, tanquam loco, resideant argumenta, id est, res quæ in argumentatione ritè dispositæ vim probandi & arguendi obtinentes, totam orationem faciant probatiuam. Vt igitur ad caput loci redeamus, appositè Boetius initio de topicis differentiis enarrauit, locum esse argumenti sedem, in quo scilicet contineatur id, per quod rei dubiæ fit fides. vel id, à quo ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum, vt priori parte significetur maxima, quæ per se fidem facit, In posteriori, differẽtia maximæ, quæ cum alio sumpta constituit propositionem per se terminatiuam quæstionis. Tractationem de loco proximè sequitur locorum omnium diuisio, quam expeditè iamiam conficiemmus, si antè statuerimus, ex loco differentia maximæ, an potius ex ipsa maxima, varietas partitioq; locorum sit æstimanda. Certè Aristoteles videri potest, maximas esse prosecutus, cùm in singulis locis non tam occupetur in describendo, nominando, idoneis exemplis illustrando vnoquoque loco, quàm vt explicet habitudinem & cognationem argumenti cum re proposita, hoc est,

Huc facit terminorũ differentia.

Inferens terminus.

Illatus terminus.

Cõmunis terminus.

In qua argumentatione loci habeant termini.

Diuisio locorũ vnde sumenda.

est,termini inferentis cum illato,adeò vt non desint,qui adfirmēt ex Aristotelis sententia,solas maximas,aut has præcipuè pro locis reputari.Nobis contrà visum est,locorū accipere distributionē ex locis differentiis maximarū propositionum, Idq; multis nominibus. Imprimis post Aristotelem plæriq; multis retro seculis,in catalogo locorū,differentias maximarū, non ipsas maximas enumerārunt,vt ex M.Tullio in Top.& Part.Item è Fabio Quintiliano,libro quinto Instit.orat.cum ex Themistio Boetioq;,quin & ipso Rodolpho, quiq; sunt plures eiusdem albi scriptores,in confesso est omnibus. Adde, q; autore Boetio in secundo de Topicis differentiis,pauciores ij loci esse deprehenduntur,qui in differentiis positi sunt,quàm propositiones ipsæ,quarum sunt differentiæ.Omnia enim,quæ vniuersaliora sunt, pauciora esse contingit,& ideo facilè sub scientiam cadere possunt,quorum tam multus numerus non est, vt à memoria discentis elabantur.Quibus Boetij verbis pulchrè congruit,quod antea disseruimus (vt hoc sit loco postremæ rationis) locos materiam suppeditare, non formam argumētandi. porrò maximas,præterquam q; angustiores sunt, nonnihil etiam de forma saltem dialectica, & vt dici potest,materiali explicare.cùm differentiæ maximarū breuiter vniuersam loci amplitudinē atq; omnem argumentandi materiam designent,cui sua constet in argumentando disponendoq; libertas pro differentis ingenio,& materię subiectæ natura. Tametsi quod Boetius ibidem adnotauit,locorum & argumentorū discrimina subseruire quæstionibus prædicatiuis, quas nos initio ferè huius commētarij enunciatiuas diximus, opinamur ad secundum Topicorum Aristotelis pertinere,vbi post generales prędicatorum locos, proprij singulis capitibus exponuntur,ad terminandam accidentis quæstionem. In præsentia malumus referre locos generatim ad quæstiones omnium prędicatorū,atq; adeò ad simplicia themata,quēadmodum suo antea loco meminimus. Nanq; ita latè patere locos volumus, quatenus vniuersam logicæ facultatis inuentionem complectantur. Quod ex Aristotele modò adferebatur,in hanc sententiam interpretamur,locis maximas passim subiectas esse, quò cognosceres vim argumentandi ex loco,non esse vagam & incertam,sed peculiari rerum,quę in argumētatione explicantur,habitudine niti,quam propriè maxima declarat.Ergo,vt à differētia maximæ propositionis, locorū discrimina proprio ordine diuisioneq; trahamus, hoc prælibandum est,naturam loci pendēre ex argumenti propositi cognatione, & quadam (vt Rodolphus ait) societate cum re probanda. quandoquidem si non est certa ratione coniunctum argumentū,non erit argumētī censendum nomine,cùm arguere ac probare nequeat. Si dederis non esse argumentū,nec locus erit,vt in quo non resideant idonea probationi argumēta. Sed hoc satis ac super demonstratum est ex Agricola superius.Quoniam itaq; argumenti,vel rei argumento signatæ,ad rem probandam,hoc est, vt alij loquuntur,termini inferentis ad illatum,tripartita est in vniuersum habitudo & affinitas. Hinc nimirū palàm erit,triplices quoq; locos esse,è quibus triplex ista varietas argumentorū possit diiudicari. Suntq; locus internus, locus externus,locus medius. Res enim quæ argumento proponuntur, ita conueniunt eum prædicato aut subiecto quæstionis terminandę,vt alia in ipso sint,alia prorsus extra rem sint. alia partim in re, partim extra rem ipsam, ideoq; medium quiddam obtinere dicantur. Idq; testatur Boetius in hæc verba loquens, Omnes igitur loci,id est,maximarum differentię propositionum,aut ab iis ducantur necesse est terminis,qui in quæstione sunt positi,prædicato scilicet atq; subiecto, Aut extrinsecus adsumantur.aut horum medij,qui inter vtrosq; versantur.

Boetius paulò adstrictius locos accipit, quàm nos in præsenti commentario.

Cur maximas addiderit locis plærisq; Aristoteles.

A differētia maximæ triplices locos distingui.

Boetius idē habet.

Internus quid, & quotuplex.

Locus internus dicitur,qui continet argumenta, quæ tanquam insunt & inhærent rei per terminum illatum designatæ, quæ partes habet, locum à substantia, & locum à consequentibus substantiam. Locus à substantia dicitur, qui argumēta continet ad rei substantiam pertinentia,& velut in essentia rei posita. Cuius tres sunt differentiæ, Alius enim à definitione & definito, Alius à descriptione & descripto, Alius ab interpretatione & interpretato nuncupatur. De definitione & definito non est qui ambigat locos à substantia esse. Cæterùm interpretatio, teste Boetio, rectè hic adnumeratur, quòd sit quædam nominis definitio, ac rem significatam propriis notis declarans. Locus à concomitantibus substantiam est,qui continet argumenta,non quidem infixa aut insita substantiæ rei,sed quę naturam rei sequantur, sub quo continentur loci, a toto, a partibus, a causa, ab effectu, a generatione, a corruptione, a communiter accidentibus. Locus a toto multifariàm diuiditur, & item locus a parte, quum alius sit a toto vniuersali & parte subiectiua, alius a toto integrali, alius a toto in quantitate & partibus eiusdem, alius a toto in modo & parte in modo, alius à toto in tempore & parte eiusdem, alius à toto in loco & parte. Locus item à causa & effectu, varias habet partes, pro causarū & effectorū differentia. nam alius est a causa efficiente, vel effectu eius: alius a causa materiali

Interpretatio cur sit locus intern⁹.

riali, aut eius effectu, alius à forma vel effectu caussæ formalis, alius à fine vel effectu caussæ finalis. Locus externus dicitur, qui complectitur argumenta, quæ ad substantiam rei, nulla ratione peculiari pertinent. sed extra substantiam posita, tamen ea sunt affinitate & societate, velut è regione cum re coniuncta, vt probare ipsam vel improbare queant, diuiditurq; in locum ad oppositis, locum à distantibus, seu disseparatis (quæ disparata vulgus appellat) locum à maiore, minore, simili, proportione, locum à transumptione, & autoritate. Locus ab oppositis quadruplex est, vt ex Postprædicamentis liquet. Siquidem alius est à relatiuè oppositis, alius à contradicentibus, alius à priuatiuè oppositis, alius à contrariis. Locus medius dicitur, ex quo eruuntur argumenta, quæ neque in substantia sunt, neq; prorsus à substantia rei propositæ aliena, sed quandam obtinent mediocritatem, vt quum peculiariter ad rei substantiam non attineant, tamen proprius rei sint arctiusq; coniuncta, quàm ea quæ in externo loco superius enumerata sunt. Huius autem loci tres duntaxat faciunt partes, locum a coniugatis, locum a casibus, locum a diuisione. Hæc itaq; locorum est enumeratio, Quam autore Boetio tradidit ea commoditate Themistius, vt Ciceronis loci facilè intra complexum Themistianæ diuisionis referri queant, id quod egregiè per singulos refert Boetius de Topicis differentiis libro tertio. Loci Rodolphi, qui, in quos Themistij locos redigi possint, per singula capita monebimus, vtcunq; videbitur oportunum. Nunc quadam anticipatione in summa perstringamus ad memoriam tyronum stabiliendam. Adiacentia, & actus, & subiecta, quæ vocat Agricola, nos reponimus in locis causarum, cùm adiacens & actus sint veluti formæ quædam accidentariæ. Subiecta verò in loco effectus. Quanquam ad locum generalem accidentis reuocari possunt. Nisi, quod ab inesse ad denominari, & contrà, ducta argumentatio, concluditur adstrictius, quàm pro latissimo horum locorum vsu, de quo posterius ex Rodolpho, quantum videbitur, adferemus. Destinata palàm est ad effectum causę finalis pertinere. Connexa partim sunt in loco relatiuorum, partim non satis possunt in peculiarem locum includi. Neq; id mirum, quando Agricola diuersam rationem ac habitudinem rerum secutus, aliter locos digessit, aliisq; signauit nominibus. Contingentia in antecedentibus & cõsequentibus includuntur. Pronunciata relegabimus ad autoritatem. Nomen rei ad interpretationem. Comparata ad maiora minoraq;. Differentia, ad ea quæ rectè disseparata dicere possumus, ferè autem disparata vocamus. Præter hosce Rodolphi locos, sunt aliorum fortasse alij complures. Verùm ex istis consimilia obuium erit cognoscere. De rhetorum locis, hoc est, attributis rerum ac personarum, quid dicemus? nempe rerum locos propemodum eosdem esse cum nostris. At quæ personarum attributa vocant, alia in aliis dialecticorum locis collocari poterũt. & in vniuersum omnes ad dialecticum pertinere docet Agricola, secũdo de Inuentione, capite decimooctauo. Vnicum in extremo restat, vt rationem curioso lectori reddamus, cur tam multi tam variè locos & nominârint & digesserint, omnes tamen scopum veritatis intuentes, verum attigisse videantur. Cùm enim Themistius in tria prima capita diducat locos, alij plæriq; omnes tantùm in duas species internorum & externorum, summa tamen facultatis & copiæ è locis parandæ, penes dialecticum remanet. Si non placet, quod apud Horatium est, Sit pro ratione voluntas. & quod apud Terentium, Quot homines, tot sententiæ, Allegabimus in patrocinium causę nostrę Boetium, qui initio tertij de Topicis differentiis, ex eo prouenire ait diuersam locorum diuisionem, tractationemq;, dum a Themistio aliter quàm Cicerone digesti sunt. quòd res quæq; multis persæpe differentiis sit partibilis, pro quarum diuersitate eiusdem variæ excogitantur diuisiones, alio nimirum (vt in tanta ingeniorum vbertate fieri solet) aliam differentiam ac proprietatem spectante, ac proinde diuersam tractandorum locorum sequente viam. Sic tamen multiplex ista scriptorum differentia temperatur, vt sit discors concordia rerum, hoc est, ea quæ in speciem dissident, maximè conspirent atque consentiant. Id quod accuratè conferenti locos aliorum cum Themistianis, luce clarius apparebit. Sed nos hæc omittamus. Præmissa interim ex Themistio luculenta pariter & compendiosa locorũ diuisione, quam velut in tabula spectandam adolescentibus, artium liberalium studio mãcipatis, proponemus, vt quendam quasi scopum habeant, quo sit omnis de ratione locorum disputatio conferenda.

Locus externus.

Locus medius.

Diuisio est Themistij.

Ad quem reuocantur in summa; loci Agricolæ.

Rhetorũ loci an & ipsi huc referantur.

Quamobrẽ nõ vnã oẽs locorũ diuisionẽ, sed alij aliã sequantur.

LOCVS

LOCUS

- Locus maxima.
- Locus differẽtia maximæ.
  - Internus.
    - A substantia.
      - Definitio.
      - Definitum.
      - Descriptio.
      - Descriptum.
      - Interpretatio.
      - Interpretatum.
    - A comitantibus substantiam.
      - A toto aut partibus eiusdem
        - A toto integrali, vel eius parte.
        - A toto vniuersali, vel parte subiectiua.
        - A toto in quantitate, aut partibus eiusdẽ.
        - A toto in modo, vel parte in modo.
        - A toto in tempore, vel parte eiusdem.
        - A toto in loco, aut parte eiusdem.
      - A causa & effectu.
        - A causa efficiente, vel effectu eius.
        - A causa materiali, vel eius effectu.
        - A causa formali, vel eius effectu.
        - A finali causa, vel effectu finalis causæ.
      - A generatione.
      - A corruptione.
      - A cõmuniter accidentibus.
  - Externus.
    - Locus ab oppositis.
      - Relatiue
      - Priuatiue
      - Contrarie
      - Contradictorie
      - } oppositis.
    - A disparatis.
    - A maiore, vel minore.
    - A simili vel dissimili.
    - A proportione, aut disproportione, vel etiam trãsmutata proportione.
    - A transsumptione.
    - Ab autoritate.
  - Medius.
    - A coniugatis.
    - A casibus.
    - A diuisione.

POST summariam locorum diuisionem, rursus à capite ordientes, singulas locorum species ordine prosequamur, vt præcipuis speciebus, quas vetus huius scholæ consuetudo recepit, ex Themistio Boetióq; reliqui loci nominibus tantum diuersis ab eruditoribus nonnullis designati, subiiciantur. Ex quo apparebit, vsitatum morem non esse temerè damnandum, nec reliquas aliorum tractationes præ istis amplectendas.

Locus definitionis. Primùm inter locos internos facimus eum, qui definitionis appellatur, vel definitio, vel à definitione, quem describere solent his verbis, Locus à definitione est, habitudo definitionis ad definitum. quoniam argumenta definitionis, ex hoc loco sumpta, vim probandi accipiunt ex ipsa duntaxat habitudine definitionis ad definitũ, hoc est, peculiari cõnexione, & quasi affinitate inter terminum inferentem & illatum, atq; ad eundem modum cæteros locos in sequentibus lector describat. *Scrupulus. Dilutio.* Porro dubitant nonnulli, an definitio verè sit probatiua respectu definiti, cùm res prorsus eadem significetur vtriusq; vocabulo. Respõsio in promptu est, ex Agricola, qui nõ vno in loco testatur, locorũ discrimina, & probandi virtutẽ accipi, ex ipsa significandi diuersitate, & vnius ad alterũ habitudine, quatenus certa ratione cõparantur. Quoniam ergo idem significat definitio quod definitũ, sed explicatius euolutiusq;, fit iusta nimirũ ratione, vt ex definitione colligatur aliquid de nomine definiti. & cõtrà, definitũ, quamuis inuolutè impliciteq; significat, tamen argumenti vicem habebit respectu alicuius, notius explicatiusq; definito, quàm definitioni competentis, vt mox dicemus. *Cicero & Boetius.* Id Cicero testatur in Topic. Definitio, inquit, quasi euolutũ euoluit id de quo quæritur. Et Boetius lib. 2. de definitionibus, exponens hanc ipsam Tullij sententiam. Deniq; Aristoteles in primo Topicorũ ὅρον, id est, terminum, seu definitionem appellans orationem, quæ indicet, quid est ipsum esse. Quid definitio sit, quid definitum, quæ lex rectè definiendi, quæ obseruanda, quæ vitanda,

copiosè diximus in opusculo de definitione ac diuisione. Suffecerit instituto nostro vberius exponere, quæ sit ratio potissima ex definitione argumentandi, quis proinde huius loci vsus, vbi maximè versetur. Principiò illud apertū est, in cōposito themate, cui præcipuè omnium argumēta locorū ab omnibus destinantur, duos esse terminos, subiectum & prædicatū, vt habet Boetius. ex quorū habitudine ducitur argumentū themati probando accōmodatū. verbi gratia, quæstio sit, an liberalitas pars sit iustitiæ, quemadmodum ait Cicero in Officiis, ex definitione ductum argumentū in enthymema cōnciemus, liberalis tribuit cuiq; quod suum est, ergo liberalis est iustus. Si ambigas de consecutione, parata est maxima, Quod definitioni competit, & definito. sub qua sumemus, iustitię definitionē Suum cuiq; tribuere, cōpetere in liberalem. Ex qua per dialecticam demonstrationē colligemus, liberalem esse iustum, & insuper liberalitatē iustitiæ speciem. Ita Cicero in Topicis ex definitione colligit vtilitatē iurisprudentiæ. Ius ciuile est æquitas (inquit) constituta iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. hinc subsumit, eius aūt æquitatis vtilis est cognitio, ex quo infert, vtilis est ergo iuris ciuilis scientia. Neq; verò multum occupari volumus in explicandis cōditionibus, quas in hoc loco potissimùm solent præscribere, ne vllus terminorū, præsertim inferens aut illatus accipiatur τεχνικῶς, id est, materialiter, nec simpliciter, id est, pro re primò significata, cum quo ferè idem est quod alij præcipiunt, ne termini appellent propriam rationē. item ne adsint particulæ huiusmodi, per se, per accidens, primò, conuertibiliter, in quantum, & similes. Tum ne difformiter se habeant, vt illatus distribuatur, inferens sumatur particulariter, sic enim argumentatio non erit probatiua, licet consequens interim sit verum. Rursus ne aliquis terminorum amplius vel adstrictius capiatur. Et in summa, quæcunq; præcepimus in syllogismis, hic obseruanda sunt, quoties argumentum ex hoc loco vel alio etiam erutum, conicietur in formam syllogisticam, quæ declarat nimirum, quale sit propositum argumentum. Hoc tamen postremum explicandum videtur, quod aiunt, ne terminus cōmunis, in quo inferēs & illatus conferūtur, sit accidens cōmune, quoniam id prius ac notius conuenit definito, quàm definitioni. vt cōtrà non licet argumentari à definito ad definitionē, si terminus communis sit proprium, quod notius explicatiusq; tribuitur definitioni, quàm definito, cùm econtrariò terminus communis debeat notius competere inferenti, quàm illato. Hoc autē postremum recipit hanc limitationē, quando conficimus argumentationem naturaliter probatiuam, hoc est, cuius antecedens sit ordine naturę prius atq; notius consequente. nam & probatiua erit alioqui ratiocinatio, à definitione argumentādo ex accidente, & à definito ex proprio, si eiusmodi argumentationis antecedens, respondenti, cum quo agitur, notius appareat consequente. Rationem argumētandi ex hoc loco, adeóque reliquis omnibus esse liberrimam & latissimè patentem, affatim declarat obseruatio familiarium colloquiorū, & orationum rhetoricarū, imò philosophicarum quoq; disputationum, in quibus modò à definitione, modò à definito argumentamur, non obseruata anxiè forma syllogismi, ad quem reduci possit enthymematica argumentatio, accessione vnius maximæ, quam ferè supprimimus. Verùm quia omnis argumentatio, quantumuis libera, robur accipere debet ex certa quadam habitudine antecedentis ad consequens, vtilissimè videntur iam olim obseruari, apud nos certæ quædam argumentandi rationes ex hisce locis, ad quas seu capita redigi oporteat, & ad amussim examinari argumentationes illas fusius ac liberius contextas. Hanc legem in definitione explicant hac varietate, vt quadrifariam ducatur argumentum, ex subiecti definitione, affirmatiuè & negatiuè. Rursus ex definitione prædicati, tum adfirmando, tum negando. vt verbi causa ex subiecto. Nullus habitus rectæ rationi consentaneus vituperandus est, ergo virtus non debet vituperari. Cui additur maxima, Quod remouetur à definitione, & à definito. Ex quo reliqua exempla cum propriis maximis, leui momēto intelliguntur. Et secundum analogiam, prędicta omnia statuenda sunt de loco definiti, qui tum demum quadrabit, vbi de definitione magis ambigitur. Contrà, locus definitionis, vbi de definito. Secundus locus est descriptionis, qui à Themistio Boetioq; inter locos à substantia numeratur, hoc discrepans à definitione, q; definitio genus & differentias sumit. Descriptio subiecti intelligentiam claudit quibusdam vel accidentibus efficientibus vnam proprietatem, vel substantialibus differentiis præter genus cōueniens aggregatis. vndè liquet, descriptionē ab accidentibus designare substantiam, & sæpe veræ definitionis loco poni, ideoq; propositiones à descriptione sumptas, ex loco substantiæ videri deductas, vt ait Boetius. Porrò quia verarum differentiarū, teste Rodolpho, magna est inopia, ac proinde substantialium definitionum, necessitate quadam comparatum est, vt descriptiones loco definitionum vsurpentur, adeoq; communi nomine definitionis,

Ratio argumentandi.

Leges quædam in locis oībus retinendæ.

Postremùm additur loco definitionis peculiare.

Libertas argumentādi certis interim regulis inclusa.

Descriptio quatenus sit in locis à substantia.

tionis, vtrumq; locum intelligamus, id quod Cicero fecit in Topicis, quod Rodolphus secutus est, quod alij deniq; iam olim imitantur. Rationem verò communis appellationis palàm esse confidimus ex nostra tractatione de definitionibus & diuisionibus, quæ est in hisce nostris Commentariis, post enarrationem prædicamentorum. Tantùm huic loco suffecerit admonuisse, communem esse legem ducendi ex vtroq; locorũ argumenta, ex subiecto, ex prędicato, tum affirmatiuè tum negatiuè ratiocinando. cõmunes item esse maximas propositiones argumentis explorandis. Et pro varietate descriptionũ, quas nomine definitionis Trapezuntius cõplectitur, variè & copiosè ex hoc loco argumentabimur, vt ex caussa finali descriptio constans, tale dabit argumentũ, Structuræ, quæ nos ab iniuria & tempestate cæli vindicant, apprimè sunt necessariæ, ergo ædificia in ciuitate cuilibet bono ciui vtilia sunt: addetur hæc maxima, Quod competit descriptioni, cõpetit & descripto. Ex descriptione per effectum sic argumentabimur. Firma & moderata rationis dominatio in libidinẽ, aliosq; malos impetus, animum exornat, igitur temperantia est animi ornamẽtum. Ex accidentibus collecta descriptione, ostendemus vitia solis inesse hominibus, Vitia proficiscuntur à sinistra voluntate, ergo ab homine solo. siquidem homo est animal, quod suapte mouetur voluntate. Ex speciebus probare licet, vermes esse vera animalia, Vermes substantię sunt, vel sensu tantùm vtentes, vel sensu & ratione. Item ex partibus integrantibus, vermes sunt substantiæ, cor & caput habentes, sunt igitur animalia. Rursus probabimus, tyrannum non esse regem, quoniam ipse temperata vita non regat clementer ciuitatem. & sic in reliquis argumenta ducentur, quibus accommodandæ erunt maximæ, quales in loco definitionis adhibentur, tantùm nominibus definitionis & definiti commutatis in descriptionem & descriptum. Liberius autem argumentari possumus ex dictis locis, vt lex secundum Demosthenem, interprete Budæo, est inuentum quoddam, ac munus Deorum, Decretum verò hominum prudentium, ad hæc flagitiorum consultorum inconsultorumq; emendatio, conspirantis denique ciuitatis conuentum, ad cuius præscriptum, omnes in ciuitate agentes, vitam instituere par est, ergo legibus parêre debent, tam ipsi magistratus, quàm ciues. Quę descriptionis libertas vberius declarari potest ex Poetis, apud quos amplissimæ sunt descriptiones locorum, temporum, & in commune rerum ac personarũ, copiosè argumentis dialecticis illustratæ. Recentiores ad locum definitionis adiiciunt eum, qui à differentia essentiali vocatur. quòd ea cum specie constituta cõuertatur, etiam si respectu inferiorũ constituti, locum generis obtineat, vt persæpe idem argumentũ ad diuersa relatum, in diuersos proinde locos refertur. Ad descriptionis locum referunt eum, qui à proprio ad subiectum conuertibile dicitur, quanquam proprij nomine Rodolphus peculiarem locum intellexit, in quo differentiam voluit comprehendi, exponens interim Aristotelis de cõmuni appellatione proprij sententiam, sed quàm exactè, viderit lector studiosus. Prædictos autem differentiæ & proprij locos argumẽtis & maximis facilè fuerit illustrare. Nos definitionis & descriptionis vsum coniunctè explicemus, quando pro eodem habentur interim, & alioqui sunt loci affines. Valet ergo vterq; locorum ad thema simplex expeditè terminandum, sed potiores obtinet definitio, si gradus demonstrandi sequamur. Vsitatior tamen ac tritior est docendi via, ex propriis rei descriptionibus, quibus de officiis Cicero, de virtutibus Arist. alij de aliis disseruerũt. Cæterùm in omni caussarũ genere hi loci maximè conferũt, quandoquidem in demonstratiuo rhetoricæ descriptiones mirè amplificãt, & illustrẽ reddunt orationẽ, quod latius Erasmus in secũdo de Copia explicat. in genere suasorio, vel inprimis cõducunt. tum in iudiciali & scholastico, quod apud Rhetores propriis exemplis declarandum est.

Argumẽtandi regula cõmunis, cũ loco superiore.

Differentia ad definitionem reducitur, Proprium ad descriptionem

Tertius locus à substantia est, quem Boetius ab interpretatione, Græci ab etymologia, Cicero verbum è verbo veriloquium, & molliori vocabulo notationẽ appellauit. quia (vt ipse inquit) sunt verba rerũ notæ, quę σύμβολα dixit Arist. Generatim verò Agricola vocauit locum a nomine rei. Cõtendit idẽ cap. 33. Locũ hunc parum exacta ratione in numero internorũ poni. cùm rerũ apud omnes gentes eadem sit substantia, nomina diuersa. quinetiam & apud eosdem, inquit, populos idem nomen, persæpe aliud apud maiores, aliud apud posteritatẽ significet, nemo nescit: quibus Agricolæ verbis conciuit eleganter Horatius in arte poetica,

Locus ab interpretatiõe

Rodolphus vult interpretationẽ non esse de catalogo internorum.

> Mortalia facta peribunt,
> Nedum sermonum stet honos & gratia viuax.
> Multa renascentur, quæ nunc cecidêre, cadentq;,
> Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
> Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Nobis visum est propterea interpretationem, rectè locum a substantia censeri, quòd interpretatio

Aliorũ sententia diuersa est.

pretatio ſit propria quędam nominis definitio, adeoq; rei ipſius, quatenus interpretato ſignatur. vt enim rei abſolutè conſideratæ vna eſt natura & definitio, ita rei aliquo nomine interpretationis capaci ſignificatæ, eadem eſt eſſentia quæ nominis ſignificãtis. quando ſignatũ & ſignum, quæ vocari ſolent, adinuicem referuntur cõmuni quadam eſſentia, & mutua habitudine ſignificationis.

Definitio interpretationis.

Tranſumptio aũt, quæ ab Agricola nominis loco ſubiicitur, in claſſe internorũ cenſeri nequit, quoniam ſumitur ex ſola noſtri intellectus habitudine, ad nomina diuerſa, eandem rem clarius euidentiuſq; ſub hoc nomine, obſcurius ſub illo cognoſcentis, cùm nomina ipſa nullam in voce deflexionẽ communẽ, aut in ſignificatione certam ethymologiæ ac propriæ originationis cognationẽ habeant. Interpretatio igitur nobis erit, alicuius nominis obſcurioris, per orationẽ notiorẽ explicatio, quemadmodum Ariſtoteles præcepit, vt nomen argumẽtando in orationẽ transferatur, τὸν εὔψυχον μὴ τὸν ἀνδρεῖον καθάπερ κεῖται ἀλλὰ τὸν, εὖ τὴν ψυχὴν ἔχοντα, hoc eſt, æquanimũ, non dicemus fortem, licet ita nomẽ ponatur, ſed bene animo habentem. quanquã hic Latina nomina parum Gręcis reſpondent. Si quæratur ergo, an locuples ſit aſſiduus? ex nominis interpretatione argumẽtabimur, Nemo poteſt aſſem dare, niſi locuples, aſſiduus igitur eſt locuples. Item ſi quis roget, An monachum oporteat in ſolitudine viuere, ex hoc loco ducemus argumentũ. monachus dicitur, qui ab omni hominum frequentia ſemotus ſolus viuit, ergo non in turba populi, ſed in ſolitudine viuere monachum oportet. Sic enim ratiocinatur D. Hieronymus in epiſtola ad Heliodorũ, Interpretare vocabulum monachi, hoc eſt, nomen tuum. quid facis in turba, qui ſolus es? Ad cognoſcendam rationem ex hoc loco argumentandi, profuerit duplicem nominis interpretationẽ facere, Alteram recurrentẽ & conuertibilem, Alteram particularẽ, non perpetuam.

Duplex interpretatio nominis.

Conuertitur interpretatio locupletis, quia locis plenum eſſe & prædiis abundare, ſoli conuenit locupleti. Interpretatio non recurrẽs eſt, qua dux vocatur ex eo ꝙ ducatum præbeat. cõſules, prętores, iudices, ꝙ præire reipublicæ, conſulere, & iudicare antiquitus ſolebãt, vti refert Cicero ex legibus duodecim tabularũ, libro tertio de legibus. Deniq; in Ariſtot. ſolent annotare, qualitates tertiæ ſpeciei vocari paſſibiles, aut ſi mauis, patibiles, ꝙ à paſſionibus fiant, vel ꝙ paſſionem excitent in ſenſu. Has intepretationes palàm eſt non recurrere, neq; enim ſemper qui dux eſt, ducit. nec quiſquis præit prætor eſt, vt meminit Agricola.

Ex recurrẽte interpretatione, & interpretato, quatuor modis argumentamur.

Ex hac differẽtia illud ſtatuendum eſt, quadrifariam argumenta aptari, ſi interpretatio cum interprerato conuertatur, ex ſubiecto, ex prædicato, affirmatiuè & negatiuè, idq; tam ab interpretato ad interpretationem, quàm econtrariò. Singulis verò argumentationibus ſuæ affingendæ erunt maximæ, ea ratione quam præſcripſimus in ſuperioribus locis. vt verbi gratia, ex ſubiecto, ſtudium ſapientiæ laudandum eſt, igitur philoſophia eſt laudanda. Locus differentia maximæ, ab interpretatione ad interpretatũ, cui reſpondet maxima, Quod conuenit interpretationi, & interpreto. Atq; hic obiter ſubmonendum eſt, interpretationẽ ſapientiæ, quam ſecundo Officiorũ Cicero tradit, ſanè accipiendam eſſe, pro amore ac ſtudio ſapientiæ iam acquiſitæ. alioqui enim idiota ſapientiæ amator diceretur, cùm non ſit philoſophus, itaq; paralogiſmus ex hoc texeretur, homo ruſticus eſt amator ſapientiæ, igitur eſt philoſophus. Reliquos modos argumentandi, ad regulam eandem paratum fuerit exemplis aperire, quæ diſſimulamus, ne in re manifeſta ſimus odioſè prolixi. Ex interpretatione non conuertibili ad interpretatum, & contrà, ducemus aliquando veriſimiles argumentationes, licet non neceſſarias.

Ex non recurrẽte quatenus argumentari liceat.

qualis fuit illa D. Hieronymi, quales aliæ plæræque apud idoneos autores. Quanquam fatemur multas fallacias ex huiuſmodi interpretationibus ſtrui poſſe, vt ſi machinam cæleſtem probaueris cælatam eſſe, quia cælum appelletur. vel contrà, aliquam materiam contendas eſſe cælum, eò quòd ſit cælata. Item ſi inſtet quis, patrem Caroli fuiſſe equorum amatorem, quoniam Philippus nominatus ſit. aut Alexandrum magnum fuiſſe Philippum, cùm fuerit equorum amator. Has autem ſophiſtarum cauillationes facilè erit euadere, ſi dixerimus, ex hoc loco dialecticas confici argumentationes, cum quibus quæ falſa tantùm imagine non re vera conſentiunt, ex hoc quidem ductæ loco apparent, ſed non vt oportet, quia non poſſint idonea maxima ex hoc loco ſumpta confirmari. Sed quo certi fines huius loci vſum alioqui latè patentem concludant, hoc religioſè cuſtodiendum eſt, ne temerè quicquam interpretemur, quod factitare paſſim audent Grammatiſtæ, ex vnius aut alterius verbi origine ſtatim proſilientes ad confuſas, incertas, obſcuras, vel alioqui ineptas interprerationes, quia nimirum aut porrectis, aut adiectis, aut detractis, aut mutatis literis, ſyllabiſve, citra delectum audent etymologias comminiſci, nullis regulis analogiæ, nulla veterum auctoritate, nullo imitationis vſu freti. Contrà, illud tenendum eſt, nonnullas eſſe probas interpre-

tiones

rationes, etiam si non ad viuũ (quod dici solet) reddiderint id nomen, quod interpretandum proponitur: vt cælum Varro interpretatur, quia cælatum est, & Philippus primum dictus est equorum amator. Reducunt ad hunc locum argumenta, quæ hodie a conuertibilibus appellant, siue diuersiuoca sint, vt risibile, flebile: siue multiuoca, vt ensis, gladius. Sic enim Boetius nuncupat, cum συνώνυμα sint Græcis res eandem sortitæ rationem, quæ vniuoca vertunt dialectici multiuoca, Græci potius dicerent ἰσοδυναμοῦντα quàm συνώνυμα, vt voces multiplicem habētes significationem πολυώνυμος, vel Erasmo adstipulante priori libro de Copia, quo loco tradit rationem dilatandi per synonymiam. Loci a comitantibus vel consequentibus substantiam è Themistio Boetioq; deinceps numerantur, ita quidem appellati, quòd argumenta contineant, quæ non totam rei in quæstione propositæ complectātur substantiam, vt definitio, descriptio, interpretatio, sed partem substantiæ designēt, aut certè de propinquo rea substantiam essentiamq; demonstrent. Horum, vt inquit Boetius, multifaria est diuisio. Plura sunt enim, quę singularibus substantijs adhærescunt, itaq; numerātur hi ferè loci, a toto, a partibus, a causis, ab effectibus, vel (vt Cicero loqui mauult) effectis, vt Rodolphus, euētis, quæ Fabius alieno nomine vocat ἐκβάσεις. & præter hos, alij a corruptionibus & vicissim generationibus. alij ab vsibus. alij a cōmuniter accidētibus. Ad quos fontes reuocabimus particulares locos, qui in hoc ordine ferè solent adnumerari. Singulos itaq; rursus a capite ordientes copiosius explicemus. Primus erat locus totius, ideo primus fortasse, quia proximè substantiam rei comitatur, cum locus causarũ argumenta contineat a substantia rei, communi ratione causæ, distantia licet plurimũ ad substantiæ constitutionem adferant, quæ ratio mouisse Agricolam videtur, vt causas inter locos externos recenseret, totũ ac partes in albo internorũ describeret, atq; adeo eorum, qui in substantia sunt, de quibus capite quarto copiosè disseruit, quē locum breuitatis studio præterimus, vnà cum illo Ciceronis, qui est in Topicis & Partitionibus. Duplex facit totum Boetius. Alterum vt genus. alterum vt id quod integrũ ex pluribus partibus constat, quibus è regione positæ sunt partes generis, quæ vsitatius species dicuntur, & partes integri, quas hodie passim integrales, nonnulli etiam integrantes appellant. Genus liberiori appellatione, dicitur totũ vniuersale, quia id omne cōplectitur, quod de multis siue speciebus, siue indiuiduis, siue differentijs diuidentibus, siue alioqui minus cōmunibus prædicari natũ est vniuersaliter & non conuersim. Species item in cōmune, significat omne minus cōmune generi subiectũ, quę hoc loco ferè dicitur pars subiectiua. Ad argumentandi enim rationem, vt eleganter Rodolphus adnotauit, nihil propemodum differre videntur genus & species. species & indiuiduum. vt enim a genere ad speciem, sic a specie ad indiuiduũ argumenta ducuntur. rursum qua lege argumentādi vtimur a specie ad genus, eādem ab indiuiduo ad speciem vti licet. Argumentamur itaq; ex hoc loco, affirmatiuè & negatiuè, subijciendo & prædicando, a genere quidē vel toto vniuersali destructiuè, a specie vel parte subiectiua constructiuè. Quemadmodum præcepit Aristoteles, & post eum Quintilianus libro quinto Insti. ora. cap. 10. quo addi potest, a genere item affirmatiuā consequentiam obtinere, cum omnes species disiunctiuè recensentur. Imo a genere distributo ad vnicā speciem. Et item negatiuè ab vna specie ad genus particulariter sumptum, si faciamus partē siue speciem, quæ in argumentatione profertur, subsistere, hoc est, vti vulgo loquuntur, si ponatur constantia speciei vel inferioris, quā eruditi facilè subintelligũt, etiam non expressam. Et si quispiam ea studio suppressa argumentetur, parata est solutio, infirmā esse talem collectionem, quòd ea res, quā nomen speciei exhibet, iam nō sit vera species, vtpote de medio rerum sublata. vt verbi causa, hæc argumentatio. Adam non eget alimento, igitur aliquis homo potest alimento carere, nihil habet firmitatis, quoniam obuia est euasio, Adam non esse hominē, itaq; nec speciem siue partem subiectiuā hominis. Cæterùm hæc spinosa videri possunt, cum alijs nonnullis, quibus longum valere iussis, germanũ præsentis loci vsum, exemplis ostendamus. Cicero a genere sic argumentatur in Topicis. Argentum omne mulieri legatũ est, at pecunia relicta domi est argentũ, est igitur pecunia relicta domi mulieri legata. Et Boetius in topicis differentijs, Omnis virtus vtilis est, iustitia autē virtus est, iustitia igitur vtilis est. A speciebus inibi sic ratiocinatur. Si iustitia, fortitudo, moderatio, atque prudentia habitus mentis bene constitutæ sunt, hęc autem quatuor, vni virtuti, tanquam generi subijciuntur, Virtus ergo, mētis bene constitutæ est habitus. Maximæ, quibus prędictæ argumentationes & aliæ consimiles roborantur, ex Aristotele ipso depromi possunt, ne quis Rodolphi sectator falsò criminetur a nobis temerè confictas esse, vel alioqui ad confirmationem argumentationũ topicarum, parum necessarias. Sunt autem ferè huiusmodi, A quo tollitur genus, ab eodem & species singulæ.

Locus à cōuertibilib⁹ huc reuocari solet.

Cur dicitur à comitanti bus substantiam.

De loco à toto.

Duplex totum.

Modus argumentādi à toto vniuersali, siue genere.

Cic. à genere ratiocinatur.

Maximę huius loci ex Arist.

Quicquid a genere remouetur, idem aufertur a singulis speciebus. Contra, Quęcunq; insunt speciei, necesse est generi inesse. Cuicunque tribuitur species, eidem & genus particulariter acceptum. Rursus, Quod generi competit, necesse est alicui conuenire specierum. Item, De quibus prædicatur genus, necessarium est & specierum aliquam prædicari. Ediuerso, Cui nulla specierum inest, neque genus. Quod ab omnibus remouetur speciebus, a genere quoque remouendum est. Cui maximæ, vicissim respondet hæc ab Aristotele non expressa. Quicquid generi vniuerso, hoc est, distributo cōpetit, & speciei, imò speciebus omnibus. De quocunque genus vniuersaliter prædicatur, de eodem & species. Porrò hic aduertendum est, quòd principio Aristoteles, a genere tantum negatiuam consequentiam valere tradit, a specie tantum affirmatiuam. At sub finem capitis, communem esse locum hunc ad construendum & ad destruendum. In causa est, quòd ibi de certa loquatur specie, hic promiscuè de quauis, vel potius de omnibus. Ex quibus apertum est, protritas hoc in loco iampridem regulas haud temerè reijciendas esse, vt a genere ad certam speciem esse progrediendum cum generis distributione. A genere nō distributo, ad omnes species disiunctiuè enumeratas. Contra a specie ad genus sine distributione generis. Ab omnibus verò speciebus copulatiuè recensitis ad genus distributum, quoniam Aristotelicis maximis hæ ipsæ leges innituntur.

Præceptum obseruādū.

Locus à toto integrali

Sequitur locus a toto integro seu integrali, & eregione positus locus a partibus integri, sub quibus totū essentiale & partes intelligi oportet. quoniam largius quàm pro vsitata integri appellatione, totius & partium nomina vsurpabimus. vel hoc maximè, quòd totum essentiale & reliqua, de quibus iamiam differemus, tum definitione, tum argumentandi ratione, multum habent cum integro & partibus integri affinitatis. Quid autem sit totum integrum propriè sumptum, hac descriptione solet explicari. Totum integrale est, quod ex partibus quantitatem habentibus constat. Ediuerso, Pars integrális est, quæ cum alijs partibus reddit quantitatem totius. Hasce autem definitiones intelligi volunt promiscuè de toto naturali & artificioso. Sed quàm latè pateat acceptio totius in præsentia, liquet ex Rodolpho, qui cap. nono primi de Inuentione hanc facit totius & partium multiplicē differentiam. Partium aūt (inquit) & proinde totius etiam, non vna est ratio. Quædam pertinent ad substantiam, quędam ex quantitate nomen habent, quædam virtutis sunt atque efficaciæ cuiusdam. Substanciæ sunt: vt paries, domus est pars. ligna, nauis. Quantitatis, vt in ijs, quæ sunt extensa, pedale, bipedale, tripedale. dicimus enim decem pedalis rei partes. & in tempore, pręteritum, instans, futurum. & in numeris, denarij sunt partes, vnum, duo, tria, quatuor. Virtutis autem sunt partes, quēadmodum dicimus, plus roboris fuisse Achilli, quàm Aiaci: & duplo plus luminis Soli esse, quàm Lunæ. Sic quoq; animę quatuor partes facimus, viuificādi, sentiendi, mouendi, & intelligendi. Quanquam hoc in transcursu notandū, roboris & luminis partes, eiusdem esse naturæ, quas peculiari nomine partes intensionis licet appellare, vt accidentium, quę in magnitudine recipiuntur, partes extensionis vocari solent. animæ aūt partes specie discretas esse, quæ, tametsi partes Aristoteli dicantur, magis tamen hodie, recepto cognomento, potentiæ nuncupantur, de quibus in libris de anima. Eæ verò quæ substantiæ sunt partes, rursum in duplici sunt differentia. quoniam aliæ de proximo substantiam constituunt, vt sunt materia & forma: qualia sunt in homine, corpus & animus siue anima ipsa. in arbore vita & lignum, hoc est, anima vegetatiua & materia. quarum huiusmodi conditio est, vt si qua partium desit, non esse totū, non tueri nomen suum res possit. Aliæ ad integritatem rei explendam pertinent, quarū nonnullę deesse rei queant, vt non intércidat, minus principales idcirco passim appellatæ, vt pedes, manus, hominis sunt partes. Nam pedes aut manus deesse homini possunt, vt quanquam vel mutilus vel mancus, homo tamen sit & dicatur. Addamus nos, nonnullas esse integri partes, quę deesse rei non queant, quin simul ipsa res intereat, vt caput, cor, venter, in homine, & alijs plerisque animantibus brutis. radix, truncus, in arbore, quæ ablatæ continuò auferunt & ipsum totum, præcipuæ seu principales ideo appellatæ. Cæterùm integrales partes, teste Rodolpho, sunt rei constitutæ: alteræ illæ, quę ferè essentiales vocantur rei constituendæ. Est & alia quędam partium differentia, quòd hæ quidē eiusdem sunt generis, quas ὁμογενῆς Græci vocant, Rodolphus cognatas interpretatur. Franciscus Vatablus similares, vt omnes ligni partes sunt lignum. partes lapidis, lapis. Hæ rursus ἑτερογενῆς, hoc est, vt ita dicamus, multigenæ siue dissimilares, quę non in idem genus veniunt, vt partes domus, ligna lapidesq;, non sunt domus. partes hominis, carnes, nerui, ossa, nō sunt homo. Ex hac partium diuersitate perspicuum est, esse multiplicem argumentandi ex hoc loco rationem, sed aliam paulò, quàm quæ fuit in loco generis & speciei præscripta. Hoc enim differt integrale

Totū integrale qd sit, & pars integralis.

Partiū discrimina ex Agricola.

Ratio argumētandi di-

integrale totum ab vniuersali, quòd vniuersale de suis partibus adfirmatur, Integrale de suis nequaquam. Cæterùm & aliter differre ista, docet Rodolphus capite nono. quod genus ad constituendam singularū specierum substantiam adsit oportet, totū verò integrale non item. pleræq; enim partes, vt intereat totum, permanere tamen possunt. Rursus ad conficiendam totius integri substantiam, necesse est vnāquamq; partium adhiberi. ad explendā verò generis substantiam, nō vtiq; requiritur vnāquamq; speciem adesse. Verùm hæ Rodolphi differentiæ ex Porphyrio notæ sunt, Et alioqui nō magnopere faciunt ad institutū nostrum. Sint itaq; loco præceptionū hæc exempla. Donatus fuit grammaticus, igitur probè nouit scribere & poetas enarrare, cum illæ sint grāmaticæ partes, autore Fabio. Aristoteles omnium consensu dialecticus fuit, ergo nō solum argumentari nouit, sed etiam diuidere ac definire. Catilina nō fuit vir bonus, igitur non fuit absolutus orator. Cicero prædicatur summus orator in eloquentia Romana, ergo fatendum est, eum fuisse virū bonum. Dialectici non est meminisse & pronunciare, vt apud omnes est in confesso: ergo qui dialecticus est, non statim erit rhetor. Hæc autē argumenta planè similia sunt eis, quę ducuntur ab affirmatione definiti, ad affirmationē partium definitionis, vel ediuerso, a negatione partis, ad negationē definitionis. Sunt enim pleræq; definitiones, quæ ex partibus integris definiti constantur, vt aliæ ex partibus essentialibus constant. Ex quo euenit, similem esse modum argumentandi a toto essentiali, & a toto integro ad partes. & econtrario, a partibus ad totum. quoniam vtrunq; totū actu partes suas continet. Pręterea sic argumētamur, totus homo pluuia madet, ergo & pectus. mundus prouidentia regitur, ergo & res humanæ certis prouidentiæ legibus administrandæ sunt. Louanium est vera ciuitas, ergò plebeium habet ordinē & senatorium. Depellēre morbos, vulneribus mederi, salutē humani corporis tueri, est vtile, igitur vtilis est medicina. Quæ exempla partim sunt apud Boetium, partim è bonis autoribus deprōpta. Addantur & hæc, aquę gutta est rotunda, humida, frigida, motu recto deorsum tendens, vniuersum ergo aquæ elementum est natura sphęricum, humidum, &c. sic enim in homogenijs Aristoteles, & post eum alij multi ratiocinātur. In heterogenijs diuersum euenit, quoniam prædicatio totius non quadrat continuò in singulas partes. neq; enim consequitur, homo est animal, igitur caput est animal. nisi accidens in certā partem conueniat, quā sibi determinet: quomodo sequitur, capillitium est crispum, igitur totus homo crispus est. Læsa est maiestas senatus hoc scelere, igitur tota respublica vel ciuitas læsa est: plebs non consentit, igitur nec ciuitas. Ex omnibus item partibus argumentatur Cicero pro Milone. Ordo senatorius de Milone optimè sentit: Item ordo equester, tum ipsa quoq; plebs Romana, tota igitur ciuitas optimè de Milone sentit. Quę ratio argumentādi aliud induit nomen, inductioq; appellatur, de qua disseruimus alibi ex Aristotele & Rodolpho. Sunt qui vocent argumentationē ductam a partibus in quantitate ad totū, de qua putant intelligendum esse Aristotelem libro secundo Topicorū tractatus secundi, cap. secundo. Et nos mox aliquid perstringemus. Addunt huic loco totum, quod vocant potestatiuum, vtpote complectens in se multas potestates, aut si mauis potentias naturales, quale est anima rationalis, cuius sunt partes, sensus, appetitus, mens, voluntas, memoria, quæ dicuntur a nonnullis partes potestatū. Sed de his paulò superius dictum est. Nobis apparet, totum potestatiuum plerisq; dici, vniuersale multas sub se species potestate complexum, teste Porphyrio. Illud autem posse vocari totum potentiale, quod multas in se potentias naturales contineat. Cæterùm aliam esse rationē argumentandi a toto vniuersali, ex antea dictis apertum est. Maximæ quas nonnulli ex Boetio adferunt prædictis argumentationibus, sic habēt. Quod toti cōmuniter inest, alicui partium inesse oportet. Quod nullis competit partibus, nec toti. Quod singulis conuenit partibus, idem necesse est conuenire toti. Toto posito, partes præcipuas necesse est poni. & contra, positis partibus, totum poni oportet. Et ablata parte principali, totum quoq; auferendum est. Quę omnes innituntur ordini naturali, quo totū est prius, partes singulæ posteriores. Ex quo item hoc principium conficitur, Prioribus sublatis, necesse est auferri posteriora: Positis posterioribus, & priora poni oportet. Ex quibus obuium est iudicare, rationem argumentandi ex propositionibus, verbo est, secundo adiacente constantibus, esse quidem recipiendam, sed non ita religiosè, vt concludat præsentis loci amplitudinē in angustias, vt prædictę argumentationes habeantur, scilicet, parū firmæ ac dialecticæ. Sic autē ierè illa ratio perstringi solet. A toto integrali consequentia valet ad partē principalem, non ad minus principalem: vt domus est, ergo fundamentum est: non autem, domus est, ergo fenestra. A parte verò principali non valet adfirmatiua argumentatio, vt nec a toto negatiua. Quorū exēpla sunt obuia. Vsus huius loci, ex tam multiplici varietate argumentorum,

uersa est ppter differētiam totius vniuersalis & integri.

Exēpla quæ docent formā argumētandi in singulis partiū generibus.

Totū potestatiuum.

Maximę huius loci.

Argumentamur & ex verbo est, secundo adiacente.

Vsus loci a toto.

facilis est perspectu. Valet enim ad variè argumentandum, item ad conficiendas definitiones, quæ ferè ex partibus scientiarum integralibus constituuntur. Locum a partium enumeratione, quem Cicero facit, non arbitramur huc pertinere, sed potius ad totum in modo, aut vniuersale, aut denique in quantitate. nam liber vindictâ, liber testamento, quæ exempli vice Tullius adfert, non sunt partes integrales, respectu liberi. Alios locos cõmuni totius appellatione contineri docet Boetius hisce verbis. Licet autē in substantijs non solum, verùm etiam in modo, temporibus, quantitatibus, in loco, totum, partesque, respicere. Id enim quod dicimus semper, in tempore, totum est. Id quod dicimus aliquando, in tempore pars est. Rursus si simpliciter aliquid proponamus, in modo, totum est. Si cum determinatione, pars fit in modo. Item si omnia dicimus, in quantitate totum dicimus. Si verò aliquid quantitatis excerpsimus, quantitatis ponimus partem. Eodem modo & in loco. quod vbique est, totum est. quod alicubi, pars. Horum autem omnium, hæc consequenter dentur exempla. a toto ad partem, secũdum tempus. Si Deus semper est, & nunc quoque est. A parte ad totum secundum modũ. Si anima aliquo modo mouetur, & simpliciter mouetur. Rursum autem a toto ad partes in quantitate. si verus est Apollo in omnibus vates, verum erit, Pyrrhum Romanos superare. Rursus in loco. Si Deus vbique est, & hic est. Ex quibus Boetij verbis, desumptæ videntur hæ definitiones Totum in quantitate est vniuersale vniuersaliter sumptum. Pars in quantitate, inferius eiusdem. Totum in modo est determinabile sine vlla determinatione sumptũ. Pars in modo est determinabile sumptũ cum determinatione restringẽte. Totum in loco, est dictio omnem locũ aduerbialiter comprehendens. Pars in loco, est dictio particularem aliquem locũ designans. Totum in tempore, est dictio cõprehendens aduerbialiter omne tempus. Pars verò, quæ vnũ aliquod tempus continet. His autem omnibus est cõmunis argumentandi ratio cum toto vniuersali & parte subiectiua. E quibus locis facilè fuerit consimilia exempla, vel mediocri collatione præsentibus quoque locis aptare. Quę particulatim dicenda videbantur, expedita sunt in Aristot. dicto capite secundo, vbi de partibus in quantitate disseruit, tum in fine secundi Topicorũ, vbi agit de toto in modo. & primo Elenchorũ, in fallacia a dicto secundum quid ad dictũ simpliciter. Reliqua pręceptorum cõmentationi relinquimus. Paulò tamen vberius de loco a tẽpore disserendũ est ex Cicerone, Rodolpho, alijsque rhetoribus. Hinc enim intelligetur, multò latius sparsum esse vsum loci & temporis, quã ex Boetio, summis duntaxat notis, delineatũ est. Cicero, & cum enarrãs Boetius, inter adiuncta recẽsent locũ ac tempus. Rodolphus mauult inter applicita numerare. Sed nos putamus, de nomine nõ magnopere contendendum, & malumus alioqui proprijs nominibus locũ & tempus designare, quò magis obuij sint loci, quorũ tam est multiplex & exposita vtilitas. Cæterùm de adiunctis, item antecedentibus & consequentibus, in loco communiter accidentium nonnihil pro Cicerone, Boetioque adferemus. De vsu mox subijciemus. Nunc varietatem vtriusque aperiamus ad parandam argumentorum copiam. Locum accipi vult Rodolphus, non vt Aristoteles quarto Physicorum acutissimè descripsit, sed quemadmodum Virgilius.

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

Et idem in eodem libro primo Aeneidos.

Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes Mœnia.

Et sicut vulgò quærentibus, in quo loco, respondemus, in foro, in vrbe, ruri esse. Sanè multa, inquit Rodolphus, sunt locorum discrimina, sed ea in capita quædam colligamus, quo facilius queant perspici. Locorum discretio vel ex ipsis, quatenus sunt loci, sumitur, vel ex ijs quæ circa ipsum locũ sunt, ducitur. Et eorum quędam naturæ sunt, alia hominũ opere vel opinione accesserunt. In locis ipsis differentia est, qua tem, vel hic vel ibi esse dicimus, & qua alium locũ distantem, alium vicinũ, & alium amplum, alium angustum, & alium sublimẽ, alium humilem vocamus. Quę ipsa Agricolæ differentia nobis videtur sumpta esse ex differentijs positionũ, quantitati permanenti per se cõpetentibus, cuius partes positionem habent, quæ alijs deinde rebus, gratia magnitudinis attribuuntur. Id quod copiosè disputari consueuit lib. 2. de cælo, cap. 2. Addit Rodolphus, ex eis, quæ accedunt loco a natura, sunt. maritimus ne, terrestris, an aerius sit. aquosus, an inaquosus. & planus, an montosus. & asper, an mollis. & occultus, an conspicuus. lucidus, an obscurus. adustus sole, an frigore rigens, an inter vtrunque temperatus. pestilens, an saluber. sterilis, an fœcundus. Ab hominibus, alius celeber, alius desertus dicitur (vbi celebrẽ vsurpauit pro frequenti, non pro magnificè culto) sacerque & prophanus. publicus & priuatus. cultus & neglectus. pudendus & honestus. Iam vrbs, rus, domus, forum, tẽplum, vicus, pro locis sunt. Iam prouinciæ, vt in Italia quę, in Germania, in Hispania esse

De reliquis locis totius ac partium ex Boetio.

Quid sit totũ & pars in quantitate, in modo, in loco, in tẽpore

Locus quid Rodolpho.

Discrimina locorum ex eodem.

esse dicimus. Iam singulæ vrbes. vt Romæ, Capuæ, Tarenti esse. Sic in ciuitate, in patria, & peregrè esse. Ex hac locorũ diuersitate, vt indicat Rodolphus, reliquæ omnes quærẽtibus obuiæ esse possunt. Porrò specimen aliquod eruendorũ hinc argumentorũ exhibeamus. Pisces in aquis degunt, igitur sunt humidæ & frigidæ naturæ. Hæc vrbs in humili sita est loco, igitur ca lidis febribus, & pestilentiæ, alijsq; id genus malis est obnoxia. Latrones abdita, syluestria, & montosa loca petunt, sunt ergo sibi malè conscij, natura feroces, & inhumani. Hi ex eadem sunt oriundi ciuitate, ergo coniunctiores sunt alijs. Hoc furtũ in æde sacra cõmissum est, multò igitur grauiori supplicio expiandum. Hic non abhorret a loco religioni dedicato, est ergo natura religiosus. Rarus est in foro, in hominũ turba, philosophus igitur est. Natus in Gallia, nitidis ergo & comptis est moribus. Educatus in Germania, grauis igitur & strenuus est. Natus sub torrida zona, non erit itaq; diuturnæ vitæ. Oriundus ex Italia, igitur natura solers & vafer. Ex istis apertissimũ euadit, quàm variè ex loco argumentationes ducantur: tum etiam quàm sit multiplex vsus, præsertim in consilijs, in laude vituperioq;, in causarũ defensionibus, vt exemplis ostẽdit Rodolphus capite 18. Adderemus nos exempla de genethliacis, augurijs, & prognosticis, ni breuitati studeremus. Tempus quid sit, petere licet ex Aristotele quarto Physicorũ. Item a Rodolpho cap. 19. & nos item in prædicamento quantitatis nonnihil attigimus. Discrimina temporũ, quandoquidem ad copiam argumentandi faciunt, summatim ex Rodolpho possunt enumerari in hunc modũ. vt ex substantia tẽporis sint, nunc, tunc, mox, serò, nuper, dudum, olim, citò, tardè, diu, breui. Ex ijs quæ natura accedunt, dies, nox, annus, mensis, hyems, ver, æstas, autumnus. Item serenũ, nubilum, ventosum. Ex hominibus, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus siue virilis ætas, senecta. Festum, profestum, messis, vindemia, pax, bellum, fames, vbertas, occasio, quã εὐκαιρίαν, teste M. Tullio in Officijs, Græci vocãt, tempestiuum, intempestiuum, oportunum, &c̃. Facultatẽ argumentandi ex tempore, ex poetis ostendere non est operæprecium, quando libri sunt in promptu, & ex prædictis reliqua possunt æstimari. tum vsus temporis, in quibus maximè negocijs versetur, idem Rodolphus eodem prædicto patefacit capite. Porro autẽ suo Marte lector inquirat, quàm rectè Agricola Ciceronem de tempore & loco in adiunctis differentem arguit, quòd non ad Oratorem. verùm etiam ad Philosophos, tum naturales, tum morales, hi loci pertineant. Reliqua vtcunq; expediet Phryssemius in scholijs septimi capitis, quod est libro de Inuentione secundo. Adiuuerit interim & Quintilianus libro quinto Institu. capite decimo, Vsum explicans locorũ ac temporum, in omnibus causarũ generibus. Studio præterimus, quæ grammatici ac rhetores præcipiunt in topographijs, chronographijs, topothesijs, quæ vel ipso nomine declarant in descriptionibus poeticis, vsum loci ac temporis. & alioqui vulgo quoq; semper in ore est temporum ac locorum obseruatio, quæ in circumstantijs coniecturalibus est polita.

Argumẽtandi ex hoc loco specimen exẽplis dat.

Discrimina tẽporum ex Rodolpho.

Sequitur, vt de loco causarum agamus, ac principio, operæprecium est rationem reddere, quamobrem locum causarum inter locos internos redigamus. curioso interim lectori, altius penitiusq; rimandum relinquentes, cur Cicero in externis locis ponat omnes causas. Agricola verò, efficientẽ, & finem in externis, nomine cognatorum. materiam & formã in internis, nomine partium. Nos existimamus, causas omnes cõmuni quodam iure locos internos censeri a Themistio, Boetioq;. Siquidem hoc ipso, quòd causæ sunt, proximè circa rei substantiam versantur, vt a quibus propriè res secundum essentiam pendeat. etiam si aliæ causæ sint interiores, aliæ paulò ab ipsa re remotiores. Cæterùm extra rem id propriè numeratur, quod vt tale est, rei inesse non potest. quod euenit in locis externis, vt postea constabit. Causa quid sit, hoc Rodolphus compendio verborum indicat. Causa est res, cuius vi euenit aliquid: hoc est, quæ vim aliquam exercendo, & vt dicitur, influxum quendam conferendo, ad effectus productionem concurrit. id quod propriè competit efficienti causæ. fini autem solo propositi, siue intensionis respectu, quam ita mouet vt efficiens desiderio finis operetur, materiæ formam inducendo. Vulgatior est hæc definitio. Causa est, ad cuius esse sequitur aliud secundum naturam, hoc est, qua causæ officium obeunte, statim aliud euenit, natura posterius. licet aliquãdo sit tempore coniunctũ. vt dum est sol supra nostrum hemisphærium, eùestigio fit lumen per totum aerẽ diffusum. posterius quidem natura, sed tẽpore simul existens supra nostrũ horizonta cum ipso sole. Causæ respondet euentus, vt Rodolphus loqui mauult. Atqui nos Ciceronem secuti nòmine alioqui a Boetio, cæterisq; posteris vsitato, effectum appellamus, etiam si Rodolphus opinetur, effectũ pertinere ad solã causam efficientẽ. quod vt donemus, certè & effectum & efficiens, opinamur reliquis analogia quadã attribui, cum efficiens propriè causa dicatur, & quod ab ea fit, effectus. de qua te latius in Physicis. Hic enim pro loci amplitudine,

Causarũ loci quatenus interni sint.

Quid causa

Vulgata causæ definitio.

hæc

hæc nomina volumus vſurpari, quibus alioqui ſequentes diuiſiones minimè reſponderent. Sanè M. Tullius cauſam nõ ad ſola redigẽs efficientia, quãuis id Rodolphus aſſeuerat. ſed ad ea omnia, quæ ad efficiendã, producendamq; rem, ſiue efficiendo, ſiue vt inſtrumenta, ſiue vt forma & materia, ſiue vt fines, ſiue deniq; alia ratione, per ſe aut per accidens adiuuãtia, concurrunt, eam latiſſima diſtributione explicuit in Topicis. Cauſarũ, inquit, genera duo ſunt. Vnũ quod vi ſua, id quod ſubiectũ eſt, efficit. Alterũ, quod naturã efficiendi nõ habet, ſed ſine quo effici nõ poteſt. Atq; huius generis cauſarũ, ſine quo nõ efficitur, alia ſunt quieta, nihil agẽtia, ſtolida quodãmodo: vt locus, tempus, materiæ, ferramenta: alia quædã per ſe adferunt adiumenta, etſi nõ neceſſaria, vt amoris cauſa eſt congreſſio, amor flagitij. Cauſarũ quoq; propriè efficientium, aliæ nullo adiuuante efficiunt, aliæ adiuuari volunt: vt ſapientia per ſe facit ſapientes. beatos ſola efficiat, nec ne; quæſtio eſt. Quæ ſequũtur apud eundem, hic de induſtria ſubticemus, quia confuſiora ſunt, & alioqui in Phyſicis ſingulatim explicãda. Monemus tamen lectorẽ ſtudioſum Ciceronis, vt Boetij cõmentationem in eum locum preſſius conſideret. Fabius cauſam liberiori diuiſione explicuit in locis argumentorũ. Nobis viſum eſt Ariſtotelicã ſequi diuiſionẽ in quatuor genera prima, de qua & ipſa pluribus alibi diſſerere conuenit. Generalem argumentandi methodum a cauſa ad effectum, & hinc vſum latiſſimè diffuſum, ex ſpeciebus licebit colligere. Species itaq; cauſarum exequamur. Boetius orditur ab efficiente cauſa. Nobis, cõtra quàm Boetius, aliiq; poſt eũ fecẽre, placet de materia & forma coniunctim dicere. Hinc de efficiente & fine: quẽ tradendi modũ ſecutus eſt Agricola. quamuis iſtas cauſas ab illis diſtraxerit. Ariſtoteles iuncto tractatu cauſarũ, eundem ordinem obſeruat.

Cauſarũ definitio, iuxta Ciceronẽ in Top.

Hic Ariſtotelẽ ſequimur

Materia prima.

Materia propriè ſumpta, eſt ſubiectum primum, ex quo aliquid generatur, & vltimum, in quod corrumpitur. in qua permanente eadem, perpetua ſucceſſione diuerſæ ſuccedunt formæ, cum ſubſtantiales, tum accidentariæ. Eam phyſici vocant primã. Ariſtoteles dixit ὕλην, quã alij, teſte Fabro, δύναμιν appellant, quod rudis informiſq; per ſe ſit, potentiam habens ad omnes formas, quarum tamen nulla peculiariter veſtita eſt. Hæc quatenus ſit, aut intelligi poſſit, Rodolphus eodem loco explicat, & primo Phyſicorũ oportunius exponi ſolet. Eſt altera quædam materia, quæ ſecunda magno docentium conſenſu dicitur. Ea eſt ſubiectũ formarum accidentalium, potiſſimũ artificialium, vt æs in ſtatua, & ligna in naui. Materiæ nomen extra cõpoſitionem rei naturalis, vel artificioſæ, eruditi multò aliter accipiunt, vti Rodolphus exponit libro primo capite nono. item libro ſecundo capite quinto. Materia, inquit, artium dicitur, quod artibus docetur, circa quod verſatur cura conſideratioq; illarum, quod & ſubiectũ appellatur, vt dialecticæ materia dicitur argumentatio, id eſt, proprium eius opus, quod proprijs viribus elaborando procreat, & actu producit. Dicimus etiam materiam artium id, in quod opus materiamq; ſuam explicant, ſiue circa quod operatio verſatur, quẽadmodum ſtatuarij materiam dicimus, æs, marmor, ſaxum. dialecticæ, quæſtionem, laudem, virtutem, & impudicitiam infamiæ. quę quidem exempla iure cõmunis appellationis duntaxat, huc pertinent, quod omnia circa hæc, ſuã quodq; materiam verſari dicantur, cum aliam rectius dixeris materiam ex qua, aliam tantum occaſionem & quaſi anſam præbentia. alia denique propriè hoc nomine cenſeri poſſunt, quod circa ea facultas & opus artis explicetur, qualem diximus eſſe materiam dialecticæ, quæſtionem. Ea verò quæ paſſim a phyſicis obiecta dictitantur a Rodolpho ſubiecta, ab Ariſtotele ὑποκείμενα, rectius ad efficientem cauſam referentur, vti planiſſimè idem docet ex Ariſtotelis ſententia, & phyſicorum huius ætatis omnium. verbis tacitis ſat habemus indicaſſe locum, qui eſt libri primi capite decimotertio. Poſſunt aliæ quoque ſignificationes forſitan recenſeri. verùm omnes breui compendio licet includere. vt alia ſit materia, ex qua totum aliquod, ſeu naturale, ſeu artificiale conſtituitur. Alia in qua tanquam ſubiecto quodam recipitur aliud, ceu forma accidentaria, cum qua nõ conſtituit quid vnum natura vel arte. Alia denique, circa quam tractatio agentis, ſiue naturalis, ſiue artificialis verſatur. Exempla ſingulorum nota ſunt. Cognita hac materiæ multiplici acceptione, in promptu erit copioſè argumentari ex hoc loco. vulgata ratio ducendi hinc argumenta primùm, deinde liberior illa vnà cum vſu loci exponenda.

Materia ſecunda.

Materia artium qd ſit.

Vulgatus mos argumentandi à materia, tũ tràſeũte, tũ permanẽte.

A materia tranſeunte ratiocinantur hoc pacto. Farina eſt, igitur panis eſſe poteſt: nubes apparet, ergo poterit naſci pluuia. Ab huius effectu, ſic, panis eſt, igitur frumentũ aliquando fuit. pinguis hic rediјt nobis, ergo alimentũ copioſè ei fuit adminiſtratũ. Non ſequitur negatiuè progrediendo, Nuſquam apparet conſumptus eſu panis, nõ fuit igitur hoc anno copia frumẽti. Maximæ ſunt. Poſita cauſa materiali, poteſt effectus eſſe. Effectu poſito, neceſſe eſt fuiſſe materiam. A materia permanente, ligna & lapides ſunt, domus itaq; poteſt eſſe. Ferrũ eſt,

arma

arma igitur esse possunt. Ab effectu eiusdem sic proceditur, Hæc vestis aurea est, igitur necesse est aurum esse. Negatiuè non sequitur, Nulla erant arma ferrea in prima illa ætate, vt habet Ouidius, ergo non erat ferrum. A causa negatiuè licet progredi, Non fuit marmor, ergo non fuit opus marmoreum. Maximæ prospicuæ sunt, ex naturali causæ ad effectum habitudine, & contrà. Illud enim pro indubitato recipiendum, in causis, maximas ex natura rerum confingendas esse, quas etiam mediocriter in Physicis institutus, nullo negotio sibi conficiet. Sic ferè vulgatus mos habet argumentandi ex propositionibus, quas vocant de est secundo adiacente. Liberior autem, & latius fusa ratio eruendi, tum ex hoc loco, tum ex sequentibus, argumenta, nullis propositionibus, nullis prædicatis addita est. Quòd si iustas & certas argumenrandi leges statuamus, omnino recurrendum est ad species argumentationis, præcipuè, si fieri potest, ad syllogismum, quo velut regula explorandum est, probum sit, an non, argumentum propositum, vt antea ostendimus. Demus exempli causa has argumentationes. Lapidea domus est, igitur non est obnoxia incendio. Casa hæc straminea est, vilis igitur, & parui sumptus. Sepulchrum huius principis ex alabastro materiatum est, igitur illustris & potens fuit. Libet verò Martialis distichon inserere huic nostro contextui, mirè festiuum, quo taxabat auaritiam & intempestiuum sumptum cuiusdam.

Copiosior ex materia argumentandi ratio, simul vsum declarans.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.
Bassa bibis vitro, carius ergo cacas.

Ex altera significatione materiæ ita licet ratiocinari, Theologica disciplina tractat de Deo ac diuinis omnibus in republica bene administrandis, ergo præstat iuris facultati Theologia. Ius consyderat de bonis fortunæ, quatenus subiacent dispensationi rectæ rationis, Medicina de corporis conseruanda valetudine, ac restituenda sanitate, nobilius ergo ius est medicina. Sic reliquæ artes, aliæ quidem aliis præferuntur, propter materiæ dignitatem. ac illæ præcellunt, quæ circa materiam difficiliorem vel alioqui præstantiorem occupantur. Sic votum, aut bonum aut malum colligimus esse, ex materia subiecta, quod obiectum Theologi dicũt. Hinc pendent quæstiones iuris. si quis in aliena tabula picturam effinxerit, Si ex alieno auro argentoq; vas confecerit, an materiæ cedet formac an ediuersò: Hinc Physici, mista esse subiecta corruptioni. medici hoc animal diuturnioris, illud breuioris esse vitæ, concludunt. Illud ad extremum adiiciatur, stilum orationis pro materia nunc sublimem esse, nunc mediocrem, nunc humilem. Quod mirè se obseruasse prædicat Virgilius in initio suæ Aeneidos.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus syluis vicina coegi,
Vt quàmuis auido parerent arua colono,
Gratum opus Agricolis. At nunc horrentia Martis
Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris,
Italiam, fato profugus, Lauinaq; venit Littora. &c.

Vnicum tamen profuerit in præsentia addidisse, materiæ naturam bene prospectam vehementer conducere ad commendationẽ operum fabrilium. Exemplo sit Ouidius secundo Metamorphoseos, ex materia simul & forma regiam Solis & currum describens. Item Politianus de septem orbis miraculis. ad hæc Virgilius, qui lib. primo Aeneidos, dona Didoni oblata. Item cõuiuium Aeneæ apparatũ, ex materia amplificat, quale & à Cleopatra instructum Iulio Cæsari descripsit Lucanus. 7. lib. Pharsaliæ. Sed verbis horũ Poetarũ odio prolixitatis in præsentia supersedemus, sunt enim libri passim obuij. Forma quid sit, ex Aristotele manifestum est, apud quem definitur, Forma est ratio quiditatis, hoc est, quæ tanquam pars essentiæ perfectiua, rei quiditatem & substantiam intelligendam exhibet. Alij ferè ita describunt hoc loco. Forma est, quæ dat esse rei, & conseruat eam inesse, Id est, Causa formalis est causa, quæ tanquam vltima perfectio materiam quasi vestit, & cum ea rei essentiam absoluit, eámque conseruat. vt enim à forma res primum esse accipit, ita per formam res perseuerat, & ea amissa, continuò perdit suum esse, quapropter appositè ait Rodolphus, formam esse modum quendam materiæ, per quem datur materiæ huius, vel illius speciei nomen. verbi causa, Massa auri nondum elaborati, nullius operis nomen vendicat, sed artificis industria si forma accesserit, fiet vel patera, vel ampulla, vel statua, vel alterius denominationis opus. sin forma rursus auferatur, res artificialis esse suum perdidit, fitque rudis indigestáque moles. Eadem ratio est de forma corporis naturalis. sed hæc latius in Physicis. Illud obiter adnotandum, quòd forma propriè refertur ad totum ipsum. siquidem ad materiam collata quodammodo accidens est, vt materia respectu formæ, vicissim dicitur subiectum non

De causa formali.

Formæ definitiones duæ.

materia, quæ totũ respicit, non semper ipsam per se formã. De subiecto autẽ & accidente mox plura. Nunc quàm breuissimè diuidamus formã in substãtialem & accidentalem. Dehinc accidentalem in naturalem & artificialem. Aut, si mauis, prima sectione diducatur forma in essentialem & accidentalẽ. Dehinc accidentaria in naturalem & artificialẽ. Naturalis est anima rationalis respectu hominis. sessio, ambulatio, quantitas, albedo, nigredo, sunt formæ accidentariæ. figura domus. forma nauigij, & similes, dicuntur artificiosæ. Ad essentialem licet reducere naturã genericã & specificã, respectu proprij concreti, vel rei, quæ ab ipsa concretum denominatur, vt humanitas respectu hominis, animalitas respectu animalis. Item differentias magis proprias, tum respectu speciei cõstitutæ, tum etiam respectu generis diuisi, cui tanquam materię adueniunt, ad cõstituendã speciem. quanq̃ de his & in superioribus locis facta est mẽtio. Quę plura de formarũ generibus adferri possent, ex Physicis & alijs nonnullis locis nostrorũ Commentariorum in dialecticã Aristotelis petantur. Modus argumentandi vulgaris, paucis exẽplis indicari potest. albedo est, adde si placet, satis intensa & extensa, igitur albũ est. negatiuè quoq; sequitur, non est albedo, igitur nec albũ. anima iam occisi bouis euanuit in auras, igitur bos nõ est. Ab effectu contra item valet consequentia vtroq; modo. calidũ est, igitur calor est. nulla est rosa, igitur non est forma rosæ. Maximæ notæ sunt, Posita causa formali, ponitur effectus, & contra. Si non est forma, sequitur non esse effectum: & ediuersò.

Formę diuisio.

Argumẽtandi ratio vulgaris.

Huc pertinet, vt nonnulli annotant, locus ille generalis, quem vocare solent, ab inesse ad denominari: quod verũ asserimus, siue ex accidente quis argumẽtetur, siue ex alijs prędicatis. Sed hac demùm ratione, quatenus res, quæ abstractim designata, nomine alicuius prædicati notatur inesse, habetur forma subiecti. vt homini inest albedo, igitur est albus. Eidem inest risibilitas, ergo est risibilis. Maxima confingi potest. Cuicunq; subiecto inest forma, ipsum ab ea denominatur. Rationem dicti nostri hanc adserimus, loco a causa formali non esse præscribendum vnicũ illum modum argumentandi ex propositionibus, est secundo adiacente constantibus, imò quemuis accõmodari posse, modò aliqua maxima idonea confirmetur. Liberior ergo apud classicos autores magis frequentata ratio argumentãdi ex forma eiusq; effectu, hisce paucis exẽplis tanquam adumbrari potest. Calor, teste Arist. in secũdo de Generatione, cõgregat ea, quæ sunt eiusdem naturæ, & segregat a cõtrarijs, ergo ignis schoriam distinguere potest ab auro. Rotũda figura adiuuat ad celeritatẽ motus, ergo cælum quia sphæricũ est, expeditius circũuoluitur. Planities nõ facilè penetrat, igitur tabula quo latior est, eò cõmodior ad supernatandum. Acuties facilius penetrat, ergo culter acutus pungit acrius obtuso. Prudentia est virtutũ rectrix & domina, verè igitur dixeris, Sapiens dominabitur astris. Frigus est mater albedinis, igitur Batauorum corpora, propter frigidiorẽ aerem patriæ, sunt albiora Hispanis. Negatiuè hoc modo argumentabimur. Verecundia nihil habet cum pallore commune, erubescens ergo non pallet. Aegritudo non admittit hilaritatem, igitur ægroti non ferè sunt patientes iocorũ: quæ & ipsa videri possunt a coniugatis ducta esse. Ab effectu non opus est exempla proponere, quandoquidem ex modò positis confingi poterunt. & Rodolphus nonnulla habet in loco coniugatorum, cum quo hæc posterior argumentandi ratio plurimum consentit, vt alia quoque argumenta diuersis interim locis aptantur, quod superius aliquoties tetigimus. Tum verò hic locus a coniugatis dissidere intelligetur, vbi poetarum amplificationes inciderint ex forma ductæ, quales comminisci possumus ad similitudinem eorum, quæ in loco materiæ explicata sunt. Vsum huius loci ex materia commodissimè perspexeris, cum qua iunctum habet forma tractatum. Peculiare tamen momentum ad copiam præstat formæ consideratio in pictoribus & architectis. mirè enim crescit laus artis & ingenij, ex eo quòd formam alicuius rei ad viuum in tabula expresserit, atq; eo magis, si in materia vili & parum idonea picturam insignem aut egregiam formam pictor aut statuarius exhibuerit oculis. Apellem ab egregia forma, quam ex arte pictoria Veneris capiti dedit, commendauerunt poetæ. de quo Cicero paulò post initium tertij Officiorum, qui ex Possidonio laudans Panetium scriptorem Ethicum, Apellis exemplum adfert, quòd Veneris eam partem quam inchoatam ipse reliquisset, nemo vnquam tentasset absoluere. oris enim, inquit, pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. Ex eodem loco ducta laus est Policleti, cuius aliquoties meminit Aristoteles, quòd reliquos statuarios, in forma hominum ad veritatem effingenda, superauerit. Eius cum alijs meminit Martialis libro octauo epigrammatõn. meminit & Propertius aliquot insignium, sed verba recitare nihil est opus. Huc pertinẽt naturę miracula in locis naturali quadã arte munitis, in arborum, herbarũ, fluminũ, aliorũq; id genus, forma, situ, & ordine. Itẽ descriptiones regionũ, vrbium,

Locus ab inesse ad denominari.

Exẽplis aliquot libertas ex forma ratiocinãdi ostenditur.

Vsus formę.

castrorum,

castrorum, ædificiorum, quæ potissimùm ex forma & quodã artificioso situ ducuntur. Potest ex altera formæ significatione, in quã formosos & deformes dicimus, incredibilis copia argumentorũ suppeditari, exempla sunt in vtranq; partem plurima apud poetas. Virgilius libro primo Aeneidos, amplificat speciem Aeneæ ex formæ circunstantijs.

Copia ex vulgatiore formæ acceptione.

Restitit Aeneas, claraq; in luce refulsit,
Os humerosq; Deo similis, namq; ipse decoram
Cæsariem nato genitrix lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Facit ad τὸ πιθανὸν, id est, verisimilitudinẽ, hic locus in genere iudiciali. nam ex forma rectè arguas Herculem seruisse Omphale. A Paride Helenam. Briseida ab Achille adamatã. Dauidem adulterium commisisse cum Bersabea. Violatam a Tarquinio pudicitiam Lucretiæ. & reliqua id genus, quæ Ouidius in Heroidibus, Stroza pater in libris ἐρωτικῶν, & alij docti illi quidem, sed parum pudici poetæ depingunt, idcirco ne attingendi quidem a castis manibus. Pro dictis in summa facit hoc Nasonis Distichon.

Non honor est nec onus, species læsura ferentes,
Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Econtrariò, deforme corpus argumento est, ingenium hebes esse, & mentem stolidam nullis virtutibus excultã. qualem Homerus depinxit, quasi viuis coloribus, Thersitem, de quo veteri sermone tritum extat prouerbium. Thersitæ facies. Eodem spectant, quæ sunt descriptiones Cupidinis & Veneris apud Marullum, tum Occasionis, Temporis, Fortunæ, apud alios, quæ potissimùm a forma ducuntur. Vt igitur summã huius loci paucis concludamus, valet vtraq; acceptio formæ, tum philosophica, tum poetica, in genere demonstratiuo ad laudem & vituperationem. In deliberationibus, vbi quæ optima forma sit, disputatur. Nam & philosophi id agitant apud Gellium libro quinto cap. vndecimo, vbi Phauorinus pronunciat, mediam formã, quæ a nimiæ pulchritudinis periculo, & a summo deformitatis odio vacat, esse optimã. quæ ab Ennio stata forma dicitur, neq; ποινὴ, neq; κοινὴ futura, contra quã Bias falso dilemmate ratiocinabatur, ideoq; Phauorinus eam non inscitè appellauit vxoriam. In iudicijs ad suspicionẽ facti mouendam, & in alijs quoq; cõtrouersijs, ex forma corporis variè possumus de animi habitu & qualitate cõiectare, quod facete solent haud infeliciter φυσιογνωμικοί.

Summatim vsus indicat in generib9 dicendi.

Gellius de forma vxoria.

Peculiariter autem ex priore illa Physici & Medici ratiocinantur, tum etiam Ethici & Theologi, pro diuersitate formæ, variè de actionibus humanis & sacramentis ecclesiasticis iudicantes. Cum prædictis locis materiæ & formæ, plurimùm videntur consentire, tres illi apud Rodolphum, adiacens, actus, & subiectũ, quos ipse proprijs capitibus a materia & forma seiunxit. Certè adiacens & actus, veluti forma, subiectum verò tanquam materia se habet. Quoniam itaq; de his dicendum apparet, neq; alio loco id opportunius fuerit. nos quantũ instituta breuitas patietur, ex Rodolpho adnotabimus. Adiacens est, inquit, modus quidam rei inexistens, quo aliquid aliud, quàm secundum substantiæ suæ denominationẽ vocatur, hoc est, quicquid hodie accidens pleriq; omnes dialectici vocant, dummodo non sit in agitatione positũ, & quodam quasi motu, Rodolpho adiacens erit. Exempla nota sunt ex Isagoge Porphyriana. Diuisit adiacentia Rodolphus principio in ea quæ sensu percipiuntur, & quæ intellectu. Deinde in natiua & accedentia. atq; hæc in ea, quæ facilè dimouẽtur a subiecto, & quæ difficulter auferuntur. Natiua autẽ, in ea quæ rebus inanimis insunt, & quæ plantis: ad hæc quæ animalibus: deniq; quæ peculiariter hominibus, in quibus superiorum generum accidentia cumulo includuntur, vt ex secundo Aristotelis de anima Rodolphus ostendit. Continuò addens, adfectiones animi (quæ πάθη Græcis, Latinis verbum è verbo passiones, sed latinius adfectus dicuntur) posse numerari, modò inter natiua adiacentia, modò inter accedentia, vt partim nomine ἕξεως, hoc est, habitus siue consuetudinis veniant, partim verò nomine subitarũ & temporariarum animi affectionũ. Quod de artibus adiecit in calce, aliàs ad actionẽ, aliàs ad cognitionem pertinere, nihil attinet hoc loco verbosius repetere. vt taceamus, quod exactius hac ipsa de re tractat lib. 2. cap. 2. & 9. cum etiam quòd ante Rodolphum apud Macrobium, atque adeo ipsum Ciceronem, & ante omnes apud Diogenem Laertium, a Peripateticis hæc artium diuisio fluxisse docetur. Actus Rodolpho dicitur, quocunque aliquo modo exerceri, adficiq; dicimur, hoc est, accidens in quadam positum agitatione, quod Græci inquit ἐντελέχειαν vocant, ex quo apparet, idem esse actum, quod Physici vocabulo mutationis aut motus generaliter sumpti intelligunt. siquidem ἐντελέχειαν appellat initio tertij Physicorum Aristo. quem

Adiacẽs qd.

Diuisio adiacentium.

Quid sit actus.

motum rectè omnes interpretãtur. Diuidit actus quadrifariàm. principio, vt alij proueniant ex natiuis, alij ex accedẽtibus siue vsu firmatis, siue tẽporarijs. Deinde, alij intra se consumuntur, alij opus absoluunt. Tum actus partim finẽ habent propositũ, partim fine carent. Postremò, alij ex præteritis duntaxat nascuntur vel præsentibus, alij ex futuris, quatenus animo præcepta atq; expectata sunt sub ratione boni vel mali. Quod addit, quædam adiacentia figura nominis, actus videri, vt scire, albere. contrà, quosdam actus videri adiacentia, vt cursus, pugna, parui sunt momenti, & in Physicis quoque fusius traduntur.

Quã multifariã fini actus.

Pro argumentandi ratione, ex his locis illud tenere suffecerit, ab adiacentibus & actibus de ipso subiecto posse fieri coniecturã. vt ex accidentibus innotescere substantiam atq; essentiam docet, primo de anima libro Aristoteles. Ex quo facultas & vsus horum locorum, quem in fine duodecimi capitis exponit Agricola, facilè perspicitur. Etenim prӕter ciuiles controuersias, vel in primis conducunt philosopho naturali, qui ex accidentibus sensui expositis, de interiore natura rei pronunciat.

Ratio hinc argumẽtãdi

Subiectum (vt omittamus hic octo illas significationes) Rodolpho est ipsa substantia. & interim quantitas, cui adiacentia vel actus insunt. Porrò ea quæ passim obiecta dicuntur Physicis, mauult inter efficientia referri: vt antea quoq; verbo notauimus. Illud notũ est, materiam artium nõ ineptè subiectũ dici, sed huc propriè significatio ista nõ pertinet. De argumentandi ratione & vsu in hoc loco, quid attinet meminisse? quando Rodolphus vtrunq; alto silentio præteriuit, & alioqui palàm est, ex subiecto ad accidens obuias esse argumentationes, quoties locus admonet. Adde, si libet, ex loco effectus ad causam formalem, de subiecto similem obseruationem posse adnotari. Verùm de hoc ipso, & similibus, ex prædictis obuia est coniectura. Ergo his missis reliqua duo causarum genera aggrediamur.

De subiecto breuis tractatio.

Causa efficiens.

Tertium est causa efficiens, quo nomine diximus Ciceronem accipere omnem quodammodo causam, a quo & ipso passim hodie vocamus effectum, etiam causarum non efficientium. Cæterùm efficientis nomen, huic tertio generi duntaxat, vsus loquentium aptauit. Definitur a Rodolpho efficiens causa, quæ faciendæ rei præbet operam, hoc est, reuera explicat agendi efficaciam in effectum. cum finis proposito tantũ atq; institutione moueat dirigatq; operationem efficientis. forma verò & materia, velut inertes per se causæ tractari debeant, atq; ad rei compositionem iungi, & quodammodo conglutinari ab efficiente. Id Aristoteles apposite significauit hac definitione. Causa efficiens est id, vnde est primũ principiũ mutationis aut quietis: de qua libro secũdo Physicorũ. Efficientiũ diuisio multiplex, ex Cicerone, Aristotele, Rodolpho, quiq; plures eiusdẽ notæ sunt autores, reddi potest. Nos in summã colligamus. Efficientium alia necessitate agunt, vt quæcunq; consilij, iudicijq; expertia sunt. Alia delectu, quibus liberum est agere vel non agee, vt homines in rebus, quas consilio rationeq; administrãt. fortasse (inquit Rodolphus) & brutorũ nõnulla, quæ docilia sunt, & iudicium, quandamq; deliberationis imaginem habent. vbi graphicè depingit, quod libro tertio de anima dissert consueuit, bruta nõ agere, sed agi potius ab opinione, quã a rebus acceperint, ideoq; nõnunquam in ancipiti pendêre, vt in neutram partem rapiantur. Cum homo arbitrio principis voluntatis liberè agat. interim etiam id, quod ratio damnauit: & contra, quod rationis sententia decreuit exequendum, auersetur. Illa quæ necessitate agunt, partim naturæ conatu operantur, quòd agendi principium intra se habeant, nullo extero adiuuante: sic ignis natiua virtute calefacit. Partim externa vi agunt, quibus ab alio vis est agendi inserta. vt aqua vi caloris extrinsecus inducti calefacit. lapis, telum, glandes ferreæ agũt, vi ab homine intorta, vel impetu puluere tormentario impressa. Verùm de his libro secundo de cælo capite sexto.

Efficientiũ diuisio multifaria.

Deinde efficientium alia per se sufficientia sunt ad operandum, vt Deus, angeli, & humana interim voluntas. Alia egent externis, quę vel imperãtia sunt, propriè κύρια Græci dicũt, vel obsequentia & ministerium obeuntia. atq; horũ nonnulla vendicant actionẽ propriam, nonnulla sunt agendi instrumẽta, vt in domo facienda ὁ ἀρχιτέκτωρ, id est, prӕfectus operi vniuerso, imperat. is qui lapidem sculpit, qui parietẽ extruit, qui cædit apteq; materiam, ministrat. Instrumẽta sunt mallei, secures, terebra, & alia quibus suum opus explicat. Sic in facultate militari, præfectus est imperator, cui miles paret, & huic ministeriũ præstant qui equos domãt, huic aũt qui frena conficiunt, & alij deinceps, quorũ opera ministerioq; præfectus bellicæ facultatis vtitur, quod perq̃ elegãter explicat Aristoteles initio Moralium ad Nicomachum, colligens fines artium hoc ordine distributos esse, vt sint omnes ὑπὸ μίαν τινὰ δύναμιν, ex eadẽ scilicet virtute ad eandem cõmunem facultatem referendi. Ex quo nos efficimus, similem esse diuersitatem efficientiũ, quæ discernũtur proprijs finibus, & his propriæ item respõdent actiones. Hæc ferè Agricola. Ad quẽ nouã accessionẽ plerique adiungũt ex Top. M. Tullij. Efficientium alia

Secũda diuisio.

sunt

sunt constantia & stabilia, quæ pro suæ actionis efficacia, semper eundem ac similem effectum producunt. vt Sol constanter nostrum ἡμισφαίριον illustrat, simul atque exortus est. Alia mobilia sunt, inconstantiaque, veluti inter agentia naturalia, homo procreat hominē vno capite, decem manuū, decē pedum digitis ornatum. sed interim bicipitē, aut nouem digitis, vel pluribus quàm decem digitis monstrosum. Inter libera, pictor, domificator, qui non semper idem efficiunt, a cōmuni simulacro & Idæa suæ artis nonnunquam aberrantes. Illa diceret Aristoteles agentia semper eodem modo, Hæc plærunque. Cæterùm hæc posteriora diducūt in causas per se & per accidens, vtpote casum, fortunā. Alij malunt causam absolutè secare in naturam, artem, fortunā, & consuetudinem, hasque ipsas posteriores in priores illas spargi posse sectiones. Lectori sit liberum, vtram malit sequi sententiam. Vno verbo adijciamus postremā diuisionem, in causas actu operantes, & potentia agentes, quam & Aristoteles tradit in secundo Physicorum. Lex argumentādi quæ sit, ex istis datur vtcunque intelligi, & anteq̄ exemplis illustremus, indicādum, quid vulgata ratio hoc loco iam olim obtineat, argumentandum esse a causa actu operante & prædicatis bonum & malum, vt significent peritiam artis, imperitiamque, vt bonus est ædificās, igitur domus erit bona. pingens est malus, igitur pictura erit mala. Ex causa potentiā operante ducas argumentū, vtendo verbo potest in consequentē. ædificator est bonus, ergo domus potest esse bona. Imò vtrobique sic argumentādum, quia etsi sit ædificans, tamen duntaxat sequitur domum esse posse, non autem necessariò futuram. Ab effectu contra, domus est bona, igitur ædificator fuit bonus. pictura est mala, igitur pictor fuit malus. Vide lector, num possint bonum & malum accipi, vt ad artem, naturam, rationem rectā, & ad causam generantē corrumpentemque referantur, quod apud Aristotelem in loco Generationis & corruptionis ventilari solet. Licet autē vti hic verbo est, secundo adiacente. sed hæc nota sunt animaduertenti ordinem & habitudinē efficientis ad effectū, ex qua maximè confingi possunt: sed de his satis. Nunc liberiorem illam argumentandi legem paucis aperiamus. Primo tenendum est, ritè duci ab efficiente ad effectum argumenta, vtendo verbo est, secundo adiacente, item tertio adiacente, & verbo etiam adiectiuo, quodcunque erit cōmodum rei probandæ, vt Sol ortus est, ergo diluxit. Quo pertinent descriptiones poeticæ, quibus Sol præesse dei, Luna nocti declaratur. Statius Papinius lib. 10. Thebaidos sic ait. Arcanæ moderatrix Cynthia noctis. Idem lib. 3. Syluarum. Lumina noctiuage tollit Pharos æmula Lunæ. Sic Pontanus. Syderijs nocturna vmbris Latonia gaudet. Rursus de eadem Mantuanus. Luna gubernatrix tenebrarū & nobilis vndæ. De qua idem alibi. Atque soporiferos niueis argētea bigis Luna vehit radios. De Sole Virgilius lib. 4. Aeneidos.

Alia diuisiō ex Ciceróe.

Quarta diuisio.

Ratio argumētādi vulgaris.

Lex argumētandi liberior.

> Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
> Humentemque aurora polo dimouerat vmbram. Et idem libro secundo.
> Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
> Inuóluens vmbra magna, terramque, polumque.

Quo significat, absentem Solem esse causam vmbræ noctis. cuiusmodi exemplis apud poetas plena sunt omnia. Ex eadem nota sunt hæc. Natus est sub Martis sydere, ergo pugnax. Adspexit eum in ortu, Mercurius, ergo ad eloquentiam & literas appositus. Quæ eadem ad tēporis caput reduci possunt: sed alia ratione. Ab his quæ delectu agunt sic argumentamur. homo est, igitur affectibus multis obnoxius. nemo siquidem sine crimine viuit. Tale est illud Nasonis libro quarto Metamorphoseos.

> Notitiam, primosque gradus vicinia fecit.

Sic enim Cicero, ex congressu amorem ait conciliari, in Topicis, & Terentius in Seipsum excruciante. Vicinitas, inquit, facit, vt te audacter moneam & familiariter. Huc pertinet, quòd ocium præbet causam flagitio. vt ait Ouidius.

> Quæritur, Egistus quare sit factus adulter?
> In promptu causa est, desidiosus erat.

De quo Seneca in Agamemnone. Dicitur autē causa, quicquid necessariò aut verisimiliter ad agendum impellit. Simile hoc, dialecticā nescit, ergo non poterit disserere de intricata aliqua controuersia. Bene versatus in foro est, ergo eo patrono in tutandis causis vtere. Dux est peritissimus, spes igitur est victoriæ. Deus ordinauit potestatem ecclesiasticam, & secularem magistratum, igitur Cæsar & Pontifex colendi sunt. Sic Aeneas libro quarto Aeneidos, & item sexto purgat se Didoni, quòd iussu Iouis, & fatorum necessitate adactus, reliquerit Carthaginem. Ita quoque in genere iudiciali, causam obiecti criminis transferimus ad casum, necessitatē, aut culpam alterius, de quibus Cicero in Rhetoricis, & post eum Fabius. Non est

bonum,ita finis vnicus longè perfectissimus, Deus,inquam,optimus,maximus,cui vsu & mi-
nisterio addicta sunt vniuersa. Prærer hunc fines sunt ad summum illum destinati,sed ordi-
ne quodam,vt quo res quæq; propius ad summum finem accedit,hoc sit perfectior aliis. Pro
duplici hac descriptione finium,in rebus etiam creatis,ferè duplicem est cernere finem. Alte-
rum naturæ suæ propositum: Alterum respectu eius cuius ministerio destinatur, itaq; ordine
quodam tendit ad finem illum omnium postremū.Priorem,si placet, vocemus Per se finem,
Posteriorem quodammodo per accidens : aut illum naturæ internum,hunc externum ac re-
motum. Quod adfert exempli causa Rodolphus de equo & terra, inquiratur capite decimo-
quinto apud eundem. & item quæ mox exponit,in Physicis tempestiuius explicāda. De vti-
li,delectabili,& honesto,disputent philosophi morales,& Theologi. Quę sit vsitata & iam-
olim decantata lex argumentandi ex fine,patefaciamus aliquot exemplis.Erudito est,igitur
studium fuit.Vita hominis est bona,igitur vsus cibi & potus est bonus.Proiici in tenebras ex-
teriores malum est,Satanæ igitur seruire malum est. Maxima huic loco adhiberi solet, Cuius
finis bonus est,ipsum quoq; bonū est. &,cuius finis malus est,ipsum quoq; malum est . In qua
bonum & malum promiscuè vsurpantur , quatenus vtrumq; cernitur honestate, commodo,
voluptate,natura,arte,quæq; plura recenseri possunt,bonorum ac malorum discrimina. Ab
effectu regulam eandem sequi oportet, sed rarius vsu venit. Amplior illa & bonis scriptori-
bus vsitatior,lex eruendorum ex hoc loco argumētorum hinc intelligi potest , Valetudinem
restituere,partamq; tueri,bonum est, Sumptus igitur in pharmaca & remedia non est dam-
nandus. Vel negatiuè,qui picem tangit,inquinabitur ab ea, igitur ab omni sceleris occasione
& illectamento fugiendum.In qua quidem argumentandi ratione,maiorem insinuat Boeti-
us libertatem generali maxima,nullam particularē formam præscribens, sed volens vnam-
quamq; rem è suis causis spectari oportere. Quod vt facias,petenda est à Physicis causarū no-
titia.De vsu & copia causarum & effectorum siue euentorum , in genere anteà pollicebamur
fusius dicturos , verùm quia in immensum cresceret nostra de causis commentatio , lectoris
nauseam euitabimus,contenti monuisse tribus, vt dicitur, verbis, in omni genere negotij la-
tissimum esse campum ex hisce locis argumentandi , vti Rhetores in concionibus tractandis
pręcipiunt,& didascalici in tractandis disciplinis admonent. Causæ enim ad probandum,&
mouendos affectus,iuxta valent. exempla passim obuia sunt in bonis autoribus . Qui plura
volet,in promptu sunt Rodolphus libro primo capite decimosexto, Fabius libro quinto ca-
pite decimo,M.Tullius in suis Topicis, Aristoteles ipse in Metaphysicis, Physicis, & secundo
Posteriorum,ac præter hos multi recentiores. Causis videntur affines loci à generatione ad
genitum,& contrà. A corruptione ad corruptum,& ediuersò. Ab vsibus,quos ex Themistio
Seuerinus Boetius proximè post causarum tractationem exponit . Certè generatio & corru-
ptio ad efficiens reducuntur,quum generare & corrumpere sit quodammodo efficere. Vsus
autem ad finem,quòd proprius rei vsus est finis eiusdem, cui res ipsa destinatur. Quin & Ari
stoteles coniungit priores illos locos de generationibus & corruptionibus,simul de efficienti-
bus & corrumpentibus eodem capite disserens,maximis vtrinq; subiectis. Generatio,vt su-
munt hoc loco,est progressio a non esse ad esse.Genitum,quod ex generatione prouenit.Non
est diuersa Philosophi nostri sententia libro quinto Physicorum,vbi definit,generationem es-
se mutationem a non subiecto ad subiectum. Sed illa ipsa descriptio in substantialem propriè
quadrat.Malumus in genere complecti tum essentialem,tum etiam accidentalem , quæ spe-
cies in Physicis explicandæ sunt. Argumentandi regula ferè talis obseruatur, vt prædicatis
bonum & malum vtamur.Exemplum habet Boetius. A generatione, Si constructio domus
est bona,& domus erit bona.Sic valet consecutio a genito ad generationem,Si domus bona
est,constructio est bona.Item,malus fuit artifex,ergo mala erit domus.& contrà, vestis malè
cōsuta,ergo sartor malus est.Bono & malo accepris,vt peritiam imperitiamq; artis significēt.
Maximę sumūtur ex Arist.Quorū generationes bonæ sunt,ipsa bona sunt: etsi ipsa bona,ge-
nerationes quoq; eorum bonæ.Quorū generationes malæ, & ipsa mala: & si ipsa mala, gene-
rationes quoq; ipsorum malæ. Corruptio definitur,progressio ab esse ad nō esse. Aristoteles
habet in Physicis,esse mutationem a non subiecto ad subiectum . Cuius finitionis expositio-
nem ab eius loci commentatoribus licet petere.Corruptum,quod huiusmodi mutationi sub-
iectum est,atq; suum esse amittit. Ducuntur a corruptione argumenta consimiliter, adhibitis
prædicatis,bonum & malum. Exemplum est apud Boetium , Si destructio domus mala est,
igitur bona est domus. A corrupto,Si bona est domus,mala est eius corruptio. His aptantur
maximæ Boetianæ,sed ex Aristotele desumptæ,Si corruptiones bonæ sunt, corrupta mala.

Lex argumentandi ex fine.

De vsu causæ finalis.

Locus à generatione & corruptione.

Generatio & genitum quid sit.

A generatione quomodo argumentandum.

Si autem corruptiones malæ, ipsa bona. Et econtrariò, si corrupta bona, malæ corruptiones. Si corruptiones bonæ, mala corrupta. Sic quidem habet vsitatus mos argumētandi, non modò à generatione & corruptione, sed etiam ab efficiente & corrumpēte. Inquirentibus autem paulò altius, nobis apparet, vt in aliis superioribus, ita in his quoq; locis argumentandi vberrimam illam libertatem seruandam esse, prædicatis bonum & malum subtilissimè vsurpatis, vt promiscuè complectantur bonitatem & malitiam, naturæ, morum, artis, quæq; porrò similia hisce nominibus venire solent. Nam significant quandam vnius ad aliud congruam habitudinē, quæ cernitur potissimū in natura, moribus, & arte. Exempla sunt ex prędictis inuētu facillima. Scrupulosum illum modum argumētandi, ex verbis esse, fuit, erit, potest, & similibus, non prosequimur, quoniam paruū est vius, Et alioqui pendet ex Physicis, vbi discutiendum, quæ res successiua, quæ permanens, quomodo incipiat, desinatq; esse, de quibus Aristoteles, & post eum Themistius, Boetius, aliiq; eiusdem classis, nè verbū quidem. Hoc magis ad rem nostram attinet, quod præcipiunt, malum & bonum per se accipi debere. Neq; enim sequitur, expedit vnum hominē mori pro populo, igitur Christus fuit malus, quia mors Christi per se iniusta malaq;, tantùm per accidens erat bona, quatenus ex Patris benignitate peperit salutē generi humano. Vsum horum locorū nemo non collegerit ex discretione malorū & bonorum, Physico enim profuerit, tum Ethico, tum artifici mechanico, tum magistratui, perspicere hos locos, vndè in sua quisq; materia depromet argumēta in rem præsentē. Locus ab vsu multū, vt diximus, cognationis habet cum fine, siquidem vtile dicitur, cuius finis est vsus seruiens in alium finem. Multū item est vsui affinitatis cum generatione & efficiente, quapropter paucis absoluemus. Vsus, veluti describunt, est operatio vel exercitium rei, hoc est, propria actio, quam sibi res vendicat. vt vsus equi est equitare. Sed quoniam hoc tantùm ei competit quod operationem habet, non etiam ei quod inanime est, nullam à natura sortitum actionem, Placet nomine vsus hic intelligere officium rei cuiusq; & functionē, hoc est, qua vtimur ad quippiam consequendum, vel etiam duntaxat fruimur, non respicientes ad vlteriorem finem, vt libri vsus est discere, vt scientia possis vti ad pictatem, vel alium finem honestum. Picturę vsus est, pascere oculos, interim non spectando vlterius, neq; ad solamen doloris, neq; ad picturæ imitationem. Consyderamus vsum rerum bifariam, nunc in specie vel in genere, nunc in singulis rebus indiuiduis. Interim namq; rogamus, Ecquis sit vsus vini? Ecquid vsum aliquem habeat scientia figurarum, ac numerorum? Interim quærimus, an hic equus quem tanti indicant vsui sit futurus. Verumq; vsum in genere diuidunt in bonum & malum. Sunt enim res, quibus à natura bonus vsus datus est. Aliæ, sed pauciores, quorum vsus malus est, in perniciem ferè tendens. nam res omnes in bonum vsum creatæ sunt à Deo. Paucæ ab improba libidine mortalium in malum vsum conquisitæ. Exemplo sunt, gladius, & venenum. Illi bonum vsum & officium leges dedēre, vt vim à capite depellas, vt in noxios ciues publica autoritate animaduertatur, Huic malum videtur natura permisisse, quoniam ferè ad scelus vtuntur veneficæ, de quibus Naso primo Metamorphoseos,

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Tamen & bene veneno vtuntur medici. Studiosè verò malus vsus ab ipso abusu secernendus est. Est namq; abusus planè contrarius naturæ rei, in alium vsum destinatæ, siue à natura, siue à iudicio rectæ rationis. Ita gladij & teli abusus est, hominem ex insidiis occidere, immeritò quenquam vulnerare. cùm à lege sit cōcessus in defensionem sui, teste M. Tullio in Miloniana. Ab vsu igitur ducemus argumenta in hunc modum, Equitare bonum est, igitur equus bonus est. Et liberius in comparatiuis, Audire plus confert ad disciplinas quàm videre, igitur auditus melior est visu. Duo igitur hic obseruanda. Prius, ne argumentemur ex vsu per accidens rei attributo, Siquidem infirma est collectio Tyrannorū seueritas auxit martyribus præmium, igitur boni fuēre tyranni. Vides vsum bonum tribui per accidens, quum re vera tyrannidis vsus sit per se malus. Posterius, ne pro malo vsu proponatur abusus, quomodo non sequitur, Malum est obtrectari, igitur mala est lingua. malum est esse ebrium, iuxta illud Virgilij, Arcanum demens detegit ebrietas. Item hoc Græcè iactari solitum, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια, malum igitur est vinum. Rixari & verbis ludificari malum est, ergo mala est dialectice. Vsus & commoditas huius loci quanta sit, in ciuilibus & moralibus est videre: de quibus non iudicaueris exactè, si nescias, quis vsus rerum bonus, quis malus, quis abusus, qua ratione hi internoscendi. In genere demonstratiuo ex officio, id est, vsu differendi, copia nascitur potissimùm in rebus Physicis, quarum præstantia ad miraculum vsq; amplificatur, si officia & actiones naturales distinctè prosequamur. Communiter accidentia in postremis locorum internorum

ponunt

Liberior argumentādi ratio ex dictis locis.

Cautio adhibenda.

Vsus locorū à generatione & corruptione.

De loco ab vsu.

Vsus quid sit, & quàm latè accipiatur.

Vsus bifariam diuiditur.

Malus vsus non idem est quod abusus.

Argumenta ab vsu.

Duo obseruanda.

Vsus loci ab vsibus.

Locus communiter accidentium.

ponunt Themistius & Boetius, neq; ab re, quandoquidem, etsi causarum locis includi nequeunt, gratia quarum videantur internis locis adnumerãda, tamen quodammodo causæ sunt, quatenus rem ordine quodam naturæ, aut verisimili coniectura vel antecedant, vel consequantur, vel simul comitentur. qua ratione causa effectum attingit, vt aut prior sit, aut posterior, aut simul iungatur. Ex quo illud perspectu facilè est, causas effectaq; cum sequentibus, etiam isto communiter accidentium, censeri locos internos, non ipsi rei, vt cui non omnia insunt, sed potius generationi, aut rei quatenus mutationi subiecta est. sine his enim procreatio, compositioq; rei nequit absolui. De nomine Boetius nõnihil attingit, vt ex verbis eius est colligere. A communiter accidentibus argumenta fiunt, quoties ea sumuntur accidentia, quæ relinquere subiectum vel non possunt, vel non solent. vt si quis hoc modo dicat, sapientẽ non pœnitebit. pœnitentia enim malum factum sequitur, quod quia in sapiente non cõuenit, nec pœnitentia quidem. Hæc Boetius. Pro cuius sententia dicemus, Communiter accidentia vocari, quatenus ferè accidunt alicui subiecto, sed alterius respectu, quod vel comitẽtur, vel antecedant, vel sequantur. pœnitentia enim accidit homini non absolutè, sed quatenus deliquit. Illud (cõmuniter) pro (ferè) nobis accipiendum videtur, etiamsi parum latinè, vt cõmuniter accidant, quæ plærunq; & ferè semper ordine quodam iunguntur. Sed quemadmodum nos in commune vsurpari velimus hæc ferè siue communiter accidentium, postea explicabimus.

Boetius de noie huius loci.

Nunc quod locus admonet exequamur. Agricola primi lib. cap. 21. nomen accidentium vsurpauit multo liberius. vt vocentur accidentia, non quæ Porphyrius & Aristoteles descripsére, non pro eis quæ substantiæ non sunt, sed pro eis quorum vtrúmuis & esse, & interire sine alterius pernicie possit. Ex qua significatione dicimus, ea rebus accidere, quæ temerè, & nullo delectu aut prouidentia videntur fieri, hoc est, quę temerè & nulla existẽdi necessitate sunt cõiuncta. vbi causæ ab accidentibus secernuntur. nam ex eadem significatione accidẽtium Rodolphus ait, Senecam dixisse, non accidunt, vt putas, omnia, sed eueniunt. Hæc in quinq; diducit species, contingentia, pronunciata, nomen rei, comparata, & similia. quos omnes locos putat non solùm in iis esse, quæ sunt coniuncta cum re, & quæ simul esse oportet, sed & in eis, quæ antecedunt rem, & quæ consequuntur. idq; per tres gradus temporum, pręteritorũ, pręsentium, futurorũ, in singulis declarat. Nos in pręsentia duntaxat ea nomine accidentium cõplectimur, quæ contingentia Rodolphus appellat, quoniam res circa rem contingant, id est, eueniant, ea quidem conditione, vt siue ista non eueniant, res existere, siue res non existat, ista euenire possint. vt pallor ante ægritudinem, nam potest quis pallere, vt non ægrotet. & ægrotare, vt non palluerit. Hic oportunum fuerit scrutari, quàm rectè Agricola Boetium arguat, scribentem in hunc eundem locum, quem Cicero dixit ab adiunctis. hinc enim iudicare licebit, num loci ab antecedente & item consequente, quos tradit Aristoteles lib. secundo Topicorũ, sint verè dialectici, materiam argumentandi suppeditantes verius, quàm argumentationum formulas generales, vti contendit Rodolphus. Neq; id ab instituto alienum, quando locum ab antecedente, & locum à consequẽte non possumus aliis vllis locis adnumerare cõmodius, quàm huic, quem à communiter accidentibus ex Boetio diximus. Ergo, vt in summam colligamus omnia, quæ fusissimè disputat Agricola, prælibanda est Tulliĳ sentẽtia, Boetiiq; cõmentatio. Adiuncta quæ Cicero vocet, diximus in capite de materia, Tum Boetius exponit libro tertio de Topicis differentiis, Adiuncta (inquit) sunt, quæ finitimum tenent locum. ita vt temporibus quidem, tum antecedant, vt amorem congressio, tum rei cui adiuncta sunt hæreant, vt ambulationi pedum strepitus. tum cõsequantur, vt atrox facinus mentis trepidatio. Plura exempla congerit Cicero, ante rem, inquit, quęrũtur quę talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutũ conuiuium. Cum re aũt, pedum crepitus, strepitus hominũ, corporum vmbrę, & si quid eiusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, & si qua alia signa cõturbationis & conscientiæ. Præterea, restinctus ignis, gladius cruentus, cęteraq; quæ suspitionem facti possunt mouere. Nec mora, subdit, mentionẽ faciens antecedentium & consequentium, Deinceps, inquit, est locus dialecticorum proprius ex consequentibus & antecedentibus, qui etiam ab adiunctis longè diuersus est. Nam adiuncta, de quibus pauló antè dictum est, non semper eueniunt, cõsequentia autem semper. Ea enim dico consequẽtia, quæ rem necessarió consequuntur, Item & antecedentia & repugnantia. Quicquid enim antecedit quanque rem, id cohęret cum re necessarió. & quicquid repugnat, id eiusmodi est, vt cohęrere nunquam possit. Idem Boetius illustrat exemplis, hoc addens, persępe confundi & variari sic tempora, vt id quod posterius est tempore, antecedens esse videatur in propositione. vt si peperit, cum viro concubuit. peperisse vi conditionis sit antecedens. Aliquoties verò simul sunt, vt

Accidentiũ nomẽ adstrictius in præsentia capiendum.

Obiter pęstata Rodolphi sententia de adiunctis, de antecedentibus & consequentibus

Adiuncta quæ dicantur.

A quib9 differunt antecedentia, cõsequentiaq; secundũ Ciceronem.

si sol

si sol oritur, dies est. Aliquoties seruata ratione temporum, quod prius est tempore, sit antecedens: quod posterius, consequens. vt si arrogans est, odiosus est. Ex arrogantia enim quisque fit odiosus. Quæ autem Cicero deinceps addit de sex modis conclusionum dialecticarum, de enthymemate, de natura disiunctiuæ argumentationis, & cæteris istiusmodi, non est necesse hic repetere verbosius. Non est autem prætermittendum, quam rationem argumentandi ex antecedentibus & consequētibus inibi sequatur Boetius, vt quod potissimùm faciat ad apologiam & defensionem eius contra Rodolphum. Sic autem habet, Ex antecedente igitur argumentum sumimus. Si peperit, cum viro concubuit: sumo quod antecedit, at peperit. concludo quod sequitur, cum viro igitur concubuit. A consequentibus ita sumo quod consequitur, at non concubuit cum viro. concludo quod antecedit, non igitur peperit. Quæstio est de accidenti. Locus ab antecedentibus & consequentibus, Maximæ propositiones, Posito antecedenti, comitari id quod sequitur. Perempto consequēti, perimi id quod antecedit. Sic ferè Tullius & Boetius. Aduersus quos Agricola, sed quæ antecedentia (inquit) & consequentia vocauerunt, Cicero, Quintilianus, & Boetius, additaq; eis etiam repugnantia, loci non sunt, sed argumentandi formę quędam, quas licet per omnes locos colligere. Et pauló inferius, quatuor præcipuis rationibus nititur falsitatis arguere Boetij sententiam. pro qua egregiè disserit scholiastes Rodolphi, & ex prædictis summa responsionis facilè colligetur. vbi contēdit, Boetium plena explicataq; vti argumentatione, quę similis sit ei, quam vocant à tota conditionali cum positione antecedentis, ad positionem consequentis. vel contrà, cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Porrò an antecedens & consequens apud Aristotelem, pro rebus vel incomplexis terminis accipiantur, an verius pro integris propositionibus gratia rerum simplicium vim consequentię obtinentibus, studioso lectori inuestigandum relinquimus, ex eis, quæ libro secundo Topicorum in loco antecedentis attulimus, vbi ex toto decursu literæ Aristotelicæ, præsertim si archetypus inspiciatur, certa videtur erui posse de hac re sententia. Nobis ad præsens visum est, hoc commentationis aducere, habitudinem antecedentis & consequentis, ac proinde loci vtriusq; vsum consistere principaliter in mutua connexione rerum, quæ significantur antecedentis & consequentis nominibus. vt hinc quod proximum est concludas, non esse præscriptas in hisce locis formas argumentandi, nulla ratione pendentes à materia, sed potius materiam ipsam, generali habitudine rerum propositarum, & ordinis consequentia designari, qua tum maximè vtimur, quādo non suppetit alio è loco peculiare argumentum. Rationes Agricolæ prætermittimus, contenti summam rei breuissimis indicasse, quo lectori sit interim liberum, de veritate propositæ dubitationis statuere. Nobis enim nec libet, nec vacat, omnium cauillationibus satisfacere. Quod ex Aristotele adferri posset, cōsequętiam in ipso, & econtrariò, nihil ab hoc loco discrepare: nullo negotio diluitur: illam sic vocari, quatenus ex oppositis rebus vel terminis conficitur, hanc verò quatenus res continet generali ordinis & consecutionis antecessionisq; vinculo à seinuicem dependentes. vbi & hoc obiter admonendus est lector, hunc locum à plærisq; Rhetoricorum appellari, quatenus satis habet probabilem coniecturam, suspicionemq; mouere gratia ordinis designati, quem Fabius vult consistere in temporum differentiis, præterito, futuro, coniuncto, siue pręsenti. Sed hęc quoq; dialecticę professionis sunt, cum sit ὄργανον ὀργάνων ipsa dialectice, hoc est, continens omnia idei faciendæ instrumenta. Communiter ergo accidentia, in quibus antecedens & consequens latitant, à nobis accipiantur generatim, vt locum adiunctorum includant & Rodolphi contingentia, quæ & ipsa Quintilianus signa dixit, libro quinto, capite nono. Ea definiamus in hunc modum. Communiter accidentia sunt, quorum alterū semper vel plærunque sequitur, siue temporis ordine præcedat, siue simul adiunctum sit rei, siue consequatur. Ex quibus verbis datur intelligi, duplicem communiter accidentium esse diuisionem. Priorem, qua diducuntur in ea, quæ necessaria rerum consequentia iunguntur. vt si peperit, necesse est cum viro habuisse consuetudinem. Et ea quæ plærunq; copulantur. vt si cælum vespertinum est rubicundum, ergo postridie serenum erit. Posteriorem ex temporū gradibus desumptam, vt quædam antecedant. sic florere prius est, quàm fructus proferre. Quædam iuncta sint, vt clamor simul coniungitur cædi. Quædam sequantur, vt pœnitentia sequitur peccatum. Quæ ipsæ diuisiones ita connexæ sunt, vt prioris membra in posterioris singulas partes cadant, & econtrariò. Nam & necessariò accidentia, & plærunque accidentia, temporibus distingui possunt. Contrà, quæ temporum gradibus differunt, aut necessaria sunt, aut non necessaria. In quibus intelligi etiam volumus ea quæ Cicero dixit, antecedentia & consequentia, vt homo antecedens sit, animal consequens, de quibus abundè superius.

Rodolphus parū exactè agit contra Boetium.

Quatenus antecedens & cōsequēs inter locos censenda.

Redit ad cōmuniter accidētia, quæ generali finitione explicantur.

Ratio

Ratio argumētandi vulgata non multum habet peculiare, quapropter eadem opera, & hanc, & liberiorem illam exponamus, A communiter accidentibus, quæ semper & necessariò iunguntur, ordine tamen prioris & posterioris, adfirmatiuè est argumentandum a posteriori ad prius, non contra. Hic pœnitudine facti ducitur, ergo scelus admisit, necessariò enim sequitur pœnitentia, vt est apud Satyricum,

Regula argumētandi è loco communiter accidētiū, quatenus inuicē comitātur.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc vltio, quòd se
Iudice, nemo nocens absoluitur. improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

A priore tantùm negatiuè argumentamur. arbor non floruit, ergo non proferet poma. non est ociatus, ergo non dedit operam Veneri. De quo pulchrè Naso,

Ocia si tollas, periêre Cupidinis arcus.
Contemptæq; iacent & sine luce faces.

Quatenus iunguntur necessario.

Ab eo quod simul necessariò iungitur, vtrinq; argumentari licet, & adfirmatiuè & negatiuè, Sol ascendit nostrum hemisphærium, ergo est dies. Terra obiectu suo directè inter Solem & Lunam interponitur, igitur Luna deficit. Cor vulneratum est, ergo moritur. nusquam apparet Sol, ergo nundum diluxit. Interim non sequitur, eò q etsi semper alterum iungatur alteri, non tamen vtrumq;. verbi causa, non consequitur, Non est inuidus, ergo non pallet. tamē contrà vtcunq; sequitur, Inuidus est, ergo macilentus. Iuxta illud Horatij,

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Quanquam ad animum magis retulisse Poeta videri potest.

Quatenus plærunq; accidunt.

A communiter accidentibus, & plærunq; non necessario, ducitur consequentia non simpliciter necessaria, sed dialectica, & verisimilis. Sic ex priore sequitur posterius, Discordes inter se diu Principes fuére, igitur cruentum erit bellum. Rarius negatiuè argumentamur, tamen valet interim consequentia, Nullæ in cælo nubes apparent, igitur non est metuenda pluuia. Non reueretur suos parentes, ergo non habebit obsequentes progenitos ex se filios. A posteriori construimus id quod prius est. Redit in patriam doctior & moratior, ergo versatus est inter eruditos & probos. Negatiuè item valet consequentia, sed rariusculè, Non fuit rumor belli, igitur nulla inter principes discordia. Hæc autem infirma est collectio, Non peperit, ergo non concubuit. Ex eo quod plærunq; iungitur, teste Agricola, Collegit Hasdrubal apud Varum fluuium auctas esse copias Romanas, quoniam strigosiores equos & coloratiora videret corpora. Hannibal etiam cùm exercitum admoueret vrbi, nondum fractas esse res Romanas, quoniam ager, in quo tum castra locauerat, proscriptus sit, & inuenerit emptorem.

Quatenus plærūq; iunguntur.

Quid hic vitandum.

Obseruabis hic, ne argumentum ducas ex eis, quæ nec semper, nec plærunq; consecutionis obtinent veritatem, sed perrarò. Hinc enim suspitiones duntaxat fallaces & odiosæ proficiscuntur. vt Comptus est, ergo adulter. Hæc formosa est, igitur & impudica. Sunt hæc argumenta sophistica, non dialectica. suspicacis hominis, non viri prudentis. committiturq; in eis, teste Aristotele primo Elenchorum, fallacia consequentis. Demonstrationes, inquit, a signo in rhetoricis secundum consequentiam. nam volentes ostendere aliquem adulterum, accipiunt aliquid quod consequens est, videlicet comptum esse, vel noctu errabundum esse. pluribus autem hæc insunt, quibus non inest adulterum esse. Ita ferè Aristoteles. Hæc quanquam ad tollendam dubitationem sola non sufficiant, tamen adiuncta cæteris, plurimum valent, autore Marco Fabio eodem capite. vt Cicero pro Milone coaceruatione coniecturarum propè necessariò conuincit, Miloni Clodium fecisse insidias, de qua re copiosissimè Rhetores præcepêre. Rodolphus quiddam simile attingit, dum vult ea contingētia esse dialectici, quæ velut indagine, vestigijsq; quibusdam, ad ipsam rem nos possunt perducere. cuiusmodi sunt, vel vnius efficientis facta, vel subiecti vnius adiacentia, vel quæ in eodem sunt loco, vel tempore, vel quomodolibet aliquid commune inter se habent. quo, de vno possit in aliud fieri transitio. exemplum adfert ex Terentij Andria, vbi Simo ita colligit, Non dubium est, quin vxorem nolit filius, ita Dauum modò timere sensi. Nam quid per se, inquit Agricola, timor Daui ad nuptias filij, nisi id esset, quòd omnia communi inter ipsos consilio agerentur, & eadem omnia vellent atque nollent? Vsum loci huius sparsum esse latissimè, constat ex prædictis: confert enim plurimum in genere iudiciali, ad probandum factum, imò & qualitatem facti. Quo fit, vt Fabius tam studiosè tractans de signis, ea diuiserit in necessaria, quæ Græci vocant τεκμήρια, & non necessaria, quæ σημεῖα illi dicunt. Quo pertinent, & quæ εἰκότα dixére. De signis Aristoteles libro secundo Priorum, in capite de enthymemate nostris Commenta-

Vsus loci cōmuniter accidentium.

Signa rhetorica esse argumēta dialectica, contra Quintilianum.

mentariis explicato. Quo verò Fabius contendit, signa non esse in numero argumentorum, sed eorum, quæ inartificialia Rhetores appellant, iure confutat Rodolphus, quo etiam nonnihil addit Phryssemius. Nos enim statuimus iam inde ab initio, nomine argumenti venire, quicquid rem dubiam arguere & probare possit. De inartificialibus, quæ ἀτέχνα dixit Aristoteles, fusius disserendum in loco ab autoritate. Confert hic idem locus in laudationibus & vituperiis, in consolationibus, in deliberationibus, & aliis, vbi cōiecturam facimus, ex eo quod communiter accidit, & connectitur rei probandæ. Ad hæc in naturalibus, vbi monstra ostentaq; rerum faciunt ad coniecturam. vt defectus Solis, Lunæq;, & Stellæ comatæ siue crinitæ, quæq; alia vel videri solent, vel audiri. quibus insignium populorum ac vrbium clades augurantur. Sic Fabius prædicto capite nono, Ea quoq; (inquit) quæ quia plærunque obseruata sunt, vulgo signa creduntur, vt prognostica.

Vento rubet aurea Phœbe,

Et cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Si causas ex cœli qualitate trahunt, sanè ita appellentur. Nam si vento rubet Luna, signum venti est rubor. Et si, vt idem Poeta colligit, densatus & laxatus aer facit, vt sit inde ille auium concentus, idem sentiemus. Hæc Quintilianus. Tum ægritudinem colligimus, ex spontanea lassitudine membrorum, fastidio cibi, inquietudine peruigiliatum. Quin & de moribus futuris vaticinamur ex hoc loco, Fortis erit, quoniam lato est pectore. liberalis futurus est, quandoquidem lata illi frons est. Talis enim fere quisque euadit, qualem fore promittit indoles & naturæ adminicula, quæ ex corporis liniamentis, & reliqua constitutione solent colligere Physiognomici, aut Genethliaci, de quibus & suprà meminimus. Postremò, confert hic locus in genere didactico. Nam argumenta ex definitione, ex causis, & similia, huc diximus pertinere. Quanquam vsitatius est, illa propriis locis inquirere, vt ex præsenti loco tantùm ea depromantur, quæ non tam sunt obuia ex aliis, & præcipuè, quæ nullo aliorum priorum locorum videntur contineri.

De locis externis.

Locus externus, vt antea perstrinximus, est, qui continet argumenta extra rem seu quæstionem dubitatam posita, vt si probem moriturum Ciceronem, quòd ita protulerit antiquitas, omnem hominem esse mortalem, quòd mortali sit patre matreq; progenitus, quòd omnes ante eum homines mortui sint. Hæc omnia constat extra Ciceronem esse.

Locus ab autoritate.

Primus externorū numeratur locus à rei iudicio, de quo Boetius disseruit lib. 2. de Topicis differentiis. in hæc loquens verba, Et ille quidem locus, qui rei iudicium tenet, est huiusmodi, vt si dicamus id esse quod vel omnes iudicāt vel plures, & hi vel sapientes, vel secundum vnamquamq; artem eruditi. Cicero in Topicis ex autoritate vocat, & mox à testimonio Græci, vt ibidem ait, ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes istiusmodi argumentationes. quin & Aristoteles vltimo capite primi Rhetoricorum περὶ ἀτέχνων καλουμένων πίστεων, hoc est de fide, quæ vocatur inartificialis, disserit, quinque numerans, leges, testes, pacta, quæstiones, iusiurandum, de quibus paulò pòst nonnulla subiiciemus. Verùm ista, quatenus ad dialecticum pertineant, abundè Rodolphus explicuit libro primo, capite decimoquarto, vbi non ad iudiciales causas adstringens hunc locum, vt Aristoteles facit, sed pro amplitudine dialecticæ omnibus accōmodans rebus dubiis probandis, sic autoritatem siue testimonia pronunciatorum nomine descripsit.

Pronunciatorū finitio.

Ponunciata dicimus, quæ quisquam vlla de re, vt adfirmaret vel negaret, est elocutus.

Diuisio eorundem ex Tullio & Agricola.

Diuidit autem testimonia Cicero, in Partitionibus in diuinum & humanum, qui & ipse in Topicis suis eam diuisionem latissimè enarrat, simul ostendēs, vnde potissimum nascatur & firmetur autoritas, quæ sola testimoniis præstat fidem & assensum. Nobis locum indicasse sit satis, vnde lector vberiorem huius negotij explanationem petere queat. Cæterùm Rodolphus diuina pronunciata vocat, quæcunq; Dei vel Numinis voce proferuntur, vt auspicia, vaticinationes, responsa prophetarum, sacerdotum, aruspicum, coniectorum, quorum prima est a nobis origo. quæ vel in scriptis sunt posita, vt chirographa, instrumenta, epistolæ, libri, tabulæ, codicilli, pugillares. vel in oratione, eáque aut libera, vt laudationes, res iudicatæ, dicta testium, pacta, conuenta. & doctorum, clarorum, magnorum virorum sententiæ, apophthegmata, elogia, famaq; populi. aut in oratione expressa & coacta, seu religione, vt iurata. seu tormentis, vt quæsita, & a maleficis per quæstiones extorta. His addit pronunciata, quæ in re sunt, qua sententiam animi sui tacitus quis declarat, quomodo Tarquinius Superbus, cùm summa papauerum capita decuteret, non oratione, sed re pronunciauit, primores Gabiorum a Sexto filio de medio tollendos esse. quam rem ex Tito Liuio eleganti carmine denarrat Ouidius libro secundo Fastorum. Non abhorrēt multum a dictis, quæ Fabius habet libro quinto Instit. Orat. capite secundo & tertio, vsq; ad duodecimum,

quibus

quibus partim ἀτέχνους, partim ἐντέχνους, id est, inartificiales & artificiales probationes ex
Aristotelis diuisione, quæ est in Rhetoricis, exequitur. Sed quoniam sunt modò exposita ista,
& ad forenses spectant cõcertationes, in præsentia omittemus, cõtenti quæ a Rhetoribus tam
studiosè ac exquisitè sunt tractata, dialectici propria esse, ab eoq; quasi fide aliena commoda-
to sumi. A iudicio aũt, seu testimoniis ducuntur argumenta in hunc ferè modum. Sapientes
& Astrologi doctissimi tradidêre, cælum esse volubile, igitur cælum natura semper circumra
pitur absq; vlla fatigatione. Cicero testimonium dixit, Clodium eo die, quo de violatis Bo-
næ deæ sacris perpetratũ crimen ab eo ferebatur, secum Romę de grauibus causis consultas-
se, ergo falsa erat criminis depulsio, q̃ eo tempore Romę Clodius non fuisset. Vetus fama est,
etiam historicorũ adsertione firmata, Romanos a Troianis exordia duxisse, igitur verisimile
est, Romanos ab Aenea esse propagatos. Illud paucis adnotari potest ex Aristotele, de nomi
nibus autoritatẽ valere multorũ, modò rectè loquantur. at de rerum natura & qualitate vbi
quæstio inciderit, paucis habenda fides, iisq; peritis, in sua cuiq; professione. Quod hodie solent
hic admonere obseruandum, vt ne argumentemur negatiuè, planẽ obtinet. vt non sequitur,
Aristoteles non dixit esse angelos, igitur non sunt. Ratio est, non omnia vera dixit Aristote-
les, vel quiuis præterea autor. sed multa philosophis Aristoteles, multa aliis alij autores inue-
nienda pronunciandaq; reliquerunt. Valent tamen argumenta huiusmodi, Christus dixit, in
cælo neq; nubent, neq; nubentur, igitur post iudicium nulla erunt matrimonia. Sapiens ait, in
maleuolam animam non introibit sapientia, igitur discipulus malus nunquã verum scientiæ
fructum percipiet. Quia quod quis peritorũ statuit non esse verũ, aut non esse faciendum, hoc
nemo verum admiserit, nec faciendum putârit. Illud aũt genus argumentationis esse negati-
uum, hoc affirmatiuum, ingeniosus lector facilè perspexerit. Secundus est locus a similibus,
quę Arist. cum eo loco, quem cõparationis appellat Rodolphus, cõfundit. Nam similitudo est
secundũ Arist. quoties duo pluráve in vno cõferũtur. vel cõtrà, vnum in duobus pluribúsve.
Item duo pluráve in duobus pluribúsve. Rodolphus aũt cõtra Grãmaticos statuit hoc pacto,
Cõparationẽ, inquit, vocamus, cùm duo aut plura in tertiò aliquo cõferuntur, quod cõmune
sit eis. Exemplum est species cõparationis. est enim vel aliquid maius, vel par, vel minus, quod
ad imitandũ vitandũq; sumitur. Similia sunt enim, quãdo iungũtur aliqua, nõ in tertio, quod
sit ambobus cõmune, quemadmodũ fit in cõparatione. sed vtrumq; in singulis, quorũ quem-
admodũ hoc in isto, sic illud se habeat in illo. hęc Rodolphus. Similia item dici possunt, quę si-
milem habẽt veritatis apparẽtiam. Paria, quæ parem. Equidẽ, si rectè ista æstimentur, fortasse
non falsò putauerim, quadrare hanc distinctionẽ, vt similia dicantur, quæcunq; conferũtur in
qualitate vel proprietate vna, vel multis absolutè, non habito respectu quãtitatis aut mensu-
rationis. Cõparata verò, quæ secundum æqualitatẽ paritatẽq;, vel secũdum magis minúsve,
conferũtur in tertio. Sic M. Tullius in Top. suis videtur accipiendus. Sunt, inquit, similitudi-
nes, quę ex pluribus collationibus perueniũt quo volũt, dum scilicet è multis singularibus in-
fertur quod reliquum erat. hæc, vti paulò pòst addit, Latinè Inductio, Græcè παραγωγή dici-
tur, qua plurimũ, inquit, est vsus in sermonibus Socrates. Mox addit genus alterũ similitudi-
nis ex collatione sumi, cùm vna res vni, par pari comparatur. Comparata verò inibi post mul
ta vocitat, quæ aut maiora aut minora, aut paria dicũtur. nimirum, quia in magnitudine, aut
numero, aut qualitatis secundum intensionis & remissionis gradus acceptę, mensura fit com-
paratio. Verùm istis abundè immorari, quod in hoc loco restat, absoluamus. Quod igitur spe-
ctat ad rationem argumentandi, tradit Agricola, parum similitudini virium esse ad pro-
bandum, si renitentem habeas auditorẽ. sin paratum sua sponte, nullum locorũ esse tam ac-
commodatum. Habet tamen persæpe probantis speciem similitudo, eo ipso, q̃ rem qualis sit
indicat. Hęc Agricola. Quæ duobus exemplis, altero Fabij, altero Lucani declarat, statim ad
dens, qua via similitudo inuestiganda sit, idq; ipsum exemplo Lucani luculentissimè expli-
cat, sed locus ex eo notus est, vt ne sit operæprecium in re speciosa quidem illa, at non perinde
controuersa, verbosius immorari. Quocirca de industria præterimus: ex Rodolpho & illud,
mirè conducere translationem ad similitudinem inueniendam. cuius exemplis noua accessi-
one posset addi similitudo, quam habet Ouidius primo lib. Metamorpho. in amore Phœbi.
Item libro 7. in amore Medeæ. Tum in tota passim Aeneide Virgilij. Et Lucani Pharsalia.
sed autores in manibus sunt studiosorum. Hoc ex Agricola visum est adnotare, delectu quo-
dam similitudinẽ pro rei qualitate adhibendam esse. vt si docere volumus, sit aperta simili-
tudo. si laudare, splendida. si vituperare, pudenda. si rem attollere, magnifica. Siquidẽ in ge-
nere demonstratiuo præcipuè valet ad amplificãdum similitudo, si cum delectu adhibeatur.

> Ex hoc valet argumẽtio negatiua.

> Locus à similibus,

> A quibus distant cõparatio & exemplũ iuxta Rodolphũ.

> Similitudo quá ratione inuenienda

> Quo delectu temperanda.

Sed vt vim argumentandi à simili posse trahi ostendamus, ex Aristotele maximæ elici pos-
sunt huiusmodi, Si eorum quæ sunt similia, alterum est, & reliquum esse oportet, Si similium
alterum non est, nec reliquum erit. vt in hoc Boetij exemplo clarum est, Similiter inest qua-
drupes equo, vt homini bipes, Non est aũt equo quadrupes poprium, ergo nec homini bipes.

Cautio adhibenda.

Item canis sensu interno vtitur ad imaginãdum, igitur & homo prẹter intellectum vtitur sen-
su interno. Sed illud est obseruandum, vt plena sit similitudo, & ad rem pertinens. neq; enim
sequitur, Homo est rationis capax, igitur & equus, quoniam vterq; sit animal. cùm non vt a-
nimal est, competat homini, capacem esse rationis. sed quatenus rationalis est. Neq; hæc fir-
ma est illatio, Oculus est pars corporis integralis, est igitur mens animæ pars integralis, quia
non in hoc est similitudo, vel quia non est vniuersalis ac plena similitudo. Quòd si maxima
propositione præmissa fusius explices, licet alij cõtendant esse proportionis locum, in eundem
similium incluseris locum. quia argumentũ est idem, siue plena & explicata forma vtaris, siue
constricta & enthymematica.

Proportio redigitur ad locum à pari, vel è diuerso.

Proportionis aũt locum, quem nonnulli subiiciunt loco simi-
lium, referemus ad paria, dum æquabili mensura, seu qualitates, seu numeri, seu alia deniq; col-
lationẽ recipientia, inuicem comparantur: aut si mauis, locum a pari, cuius non meminit Boe-
tius, ad proportionem reuocabimus, de qua mox pauca ex Boetio.

Locus à dissimili, qui de proportione differtur, loco parium prætermisso.

Dissimilitudinis locum
nominatim Aristoteles nõ explicat, quòd iunctum habeat cum similitudine tractatum, & ex
illa facile cognoscatur. Sit ergo maxima hęc, loco integræ præceptionis, Si eorũ quę dissimilia
sunt, alterum est, reliquum non erit. & contrà, Si hoc non est, illud erit. Duci autem ex antece-
dentibus & consequentibus hos locos, exemplis Agricola patefacit, quorum præcipuum est
apud Quintilianum libro primo. Non enim vox illa præceptoris, inquit, vt cœna, minus plu-
ribus sufficit, sed vt Sol, vniuersis idem lucis caloris q; largitur. Et vt explicatam habeas ar-
gumentationẽ, non ita se habet bipes ad equum vt ad hominẽ. sed homo bipes est, ergo non
est bipes equus. vel contrà, equus non est bipes, igitur homo bipes est. Porrò non tam crebrũ
esse dissimilitudinis vsum, cum similitudinis efficacissimũ ad colligendas alendasq; vulgi opi-
niones.

Proportio quid sit, & quõ ex hac argumentandum.

Deniq; similia & comparata sumi ex antecedentibus & cõsequentibus, id quod supe-
rius etiam indicauimus, docet Agricola, ex quo id petere licebit. Addunt ex Boetio ipsoq;
Themistio, locum à proportione, qui partim videtur similia complecti, partim cõparata, nisi
è numeris conficiatur argumentatio. Est aũt proportio, similitudinis cum similitudine, vel
paritatis cum paritate collatio, vt quemadmodum se habet nauta ad nauim, ita pręfectus rei-
publicæ ad ipsam rempublicam. atqui nauta deligitur, qui peritissimus est, non sorte. ergo
præficietur reipublicæ, non quem sors dederit, sed ad reipublicæ administrationẽ aptissimus.
Et in numeris, vt sex se habent ad quatuor, ita duodecim ad octo. sed ibi est proportio ses-
qui altera, ergo & hic. Maxima quæ huic loco adhibetur, ex Boetio desumpta est. De propor-
tionalibus idem habendum est iudicium.

Transmutata proportio explicatur exẽplo.

Locus à transmutata proportione, quando huius
nullam fecit mentionem Boetius, sit hoc exemplo contẽtus. sicut se habent octo ad quatuor,
ita se habent duodecim ad sex, scilicet proportione dupla. ergo vt se habent duodecim ad
octo, ita se habent sex ad quatuor, scilicet proportione sesquialtera. Maxima, Si primi ad se-
cundum, & tertij ad quartum, est proportio eadem: certè primi ad tertium, & secundi ad quar-
tum, erit eadem proportio. Quæ maxima etiam extra numeros locum habet. veluti in hoc
exemplo, Sicut se habet ignis ad aerem, ita terra ad aquam. ergo vt ignis ad aquam, ita aer ad
terram.

Vsus proportionis.

Multus aũt huius loci vsus est, in æstimandis præmiis ac suppliciis ex æquo & bono,
siue secundum ἐπιείκειαν, id est, æquitatem, de qua latè Aristoteles libro quinto Ethicorum.

Deinde apud Rhetores, parabolæ, apologi, fabulæ, exempla historica, quæq; plura sunt am-
plificandi instrumenta, tractantur vberius ex loco proportionis, vt Erasmus in rerum Copia
docet, & alij nonnulli in amplificandi præceptis.

Locus à disproportione.

Contrarius huic locus est, quem vocant à
disproportione. cuius sit hoc exemplum, Non ita se habet anima bruti ad ipsum, vt anima
rationalis ad hominem. sed bruti anima est mortalis cum ipso corpore, anima igitur homi-
nis cum ipso homine non interit. vel contrà, hominis anima non est mortalis, ergo bruti ani-
ma cum ipso extinguitur. Maxima, Eorum quę disproportione comparantur, diuersa est ra-
tio. nam vt in dissimili, sic hoc loco valet consequentia negatiua, à negatione vnius ad af-
firmationem alterius, & contrà, q; in quadam consistant repugnantia hi loci duo, & contra-
rias habeant quodammodo causas veritatis. Ante locos a maiori & minori, quos similibus
continuò subiecit Themistius, paucissimis agendum est de loco a pari, qui inter maius & mi-

Locus à pari.

nus quiddam habet medium. Parium enim cõparatio, iuxta Ciceronẽ in Topic. nec elationẽ
habet, nec submissionẽ. est enim æqualis. Mox addit, Multa namq; sunt, quæ æqualitate ipsa
compa-

comparantur, quę ita ferè concluduntur, si consilio iuuare ciues & auxilio, æqua in laude ponendum est, pari gloria debent esse ij qui consulunt, & ij qui defendunt. at quod primum, est, quod sequitur, igitur. Et Catoni licuit sequi bellum ciuile, ergo & Ciceroni licebit. Item tantum supplicij comeruit qui cōsuluit, quàm is qui patrauit. sed autor proditionis capite plectitur, iure igitur & suasor obtruncabitur. Huius loci magna est vtilitas, cùm leges, quod in vno est expressum, in pari statuisse intelliguntur. de qua re est videre apud Rhetores in statu finitiuo seu legitimo in exemplis ratiocinationis. Exemplum vnicum, verbi caussa, subiiciamus ex autore ad Herennium. sit quæstio, num qui matrem occidit sit plectendus? statim producetur lex. Qui patrem necasse iudicatus erit, is obuolutus corio, deiiciatur in profluentē. Ex qua cōcluditur, igitur & qui matrem necasse iudicatus erit, ob par & æquale flagitium, parem luet pœnam. Sic in Theologicis cōtrouersiis, & aliis cuiuluis generis, à pari ratione casus scripto aut præcepto non expressus definietur. Vbi nonnunquam adhibetur locus à simili, qui non videtur in totū a pari discrepare, vt anteà quoque indicatū est. Sequuntur loci a maiori & minori, quos cum loco a pari sub genere comparatorū numerat Agricola, secutus M. Tullium in Topicis, quem paulò antè citauimus. Maius vocant eruditi, quod toto complexu maioris est ponderis ac precij. Minus quod toto ambitu & orationis complexu, minus habet momenti & admirationis: exempla sunt apud Erasmum, in opusculo de conscribendis epistolis, quo loco tractat de inæqualitate exemplorū, vbi cum Fabio putat hoc a maiori ductum argumentum. Si propter matrimonia violata vrbes euersæ sunt, quid fieri adulterio par est? Sic ferè sentit Erasmus. Agricola quoque capite decimoquinto in calce ait, hanc dici consequentiam a maiori. Pallas ob noxam vnius Aiacis potuit euertere classem Argiuûm, ergo & me indignum, tot annos cum vna gente conflictari. Hic commodum venit in mentem eius, quod omnibus comparatis, communiter attribuit Rodolphus, vt tertium illud quod eis commune est, licet re & vi argumentationis vnum sit, oratione tamen diducatur ad orationis copiam & emphasim amplificationis. Notum enim est exemplum Virgilianum, quod citat Agricola. In quo & illud verbo notandum est, videri duplicatis è locis ductam esse prædictam argumentationem, hinc a maioribus, hinc a minoribus, vt ipse declarat explanatius. atque ita ferè de hisce locis rhetorices plærique. Aristoteles verò, quique secuti eum sunt interpretes, vno ore videntur contrà iudicare, qui vnum de duobus, vel duo de vno, vel duo de duobus enunciantes, argumentantur. a maiori quidem negatiuè, a minori autē affirmatiuè. Omnem a maiori ductam argumentationē confirmari putāt hac maxima, Si quod magis videtur esse, non est. neque quod minus videtur, erit. A minori aūt ista, Si quod minus videtur esse, est. & quod magis videtur esse, erit. Maius enim definitur, quod maiorē habet suæ veritatis apparentiam. Minus, quod minorem. Pro loco à maiori sint hæc exempla, Rex non potuit resistere duci, ergo nec miles resistet. Christus non permittit, vt ociosa verba effutiamus, igitur non patitur, vt frater maledictis fratrem insectetur. Ananias & Sapphira non impunè sua retinuerunt, ergo nec publici raptores impunè occupabunt aliena. Pro loco à minori suffecerint ista, Deus patitur iniuriam à Iudæis sine vindicta, nos igitur peccatores iniuriam feramus. Dux potest debellare regem, ergo & Cæsar facilè vicerit ducem. Postremò vt nihil prætereamus, Cicero in Topicis, quemadmodum anteà attingere meminimus, indicat maius & minus, non in complexu rerum, nec in apparentia veritatis, sed in simplici rerum collatione, spectari, cùm tradat comparari ea, quæ aut maiorā, aut minora, aut paria dicuntur. dum spectantur hæc in eis, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas adfectio, vt plura bona paucioribus anteponantur, diuturniora breuioribus. Item, quæ propter se expetenda sunt, iis quæ propter aliud. innata adsumptis, honesta vtilibus, ad hæc efficientia effectis, stabilia incertis, propria alienis. Denique Principûm commoda commodis reliquorum, probata dubiis, iucundiora inamœnis. Quid in tanta præcipientium diuersitate statuemus? aut potius, quid omnium amplectemur? nempe, vt in consensionem quandam ista componamus. Apparet sententia nostri Aristotelis recipienda, sed ita, vt ne a reliquis discedere videamur. Cicero igitur, vt a præcipuo incipiamus, res contemplatus est, quorum altera alteri comparata, vel maior, vel minor, vel par esse debet. Fabius Quintilianus cum Rodolpho & Erasmo, complexum rerū oratione significatarū pensitārunt, qui crebrò efficit, vt res singulari collatione minores, tamen fiant ipso ambitu orationis maiores. & contrà. Atque in hunc ferè sensum accipiuntur, non ab illis modò, sed Rhetoribus plærisque, & hodie passim ab eruditis, denique ab ipso etiam vulgo. Aristoteles aūt cum suis sectatoribus vim argumentādi pēsitans, Maius statuit, cui magis adsentiamur, Minus verò, cui minus adsentire parati simus. Quare maximas suas,

Vtilitas huius loci.

Loci à maiori & minori.

Maius & minus quō ab eruditis accipiantur

De quibus multò secus Arist. & Peripateticæ scholæ sectatores.

Argumētandi ratio à maiori infinuatur exemplis.

Rursus aliter de istis Cicero in Topicis.

Cōciliantur prędictę opiniones.

 ad habi-

ergo non fuit Romæ. Homo pius amat Deum, ergo non appetit voluptatem. Quod aiunt è subiunctis, non è prædicatis argumentandū esse, verū est, si propriè ista capias, & secundū naturam repugnantium huiusmodi argumēta contexas. Dicuntur aūt ea propriè repugnare, quæ respectu singularis subiecti à seinuicem mutua prædicatione distant, vt è Postprædicamentis patet. Sed non astringentes omnia legibus dialecticis Rhetores, latius interim vberiusq; spargunt argumenta, sic tamen, vt ex certa materia ducāt ratiocinationē, vt in hoc exemplo, Homo rationalis est, non igitur psittacus, quasi dicas, hominis est differentia rationale, non igitur psittaci. Verùm hęc obuia sunt mediocriter instituto. Quod habet Rodolphus, differre, seu disparata esse omnia, vel vt singula, id est, numero, vel specie, vel genere, quibus respondent è regione, quę eadem Arist. dicit, aut numero, aut specie, aut genere. hic pręterimus, quādo clarū euadit ex iis, quę adnotata sunt libro primo Topicorū, capite de modis eiusdem, vt superuacuum sit, altius ista repetere, fusiusq; explicare. Vsus loci huius ferè idem est, qui sequentium, ad confutandum namq; plurimū valet. Et cum disparata, vel aptiori nomine, differentia, parum discrepent a dissimilibus, quæ & ipsa differentia Cicero appellat in Topicis, eadem erit vbertas huius loci, & similium dissimiliumq;. vt propositionibus dialecticis abundemus, similia, dissimilia, & disseparata colligētes. De qua argumentandi copia disserit Aristoteles in calce primi Topicorū. Hodie quoq; præcipiunt ij, qui ex arte dialectica, omne thema simplex tractantes, post quæstiones hasce, quid, quale, quotuplex, inquirunt idem, & diuersum in speciebus vel partibus thematis propositi, idq; a simili, dissimili, disparatis, affinia contrariaq; colligentes, de quo ipso nonnihil in Posteriorum Analyticorum libri secundi, capite primo, & sequentibus disputandum. Modò indicauimus ab adfirmatione ad negationem valere cōsecutionem in omnibus ex æquo generibus oppositorum, vt a Relatiuis. Augustus fuit Iulij filius, licet adoptiuus, ergo non fuit pater eiusdem. A contrariis, homo doctus est laudandus, non ergo vituperandi sunt eruditi. A priuatiuis, Appius Claudius fuit cœcus, quo tempore consuluit in Senatu, vt Cicero in Senectute meminit, ergo non erat videns. A contradictoriis, Ioseph est iustus, igitur non est non iustus. De substantiuis nominibus, Io erat vacca, ergo non erat non vacca. Sic enim Ouidius loquitur in primo Transformationum, quo loco Iouis amorem describit. Ex omnibus sufficerit hoc distichon.

Et itē è subiectis disparatis.

Methodus argumentādi ex oppositis, aliquot perstringitur exēplis.

Sed leue si munus sociæ, generisq; torique
Vacca negaretur, poterat non vacca videri.

Maxima generalis omnium cōmunis. De quo alterū oppositorū adfirmatur, ab eodem reliquum negatur. Cōtrà, a negatione ad affirmationē, vel Arist. teste, nō est firma collectio. quoniam datur medium negationis absolutè, demptis cōtradictoriis, In quibus etiam non simpliciter valet argumētatio, sed posita cōstantia, vt in consequentia ecōtrariò & conuersione per contrapositionē apud Arist. tradi solet. tum libro secūdo Peri Herm. Non enim rectè intuleris, Cicero non est homo, igitur Cicero est non homo. Volunt in cōtrariis immediatis obtinere negatiuā argumētationē, posita cōstantia subiecti susceptibilis. Vt affirmatiuē ratiocinādo præscribūt, è singularibus argumētandū esse, & copula præsentis temporis, nisi copulę extranei temporis addatur pronomē identitatis, vel nisi distributio vitetur. In mediatis solū valere, numeratis omnibus in antecedēte singularibus, vt reliquum cōstruatur, veluti per locū a diuisione. In priuatiuis eadē ferè pręscribūt, quæ in cōtrariis. Sed hoc peculiare est, quod tradūt ponendā esse cōstantiam subiecti susceptibilis, cum tempore determinato a natura. idq; pro natura & ratione priuatorū, quę in Postprędicamētis definit Arist. de quibus etiam primo Elench. agitari cōsueuit, in fallacia secundū plures interrogationes vt vnam. Reliqua dissimulamus, quoniam spinosa videri possunt. Illud interim admonendū est, relata hic nō simpliciter accipi, quomodo in Prędicamētis tractantur, sed reciproca, & mutua quadā ex aduerso oppositione, respectu tertij alicuius. Sin singula singulis cōferantur, orietur locus nomine vicinus, sed argumentandi ratione diuersus omnino, qui à relatiuis, vel potius à correlatiuis appellatur. Cuius hæc est maxima, Relatiua, cùm sint simul natura, posita se ponūt, & perempta se perimunt. Ab affirmatione igitur vnius ad affirmationē alterius. A negatione ad negationē argumentandum, Idq; tam ex verbo est tertio quàm secundo adiacente, vt Sum tibi pater, ergo mihi filius es. Deus nobis pater est, ergo nos filij affectum vicissim illi præstabimus. Filius emancipatus non retinet filij ius, ergo nec pater seruat ius patriæ potestatis. vel sic, Pater est, ergo & filius. Dominus nō est, nō igitur est seruus. De his abundè in proprietatibus ad aliquid indicauimus, quæ huc spectant. E contrariorū loco, quidam ita ducunt argumenta, Verum est quòd Cæsar vicerit Pompeium, ergo falsum q̄ non vicerit. Verè disputat Cicero, Miloni

A negatione ad affirmationem, quatenus valeat cōsequētia in cōtradictoriis.

In cōtrariis.

In [illegible] tus.

Relatiuè oppositi, discrepantia à relatiuis argumentādi ratione.

E contradictoriis, ppositionib9 argumētationes huc releḡs plerisq;.

Clodium insidiatum esse, falsò igitur contendunt aduersarij, Clodium non esse insidiatorem. Num aũt hoc argumentorũ genus ad contradictoriarũ legem relegandum sit, an tempestiuè hoc loco tractetur, lectori altius scrutandum, statuendumq́ relinquimus. De istis Agricola in eandem fermè scribit sententiam. Habent aũt, inquit, hi loci proprium hoc, q non potest ex eis quippiam confirmari directè, sed e diuerso. Et mox addit, Complectimur tamen nonnunquàm hinc inde repugnantia, ac directè probamus. vt si lucrum est habere, damnum est perdere. si vtile est possidere, inutile est amittere. Sed de hoc genere Arist. quoq; agit in cõsequentia in ipso, & econtrariò. Non apparet silentio prætereundum, q erudxi quidam huius ætatis scriptores, plęrasq; rhetoricas exornationes referunt, partim inter pugnantia, partim inter cæteros dialecticorũ locos, quemadmodum circumstantiæ & attributa rerum personarumq́ huc reducuntur. Sed catalogum horum omnium petat, qui copiæ desyderio tenetur, à recentioribus. Tantùm liquet ex istis, præter vulgatum morem. è dictis locis, alia complura argumentandi genera contexi, ideoq́ horum vsum latissimè patere, quem in autoribus obseruare, ac propriis deinde scriptis, aut etiam progymnasmatis pręstare oportet, hic autem sit satis in transcursu notare. Quod in extremo Rodolphus admonet. hoc genus argumẽtationis, Seruare potui, perdere an possum rogas? Cui totum dederam, illi negarem partem? non ex oppositis, sed à maioribus confici, q maius sit seruare quàm perdere, & totum dare quàm dare partem. hoc nimirum satis in aperto est, ex eo q quæ simpliciter opposita sunt, ex comparationis statura intelligantur maiora minoraq; esse, vt alia quoq; argumenta sæpe antea diximus pertinere ad locos diuersos, quatenus varias rationes induere possunt. De consequẽtia in ipso, & econtrariò, non iudicamus operæpretium hoc loco tractare, quia in Aristotele sumus eos locos affatim executi. & si quid præterea desyderari potest, commentationi docentium id referuamus. Neq; verò debitum à nobis exigat lector, cui libro secundo Topicorũ, in explicatione capitis de locis econtrariò, & in ipso, pollicebamur, nos quæ desyderari possent, vberius pleniusq; postea tradituros de vtraq; Aristotelis consequentia. Mirè enim hic vsu venit, quod ex Euripide Cicero videtur vsurpasse vice prouerbij, Posteriores cognationes ferè sapientiores esse solere. Ita nimirum & nobis, facto in superioribus locis periculo, tandem visum est, ea quæ subtilius, verbosiusq; tractata spinosum quiddam præ se ferunt, dissimulanda esse omnino, aut per transennam duntaxat, vt dici solet, ostendenda. huiusmodi sanè videri possent, quæ hic religiosissimè præcipi consueuerunt, præsertim in consequentia econtrariò, quæ bona ex parte cum conuersione per contrapositionẽ conuenit. Reliqua ex prædicti capitis enarratione super ac satis intelligi possunt, cùm accesserit docentium industria & sedulitas, cui plæraq; alia fusius explananda, familiariusq; tradenda relinquimus rudi adolescentię, cui tanquã primæ in hisce studiis infantiæ, præmansum cibum porrigere oportet. Sed de his abundè. Reliquus est locus à transsumptione, siquidem proportionis locus propterea cum loco à simili absolutus est, q plus cum eo affinitatis, quàm cum oppositis habere videretur. Transsumptio quid sit, ex Arist. Boetioq́, & aliis haud satis liquet. tum q cum interpretatione seu nota rei non parum consentiat, tum q ambigi possit, metaphoram contineat solam, an omnem è manifestiori ductam argumentationẽ. Sanè quid sit, & quid discriminis habeat à nominis interpretatione, paucis aperuit Erasmus in libello De conscribendis epistolis. A transsumptione (inquit) philosophus non inuidet, quoniam nec sapiens. Distinguitur autẽ hic locus ab interpretatione, quoniam hic nihil exponitur, sed à verbo notiori minus notum infertur, illic nominis ratio adfertur hoc modo, Sapiens non inuidet, philosophus amator est sapientiæ, igitur non inuidet. Hæc Erasmus. Pro cuius sententia, transsumptio est nominis manifestioris loco obscurioris acceptio. Quod Arist. quoq; insinuat, ἔτι, φησὶ, τὸ μεταλαμβάνειν εἰς τὸ γνωριμώτερον ὄνομα. οἷον ἀντὶ τοῦ ἀκριβὲς ἐν ὑπολήψει, τὸ σαφές. καὶ ἀντὶ τῆς πολυπραγμοσύνης ἡ φιλοπραγμοσύνη. Pręterea, inquit, trãssumendũ est ad manifestius nomẽ, vt pro certo atq; exacto in opinione, clarũ seu manifestum. & pro curiositate, studium rerũ superfluarũ, vbi orationẽ, quæ est, ἀκριβὲς ἐν ὑπολήψει certũ in opinione transfert ad nomẽ τὸ σαφὲς manifestum seu euidens. hinc nomen obscurũ transfert inibi Arist. ad nomen aliquanto significantius. est enim πολυπράγμων, qui multis se negotiis implicat, aliena curat, more sycophantarũ. at φιλοπράγμων, qui gaudet amatq; negotium aliis facescere. De quibus vocabulis paulò vberius in cõmentariis Budæi. Hinc in aperto est, transsumptionẽ hoc ab interpretatione dissidere, q hæc nomen obscurius transfert ad orationẽ clariorẽ, qua & ipsa nominis originatio exponitur quadam quasi definitione, non rei simpliciter acceptę, sed quatenus ipso nomine significatur, aut

Rodolphus de prædictis repugnãtiũ locis.

Ad quos & schemata oratoria reuocantur.

Locus transsumptionis.

Quid Aristoteli.

Vera differẽtia inter prędictos locos.

aut descriptione nominis ipsius, quę proinde nominis definitio appellata est, vt initio indicare meminimus. Illa transsumit ac traducit nomen obscurius ad manifestius ac significantius, vt nulla interim originatio, aut definitio nominis explicetur, quãdo alterum non deriuatur, neq; originẽ trahit ab altero. Tantũ intellectus vtentium vocabulis in causa sunt, cur hoc nomine clarius rem apprehẽdant quàm illo, non aũt ipsa nominis etymologia. Constat hinc & illud, Transsumptionẽ à Boetio rectè inter externos locos censeri, Interpretationẽ verò adscribi internis, q interpretatio definitionẽ imitetur, sitq; rei significatę, quatenus interpretato cõtinetur, interna. trassumptio non item, quę vno nomine rem clarius significantiusq; designat quàm altero, etiam si neutrum ab altero grãmatica originatione aut etymologia deducatur. Ex quo lector facilè iudicârit, An rectè Agricola interpretationẽ & transsumptionẽ cõmuni loco nominis promiscuè designarit. Quid super hac re sentiat nobiscũ Seuerinus Boetius, videre est libro de Topicis differentiis secundo. Nihil enim attinet, duplicem illam trassumptionem ex eo recitare. Nobis interim placet, è transsumptionis loco argumẽta bifariam deduci, vt priori modo argumẽtemur ex notiori ad obscurius, vtentes vocibus idem propriè significantibus, siue eiusdem sint idiomatis siue diuersorũ. Posteriori aũt modo ex transsumptione propriè accepta, id est, translatione, quam Gręci μεταφορὰν dicunt, quæ quibus sit cognata figuris, à Grãmaticis & Rhetoribus petatur. Nobis ad pręsens suffecerit de trãssumptione exempla proponere, quò de reliquis idem iudicium relinquatur. Vtrinq; igitur licebit argumẽtari, tum à translatione ad vocem propriam, tum à propria ad metaphoricã. Exempla prioris sunt hæc, Dialectica vtilis est ad oẽm methodũ, autore Aristotele primo Topicorũ, ad omnẽ igitur scientiam vtilis est. Leo rugiens fugiendus est, ergo & Diabolus. Sacerdos secũdum ordinem Melchisedech agnoscendus est à filiis Israeliticis, ergo Christus erat agnoscendus honorificè & reuerenter à Iudęis. Posterioris sint exempla huiusmodi, Deprehẽdit senex factas sibi à seruis insidias, ergo subodoratus est, olfecitq;. Non possum non te amare propter bonos mores, igitur non possum non te exosculari propter candorẽ morũ. Pro maximis hæc vnica suffecerit, Quod cõuenit siue dicitur sub nomine proprio, idem conuenit cum nomine translatitio, & contrà. Et in piori modo, Quod competit sub nomine manifestiori, competit etiam sub obscuriori, tamen idem significante. Breuiter vterq; modus admittit veritatẽ argumentandi ex subiecto pręedicato, affirmatiuè negatiuè, eadem lege, quam in definitionis loco, & aliquot aliis videre est à nobis explicatã. Boetius tacuit modum argumentãdi ex præscripto maximæ prioris, modò expositæ, quoniam in Aristotele nullam inueuit expressam translationis mentionẽ. Quapropter hallucinari oporter eos, qui Boetium hac ipsa de causa suggillare audent. Errant item, qui affirmant locum transsumptionis esse sophisticum, & malè freti sunt Aristotele, qui lib. primo Elenchorũ tradit secundũ modum æquiuocationis & amphibologię, quoniam nomine vel oratione soliti sumus sic vti per translationẽ siue transsumptionẽ. Etenim locus hic suppeditat argumenta, quatenus dialectica sunt, id est, sic proposita, vt idonea aliqua maxima loci proprietatẽ explicãte, cõfirmari queant. Si verò fallaciam ex trãslatione cõtexas, iam nõ seruat proprietatẽ loci, exigentẽ, vt significatio eadẽ retineatur, siue metaphorica, siue propria. Mutatur aũt & multiplex fit significatio, dum ridere in maiore propriè, in minore metaphoricôs vsurpat sophista. & arare littus, ibi propriè, hic translatitiè, cùm sit vnica significatio in antecedente continenter seruanda, ex qua consequens in altera significatione propter similitudinẽ rerum potest inferri. Exempla tum ex nostris Commentariis in fallacias Aristotelis, tum ex antea dictis, manifesta esse possunt. Cæterùm locus, quem Agricola primi libri capite vigesimotertio vocat ex homonymia, id est, agnominatione, seu, vt vulgus, æquiuocatione, non ad transsumptionem pertinet, sed ad classem Elenchorum sophisticorum, etiam si allusio nominis est interim non iniucunda. locus autem qui in primo nominis vsu ab eodem traditur, ad interpretationẽ relegandus est. Propius ad transsumptionis locum accedit is, quem in tertio vsu nominis exponit, cùm translato nomine, deinde ducimus ex re, nõ quam hoc in loco, sed quam propriè significat, argumentum, non facto interim transitu ad aliud nomen, sed eodem seruato. Quale est apud Ouidium illud Paridis ad Helenam,

> Eloquar? an flammæ non est opus indice notæ?
> Et plus quàm vellem iam meus extat amor?
> Sed malè dissimulo, quis enim cælauerit ignem,
> Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ignem pro amore posuit. deinde ex lumine argumentatur, tanquam de vero igne loqueretur, videlicet similitudo ignis veri ad ipsum amorem efficit, vt eodem seruato nomine, tamen

Quare interpretatio adnumeranda sit internis, trãssumptio externis.

Argumẽtamur ex transsumptiõe bifariã.

Idq; è translatitia voce ad propriã, aut etiã ex propria ad metaphoricam.

Boetius immeritò reprehensus.

Hunc locum nõ esse sophisticum

Qui loci ab Rodolpho in nõis loco expositi huc pertineant, qui nõ item

Vsus transsumptionis.

dialecticum sit & minimè fallax argumētum. Vsus transsumptionis generatim acceptæ, tam latè sparsus est, quàm præceptiones Grammaticorū & Rhetorū, de paranda nominum supellectile, de synonymia, de vsu troporū omnium, præcipuè metaphoræ & allegoriæ, quas figuras in literis sacris esse creberrimas in exornanda Rhetorum flosculis, elocutionisq; schematibus oratione, quodcunq; genus causæ tractetur, in prima ætate puerorū egregiè exercitāda, & aliis eiuscemodi negotiis, etiam primas tenere, nemo est cordatorum hominum, qui neget. vt taceamus, quod indocti quoq; hanc laudem infœliciter affectant, vt plæraq; omnia.

De locis mediis.

Medius locus qd sit.

Tertia atq; adeò postrema species locorum in prima diuisione proponebatur locus medius, qui sic appellatur, quòd argumenta contineat, quæ neq; prorsus extra rem sunt, quæ probanda proponitur, itaq; non sunt externi, neq; penitus in re ipsa, itaq; non sunt interni. Ex quo relinquitur, vt medij sint, & vt Boetius ait, mixti, quoniam argumenta in eis residentia partim conueniunt cum terminis in quæstione positis, partim differunt. adeò vt nunc externa, nunc interna ab eis argumenta peti videantur. Quod in causa fuit, quamobrem nonnulli hosce locos fecerint internos, alij externos. Imò non desunt, qui hosce eosdē locos modò internis, modò externis adscribant, quandoquidem id fieri potest diuersa ratione. videlicet, medium naturam trahit ab extremis, sitq; ipsa quodammodo extrema, vt habet Aristoteles primo capite quinti Physicorum. est enim medium quodammodo ipsa extrema. Quapropter & hoc ad illa, & illa vicissim ad hoc, dicuntur quodammodo contraria, quod & in fine secundi Ethicorum prolixè declarat. Ne quis ergo miretur locorū tam variam à scriptoribus diuisionē tradi, quod ex Rodolpho, Fabio, Cicerone, & aliis, vel mediocriter in his versato, facile erit perspectu, hanc paucis accipiat rationem. Diuersa nimirum secuti illi ipsi autores, diuersas constituēre locorum differentias. Vt summa interim sententiarum eodem recidat. Locuples est testis Seuerinus Boetius, in initio tertij de Topicis differentiis, cuius verba lector ab eo requirat. Verùm ista dilucidius erit cognoscere ex subiectis speciebus.

Tres loci medij.

Tres in vniuersum numerantur à Boetio loci medij, a coniugatis, a casibus, a diuisione. Libet verò exordiri tractationem horum a coniugatis, licet Boetius contrà, primū fecerit locum a casibus. quando & Aristoteles hunc ordinem sequitur, & post eum plærīq; cōmentatores. vt omittamus, quod multi veteres de solis meminere coniugatis, sub eis casus in commune complexi. Existit autem in

Coniugata quatenus interni loci dicantur.

ipso statim limine disceptatio Rodolphi cum aliis. Contendit enim coniugata inter locos internos esse reponenda. Nos pro sententia Themistij & Boetij existimamus, cōiugata in mediis locis poni, quod gratia rei significatæ, ac potius ipsius significationis, sunt in re probanda. vt declarat Agricola, sed res ipsę absolutè considerataæ sic distant, vt altera sit ferè accidens, altera subiectum, quare neutra est per se in altera, cùm res abstracto significata sit extra substantiam subiecti, quod venit appellatione concreti. Verùm de hac re satis. Malumus enim de istiusmodi rerum abstrusarum indagine esse securi, quàm audire, Dialectici certant, & adhuc sub iudice lis est. Ergo ad rem.

Coniugatorum finitio.

Coniugata, vt Boetius descripsit, dicuntur, quę ab eodem diuerso modo deducta fluxerunt. vt a iustitia, iustum, iustus. hæc igitur inter se, & cum ipsa iustitia coniugata dicuntur. Ex quibus verbis Boetij illud principio est colligere, coniugata sic dici, quòd grammaticæ deriuationis lege, ab vno verbo deducta inclinataq; sunt, commune idcirco iugum & vinculum significationis obtinentia. vel, vt ait Rodolphus, quòd ipsa vocis similitudine, sub vnum sunt iugum deuincta. vt sub sapientia sapiens, & sapere, quæ duo postrema, cùm à sapientię verbo deflectantur, idem quasi iugum significationis habēt, id est, significationem eandem à sapientia mutuantur. Consentit huic nostræ commentationi Tullius in Topicis, Coniugata, inquit dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem generis verba sunt, quæ orta ab vno variè commutantur. vt sapiens, sapienter, sapientia. hæc verborum coniugatio συζυγία, dicitur, ex qua huiusmodi est argumentum. Si compascuus ager est, ius est compascere. hæc Cicero. Deinde ex Boetio colligere licet, coniugata propriè dici, non omnia inter se sed propriè deriuata, quæ primitiuo seu themati, a quo deflectuntur sunt con-

• Coniugata dici cōcreta ipsi abstracto etiam Arist. indicat.

iugata potius quàm inter se. Quod ante Ciceronem Boetiumq; clarius indicat noster Aristoteles capite duodecimo. λέγεται δέ, φησί, σύστοιχα μὲν τὰ τοιάδε. διὸ τὰ δίκαια καὶ ὁ δίκαιος τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τὰ ἀνδρεῖα καὶ ὁ ἀνδρεῖος τῇ ἀνδρείᾳ, dicuntur (inquit) coniugata huiusmodi, vt iusta, iustus, iustitiæ, & fortia, & fortis fortitudini. Nunquid obscurum est hinc videre, iustum ipsi iustitiæ, & fortem ipsi fortitudini esse coniugata? & communi deriuationis ana-

Sed liberius vtimur in argumētando.

logia coniuncta? Liberius tamen loquentes, affirmāt omnia, tum concreta nomina, tum verba, tum participia, tum abstracta primogenia, inter se coniugata esse, quemadmodum & Boetius insinuat superius, dum ait, hæc igitur inter se & cum ipsa iustitia coniugata dicuntur. hæc

autem

autem sermonis libertas vsu venit, dum argumenta ex hoc loco depromuntur in rem praesentem, quę siue a concretis, siue ab ipsis abstractis ducantur, iuxta asserimus esse à coniugatis ducta. Postremò liquet ex prædictis, coniugata a Boetio & huius sectatoribus non accipi generatim, vt ea quæ casuum nomine veniunt, complectantur. sed vt ab illis propria finitione distent. Quapropter & hic descripsit, Casus, inquit, est alicuius nominis principalis inflexio in aduerbium, vt a iustitia inflectitur iustè. casus est igitur a iustitia id quod dicitur iustè. Sic & Aristoteles casus a coniugatis secreuit exemplis, in hæc verba, πτώσεις δὲ οἷον τὸ δικαίως καὶ ἀνδρείως, καὶ ὑγιεινῶς, καὶ εὐεκτικῶς, καὶ ὅσα τοῦτον τὸν τρόπον λέγεται. Quę verba religiosè interpretemur, vt liquidò conficiamus ex Aristotele quod volumus. Casus autem, inquit, subaudi dicuntur huiusmodi. vt iustè & fortiter, & salubriter, & euecticè. (Vox enim ista propemodum latinitate donata est) & quæ ad hunc modum dicuntur. hæc Aristoteles. Si propriis itaq; limitibus a coniugatis casus dissepárentur, erit aduerbium casus suo nomini, a quo inclinatur & cadit. Reliqua deriuata, quæ non sunt aduerbia, intelligemus nomine coniugatorũ. vt coniugata sint, teste Rodolpho, quæ cum eo conferuntur, ex quo primum denominantur, cuius finitionis exempla in promptu sunt ex Aristotele. Casus verò, ea quæ a primo illo decidentia, deriuataq; cum eo ipso componuntur, aut secundum aliam lectionem contextus Rodolphici, inter se componuntur, vt sapiens & sapienter, iustusq; & iustè, fortis fortiter. Ita quidam solent hactenus in scholis dirimere casus & coniugata. Verùm Agricola continuò subdit, Nos Ciceronem secuti, quando tenui admodum limite discreta sunt ista, cõiugata in cõmunc dicemus. quod non incõmodè fieri posse Aristoteles ipse etiam videtur sensisse. Aristoteles quidem, cuius meminit Agricola, ingenuè prædicat, nomen coniugatorum promiscuè vsurpari solitum, vt casus etiam includat. Verba cum Latina, tum Græca passim obuia sunt studiosis lectoribus, ex prædicto eodem cap. 12, vt ne citra necessitatem videamur immodicè verbosi. De coniugatis itaq; nos exempla Rodolphi, Ciceronis, & Aristotelis loquemur. vt hinc sit paratum intelligere, cõsimilia de casibus, qui veluti species sunt coniugatorũ. Diuidit coniugata Rodolphuss in ea, quæ nomine & significatione coniugata sunt, & ea quæ sola significatione coniunguntur. Adde tertio, ea quæ voce duntaxat inuicem iuncta esse videntur. quanquam illa ipsa nihil conferunt ad copiam argumentorũ. Estq; hæc differentia coniugatorum propè eadem quæ denominatiuorũ a dialecticis tradi consueuit, quorum alia dicuntur voce tantùm denominatiua, Alia significatione tantùm, Alia voce & significatione. Sed de his in initio Prædicamentorũ. De coniugatis re ac nomine siue significatione Rodolphus nihil repetit, quoniam illa propriè coniugata censentur, suntq; peculiari definitione satis indicata. De coniugatis re & significatione, non autem nomine meminit satis prolixè, sed verba ipsius autoris, causa breuitatis, dissimulanda duximus. Ex hoc autem discrimine coniugatorum, in promptu est præscribere leges argumentandi. Simplex enim & libera est ratio, statimq; obuia, quoniam coniugatorum, vti Boetius pro maxima ponit, eadem est natura. Sumamus aliquot exempla ex Boetio, Si risus gaudium est, & ridere gaudium est. Si qui iustus est, bonus est, & iustitia bona est. Item ex Cicerone in Topicis, Si compascuus est ager, ius est compascere. Si aqua pluuia ex seruitute debet arceri, ergo iuxta Mutij responsum arceri oportet aquam omnem, quæ pluendo creuerit. Idem in Paradoxis, diuites non sunt aliis meliores, ergo diuitiæ non sunt numerãdæ in bonis. In quinto de finibus. paupertas si malum est, miser non malus esse non potest. Ex Terentio in tertia comœdia, Homo sum, ergo nihil humani à me alienum esse puto, quam sententiam in M. Tullij amicitia citat Lælius. Hæc exempla declarant, valere consequentiam à coniugatis affirmatiuam & negatiuam. Sed cautio est adhibenda, ne propositionum extrema per accidens coniungantur. Ob id enim Aristoteles (vti coniicimus) asseuerat libro secundo moralium, quem Nicomacho inscripsit, non sequi, si quis iusta agat vel temperata, statim iustum esse aut temperatum, quia minimè consequitur, eum qui talia agat, continuò agere iustè vel temperatè. videlicet, agit iusta temperataq;, non per se talia, sed per accidens, quoniam non oriuntur a voluntate firma, atq; eligente, vti latius inibi explicat. A casibus, si docendi gratia à coniugatis libet segregare, sumi possunt huiusmodi argumenta. Iustè securi percussit filium Brutus, ergo fuit iustus. Prudenter sententiam Cato dixit in Senatu, prudens igitur fuit. Eruditè composita in precio habentur ab omnibus, meritò igitur in precio sunt eruditi. Et contrà concludendo aduerbia, Bonus Orator Cicero fuit habitus à Romanis, ergo bene pro Milone orasse iudicatus est. Castus esse debet sacerdos & clerus, ergo semper castè loqui. Hic non est fortis, ergo neutiquam geret fortiter bellum. Adolescentem dedecet impudentia, ergo non decet impudenter loqui. Et hic obserua-

bis,

Casus quid differat à coniugatis secundum Boetiũ & Aristotelem.

Hic & casus noĩe cõiugatorũ intelligendi.

Coniugatorum diuisio.

Ratio argumentandi à cõiugatis, aliquot exemplis innotescit.

Cauendum ne per accidens extrema consentiant.

Lex argumentãdi à casibus docẽdi gratia separatim ostenditur exemplis.

Eadem hic adhibenda cautio.

bis, ne per accidens extrema iungantur. quo fit, vt inualida sit illatio. Poeta quispiam est pius, ergo poeticè scribere, est piè scribere. Aliud est castè, aliud eruditè loqui, igitur non contingit eruditos esse castos. Verùm ex his reliqua suo quisq; Marte cudat. libera est enim ex hoc loco argumentandi ratio, dummodò consistat intra terminos maximarum, quæ ex natura loci variè pro materia fingi possunt. Vsum coniugatis vix vllum permittit Quintilianus, cuius super hoc loco verba adscribemus ex libro quinto Inst. Orat. His illud adiicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero vteretur, quod coniugatum vocant, vt eos qui rem iustam faciant, iustè facere, quod certè non eget probatione: quod compascuum est, cõpascere licere. Ab hac Fabij sententia parum dissentit Rodolphus, apud quem sic legimus, Sanè loci istius non tam creber est ad argumentandũ, quàm aliorũ plærorumq; vsus. quando enim a proximo distant coniugata, & non re modò, sed nomine plærunq; arctissimè iunguntur, ex æquo ferè vel nota sunt vtraq;, vel ignota. fitq;, vt frustra altero coniugatorum coneris aduersus eum qui alterum auersetur, aut quisquis alterum det de altero non dubitet. Patrocinatur Agricolæ, q̃ vitanda est petitio principij in argumentatione dialectica, teste Aristotele secundo libro Priorũ, & primo Elencho. debet enim res in quæstione proposita per notius explicari. Hic obiter submonemus lectorem, excutiat, quatenus hæc cum illo dialecticorum placito consentiant, Abstracta ferè nobis ignotiora esse concretis, licet natura sint manifestiora. Cæterùm non multò inferius vsum exponit, vbi, inquit, res dederit, non est negligendus. Quãdoq; enim acuminis, quandoq; virium multum, quandoq; vtrunq; habebit. At quod citat exemplum Comici modò commemoratũ. Tres itaq; præcipuas enumerat vtilitates, Primam, q̃ valeat ad inquirenda in concreto ea, quæ in abstracto parum liquent. nam quod in altero, coniugatorũ quærentes non inuenissemus, illius in altero nos hic admonebit locus. vt qui potentiæ, vel bona, vel mala, vel si qua alia insunt, perquirere volet, facilius in nomine potentium, & magis ad manum posita consequetur, eorum quum pericula, cautionem, beneuolentiam, inuidiam, virtutes, scelera, honestos fœdosq; exitus, aliaq; huius conditionis in vtramq; partem spectauerit.

Vsus horum locorũ vix vllus secũdũ Fabium & Rodolphũ.

Quo accidit & ratio.

Est tamẽ interim non mediocris vtilitas, autore eodem Agricola, qui tres adfert commoditates.

Secunda commoditas est in definiendo. apertius enim vtcunq; ex sapientis persona, & actionibus, officiisq; peruideas & eruas, quid sit sapientia, quàm ex ipso sapientiæ nomine. Sic & amicitia quid sit, ex amicis. Et anima quid sit, ex animatis. & contrà etiam, si qua via, altera horum cognita tibi fuerint, facilè ad altera definienda regrediare. Tertia vtilitas cernitur in eis argumẽtis, quæ exempla vocant Rhetores. nam cùm dicat quis, virtutem sufficere ad fœlicitatem, idq; probet, quòd in paupertate Curius, in exilio Rutilius, in tormentis Regulus, miseri non fuerint. Ista solùm ex eo capiunt vim docendi, quòd in omnibus iis virtus fuerit, quòdq; viri boni sint habiti. sic, si quis regnare malum esse confirmet, doceátque exitu Cyri, Cambisis, Alexandri, & Pyrrhi, in promptu est videre, hic à regnandi nomine ad Reges orationem esse deflexam. Ex hisce autem exemplis ab Agricola positis, illud apertum est cernere, quòd in coniugatis idem prope nomen, sed nonnihil deflexum reperitur in exemplis rhetoricis, quæ παραδείγματα Græci vocant. Siquidem in his non idem nomen, sed in eius locum aliud sufficitur, in quo eadem inesse vis intelligatur. vt verbi causa, si ostensurus paupertatẽ nihil pugnare cum fœlicitate, Curij exemplum, quod modò positum est, adferat in argumentũ. hic liquet Curium in locum pauperis succedere, quod nomen paupertati coniugatum est. Huic itaque loco præcipuus vsus est in deliberationibus, vbi, teste M. Tullio in Part. exempla plurimũ faciunt ad persuadendum. Valet item in demonstrationibus rerum, vbi amplificatur laus rei ex persona, cui res adiacet. ex qua multiplex qualitas ipsius declaratur, vt in secunda cõmoditate Rodolphus indicauit. Deniq; in genere didascalico confert, ad explicandam omnẽ rationẽ virtutis, vitiorũ, potentiæ, & similium. quæ ex subiecto, concreti nomine designato, facilius est cognoscere. Tum in eodem genere hoc præstat, vt res probetur esse, quod subseruit quæstioni, an sit. quæ vix vlla alia ratione terminari poterit, vt hodie quidam eruditi in genere didactico admonent. Verùm hic locus, vel in primis ad hoc adiuuat. nam præter qualitatem existentia quoq; rei colligitur à coniugatis, quod ita ferè præcipiunt. Nomen concretum positum infert abstracti existentiam. Ediuersò quoque abstractum remotum, aufert etiam concretum, vt multi tempore Philippi Athenis orabant, ergo tum fuit oratoria. Plurimi per tempora Themistoclis philosophabantur in Græcia, ergo extitit etiam olim Philosophia. Apud Getas nunquam floruit lingua Romana, ergo ibi nunquam fuêre homines latinè loquentes. Hæc de coniugatis & casibus ex veterum sententia & ipsa loci natura visum est adnotare. vt eadem exempla liberum sit, ad coniugatorum & casuum locos reuocare, imò ad quosdam alios superius enarratos, vt causarum, con-

In quibus causarũ generibus maximè vsu veniat hic locus.

trario,

trariorum, similium, quiq; plures in idem concurrere possint. Nam & antè dictum est, locos ratione & habitudine magis distare, quàm ipsa re, ideoq; in diuersos recidere eadem exempla, inquantum res subiectæ diuersis rationibus cōsyderari possunt. Si videtur, require verba Rodolphi ex cap. 22. primi libri. Ex quo loco protinus damnari potest falsitatis eorum placitum, qui sanctissimè præcipiunt, vt hic argumentemur à duobus concretis ad duo abstracta, vel contrà, Idq; ex propositionibus, quas vocant, de est tertio adiacente. vt differat scilicet coniugatorum locus a loco causæ formalis & effectus, vbi argumentamur ex vnico abstracto ad vnicum concretum, vel contra, vtentes duntaxat propositionibus de verbo est, secundo adiacente. Iamdudum enim in confesso est, locorū accipi differentiam ex sola argumentorū varietate materiali, atq; habitudine diuersa terminorū inferētis & illati, non ex diuersa argumentandi froma, quam variè licet Dialecticis argumentis aptare, prout nunc ita, nunc secus res exigit. Idem iudicandum est de loco, quem ab inesse ad denomnari, & contrà appellanr. Hic enim coniugatorū locus dat argumenta, quæ rerum affinitate sunt illius ipsius loci propria. Sin vocum affinitas & deriuationis coniugatio, analogiaq; spectetur, erunt a coniugatis ducta. nullo interim discrimine constituto, siue hac, siue illa argumentandi forma vtare. Nisi q; huic loco peculiarem quandam, & quasi domesticam argumentandi legem fecit vsus, illi verò diuersam. cùm eruditi suam interim libertatem in argumentando pertinacissimè viurpent. Quòd si cui ergo ad stomachum faciunt leges, quæ in coniugatis præscribi & dictari solent. hæ ferè sunt. Vt antecedens & consequens habeant est tertium adiacens, sintq; eiusdem qualitatis. Vt formæ nominibus abstractorum designatæ, sint satis intensæ & extensæ. Vt absit omne miraculum, Vt propositionibus vtamur essentialibus. vel alioqui per se & formalibus, non tantùm eis quæ dicuntur causales, vel alioqui per accidens. Vt propositiones sint præsentis temporis, carentes omni copula ampliatiua. Ne vtamur abstractis, quæ vocantur vltima abstractione. Ne abstractum in consequente distribuatur, quod postremùm vitandùm est à casibus argumentando. Quo addunt ponendam esse constantiam eius extremi, in quo aduerbium effertur. Quæ plura solent congeri in eandem sententiam, ex istis leui momento erit colligere, simul exemplis idoneis, hoc est, decantatis iam olim, & quasi per manum traditis illustrare, præsertim ei, qui mauult in hisce angustiis coarceri, quàm libertate argumentandi bonis scriptoribus frequentata, vti spaciosius. Nos autem, vt finem aliquando inueniant hæ nostræ Commentationes, ad postremum locum pergamus. Mediorum Boetius vltimum facit locum diuisionis, Themistium scilicet ad postremum vsq; secutus. Estq; hic ipse idem locus, quem Cicero a partium enumeratione vocauit. & fortasse quem apud Aristotelem a partibus in quantitate appellant. internus sit, an medius, verè dialecticus, an formam tantùm generalem præscribens, haud satis liquet. Nos, quod in præsentia meminerimus iamiam exequemur, sed ita. si prius statuerimus, locum velimus dici peculiarem, an inter cæteros recenseri. De hac re Agricola sentit, etiam contra Themistium & Ciceronem capite vigesimo octauo libri primi. Verba eius lector suo Marte inquirat, quia prolixiora sunt, etiam si plurimum ad rem præsentē faciant. qualia sunt & ea quę cap. 7. refert, planissimè docens, per omnes ferè locorū gradus duci diuisionē, rem sanè vtilissimam ad copiam & expeditam promptitudinē argumentandi è loco diuisionis. Ad quę loca Rodolphi, si vel mediocriter animum aduertas, palàm arguent, diuisionē Agricolæ multò latius accipi, quàm Boetio, sex tantùm species enumeranti, sicuti ipse latissimè in suo opusculo prosequitur. & nos, quantum videbatur, exposuimus in auctario de definitionibus ac diuisionibus proximè post tractationem Prædicamentorū. Tametsi libertatē hanc nominis Rodolphus mauult intra proprietatis fines consistere, vt propriè diuisio appelletur generis in species, Partitio totius in partes, Enumeratio, quoties multa, quæ vni alicui insunt recensemus. vt Cicero eloquens fuit, & prudens, & vindex appetitæ dominationis, & reliqua, quæ in immensum extendi possunt. Hoc pacto, inquit, & multa vnius verbi significata, & vnius rei nomina, non diuidendo diducimus, sed enumerando recensemus. Cicero autem, vt superius indicatum est, enumerationem accepit, vt promiscuè diuisionem & partitionem complectitur. Fabius, teste Rodolpho, hæc duo, vt omnia, acutè & breuiter distinxit, ita definiens, Diuisio est plurium rerum in singulas partitio. Partitio, singularū in partes discretio. Quod ad vbertatē ex hoc loco argumētandi attinet, nomen diuisionis latissimè vsurpandum, vt postea constabit. Verùm de his satis. Quod ex prædictis in controuersam venit, prosequamur. Ad Rodolphum itaq; & allata ex eo testimonia dicimus cum Themistio, Boetio, & aliis sectatoribus, diuisionem rectè inter locos dialecticos poni, & potiori forsitan iure, quàm antecedens & consequens. Siquidem, vt initio

Nō semper argumētandum esse à duobus cōcretis ad duo abstracta, vel contrà.

Quid differat a loco ab inesse ad denominari

Quæ vulgo præscribant hic obseruanda.

Postremus locorum, est diuisionis.

Inquiritur, an diuisio locus sit peculiaris, idq; ex Rodolp.

Diuisio qd differat à partitione, & enumeratione.

Sed in argumentādo tamen generatim accipienda.

initio huius Auctarij expositum est, tria sunt totius logicæ munera, duo priora definire ac diuidere, quibus thema simplex tractandum est. Tertium est argumentari, quo de enunciatiuo themate differitur. Porrò argumentationem constat pertinere ad iudicium, definitionem ac diuisionē potius ad inuentionem, quatenus certam dant materiam, quæstioni simplici terminandæ idoneam. Sic nimirum in præsentiarū asserimus, diuisionem esse locum inuentionis,

Diuisio igitur locus est vt ipsa quoq; definitio.

cùm certam præbeat materiam, ex qua diuisionem confici oporteat. Propriè enim, vt modò diximus, est diuisio generis in species. tum per reliquos ducitur locos, vbiq; tamen respiciens materiam, quemadmodum & definitio propriè constat ex genere & differētia, hinc ex omnibus, quæ definito æquantur, & iuncta substantiam eius explicant. Nec propter hanc definitionis amplitudinem dixerit vel ipse Rodolphus, locum non esse, cùm fecerit locum & liberrimè voluerit confici, modò iuncta ea quibus constat, exequentur rei definiendę. Cætera huius farinæ possunt ex locis antecedentis & consequentis peti, de quibus in communiter accidentibus disputatum est. Quod proximū erat expediamus, internus sit locus diuisio, an me-

Altera dubitatio, an diuisio sit locus medius, dissoluitur cōtra Cic.

dius. Sanè Marcus Tullius facit internum. Nobis tamen placet medium constituere, propterea ꝙ per omnes fermè locos funditur, constatq; membris, quæ nunc interna, nunc externa sunt rei per diuisionem explicandæ. qua ratione videri posset in mediis locis numeranda definitio, tum loci antecedentis & consequentis. nisi aliæ rationes conuincerent esse locos internos. Verùm quod ad rem pertinet, ad exactum reuocando, apparet, in omni diuisione substantiali, membra respectu diuisi, medium quiddam obtinere, quando differentiæ neq; sunt propriæ & actu in genere, teste Porphyrio, neq; prorsus extra ipsum, vtpote cum eo constituentes speciem, quæ & ipsa, quoniam potestate continetur in genere, censetur medium quid-

Pro nobis facit & Boetius, sed agēs de diuisione per negationem.

dam habere, id est, partim esse in genere, partim non esse. Quo fit, vt media sint argumēta, ex medio loco deducta, siue à diuiso ad membra, siue econtrario argumenteris. Boetius tamen peculiariter sic vocatum hunc locum ait, cùm diuisio ex negatione conficitur. Vocatur (inquit) hic à diuisione locus, nempe qui negatione absoluitur, medius inter eos, qui ab ipso duci solent, atq; eos qui extrinsecus assumūtur, idq; post paululum exponit hisce verbis. Itaq; quoniam ex ipsa re, de qua quæritur, fieri syllogismus solet, quasi ab ipsis locus est deductus, quoniam verò non in eo permaner, sed ad oppositum redit, quasi extrinsecus sumitur. Idcirco hic à diuisione locus, inter vtrunq; medius appellatur. Quid autē sit diuisio ex negatione, statim ostendetur. Tum quatenus ea diuisio, quam per partitionem fieri docet, inter medios locos censeatur. Hactenus & locum esse & medium ostendimus. Si cui diuersa sententia verior exactiorq; videtur, per nos minimè obstabit, quo minus, non nos, sed quæ credat optima, sequatur. Rationem ex loco diuisionis argumētandi patefaciamus. de qua fusissimè Boetius disseruit, triplicē proponēs viam inueniendi hinc argumēta pro diuisionū varietate. Bifariam

Diuisio ex negatione.

ergo fit diuisio, vel negatione, vel partitione. Negatione hoc pacto, Omne animal aut habet pedes, aut non habet, Omnis homo loquitur, aut non loquitur. Atq; hæc species diuisionis cōficitur duobus membris, quoniam contradictione assignantur. Contradictoria verò medium respuunt. vt explicatū est in Postprædicamentis Aristotelicis. Leuiculum est, quod pręcipiunt, diuisum in membro negatiuo repeti oportere, alioqui futurū, vt illud ipsum membrum latius diuiso pateat. Nam id nemo sani iudicij negauerit, cùm sit materię subiectę sermo attem-

Per partitionem.

perandus. Partitione diuidimus, exempli gratia, in hunc modum, Omnis homo aut est sanus, aut æger. quæ si generis esset, duabus tantùm partibus absolueretur, si quidem proximæ differentiæ, aut species statim erunt obuiæ. sin vocis esset in significata diuisio, vel ea quam diximus per accidens vocari diuisionē, admitteret etiam plura tribus, pro numero incerto acci-

Cic. de diuisione siue partitione oratoria.

dentium, vel subiectorū, in quæ fit diuisio. Tametsi Rhetores volunt, diuisionem, quę sequitur in orationis contextu narrationem, vt summum esse trimembrem. ne si ternarium excedat, subterfugere possit memoriam iudicis. aut non satis contineri mente audientium. De qua partitione Cicero libro primo de Inuentione rhetorica. Partitur, inquit, apud Terentium breuiter & commodè senex in Andria, quæ cognoscere liberum velit.

> Eo pacto & nati vitam, & consilium meum
> Cognosces, & quid facere in hac re te velim.

Itaq; quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat. primum nati vitam. Nam is postquàm excessit ex Ephebis Sosia, liberius viuendi fuit potestas. Deinde suum cōsilium, Et nunc id operam do. Post hæc, quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit. Nunc tuum est officium. Quemadmodum igitur hic, & ad primam quamque partem, primum accessit, & omnibus absolutis, finem dicēdi fecit. sic nobis placet, ad singulas

gulas partes accedere, & omnibus absolutis, perorare. hæc ille. Ad quem licebit hoc adijcere, scriptores diuisione proposita, sæpe illud primum exequi oratione, quod postremum erat in partitione, & econtrario, Id quod in Aristotele nostro passim est obseruare. Quanquam Tull. ad lucem orationis, quæ in ordine consistit, respiciens, recte præcepit, hoc autem ipsum Cice. præceptum vsu venire potest in argumentatione partibus multis, & ordine quodam argumentorum, ita vt fit apud scriptores, absoluenda. Mirè enim confert ad lucem orationis & perspicuitatem, qua vel maximè fides audienti adstruitur. Alioqui dum ex regulis generis didactici suscepit aliquis thema simplex explicandum, omnes enumerantur partes, & membra singulatim docendi gratia perspiciuntur, quæcunq; in re proposita velut inclusa latebãt, etiamsi ternarium longè excesserint. Hisce duobus generibus diuisionum per negationem & partitionem, autore Boetio contingit vti bifariam, directa ratiocinatione contendendo, aut in aliquod impossibile siue inconueniens ducendo, vt ex conclusionis absurditate redeundo ad id, quod fuerat derelictum, idipsum probetur. Boetius vtrique subiecit exemplum. Sit in quæstione propositum, an vlla origo temporis fuerit? quod qui negare volet, id nimirum directa ratiocinatioue firmabit in hunc modum. Tempus aut originem habet aut non habet, sed quoniam mundus æternus est, (id enim paulisper argumenti gratia concedatur) mundus verò sine tempore esse non potuit, tempus quoque æternum est. Sed quod æternum est, caret origine, tempus igitur originem non habet. At si per impossibilitatem (inquit) idem desideretur ostendi, dicetur hoc modo. Tempus originem habet, aut non, sed si tempus originem habet, non fuit semper, tempus autem habet originem, fuit igitur quando non fuit tempus: sed fuisse tempus est significatio temporis, fuit igitur tempus quando non fuit tempus. quod fieri non potest: non est igitur vllum principium temporis. Posito namque, vt ab vllo principium ceperit, inconueniens quoddam atque impossibile contingit, fuisse tempus quando non fuit tempus. reditur itaque ad alteram partem, quòd origine careat. Hisce autem ratiocinationibus affinguntur maximę ex natura contradictionis. Condiuidentium vno sublato, alterum manet: & posito altero, tollitur reliquum. Si quidem in prædictis diuisionibus, quandoquidem per negationem alterius membri affirmati conficiuntur, contradictio est. ideoque fieri nequit, vt vtrunque sit quod affirmatione & negatione significatur, ex quo protinus euenit, vt vno membro constructo, reliquum destruatur. & contra, vno sublato ponatur alterum, vt in maximis modò diximus. Hic Boetius obiter admonet, quatenus diuisio ista per negationem sit locus medius, verùm hoc initio huius capitis exposuimus. Illud non ab re monendus lector, vtranque formam argumentandi modo expositam præcipuè quadrare in diuisione per negationem, licet Boetius communem faciat. Diuisio per partitionem, vt argumentationi sit accommoda, in duas quasi species diducenda est. Quædam constat membris, quæ simul esse possunt, cuiusmodi est partitio vocis in significata, seu vt vulgò loquitur, æquiuoci in æquiuocata, quę vt simul possunt significari nomine æquiuocantis, ita simul quoque sunt. Adde huic eam, quę Agricolæ dicebatur enumeratio rerum eidem cõpetentium, & eam quæ membra continet inter se non repugnantia, quales sunt pleræque disiunctiuæ, non ex quas Trapezontius vult ex repugnantibus constitui. De quibus mox fortasse plura. Quædam partitio constat membris pugnantibus, quæ negationis modo, simul esse non possunt, vt quando membra significant res ita dissidentes, vt medium non habeant, qualia sunt contraria immediata. Ex hac differentia facillimum fuerit dignoscere, quibus argumentandi modis vtendum est. Nam in partitione priori necesse habebimus argumentando partes omnes singulatim enumerare, vt construendo singula membra inesse rei propositæ, vel singulis inesse id quod quæritur ostendamus. Ex quo inferetur absolutè ipsum diuisum. At destruendo nullum membrorum rei, aut rem nullis inesse probemus, hinc simpliciter destructuri diuisum, nisi lateat multiplicitas respondentem, tum enim vel dialecticè colligemus destruentes diuisum ex membris non omnibus. vt contra ex vnico membrorum construere poterimus. De qua re præcepit Aristoteles copiosissimè, libro secundo Topicorum, capite quarto. vbi Græca litera sonat in hanc sententiam. Vtile, inquit, est (nimirum quod diximus, multiplex tantum pro altero eorũ ad quæ dicitur ostendere inesse, aut non inesse) in eis, quæ latent. Si enim non lateat id quod multipliciter dicitur, continuò instabitur a respondente, quòd nõ sit disserendo probatum aut inesse, aut non inesse id, quod ipse dubitabat, sed alterum. Nec mora subdit explanatius de ratione argumentandi ex vnico signatorum. Conuertitur autem, inquit, & communiter valet hic locus multiplicis, tum ad construendum, tum ad destruendum. Nam

Ex obliquo ductu.

Maximę huius loci.

Diuisio per partitionẽ duplex.

Duplex itẽ ex partitione argumẽtandi ratio.

si voluerimus construere, ostendemus alterū inesse: si non queamus ambo inesse probare. sin destruere voluerimus, alterum non inesse ostendemus, si nimirū haud possimus ostendere, ambo non inesse. Hactenus Aristoteles. Sumamus exempli causa, quęstionem hanc ex Boetio, vtrum canis substantia sit, atq; hanc diuisionē faciat collocutor, Canis vel latrabilis animalis, vel marinæ beluæ, vel syderis cælestis nomen est, demonstretq; per singula, & canē latrabilem substantiam esse, marinā quoq; beluam, & sydus, substantiæ posse supponi, monstrauit canem substantiam esse. Possemus & extra Boetium exempla plura congerere, verùm vt ipse testatur, hæc nullo negocio præstiterit, quisquis lectione Priorum resolutoriorum, & Topicorum instructus, ita demū tentauerit. Quin & de argumento, quod a diuiso ducitur ad eiusmodi membra idem sentiendū est. Quod si diuisio fiat per enumerationē, vel alioqui sit eius diuisi, quod non est multiplex, sequi conueniet viam argumentandi ex disiuncto & partibus eiusdem, vel etiam a disiunctiua cōplectente membra non repugnantia.

Posterior.

In partitione, quam diximus fieri in morem negationis, propter membrorū dissidentiam, longe diuersa est argumentandi ratio spectāda, quā Boetius istiusmodi exemplo indicauit. Aut sanus est, aut æger: sed sanus est, non igitur est æger. vel hoc pacto, æger non est, sanus igitur est. In quo ipso exemplo corā videre est, principio sumptā esse totam diuisionem, quæ de subiecto aliquo enunciari intelligitur. Deindē veluti per subsumptionē, vnum membrum esse negatum. ex quo statim construitur id, quod reliquum erat. aut vno membro per subsumptionem adfirmato, deinde reliquū destruitur, negaturq; in consequente. Idem secundum proportionem obseruandū in diuisione, plura duobus membra, sed repugnantia interim, continente: Porrò vim habet talis argumentatio est disiunctiua membris pugnātibus constante, ad quā proinde ista argumentatio reducenda est.

Diuisio per partitionē cur medijs locis adnumeretur.

Diuisionem hanc, quæ fit partitione, Boetius indicat, eò medijs locis adscriptam esse, quòd prior illa partitio ex ipsis rebus in quæstione propositis, argumenta suppeditat. Hæc autem posterior, ab ijs quæ extrinsecus sunt, id est, oppositis. Diuisio, quæ fit per negationem, cur sit inter medios locos, antea ex Boetio retulimus. Si qui restare videntur modi argumentandi diuersi a prædictis, ex maximis illis, quas in omni perfecta diuisione præscribunt, intelliguntur. Quia enim diuisum exæquatur cum suis membris, vt non pateat latius, ideo quicquid adfirmatur de diuiso, necesse est adfirmari de aliquo membrorū: Et si omnia præter vnum negantur, oportebit adfirmari id quod relictū est. Contra, quoniā nō possunt membra confundi, & vt dici solet coincidere in vnū, de quo adfirmentur, vtpotè repugnantia. hac nimirū ratione consequitur, omne id quod de aliquo membrorū adfirmatur, de reliquis negari oportere. Atq; idem erit iudicium adhibendum, si de quo diuisum adfirmetur, vt colligamus, id membrum, quod cæteris negatis relinquebatur, adfirmari oportere, & vno adfirmato, reliqua omnia esse negāda.

Reliqui modi è loco diuisionis argumētandi indicantur maximis ꝓpositionib⁹ & subiectis exemplis.

Si desideret lector aliquā lucem exemplorum, hæc familiaria suffecerint: Omne animal rationale est aut irrationale, atqui constat hominem esse animal rationale, sequitur itaq; hominem non esse irrationalem. Colorum hí visum disgregant, illi congregant, aliquē verò colorem esse albedinem certū est, sed color visum congregans albedo non est, igitur qui disgregat visum est albedo. Submonendus autem hic lector, quasdam esse diuisiones apud scriptores idoneos, quæ non statim conuertuntur cū suis partibus, etiam collectis. quia fit interim, vt recenseantur ea modò, quæ ad rem præsentem attineant, in quibus non tam anxiè prædicta ratio poterit obseruari, sed ibi magis ex materiæ subiectæ exigentia, quàm generali diuisionis loco erit argumentandum.

Diuisiones nō conuerti cū suis membris, vel Cicerone teste.

Cicero nobis adstipulatur in Topicis, è cuius verbis, si propius adspicias, cernere est in partitione nullam partē esse relinquendam. in diuisione ac partium distributione, quia res interim infinitior est, multas prætermitti. Hoc vnum eruditus lector expendat, probandæ sint illæ diuisiones, quibus in plurali numero elatis, sine fine noua semper affingunt membra, vt conuertibiles aliquādo fiant. an proprietas sermonis fuerit potius obseruanda, quæ pluratiuam locutionem exigit, licet ad rigorē dialecticæ conuertibilitatis, in singulari perquirendum sit, quatenus cum regulis absolutæ diuisonis consentiant illæ, quæ propositæ fuerunt.

Vsus & facultas diuisionis.

Restat ad postremū, vt copiam & vsum diuisionis perstringamus. ac principio ex prædictis illis in confesso est, diuisionē rhetori non mediocriter vtilem esse, vt in promptu habeat, quo ordine in oratione causa diuidenda sit, quo artificio singulis partibus accommodanda argumenta. vt è rhetorū præceptionibus apertum est. Quo addi potest, quod M. Tullius quarto libro ad Herennium in schemate expeditionis admonet, hanc diuidendi formā valere in coniecturalibus causis, qua tamē vti non poterimus, nisi ipsa negocij natura dabit facultatem. Neq; huic multum absimile est, quod præcipit Erasmus in cōmentario de rerum Copia, vbi fusius tractat aliam quandam

schematis

schematis rhetorici speciem, quæ distributio passim appellatur, qua nimirum id, quod summatim ac generatim dici poterat, latius explicatur, atq; in partes distribuitur. subdit in hoc aliquot exempla, quæ tædio prolixitatis omittimus. Hoc adiectum volumus, in omnibus exemplis, quæ sunt apud Erasmum, non argumentationē fieri propriè dialecticam, sed liberā duntaxat expositionē, quę & ipsa copiā diuisionis cumulatiorē esse demōstrat. Expositioni & in loco a partibus, siue partiū enumeratione nō infrequēs vsus erit, qui locus diuisionū regulis tractādus est. Valet hic idē locus & in genere didactico, vbi locos præcipuos enumeramus definitionē & diuisionē. In docēdo igitur, nō parū grāmaticus, multū physicus, plurimū ethicus & theologus a diuisione sumpserit expeditę facilitatis, quę primū sita est in explicatione significationū, si vox sit multiplex, de hinc in apposita distributione rei, quæ ex multiplici significatorū aceruo ꝓponitur. Incredibile verò dictu, quantū lucis adferat orationi perspicua diuisio, in quocunq; demū genere causæ versetur orator, qui vbiq; cōmoda partitione rē proponit, in epilogo repetit summatim capita argumentorum, quibus toto passim orationis decursu sit vsus. Id quod è Partitionibus M. Tullij in propatulo est. vt prætereamus libros de Inuentione, & alios etiam oratorios. Quæ plura de vsu diuisionis adferri possent, ex Rodolpho petantur, qui libro primo, capite septimo similia prędictis cōmemorans, in hæc loquitur verba. Et quia diuisionis locus nos admonet, quid sit, & quo pacto tractanda exequamur. Perquàm vtilis enim est diuidendi ratio, tum ad rei quæ diuiditur naturā demonstrandam, (proximum enim est, vt cum quid sit vnumquodq; dixeris, deinde quotuplex sit ostendas) tum ad definiendum. definire enim non aliud videtur, quàm ex genere per differentias diuiso in species descendere. præcipuè verò ad disserendi, orationisq; copiam. vt vnum aliquid, quod multa ambitu suo complectitur, in partes spargas. latè enim funditur, quemadmodum multa si in vnū colligas, in angustum aguntur. Non abhorrent ab hac sentētia, ea, quæ Cicero indicat requiri in iureconsulto & oratore, quo possit obscura explicare definiendo, latentem in verbo multiplicitatē explanare distinguendo, vniuersam rei amplitudinem proponere distribuendo in partes. breuiter habere regulam, qua vera & falsa discernātur ac dijudicentur, tum quæ quibus propositis sint, quæq; non sint consequentia: de quo latius in epistola liminari nostris Commentarijs præfixa. Verùm ex his reliqua suo quisq; Marte deprehenderit.

De qua & Agricola meminit.

Cicero & nonnihil attingit.

Loci Ciceronis & Fabij & Rodolphi, denicq; aliorū omnium, facilè reuocantur ad prædicta capita. Quod de Tullij locis restat, petatur a Boetio libro tertio de Topicis differentijs. Quod de Rodolpho in summa possit adnotari, singulatim in quoque locorum explicuimus, quantum quidem præsentis Auctarij compendium, & nostræ professionis officium patiebatur. De locis rhetoricis in genere tractat Agricola, libro secundo capite decimooctauo, vt initio meminimus. Nobis igitur, ne odio verbosę prolixitatis offendamus, hic tandem sit modus: hoc adiecto, quod ad Trebatium iureconsultum scriptū reliquit Cicero. Nos quoniam auidum lectorem, vtpote adolescentiam totam, ad hasce discendi epulas recepimus, sic accepisse. vt reliquiarum esset potius aliquid, quàm illum pateremur hinc nō satiatum discedere.

De locis aliorum quid restet.

Peroratio huius opusculi.

Fecimus certè, (vt ex eodem & hoc vsurpemus) quod sæpe liberales venditores solent. vt cū ædes fundúmve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa aptè & loco positum esse videatur. Sic iuuentuti nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus nō debita accedere. Quanquam si rationem quis poscit nostræ prolixitatis, certè id studio habuimus, vt alumni nobis concrediti verum locorū vsum & facultatē iaminde a cunabulis artium, quasi cum ipso lacte, imbiberent, atq; hinc facerent gradum ad seria studia, quibus feliciter tractandis, locos esse necessarios, nedum vtiles, tam est verum, quàm ab indoctorum & imperitorū opinione & iactatione alienum. Si quis ambigit de hac sententia, periculum faciat, ac tum demum vltro, vel pedibus (quod prouerbio dicitur) in nostram sententiam discedet. Sed quid opus est verbis? Candidis lectoribus scripsimus ista, nō importunis iactatoribus, alumnis nostris, non prouectis, qui robur iudicij ex nostris artibus collegêre.

FINIS.

In tertii Topicorũ libri, cuius cura est de problematis accidentis comparati et contracti ad mores, & contracti non comparati, & comparati non contracti. Primum caput, tradens maximas super bono cõparato secundum naturam eligibilis & eligentis, seclusa causæ habitudine, annotatio.

Vtrum aũt eligibilius aut melius duorum.

EXpedita superiori libro consideratione eorũ locorum, quibus definiuntur problemata simplicis inhærentiæ atq; accidentis non cõparati, Deinceps in hoc tertio libro, locos præcipua cura tradit, quibus queamus terminare problemata annexi accidentis, hoc est, cõparati secundum magis & minus. In primo namq; libro dicebantur accidenti annecti, quę ad seinuicē sunt comparationes quolibet modo ab accidente dictæ. Porrò hunc totum librum partiuntur tres in partes. Imprimis enim per octo capita disponuntur loci particulares ad problemata comparatiua, de quibus summa est totius huius libri cura. Problemata autem comparatiua vocamus, in quibus comparatiua quæritantur, seu prædicata his aduerbijs magis & minus determinata, ad quæ demonstranda vel destruenda locorum cognitio desideratur. Neq; quempiam autumare oportet, locos a cõparatione libro superiore traditos, conferre ad problemata cõparatiua, quòd illis solum accidens inesse vel nõ inesse simpliciter ostendebatur. Non enim est idem per comparatiuũ quippiam ostendere inesse vel nõ inesse, & comparatiuũ colligere. At rogabit fortassis quispiam, cur Philosophus in prima huius libri parte, tantũ eorum meminerit problematũ comparatorũ, quæ contracta sunt ad moralem materiam, siue quæ de magis eligendo aut meliori agant. Cùm enim hęc dialectices ars cõmunis sit, vt & in Posterioribus dictum est Analyticis: non apparet limitanda esse ad ea quæ magis sunt eligenda aut meliora, sed potius videtur, eam veluti omnibus problematibus comparatiuis definiendis idoneam ab Aristotele oportere tradi. Huic responsum sit ex cuiusdam & eruditi & elegantis sententia, de eligibili problema constitui, in quod differendum sit, quod vsus locorum nullus consistere potest, nisi problema aliquod figatur, in quod opus explicetur, vsus pateat nõ infrequens. At eligibile inter cætera omnia quæ cõparantur, plurimum est in singulis artibus & disciplinis, cõmuneq; fit omnibus, de quo diuersę in omni Philosophiæ quæstiones circumferuntur. Quare ponendum potius problema in disceptationem de eligibiliore & meliore, quòd vtilissima illorum comparatio sit & cõmunissima supra cætera. Nam de maiore, de calidiore, de velociore, & talibus quæstiones, non tantum vsum suppeditabunt ad differendum, quòd rariores existant, & locorum traditio ad has sit admodum manca, locorumq; numerus minor multò. Quare hac subtili & artificiosa institutione melioris & eligibilioris constituuntur problemata. Non quòd putandum sit, locos tradendos hoc libello solum conferre ad problemata eligibilioris vel melioris, quibus & respondent loci in problemata deterioris, fugibilioris, & contrariorum. Hactenus Antonius Demochares. Insuper secundo, nono capite assignantur obiter nonnulli vtiles terminandis problematibus, de accidente contracto, non autem comparato. Et capite sequenti traduntur vniuersales loci, in problemata comparatiua vniuersali nomine enunciata. Postremò duobus vltimis capitulis redduntur atq; explicantur loci, quibus vsus est constructiuus & destructiuus, ad particularia accidentis problemata, de quibus singulis suis locis posterius dicetur.

Quę problemata comparatiua.

Dubitatio cur hoc in libro meminerit Philosophus duntaxat eligẽdorũ & fugiendorum.

Dilutio.

Hactenus de huius libri cura, intentione, atq; distributione. Ad Aristotelis literæ explicationem accedamus oportet. In qua quidem ob breuitatem, quam in hisce libris cogimur amplecti, ne in immensum hæc nostra crescant Commentaria, statuimus singula capita, in suos locos partiri eo ordine, qui nobis videbitur commodior. Non enim latet nos, horum locorum distinctionem, partitionem, ac vnitatem, apud diuersos commentatores varie admodum reperiri. In huius itaque tertij libri, primi capitis exordio, lectori proponit Philosophus, de quibus problematibus sit tractaturus, nempe de ijs, quorum vnũ supra alterum nõ habet insignem bonitatis supereminentiam. Nam si insigniter superemineret, & longo destitueret alterũ bonitatis interuallo, ridiculum esset problema mouere. Nimirũ enim ridiculus

Primi capitis explicatio.

habeatur qui tale mouebit problema, sitne cerdonica melior eligibiliorq; sapientia, an non? Nam illa tantum distant, quantum gemmarum nobilitas ab algæ vilitate. Post hæc in literæ decursu traduntur quinq; loci. Primus ibi assignatus, Primum igitur, &c. a tempore de sumptus, qui & cōstructiuus est & destructiuus, est huiusmodi. Quod diuturnius est, vel stabilius, magis est eligendū eo quod minus est tale. Huius loci excēpla sunt. Amicitiam viri, q̄ mulieris esse eligibiliorē: consilium senis, quàm mulieris aut iuuenis magis esse eligendū: Temperantiā, liberalitate esse præeligendā. Hunc locū intelligunt veritatē continere in iis eligibilibus, quorū vnius supra alterū non est aperta eminentia, vt protestatus est Philosophus, & quæ eiusdem sunt speciei ac rationis, & ad idem relata, in nullo dissidentia, præterquam in tēporis diuturnitate. Hinc cessant obiectiones de morbis, vno diuturniori, & altero breuiori. Nam hi non sunt de eligendorū numero. Item de virtute & beatitudine: sensatione & scientia, aliisq; similibus, quæ plurimo inter se distinguuntur interstitio. Quod si obiicias id, quod primo Ethicorum scribit Aristoteles, nempe albedinem vnius diei, non minus esse perfectam albedine mille annorum: Respondebimus, id intelligendum esse de specifica perfectione, & albedinem mille annorum esse eligibiliorem albedine vnius anni, si semota temporis diuturnitate, ambæ sint iuxta eligendæ. At secundus locus, ad construendum & destruendum idoneus, ibi in litera redditus, (Et quod magis eligit prudens) ab autoritate vocari potest, Cuius sunt septem partes. Quarum prima est. Id eligibilius est, quod magis eligit prudens. Nam vir prudens, & eligit, & agit secundum rectæ rationis dictamen. Vt virtus, scientia est eligibilior. Eligit enim magis prudens, vt studiosus euadat, quàm vt sit sciens. Secūda est, Eligibilius est, quod vir bonus, quatenus eiusmodi est, magis eligit; Hunc enim necesse est virtutem possidere, cui semper annexā oportet esse prudentiam. Tertia est, Magis eligēdum est, quod eligibilius præscribit lex recta, Vt eligibilior est castitas coniugio, & pax bello. Est aūt lex recta (teste Tullio) ius scriptū, iustū præcipiens, ac cōtrarium prohibens. At hanc partem a prima discrepare existimat Antonius Demochares, q lex circa vniuersale versetur, prudentia autem circa particulare quoddā, in quo discernendo opus sit æquitate & bonitate, id quod nō refellimus, etsi nos nō lateat, prudentis iudicio obsequendum esse, vel vbi nulla est constituta lex, & legē prius constitutā, in nonnullis casibus moderandam esse secundum prudentis viri dictamen atq; iudicium. Quarta est, Eligibilius est, quod existimant magis eligendum studiosi circa singula bona & virtutis delecti, quatenus tales sunt. Græcum vocabulum αἱρούμενοι Vetus translatio vertit in dicti, at Boetius in delecti. Nam studiosi (quemadmodum inquit Albertus) experientia & affectu loquuntur. Quinta, Id in vnaquaq; disciplina magis est eligendum, quod plures, vel omnes eiusdem scientiæ periti asserunt magis eligendum. Sexta, Non tantum id magis est eligendum in bonis ad vitam ordinatis, quod plures vel omnes præscribunt eligendum, sed & quod omnia, etiam vel bruta vel animæ expertia appetunt. Nam omnia bonum appetunt, nempe quantum licet assimilari Deo, qui optimus est, maximéque eligendus. Huius particulæ, Oportet autem ducere, & cæt. sententia est, loci qui subinde ponendi sunt, applicandi sunt ad id quod vtile, decens, accommodumque fuerit, vt si agitur de honestis, applicandi sunt ad honesta, etsi problema versetur de delectabilibus, ad delectabilia. si de vtilibus, ad vtilia. Septima pars est, Id simpliciter absolutéque melius est ac eligibilius, quod est secundum meliorem disciplinam. Alicui verò, id magis eligendum, quod sua ars præcipit, Vt animæ salus, quam præcipit Ethica scientia, simpliciter est magis eligenda, quàm corporis salus, cui seruandæ cura est mædicinæ, quarum illa hac est melior. At contra medico quatenus medicus est, eligibilius est corporis sanitatem conseruare, quàm animi salutem, & ita in reliquis. Huius septimæ partis exemplum est huiusmodi. Vt si melior scientia, philosophia sit fabrili, & simpliciter eligibiliora sunt, quæ secundum philosophiam, his quæ secundum fabrilem sunt. At de fugiendis, similis locus est intelligendus, & hic & in cæteris similibus, quemadmodum prius admonuimus. Tertius locus (qui a genere seu generis prædicandi modo instabitur) sic redditur, Id quod per se est in genere, est eligibilius eo quod nō, id est, est eligibilius eo quod per accidens continetur in genere boni, vt iustitia iusto est eligibilior. nomine iusti accipit Albertus & ipsum opus iustum a iustitia proficiscens, veluti causa efficiente, & ipsum hominem iustum, cuius causa formalis, quatenus iustus est, est ipsa iustitia. Causa autem eligibilior apparet esse suo effectu, quatenus eiusmodi sunt. De quo igitur bonum per se prædicatur, id eligibilius est eo, de quo per accidens prædicatur. Et e diuerso, id de quo fugibile per se prædicatur, magis fugiendum est, quàm id de quo per accidens dicitur. Quartus locus ibi in litera redditur, Et quod propter se eli-

[Marginal notes: Primus huius capitis locus à tēpore depromptus. — Obiectio. — Responsio. — Secūdi loci ab autoritate, prima pars. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — Septima. — Tertius locus à genere & generis prædicādi modo. — Albertus. — Quartus locus à bono propter se.]

se eligendum, eo quod propter aliud, magis eligendū. Hic locus à bono propter se, & constru- ctiuus & destructiuus est. Nam bona quædam propter se tantùm expetuntur, vt fœlicitas, & quæcunq; honorabilia sunt. Quædam propter se & propter aliud, vt virtutes morales & potentiæ. Quædam propter aliud duntaxat, vt diuitiæ & bona vtilia. Quare quæ primi ordinis dicuntur bona, præstantiora sunt cæteris. Quæ secundi, præstantiora bonis tertij. Et proinde, si sanum esse sit propter se eligendum, & in secundo bonorum ordine, & exerceri in tertio & propter aliud bonum, concludendum est ex hoc loco, sanum esse eligibilius quàm exerceri, & exerceri non esse eligibilius quàm esse sanum. Cæterùm quintus locus, qui & cōstructiuus est, ac destructiuus, dici quoq; potest à per se bono, in litera assignatur ibi, Et quod per se est, eo quod per accidens. Per se bonum describit Albertus id esse, quod intra se causam habeat, vt bonum sit, cuiusmodi est honestum, quod, teste Cicerone, sua vi nos trahit atq; allicit. Contrà, bonum per accidens est, quod in se non habet electionis sui causam, sed in quopiam alio, ad quod ordinatur secundum aliquem ex ipso sequendi modum. A cuius sententia non longè dissentit, qui hoc modo ea ipsa describit, Secundum se bona dicuntur, quæ secundum propriam naturam talia sunt. Secundum accidens verò, quæ non sunt, sed illis accidit ob circunstantiam, vel loci, vel temporis, vel modi alicuius. Quare amicos esse iustos, eligibilius est, quàm inimicos esse iustos nobis. Nam amicos esse iustos, per se est eligibile, non per accidens, quod propter amicum agit, quæ bona amico amicus cognouit, & per se bonum amico inesse affectat, etiam si nullam debeat reportare commoditatem, vt si apud Indos existat, & regiones longinquissimas, à quo non potest esse auxilij vel vsus vlla spes. (Etenim litera habens, (etsi inuidi sint) corrigenda est hoc modo, etsi apud Indos sint) At inimicos volumus esse iustos secundum accidens, nempe, ne nobis noceant. Nam iusti nulli iniuriam faciunt. Porrò hic locus, etsi re vera cum priori in idem incidat, vt testatur ipsa litera, ab eo tamen dissentit penes diuersum pronunciationis modum, q̄ ille diceretur à diuisione bonorum per se, & propter alterum, hic verò de iis bonis quæ per se sunt, & per accidens. Verùm tamen prorsus non sunt ijdem, q̄ non omnia per se sint propter se. Nam frigentibus calor, & calentibus frigiditas per se est eligibilis, non tamen propter se, cùm cōtingat vt non frigeant vel caleant. Verùm quęcunq; propter se sunt eligibilia, etiam per se sunt eiusmodi. Hæc Demochares.

Triplex bonum. *Locus quintus à per se bono.* *Quid per se bonum.* *Albertus.* *Quid bonū per accidens.* *Antonius Demochares.*

Et quod causa boni p̄ se.

In secundum caput, tradens quasdam maximas de bono, secundum modum causæ comparato, annotatiuncula.

Complectitur hoc secundum caput tredecim locos, quorum primus dictus à causa per se boni vel mali, iuxta vtilis construenti & destruenti, est huiusmodi. Id quòd per se est causa boni, magis est eligendum eo quod per accidens est boni causa. Et id quod per se est causa mali, eo quod per accidens mali est causa, magis est fugiendum. vt, Eligibilior est virtus quàm fortuna, & vitium fugibilius fortuna vel casu. Duplex est igitur causa efficiens. Vna per se, quæ ad producendum effectum ordinatur, & causalitatis nomine pariter exprimitur, vt ædificator causa per se est domus, & statuifica statuæ. Alia per accidens, quæ ad effectum non ordinatur, aut nomine causæ nō exprimitur, vt musicus & Policletus, causa est per accidens statuæ. Hæc aūt diuiditur in casum & fortunam, quorū, ac id genus aliorū, amplior declaratio ad Physicum pertinet. At Ion poeta, quemadmodum refert Plutarchus de fortuna Romanorū, scripsit fortunā & sapientiam res diuersissimas, simillimarū rerum effectrices esse. vtramq; enim viros augere, ornare, in gloriam euehere, in opes, & in imperia. Secūdus in litera ibi assignatus, Et quod simpliciter bonum, &c. dicitur à simpliciter bono & alicui bono, qui est. Id quod simpliciter bonum est, eligibilius est eo quod alicui duntaxat est bonum, vt sanitas eligibilior est venæ apertione. A simpliciter bono colligendum est affirmatiuè, & negatiuè ab eo quod alicui bonum est. Simpliciter bonum dicitur, quod omnibus benè dispositis secundum naturam est bonum, vt sanitas & virtus. Simpliciter etiam salubria appellantur, quæ omnibus bonæ cōstitutionis talia sunt & bona, vt ambulatio & exercitium. Quędam aūt non simpliciter salubria, sed aliquibus, Vt malè dispositis & ægrotantibus bona sunt, incisio venæ, purgationes, ieiunium, & quæcunq; conueniunt malè sanis. Sic non simpliciter bona, quæ aliquibus taliter dispositis sunt bona, vt paupertas, vituperatio, punitio. Simili modo censendum est de contrariis, nempe malo per se, & malo alicui, quòd illud, hoc est fugibilius. Cæterùm tertius locus, dictus à bono natura, in litera assignatur, dum dicitur, Et quod natura est, eo quod non est natura, & est hic, Eligibilius est, quod natura bonum est, eo quod non est natura bonum. Hunc locum refert Albertus ad causam formalem & suum effectum, quorum illa natura & per se bona est, hic aūt non per se neq; inseparabiliter. Est enim

Primus locus à causa per se boni vel mali. *Duplex causa efficiens, Vna per se, Alia per accidens.* *Secūdus locus à simpliciter & alicui bono.* *Quid simpliciter bonū, & quid alicui bonū.* *Tertius locus à bono natura.* *Albertus.*

iustitia,per se ac inseparabiliter bona,nihil prauitatis admixtum habens. homo aūt qui iustus est,aut operatio iusta,non perpetuò bonitatē habet annexam. Atq; hic locus coincidet cum quarto,superiori capite tradito,nominatione tantùm variata secundum per se & natura bono. Alij admonent,aliqua bona eadem dupliciter posse procreari. Vno modo natura natiuoq; instinctu,citra nostrum laborē,aut exercitium,vel artis applicationē,Altero modo arte, legibus,exercitio,& cōsuetudine,vt sunt sanitas,decor,pulchritudo,& id genus alia. In quibus penes hunc locum licet argumentari hoc modo, Hæc sanitas natura bona est, illa autem per artem,Illa igitur hac eligibilior. Natiua pulchritudo natura est bona, ea aūt quæ fuco adhibito prouenit,per artem est,illa igitur hac est præstantior. Nam etsi ars naturæ sit imitatrix & sedula simia. cæteris tamen paribus ad plenum non assequitur id,quod natura perficit. Hic locus imprimis intelligendus est de iis rebus, quæ ad seinuicem cognationē seruant, id quod vtcunq; superius subindicauimus. Et proinde non sequetur, natiuam pulchritudinē scientia consuetudine parta esse præstantiorē,ac eligibiliorē,aut sanitatē beatitudine. Addunt nonnulli,eum locum limitandum esse de eo natura bono,quod simpliciter bonum est. Nam exercitio consuetudineq; esse castum, vel liberalem, aut alia affectum virtute, eligibilius est, quàm natura esse huiusmodi. Verùm in hac instantia non idem est respondens bonum,cùm illud sit habitus,hoc aūt quædam naturalis inclinatio ad bonum, secundum quam non laudatur is,qui ea est affectus. Cæterùm iuxta priorem huius loci expositionem,de vitiis malisq; simili modo erit dicendū,vt iniustitiam detestabilorē esse homine iniusto,&c. At qui sequuntur alteram, idem asserunt. quibus obsistere videtur,quod natura nihil mali conatur operari, sed tota vi nitatur effectum absolutum nihilq; peccati deformitatisve habentem,in rerum natura producere,quemadmodum testatur Philosophus secundo libro de Auditu physico.

Quartus locus à subiecto digniore.

Quartus locus ex digniore subiecto nomenclaturam accipiens,ibi collocatus,Et quod meliori & honorabiliori,&c̄.est iste,Quæ meliori & eligibiliori insunt,inquātum huiusmodi,meliora & eligibiora sunt eligibili non taliter sese habenti. Quare immortalitas, impassibilitas, agilitas,contemplatio,vera sapientia,& eiusmodi,quæ Deo & Cœlicolis conueniunt,prestabiliora sunt iis bonis,quæ hominibus insunt, vt sanitate, virtute, diuitiis, philosophia,robore,pulchritudine, &c̄. Item & intelligere præstantius per hunc locum monstratur,quàm sentire, quòd illud sit animæ,hoc autem corporis. Hic quoq; locus destruere volenti erit vtilis, quemadmodum declaratu facile fuerit. Simili modo in malis vitiisq; vitandis differendum erit,vt vitium in nobili homine abominandum magis esse,quàm in sordido & seruili seu abiecto,ducimus. Nam quod inficit subiectum dignius, execrabilius est, Quod Martialis de vino iocatur hoc Epigrammate,

Conuiuæ meruere tui fortasse perire,
  Amphora non meruit tam preciosa mori.
De nobis facile est,scelus est iugulare falernum,
  Et dare Campano toxica sæua mero.

Quintus locus à subiecti melioris & prioris proprio.

Porrò quintus locus, à subiecti melioris & peioris proprio desumptus, in litera ibi assignatur,Et quod melioris proprium,&c̄.est iste, Quod melioris subiecti est proprium, præstantius est,quàm quod proprium est deterioris. Neq; enim omne bonum quod inest alicui, dicēdum est illius esse proprium,cuiusmodi est sanitas,hominis cōparatione:& disciplinę capacitas,quę homini propria est,melior est quàm maximæ sursum ferri,quod igni est proprium. At an ex Aristotelico huius loci exemplo conuenienter colligatur,ipsum asseruisse,Deum esse animal, non libet in pręsentiarū inquirere.

Sextus locus à subiecto meliori.

Sextus locus ibi redditus,Et quod in melioribus vel prioribus,&c.dicitur à subiecto meliori,aut priori,aut honorabiliori,qui à superiore,qui est à subiecto, dissidet. ꝙ hic compositior sit, & continens subiecto meliora priora & honorabiliora. Huius aūt sententia est, Si adinuicem cōparentur quædam secundum eligibile,quorum alterū in melioribus,alterum in peioribus. vel hoc in prioribus, aliud in posterioribus. vel vnum in honorabilioribus,reliquum in minus talibus insit, id melius esse cōcludendum est, cui supereminentia tribuitur, vt scientia eligibilior sanitate colligitur, quòd scientia in anima, sanitas in corpore excipiatur, quorum illa hoc est melior. At quod dicitur de prioribus,nonnulli accipiunt de iis, quæ perfectione priora sunt. Cæterùm literæ exempla indicant apertè,intelligendum esse illud,de eo quod secundum tempus est prius.

Arist. 2. de part. aialiū cap. 1.

Cùm itaq; (inquit Philosophus secundo de partibus animalium capite primo) triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordiis cōficitur iis, quæ nonnulli elemēta appellant,terram dico,aquam,aerem, ignem. sed melius fortasse dici potest,ex virtutibus confici elementorum, iisq; non omnibus,

sed

sed vt antè expositum est. Humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas, materia sunt corporũ compositorũ. Secunda constitutio, ex primis illis natura similarium partium in animalibus est, vt ossis, vt carnis, & reliquorũ generis eiusdem. Tertia & vltima numero dissimilarium partium est, vt faciei, manus, & reliquorũ eiusmodi membrorũ. Cæterùm huic loco obsistere apparent ea, quæ in allato capite ab Aristotele subnectuntur, Sed cùm contrà (inquit) in generatione atq; essentia agatur, (Quæ enim posteriora sunt generatione, hæc natura priora sunt. & quod primum natura est, id vltimũ est generatione) tempore materiam generationemq; esse priorẽ necesse est, Ratione verò, essentiam rei cuiusq;, & formam. Quamobrem elementorũ materiam esse similarium partium gratia, necesse est. Sunt enim hæ posteriores illis generatione, iis aũt ipsis dissimilares sunt posteriores. Iam enim finem hæ tenent ac terminum. Sic Aristoteles eo in loco. Porrò in septimo loco, qui non incõmodè a fine appellari valet, quiq; est, finem mediis in ipsum destinatis eligibiliorẽ esse. eligibile fusè ampleq; accipiendum venit, pro eo omni quod est appetibile. Alioqui si strictim proprieq; acciperetur, vt electio sit eorũ quæ sunt ad finem, quæq; in nostra sunt potestate, & quorũ consultatio antecessit, quemadmodum in secũdo Ethicorũ, hic locus non quadraret in vltimũ ac supremum finem, cuius sola est voluntas. Cæterùm octaui loci, qui est a mediorũ eiusdem finis propinquitate, exempla sunt eiusmodi, vt equestris facultas frenifactiua arte est præstabilior, eligibiliorq;, q̀ illa militari facultati seu victoriæ propinquior sit, quæ vtriusq; finis est. Item diuitiis virtus est eligibilior, q̀ fœlicitati sit proximior. Nam id omne quod magis tali vicinius est atq; similius, etiam magis est tale. At noni loci dicti à diuersis finibus medij eligibilioris in litera ibi redditi, Et omninò quod ad vitę finẽ appetibilius magis, &c̃. hæc est sententia, Propositis duobus finibus, quorũ vnus in alterũ destinatur, qui totius vitæ humanę finis sit, medium quo proximè attingitur finis totius humanæ vitæ, pręstabilius est medio, quo proximè consequimur alterũ finem. vt virtus qua fœlicitatẽ assequimur, expetibilior est Eubulia, synesi, & gnomi, quibus prudentia nobis contigit. Albertus aũt prudentiam accipit pro ea quæ circa illa versatur, quæ pertinent ad vitam monasticã, œconomicam, & ciuilem. Cæterùm ex hoc ipso loco colligere licebit. Duorũ finium vnius melioris, & reliqui minus boni, quorũ neuter in alterũ destinatur, melioris medium præstabilius esse medio quo cõtingit assequi finẽ minus eligibiliorẽ. Deinde in loco decimo, qui à possibili dicitur, impossibile non vocatur id quod esse omnino nequit, aut per quod non contingit finẽ assequi, (Eiusmodi enim impossibilium non est electio) sed medium in aliquem destinatũ finem, per quod finem difficile est assequi. Et cõtrà, possibile medium dicetur, quo facilè in finem pertingimus. Hæc est Alberti interpretatio, etsi aliis aliud placeat interpretamentũ. dicentibus, Homini longitudinẽ vitæ esse eligibiliorem immortalitate, q̀ illa ei sit possibilis, hæc verò impossibilis, dum in hoc inferiore corruptibilium campo pererrat. & mediocrẽ passionẽ impassibilitate esse eligibiliorẽ, q̀ sine passione non possit viuere. Post hęc locum vndecimũ, qui à meliore fine desumitur effectiui cõparatione, accipiunt de iis effectiuis ac causis, quæ statim & proximè finem attingunt, non de remotis & inordinatis. Exempla aũt huius loci sunt, vt studium literarũ ambulatione vel exercitio dicitur perfectius, eò q̀ effectiuum sit scientiæ, virtutis, & prudentiæ. ambulatio aũt, sanitatis vel voluptatis est effectiua. At scientia præstabilior est sanitate, & prudentia voluptate. At locus duodecimus, quo ex finium proportione colligitur, effectiuum esse fine eligibilius, in litera ibi redditus. Cùm aũt & effectiuum & finis ex proportione, quãdo pluri superat finis finẽ, quàm ille proprium effectiuum, hanc habet intelligẽtiam, Si cõtigerit finẽ vnum, superare magis alterũ finẽ, quàm superatus finis superet suum effectiuum. & effectiuum finis superãtis, superabit eundẽ finẽ. Verbi gratia, sunto a & c prudẽtia & exercitium, effectiua finium b & d fœlicitatis & sanitatis, quãto b finis superabit d finẽ, & a effectiuum superabit c effectiuum ex superiori loco. Si igitur b finis plus superet d finẽ, q̃ d finis suum effectiuum c, sequitur a effectiuum ipsius b finis, plus superãtis d finem quàm d superat c, ipsum d finẽ superare, & proinde ipso d a esse eligibilius. Pro cuius apertiori cognitione subiecta sit hæc formula.

Septimus locus à fine.

Octauus locus à mediorum finis eiusdẽ propinquitate.

Nonus locus de diuersis finibus medij eligibilioris.

Albertus.

Decimus locus à possibili.

Albertus.

Vndecimus locus a meliore fine.

Locus 12. ex finium proportione.

Effectiua	Prudentia	A 6.	Proportio dupla	B 12.	Fœlicitas	Fines.
		Tripla	Proportio sesqualtera	Tripla		
	Exercitiũ	C 2.	Proportio dupla	D 4.	Sanitas.	

Hic

Demochares Antouius.

Hic (inquit Demochares) quantum fœlicitas superat sanitatē, & effectiuum illius effectiuum huius. Nam vtrinq; tripla est proportio. At sanitas minus superat salubre, q̃ superetur a fœlicitate. Nam illic proportio dupla est, hic aũt tripla est proportio. Igitur effectiuum fœlicitatis excedit sanitatē eo excessu, quo fœlicitas magis eam superat, quàm sanitas salubre. Cæterùm decimus tertius, & huius capitis vltimus locus in litera ibi redditur, Amplius melius est quod propter se & honorabilius, & laudabilius, hoc est, quod propter se bonum, honorabile, aut laudabile est, eligibilius est eo, quod duntaxat ob aliud bonum est, aut honorabile, aut laudabile. Quomodo aũt inter sese dissideant bonum, honorabile, & laudabile, Item honestum, vtile, & delectabile, alterius artificis est, non logici. quemadmodum & ea quæ in exemplis ab Aristotele allata sunt, non sunt huius disciplinæ. Verùm quoniam huius loci, qui nonnullis videtur nuncupandus à comparatiuo, eligibilioris formatiuo ac collectiuo, sentētia ex aliis aliquot locis satis aperta est, non est quòd diutius lectorem remoremur.

13. locus à cõparatiuo.

Amplius quãdo duo aliqua.

In tertium caput, quod locos tradit de bonis ad se mutuò collatis, secundũ ea quæ consequuntur. Item & secundum pluralitatem atq; paucitatem, annotatiuncula.

HVius tertij capitis tres sunt præcipui loci, quorum duos priores in alios specialiores nonnulli dissecant. Primi loci, qui a consequentibus nuncupari potest, hæc est sententia, Cùm in eligibilium comparationem duo reuocantur bona, quæ tam coniunctam nacta sunt naturam, & tam propinquam contraxerunt similitudinem, vt non facilè queat quis ex iis, quæ per se insunt, vnius supra alterum dignitatem atq; præstantiam deprehendere, peropportunum fuerit, ad ea quæ consequuntur confugere. Nam cui maiora bona & potiora sunt annexa ac consequentia, id iudicandũ erit esse eligibilius. A quo enim maius bonum promanat, id præstabilius est minus tali. Quòd si duo proponantur bona eligibiliaq;, ad quę consequantur mala seu molesta, id erit eligibilius, à quo minus mali emanat atq; profluit. Iuxta huius loci priorem partem colligitur, studium exercitio eligibilius esse, quòd illud scientia consequatur, hoc aũt sanitas, quarum illa hac est præstabilior. Simili quoq; modo censendum est de verecundia & continentia, ad quarũ illam sequitur turpis admissi detestatio, ad hanc autem consequi nata est prudentia, quæ elegibilior est turpis prius admissi detestatione. At posterioris partis exemplum fuerit, aliquorum iudicio, si dixerimus curationē nauigatione esse eligibiliorē, q̧ hanc nata sit sequi periclitatio, quæ venæ apertione curationem consequente, peior existit. Cæterùm in litera ibi, Nam cùm vtraq; sint eligēda, &c. apertè admonet Philosophus lectorem, ad eligibile atq; bonum consequi posse aliquid difficile seu molestum, hoc est pœnæ malum atq; laboriosum, etsi id non consequatur illud quod vulgò nuncupari solet malum culpæ. Post hæc in litera ibi, Dupliciter aũt ab eo quod sequitur consyderatio, ob pleniorem dicti loci intelligētiam indicat Aristoteles duplex esse consequens. Vnum, quod ita ex antecedente sequitur, vt ipsum tempore velut communiter accidens præcedat, vt addiscere, tempore antecedit ignorātia, Alterũ, quod tempore natum est antecedens consequi, quo pacto ad discere sese habet scire. De quo quidem consequente in litera subnectitur, Melius autē vt plurimum, quod posterius sequitur. Cuius sanè particulæ duplex valet reddi sensus, Vnus, secundum quem id quod tempore posterius est, ad consequens quod secundũ tempus est antecedente prius, conferatur, Alter est, vt fiat antecedentis & consequentis eiusmodi ad seinuicem collatio. Dicetur aũt in litera (vt inplurimum) aliquorum iudicio, q̧ illud Philosophi veritati duntaxat sit consentaneum, in iis quæ à non esse ad esse progrediuntur, siue in effectiuis. In iis autem quæ diuersum ordinem obtinent ac contrarium, id quod posterius est, magis est vitandum, vt in mancipatione libertatem sequitur seruitus, quarum hæc, illa magis est fugienda. Porrò ne quis ex his existimaret, alterum quod antecedens consequitur, & tempore prius est, esse ab hoc loco relegandum, in litera mox subiungitur, Sumendum ergo eorum quæ sequuntur quod nunquam fuerit vtile. Post hæc in litera ibi, Amplius plura bona, &c̃. secundus assignatur locus, quem à numero bonorum vocant. cuius sententia satis est aperta, vnà cum duabus instantiis atq; exceptionibus, quarum prior tradit, finem & medium in ipsum destinatum, non esse fine elegibiliora, si modò medij bonitas ex fine ipso pendeat. Altera ibi reddita, Et non bona bonis, &c̃. proponit contingere duo, quæ coniunctim sunt non bona, eo quòd etsi vnum bonum sit, alterum tamen non existit bonum, esse pluribus bonis eligibiliora, ob præeminentiam illius vnius boni super reliqua plura bona, vt fœlicitas & quispiam actus indifferens, aut paruæ bonitatis vel prauitatis, eligibiliora sunt iustitia & fortitudine ob supereminentiam, qua superat iustitiam & fortitudinem. Cæterùm cauendum est, ne quis præfato secundo loco vti desyderans, præstantiora bona numero

Locus primus à consequentibus.

Duplex consequēs, Vnũ tēpore præcedens, Alterum tempore posterius.

Locus 2. à numero bonorum.

minora,

minora, imperfectioribus bonis cõferat numero pluribus. Nam prudentia cum iustitia, eligibilior est diuitiis, robore, pulchritudine, sanitate, fortuna, & cęteris bonis corporis, vel fortunæ, eò φ cõferenda veniant eiusdem generis bona in eodem genere, cuiusmodi non sunt quæ enumerata sunt, cùm eorum alia interna atq; animi sunt, alia corporis, alia fortunæ. Porrò tertij loci in litera ibi collocati, Et eadem cum voluptate, &c. quem a voluptate vel indolentia nuncupant, quiq; intellectu facilior est, quàm vt nostro egeat interpretamento. exempla sunt, meliorē esse panis buxellam cum gaudio, quàm domum plenā cum iurgio, Spiritū gaudentem, floridam facere ætatem, spiritum aūt tristem, exsiccare ossa. & id genus alia.

Locus 3. à voluptate & indolentia.

In quartum caput, quod maximas complectitur, super bonorum comparatione relatorum ad tempus & indigentiam. Insuper & ad corruptiones, abiectiones, generationes, & sumptiones, Scholia.

Et vnūquodq; in quo ipse magis valet.

HOC quartum caput quatuor lectori proponit locos, quorum primus in literæ exordio assignatus, qui nõnullis ab oportunitate temporis nuncupatur, est eiusmodi. Vnūquodq; in quo tempore magis valet, in eo etiam magis esse eligendum, vt carentia tristitiæ. Item & prudentia eligenda magis est in senectute, quàm in iuuentute. Contrà, fortitudo, continentia, atq; temperantia, in iuuentute eligibiliora sunt, quàm in senectute. Quoduis igitur eligibilium, eo tempore est eligibilius, quo ipsius operatio magis est necessaria, aut redditur perfectior, reliquis iisdem permanētibus. Aristotelis exemplorum latior declaratio, ad moralem pertinet philosophiam. Secūdus locus in litera ibi redditus, Et quod in omni tempore, &c. qui a toto in tempore, vel eius maiori parte dici valet, accipiendus est de bonis eiusdem generis, cuiusmodi sunt Aristotelis exempla. Alioqui facile fuerit instantiam cōtra hunc locum adducere. Porrò in tertio loco in litera ibi assignato, Et quod cùm omnes haberemus, nihil altero indigeremus, &c. qui a nonnullis ab indepēdente vocatur, cùm dicitur, Nam si omnes essent iusti, nihil vtilis fortitudo, id accipiendū est de ea fortitudine, qui actus est exterior, & qui exercetur resistendo, atq; bene sese habendo circa terribilia ab hominibus imminēcia, ob reipublicę defensionē. Nam omnibus iustis existentibus, opus foret fortitudine circa terribilia aliunde, quàm ab hominibus imminētia. Cæterùm quartus locus in litera ibi collocatus, Amplius ex corruptionibus & abiectionibus, &c. quem quidam ex causis & effectis vocitant, ex iis quæ superiori libro tradita sunt, satis est apertus, cùm loci explicarentur, qui nomenclaturam accipiebant a generationibus & corruptioeibus. Item & ab appositione ac remotione. Nam hic abiectio idem est quod remotio ac separatio. & sumptio idem quod appositio. Sunt igitur huius loci communioris, eiusmodi maximæ propositiones, Quorum causæ generationes & accessiones meliores sunt, ipsa sunt eligibiliora, Quorum contraria, corrumpentiaq; fugibiliora sunt, ipsa magis eligenda. Quorum corruptiones & abiectiones peiores, ipsa magis eligenda sunt. Hactenus de huius capitis expositione.

Primus huius cap. locus à tēporis oportunitate.

Locus 2. à toto tēpore vel eius maiori parte.

Locus 3. ab independente.

Locus 4. ex causis & effectis.

Alius loc9 aūt est,

In quintum caput, quasdam tradens maximas super comparatione bonorum penes proximitatem & similitudinem, annotamentum.

COmplectitur præsens litera locos numero quatuor. Tres primi in exordio proponuntur, quorum primus, qui à propinquitate finis nuncupatur, est eiusmodi, Datis duobus bonis & eligibilibus, quod propinquius est summo bono, id est eligibilius, vt iustitia, iusto est eligibilior. Secundus a similitudine boni dictus est, Quod summo bono similius est, id est eligibilius. Tertius, qui a similitudine melioris vocatur, est, Quod meliori similius est, id magis est eligendum, vt sapientia, cum fœlicitati sit similior q̃ prudentia, eligibilior est prudentia. Admonet aūt Aristoteles ab hoc loco exceptionē esse, si non penes idem bonum fiat comparatio. Insuper etsi ei quod melius est, alterum sit magis simile in ridiculosioribus. Quartus locus in litera ibi assignatus, Rursum in duobus, si hoc quidem meliori, &c. quem a similitudine meliorum nuncupant, est huiusmodi, Si duo duobus conferantur, & alterum meliori sit similius, reliquum verò peiori seu minus bono, quod dicitur meliori similius, id colligendum est esse eligibilius. Huius loci exceptiones in litera positæ, haud difficilè intelliguntur. Porrò Nestor Pylius, cuius litera meminit, cuiq; trecentorum annorum ætas tribuitur, prudentissimus, eloquentissimusq; fuit, & optimo vir consilio, de quo id,

Primus locus à finis propinquitate.

Secūdus à similitudine boni.

Tertius à similitudine melioris.

Quartus à similitudinē meliorū.

Nestor.

O facunde senex æui prudentia nostri,

Illi in prudentia & agendorum consiliis & eloquentia quàm simillimus fuit Vlyxes. Aiax autem similis Achilli, quòd iniurias tolerare non posset, earum impatiens, & aliena egens prudentia. Vnde ei improperat Vlyxes,

Vlysses. Aiax.

Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)

amicitiæ legem, quam tradit Tullius in de Amicitia libro (dicens eam primam amicitiæ legem censeri, vt pro amicis non nisi honesta agamus) quàm quod contingit agere ad quoslibet. Ea enim quæ indifferentia sunt, ad quoslibet agere cupimus. In litera huius loci exempla adferuntur. Porrò pro loci noni (qui ex circunstantia nuncupari valet) cognitione, annotandum est, duplex bonum esse, Vnum necessarium, alterum ex circunstantia. Bonum necessarium id est, sine quo impossibile est esse id cui inest, vt viuere, homini bonum est necessarium, & igni esse calidum. Bona autem ex circunstantia dicuntur, quibus res melius constituitur, cui insunt bona necessaria. Id enim est quod ait mox Aristoteles, cùm inquit, Ex circunstantiis autē est, quando existentibus necessariis, alia quædam adiiciuntur bonorū, vt bene viuere homini bonum est ex circunstantia. Habet itaqꝫ hic locus, bona ex circunstantia necessariis esse meliora, & nonnunquam eligibiliora. vt bene viuere, quod bonum morale est, melius & eligibilius est, quàm viuere, quod bonum est naturale. Insuper & nō omnia meliora semper & perpetuò cuilibet esse eligibiliora. Nam etsi philosophari atqꝫ contemplari, simpliciter sit melius ditari, (Est enim illud bonum honestum, hoc autem vtile atqꝫ delectabile) indigenti tamen necessariis eligibilius est ditari, quàm philosophari. Atqꝫ ob hanc causam subiungit Philosophus, Ferè autem fortassè magis eligendum quod necessarium, est. Melius autem quod ex circunstantia. Hanc autem literæ portiunculam, hoc modo explicat Albertus. Dico autem Ferè, non quoniam aliqua necessaria, iis meliora sunt quæ sunt ex circunstantia, sed qꝫ vna sit causa, ob quam aliquādo necessarium magis eligitur propter sui cōtrarij fugā, quod magis est nocuum. Atqꝫ sic aliquādo viuere magis eligitur, quàm bene viuere, non simpliciter, sed quādo per viuere non periclitatur bonum ex circunstantia. Nam si ipso viuere illud periclitaretur, tum mors bono atqꝫ forti eligibilior esset tali salute, quemadmodum tradit Philosophus tertiꝫ Ethicorum libri capite sexto. Hactenus Albertus. Locus decimus, qui a commoditate & posse dici valet, ibi in litera redditus, Et quod non est ab alio, &c. est huiusmodi, Bonum cuius potestas ab alio non est, eligibilius eo est bono, cuius posse est ab alio. Quale quid passa est iustitia ad fortitudinem. Iustitia enim suum posse non accipit ex fortitudine, sed fortitudo a iustitia. Nequeunt enim fortitudinis opera recta esse, nisi secundum iustitiam fiant, id quod non accidit iustitiæ operibus, comparatione fortitudinis. At Albertus agens de politica iustitia, quæ in republica & causis ciuilibus non valet cōsistere, nisi per fortitudinis actus, hominum hostes repellentes, diuersum accipit sensum. nempe iustitiam suum posse ex fortitudine desumere, & proinde hanc illa esse eligibiliorem. Post hunc subnectitur vndecimus locus, quem ab independente quidam nominant, cuius sententia est hęc. Si constituantur duo bona, quorum vnum sine altero est eligibile, non contrà, id quod sine altero eligibile est, est eligibilius. Hoc loco ostenditur prudentia eligibilior esse ciuili potestate. Duodecimi loci in litera ibi assignati, Et duūm si alterum negamus, &c. qui a dissimulatione dicitur, intelligentia facilis est, vnà cum duobus sequentibus, quorum prior à minore increpatione, posterior a maiore vocatur. Leguntur autem hi duo loci in litera hoc pacto, Amplius pro cuius absentia minus increpandi sunt molestè ferentes, hoc magis elegendum. Et pro cuius absentia non molestè ferentem magis increpandum, id eligibilius. Horum exempla sunt, Si quis ægrè molesteqꝫ fert, se carere virtute, minus iure increpandus est, quàm qui ægrè molestèque ferret, se plurimos non possidere fundos, Virtus igitur per decimumtertium locum, multis fundis est eligibilior. Et si quis quod virtus aliqua sibi desit non ægrè fert, iure magis est increpandus, quàm si non egrè ferret, se non habere diuitias. virtus igitur, secundum decimumquartum locum, diuitiis est eligibilior.

Locus nonus à bono ex circunstantia.

Duplex bonum, Vnum necessarium Alterum ex circunstātia

Albertus.

Decimus à cōmoditate.

Vndecimus ab independente.

Duodecim⁹ à dissimulatione.

Decimus tertius à minore increpatione, &c.

Decimus quartus ab increpatiōe maiore.

Ampli⁹ eorum quę sūt.

In septimum caput, complectens locos super comparatione bonorum penes virtutem, benefacere id cui inest, casus, vsus, actus, opera, magis & minus superabundantiam & agendi electionem, annotatio.

HVius septimi capitis intelligentia, sex locis comprehenditur. Primi, qui in literæ exordio assignatur, quiqꝫ a propria virtute denominationem sortitur, duas habet partes. Prior est, Eorum quæ sub eadem specie indiuidua continentur, id quod propriam habet virtutem ipsius speciei, eligibilius est simpliciter eo quod non habet, vt si corallij hoc quidem sanguinis fluxum sistat, illud autem non, illud isto est simpliciter magis eligendum. Posterior est, Eorum quæ sub eadem specie continentur, & quæ propriam speciei virtutem assequuta sunt, id quod magis eam habet est eligibilius, vt si crystalli hęc sub lingua posita, magis sitim restringat quàm ista, erit illa hac eligibilior. Nam id quod suæ speciei virtutem assecutum est, perfectius est eo quod eam non habet, & item id quod eam magis habet,

Loci primi à ppria virtute vocitati Pars prior.

Posterior.

 eo quod

Loci secũdi ab effectiuis appellati Prima pars. Secunda.

eo quod minus eandem habet. Porrò secundi loci, qui ab effectiuis vocari valet, ibi assignatus, Amplius si hoc quidem facit bonum, &c. tres sunt portiunculæ. Prima est, si duorum vnum, id cui inest efficiat bonum, alterum verò non, Illud hoc est eligibilius, vt sanitas & virtus eligibilior est nobilitate & pulchritudine. Secunda est, Si duorum ea quibus insunt bona efficientium, vnum magis bonum quàm alterum efficit, illud, hoc erit elegibilius, ve prudentia eligibilior est fortitudine, & vita contemplatiua, actiua. Simile in naturalibus licet deprehendere. Nam id quod calefacit, calidius est eo quod nõ calefacit. Item & id quod calefacit magis, est eo calidius quod minus calefacit. Tertia est, Eorum quę habentia reddunt bona, id eligibilius est quod melius est, & principalius bonum efficit, quatenus est eiusmodi, vt virtus, eligibilior est sanitate, ꝙ illa animam reddat bonam, hæc aũt bonum corpus. Tertij loci in litera ibi redditi, Amplius aũt à casibus, &c. qui à coniugatis nuncupari potest, hæc est sententia, Si vnum coniugatorũ fuerit eligibilius, tale erit & reliquum. At quid actus sit siue actio, quid effectio, & quid opus, & quid vsus, alibi explicuimus. Cæterùm quartus locus, qui est à comparatione duorum vni tertio facta secundum magis & minus, ibi assignatus, Amplius si aliquo eodem, &c. tres complectitur partes Prima est, Si duo comparentur vni tertio, quorum vnum elegibilius est illo tertio, & alterũ minus eligibile, illud erit isto eligibilius, vt constituantur vita contemplatiua & vita effectiua, quæ artificibus peculiaris est, illa eligibilior est vita actiua, qua minus eligibilis est effectiua vita, & proinde vita cõtemplatiua, eligibilior est effectiua. Secũda, Propositis duobus eligibilibus, vno magis, altero minus, quod magis eligibili est eligibilius, id magis eligendum est minus eligibili, vt virtus eligibilior est pulchritudine & robore, ꝙ ipsa sit eligibilior sanitate, quæ magis est eligenda, quàm decor & robur. Tertia, Si eodem eligibili, duo fuerint dissimiliter eligibilia, id erit eligibilius, quod longè melius fuerit, & eligibilius illo primo eligibili, vt vita effectiua, eligibiliores sunt vitæ contemplatiua & actiua. At quoniam longè eligibilor est vita contemplatiua ipsa effectiua quàm actiua, erit eligibilior contẽplatiua quàm actiua. Incidunt igitur hæ tres partes in eandem rem, quanquã alia ratione. Quintus locus, qui à superabundãtia excessuq; dicitur, intellectu est facilis. At sextus, quem ab eligibili propter se, & cuius causam esse nos malumus, hunc habet sensum, Id cuius eligimus nos nobis ipsis causam esse potius, quàm cuius alter nobis causa sit, melius est & eligibilius, vt amicos diuitiis eligibiliores esse astruemus. Nam eligimus potius nos nobis amicorum causam esse, quàm ꝙ alter sit nobis amicorum causa. Contrà autem in pecuniis euenit. Ad id enim officij sibi comparant seruos, qui diuitiis studentes, locupletes effici cupiunt, per illos potius quàm per seipsos diuitias congerentes.

Tertia. Locus 5. de coniugatis. Quarti loci dicti à cõparatione duorum vni tertio facta secundũ magis & minus Prima pars. Secũda. Tertia. Quintus locus à superabundantia. Sextus ab eligibili propter se, & cuius causam esse nos volumus.

In octauum caput, cõtinens maximas de bonorũ comparatione penes appositionẽ & ablationẽ propter se vel aliud eligi, & electionis vel fugæ, plures aut pauciores causas, Scholia.

Amplius ex appositione. Locus ab appositione duorũ eidẽ facta.

PRæsentis literæ decem sunt loci, quorum primus in capitis frontispicio designatus, dictus ab appositione duorum eidem facta, hanc habet sententiam, Quando alicui eidem diuersorũ fit appositio, & id totum quod consurgit ex appositione illa, melius altero toto efficitur ex alia appositione consurgente, ea appositio quæ totum melius facit, quàm reliqua est eligibilior, vt sint diuitiæ quibus duæ adiungãtur, virtus & sanitas, si diuitiæ cum virtute sint eligibiliores, quàm diuitiæ eædem cum sanitate, necesse est virtutem esse sanitate eligibiliorem. Idem est de bene & delectabiliter adiunctis viuere. Nam quemadmodum bene viuere, melius est quàm delectabiliter viuere, sic & bene, eligibilius quàm delectabiliter. Simile sanè quippiam & in magnitudinibus reperire licet. Nam si bicubitæ magnitudini adiicias aliam, quæ magnitudinis sit bicubitæ, & eidem adiicias aliam cubitam, cùm tota prior resultans sit quadrucubita, posterior aũt tricubita, erit illa hac maior. Cæterùm admonet Philosophus, cauendum esse in huius loci vsu, ne rei eidem cõmuniq; appositorũ vnum, sit eiusdem rei instrumentum, non autem alterum. Nam in eiusmodi appositis, non erit huic loco locus. Verbi gratia, si arti fabricatoriæ seu lignariæ adieceris serram, eadem ars cum adiecta serra erit magis eligenda, quàm si eidem arti falcem apposueris, Non tamen erit serra falce simpliciter eligibilior, ꝙ artis fabrilis lignatoriæ serra sit instrumentũ non autẽ falx, quę colendarũ vitium aliorumq; eiusmodi sit instrumentum. Nam alioquĩ idem, eodem esset & melius & eligibilius, vt si liberalitati iunxeris diuitias & corporis robur, erit eligibilior liberalitas cum diuitiis, quàm cum corporis robore, quare & diuitię eligibiliores erunt quàm robur. Quòd si hęc fortitudini apposueris, eligibilior erit fortitudo cum robore, quàm cum diuitiis, Et proinde robur eligibilius erit quàm diuitiæ, quòd erat ostendendum. Idem quoque eueniet, si nunc arti lignariæ, nunc messoriæ aut falcatoriæ, serram & falcem apposueris. Cæterùm eam literæ

Loci limitatio.

partem

partem, de ea quam egimus re tractantem, ad hunc modum vertit Boetius. Cauere autem oportet extendere ad ea, in quibus altero quidem adpositorum vtitur ratione, vel alio quolibet modo cooperantium est. Reliquo autem non vtitur, neq; cooperatiuum est, vt serra & falce cum arte fabrili. Nam eligibilior serra consociata, simpliciter autem non eligibilior.

Post hæc secundi loci in litera ibi designati, Rursum si minori, &c. qui ab appositione eiusdem diuersis facta vocitari potest, hic est sensus, Sint duo bona, quorum alterum minori apponitur, alterum maiori bono, si per adiectionem factam minori bono, totum cōsurgat quod melius sit, quàm reliquum totum, ex alterius appositione colligendum est, id eligibilius esse, quod totum reddit eligibilius altero toto. Secundum hunc itaq; locum adstruemus, virtutem diuitiis esse eligibiliorem, quòd virtus adiuncta minori vt sanitati, reddat totum eligibilius, quàm diuitiæ adiunctæ maiori bono, putà, salubritati. Porrò huic loco adiiciunt non immeritò eum locum, quo id quod minori appositū totum reddit æquale, asseribitur esse eligibilius. Neq; iis, de quibus hic locus agit, difficile est in magnitudinibus inuenire exempla respondentia. Post hunc in litera subnectitur ibi, Similiter aūt & ex ablatione, locus tertius superiori oppositus, quem ex remotione appellare cōuenit, cuius hæc est sententia, Si sint duo tota ex æquo eligibilia, quæ per duorum a seipsis remotionem non permanent æquè eligibilia, id quod remouetur, per cuius remotionē quod relinquitur minus efficitur eligibile, quàm per alterius ablationem, dicendum est esse eligibilius altero quod remouetur. Hic locus ab Aristotele traditur. Cæterùm cùm adiectio & remotio sibi respondeant, & tot modis vnam contingat fieri, quot & reliquam, ex superiori loco duæ loci huius partes, ab Aristotele breuitatis causâ prætermissæ, erunt subintelligendæ. Quamob causam ab huius totius loci exemplis in totum duximus abstinendum, arbitrantes lectorem ingeniosum, quod diximus citra laborem impensiorem posse assequi. Post hęc subiungitur locus ab iis desumptus, quorum vnum propter se eligendum est, aliud ob gloriam duntaxat, secundum quem sanitas, decore pulchritudinéve est eligibilior. At id ad gloriam duntaxat existit (vt indicat litera) quod nullo conscio quis studeret inesse. Gloriam vulgò describunt, frequentem esse de aliquo famam cum laude. Hanc Diuus Augustinus dixit esse iudicium hominum, bene de hominibus opinantium. Est tamen inanis gloria, vitiorum plærunq; laudatrix, quæ definitur, quod sit popularis fama, ex honestatis simulatione proueniens. De qua Cicero libro officiorum, vix (inquit) inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desyderet gloriam. De gloria ait Poeta,

> Excitat auditor studium, laudataq; virtus
> Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Quintus locus, quem vocant ab eo quod simul propter se est & propter gloriam, est huiusmodi, Si duo proponantur bona, quorum alteri conuenit vt sit eligibile, & propter se, & propter gloriam ciuilem, quæ neq; vana est, neq; falsa, alteri verò vel propter gloriam tātùm, vel propter se tantùm; illud hoc est eligibilius, quemadmodum totum altera parte est præstantius. Hoc loco monstratur eligibilior esse scientia & iustitia vera ac hominibus manifesta, scientia & iustitia duntaxat apparente, aut verè incognita. Sextus locus nuncupatur a magis honorando propter se, cuius sententia est, Si dentur quædam quorum alterum est propter se honorabilius, reliquum verò non, illud hoc est eligibilius, vt cōtéplatio actione, & fœlicitas virtute est eligibilior. At quid sit honorabile propter se, explicat litera, dum subiungit, Honorabilius aūt erit per se, quod cùm nihil aliud debeat esse, propter se eligimus magis. Septimus locus subsequens, qui ab eligibilis diuisione vocatur, est huiusmodi, Cùm diuidatur eligibile in honestum, vtile, & delectabile, cui hæc omnia inerūt, id eligibilius est altero, cui duo vel vnum cōueniet. Vel, si cui duo insunt, alteri vnum illud hoc est eligibilius, Quibus aūt eadem insunt, consyderandum est vtri magis, quia illud est eligibilius, cui magis siue omnia, siue aliqua insint. Octauus locus dictus à meliore fine, est, Quod propter melius eligitur, melius est eo quod propter minus, vt actio studiosa ludo est melior & eligibilior. Nam illa virtutis gratia, hic aūt fit ob delectationē. Et literarū studium eligibilius est nauigatione vel agricultura, quòd hæc ad bona corporis destinentur, illud aūt ad animæ bonum & scientiam.

Porrò noni loci, qui a virtutum impedimento nuncupatur, hic est sensus, Sicut dicebatur, illud esse eligibilius, quod magis bonum faciebat & iuuabat, sic deterius colligetur altero, quod magis per se impedit virtutē, vel corrumpit, vt morbus deterior est turpitudine. Nam ille magis est impedimento voluptati & studiosæ operationi assequendæ. Decimus atque vltimus huius literæ locus, dicitur a similitudine & æqualitate boni & mali, & est huiusmodi,

Locus 2. ab appositione eiusdē facta diuersis.

Locus 3. ex remotione.

Locus 4. à ppter se vel gloriā tantùm eligēdo

Quid gloria.

D. Augustinus.

Cicero.

5. ab eo quod simul ppter se est & propter gloriā.

6. à magis honorando propter se.

7. ab eligibilis diuisione

8. à meliori fine.

9. à virtutū impedimēto.

Locus 10. à similitudine & æqualitate boni & mali.

modi. Quod sapientis iudicio partim est eligendum,& partim fugiendum,aut ambiguum est an eligendum sit an fugiendum,id minus est eligẽdum eo,quod solum eligendũ est. vt minus est eligenda reipublicę administratio,quàm contemplatio.& nauigatio agricultura.Item scire ea quæ ad alios pertinent,minus eligendum est,quàm scire quæ ad seipsum attinent.

Jidē aūt loci & vtiles,

In caput nonum, quod monstrat, quo pacto terminanda sunt proplemata accidentis,contracti,& non comparati, Annotatiuncula.

IN hoc nono capite, vt prædictorum locorũ intelligatur magnitudo,dignitas, & commoditas,proponit adstruitq; Philosophus dictos locos, qui idonei erant ad colligendum problema accidentis ex subiecto & prædicato comparatiuis, commodos esse ad colligendum problemata ex accidentibus positiuis conflata, modò sola præeminentia vnius super alterum tollatur. Neq; id mirum censendum est,cùm positiuum veluti quiddam imminutum in comparatiuo tanquam excedente contineatur.Nam qui ostendere valuerit,honorabilius esse eligibilius,& vtilius esse eligibilius,detracta præeminentia,quam indicat dictio magis, facillimè monstrabit honorabile esse eligibile,& vtile esse eligibile. Idem censendum est & de his, inhonorabilius esse magis fugiendum,inutilius esse fugibilius,& aliis eiusmodi in quibus apertum est,comparatiua positiua continere,horum comparatione inhonorabile esse fugiendum, inutile esse fugiendum. Porrò ne quis in errorem lapsus arbitretur,ex comparatiuo perpetuò sequi positiuum,in litera ibi,In aliquibus autem statim secundum eam,&c.aperit eiusmodi problematum varietatem. Nam eorum quæ comparantur secundum eligibile,quædam promptè & manifestè indicant ipsum eligibile,vtroq; interdum in comparationẽ vocato. Vt quando melius natura dicitur eligibilius,vtrunq; positiuè inferendum facilè cernitur, nempe natura bonum esse eligendum, Interdum altero duntaxat, vt natura bonum esse eligibilius. In his enim & talibus,facilè conijcitur manifesta positiui illatio. Alia verò (quæ solùm subindicat Aristoteles)eiusmodi sunt,vt non statim ex comparatione colligẽdum positiuum monstrent, sed alias rationes desyderare videntur. cuiusmodi sunt ea,in quorum sola comparatione,& non in ipsis cõparatis consistit electionis causa. Non enim si vtilius sit & eligibilius,digitum quàm oculum perdere: ob id mox sequetur, vtile esse digiti amissio, ac eligibilis. Id enim quod non natura bonum est,vtile,aut eligibile,eiusmodi esse potest non simpliciter, sed in casu,& certis adhibitis circunstantiis. Atque in talibus non habet locum, id quod ab Aristotele hic traditur. Sunt sanè & nonnulli, qui de horum numero existiment esse hæc, grauius,leuius,maius,& talia,in quibus non oportet ex comparatiuo positiuum concludere. Non enim sequitur,hoc maius est,ergo magnum. Nam granum milij maius est altero, non tamen magnum. Similiter mons dicitur minor altero monte maiore, non tamen paruus, quare in talibus quæ impropriè comparationem suscipiunt, non consistet vis firma colligendi positiuum ex comparatiuo. Hactenus à nobis dictum sit,de locis particularibus attinentibus ad terminanda particularia, determinataq; problemata accidentium, contractorum, & comparatorum, & non comparatorum.

Problematum diuisio

Sumendū autē q̄maximè vniuersales loci,

In caput decimum, tradens vniuersales quosdam locos de accidente comparato, non autem contracto,Annotatio.

EXpedita eorum locorum tractatione, qui particulares sunt & destinati ad terminandum particulare problema,quod circa eligibilem materiam moralemq; versatur,vniuersalium locorum consyderationem prosequitur Philosophus hoc capite, veluti quadam imperfecta inductione ex quibusdam singularibus,in quibus maxima est dialecticorum locorum commoditas, quasdam vniuersales maximas propositiones colligens,pluribus longè accommodandas,quàm eæ quæ superioribus capitibus sunt traditæ. In huius itaque capitis exordio,pro locis vniuersalibus desumendis, præfatus, existimat dialectico non solùm eos particulares locos de magis eligendo & fugiendo commodos esse,sed & eos qui maximè vniuersales constitui possunt ex maiore & minore,in quæcunq; hæc quadrare queant. Nam loci particulares prius enumerati sic sumpti, & in vniuersales locos transmutati, ad plures locos pluraq; problemata terminanda erunt communes. Cæterùm quo pacto contingat, ex particulari loco deducere locum vniuersalem,mox indicat Philosophus subnectens, Fieri autem potest,vt eorum qui dicti sunt quosdam vniuersales magis quis faciat,parum transmutans appellationem, perinde atque si diceret Philosophus, quosdam priorum locorum particularium in vniuersales valebimus commutare, si secundum appellationem fiat mutatio, hoc est, si nomine minus vniuersalis, nempe melioris eligibilioris q;, communius assignemus nomen, putà,tale & magis tale,quę constat illis prioribus esse communiora. At non

præter-

prætereundum nobis est, quod dixerit Philosophus particulariter quosdam vniuersales magis facere, & cæt. Sunt etenim nonnulli loci particulares prius explicati, qui ad vniuersales communesq; locos reuocari protrahiq; nequeunt. Cuiusmodi sunt loci qui desumuntur vel a conditionibus accidentalibus eligendi, vel a fine electionis, vel aliis huiusmodi, quæ cæteris cõparatis nequeunt cõpetere. At eos qui differũt desumũturq; ab ipsa eligibilis qualitate propria, eiusq; peculiari actione atq; comparatione, in vniuersales communesq; locos licet reuocare. Sed de hisce hactenus. Vt præsentis literæ locorum, qui numero sunt septem, expositionẽ aggrediamur. Ex locis illis particularibus vnus hic erat, Quod natura bonum est, id eligibilius esse eo, quod non sit natura bonum, qui ad vniuersalem locum trãsfertur, mutata nuncupatione boni in nomen cõmunius, hoc pacto, Quod natura tale est, magis tale est eo quod non natura tale est. Neq; hic locus accõmodabitur tantùm problemati eligibilioris, sed qualitatis & quantitatis, & aliorum. vt albius quid ostendetur altero, eò q natura sit tale, altero non tali existente natura. Idem censendum est de calidiori, viriliori, saniori, formosiori, aliisque eiusmodi. Primus itaq; literæ præsentis locus a natura tali dictus est, Id quod natura tale est, magis est tale, eo quod non est natura tale. Porrò secundus locus vniuersalis in litera ibi redditus, Etsi hoc quidem facit, illud autẽ non facit, a causa efficiente tale nuncupatur, qui ex loco illo particulari est desumptus. Si aũt hoc facit bonum cui adest, aliud autẽ non facit, quod facit eligibilius. Etsi vtrumq; bonum facit, id quod magis facit, melius. qui in hunc cõmuniorem reuocatur. Si hoc quidem facit tale cui inest, illud autẽ non facit quod habet, magis est tale quod facit tale, quàm quod non facit, vel quod aliquando facit, eo quod non facit. Et si vtrumq; facit, quod magis facit. Exempla ad manum sunt de albo, de cãdido, de studioso, aliisq; eiusmodi. Tertius vniuersalis locus in litera ibi designatus, Amplius si eodem aliquo, &c. a comparatione dicitur, deduciturq; ex loco a comparatione in problema eligibilioris ad hunc modum habẽte. Si aliquo eodem hoc quidem maius bonum est, illud aũt minus, magis eligendum maius. aut si maiore maius fuerit alterũ, qui in vniuersalem hunc cõmutatur. Si eodem aliquo hoc quidem magis, illud aũt minus tale. Et si hoc magis tale, illud verò non tali tale. In quibus nullam agnoscis esse nominum distinctionẽ, præter eam, quæ sit eligibilis & boni in talis nomen. Atq; hoc loco monstrare poterimus, aliquid doctius esse maius, velocius, tardius, albius, melius, &c. Quartus literæ locus, ab appositione dicitur. Quintus aũt mox sequens, a remotione, quos facile est monstrare, ex quibus particularibus desumpti sunt, a quorum fusiori explicatione nobis temperandum est, q ij loci expositi sint in secundi libri Topicorũ penultimo capite. Porrò sextus cõmunis locus, qui a contrarij commixtione nuncupari potest, is est, Quæ cõtrariis impermixtiora sunt, magis sunt talia. hic proculdubio depromptus est ex illis particularibus locis. Quod malis incõmixtius, eligibilius. Eadem cum voluptate, quàm sine voluptate. & eadem cum indolentia, quàm cum tristitia esse eligibiliora. Albius igitur secundũ hunc locum erit, quod nigro est impermixtius. Cæterùm quæ causa sit intensionis, an cõtrarij minor permixtio, an formæ maior in subiecto radicatio, an aliunde hæc proueniat, logici non est negotij, sed potius aut Physici, aut metaphysici. Nobis satis fuerit, hic Aristotelem agere secũdum vulgarẽ atq; olim a veteribus receptam opinionẽ. Septimus atq; postremus locus, qui a definitione dicitur, assignatur in litera ibi, Amplius præter ea quæ dicta sunt, &c. Huic nullus particularis respõdens, prius est recensitus, id quod ipsa litera indicat. Nam dum de eligibilioribus ageretur, nulla definitionis habita est ratio, ob id fortasse, q multiplicis non sit definitio, multiplex aũt sit eligendum, quemadmodum testatus est Aristoteles primo Topicorũ libro. Hic aũt locus hunc habet sensum, Quicquid rei propositæ rationem definitionemq; magis suscipit, est magis tale, vt id quod magis est coloratum visus disgregatiuum, est albius, & ita in cæteris. Ex dictis itaq; per inductionem quandam colligere licet, particulares locos fieri vniuersales parum transmutando appellationem nominum. Neq; oportuit, vt singuli loci particulares monstrarentur reducendi ad vniuersales. Nam satis fuit ad rei propositæ fidem, ostendere, id in multis obseruari.

Locus 1. a natura tali.

2. a causa efficiente tale.

Locus 3. a cõparatiõe.

Locus 4. ab appositione

5. a remotione.

6. a cõtrarij incõmixtione.

Locus 7. a definitione.

In vndecimum caput, monstrans quomodo terminandum sit problema accidentis particulare, non excludens vniuersale, annotamẽtum.

Si aũt particulariter.

PErtractatis iis locis, qui vtiles idoneiq; sunt definiendis problematibus vniuersalibus accidentis simpliciter generatimq; sumpti, contracti & comparati: in duobus sequentibus capitulis monstrat, quo pacto terminanda sint accidentis problemata particularia. Etsi enim (vt huius vndecimi capitis exordium tradit) vniuersalia problemata, & constructiua, & destructiua, communia sint particularibus respondentibus, id quod in initio se-

cundi dictum fuerat à Philosopho (& proinde loci vniuersalibus problematibus congruentes, idonei sint particularibus problematis definiendis) nonnulla sunt tamen problemata particularia, quæ nequeant ex vniuersalibus colligi. quòd hæc difficilius quàm illa sit adstruere & cōprobare. Monstrat itaq; in præsenti capite particularia problemata aliquibus eisdem locis definiri, quibus prius terminata sunt problemata vniuersalia, & destructiua, & constructiua. Id enim est, quod indicat ea pars summarij huius cap. Non excludēs vniuersale. Atq; illi loci sunt numero quatuor.

Locus primus ab oppositis & cōiugatis.

Quorū primus dictus ab oppositis & coniugatis, in litera ibi assignatus, Maximè aūt oportuni & communes loci, qui sunt ex oppositis, & coniugatis, & casibus, &c. declaratur allatis exemplis ex contrariis, priuatiuè, & relatiuè oppositis, non autem contradictoriis, eò quòd in his infirma sit in ipso consequentia, quemadmodum in huius secundo abundè est declaratum. Cæterùm loco illius particulæ huius loci, Secundum autem hoc, &c. legitur apud Boetium, Secundum hæc autem, etsi aliquod delectabile vtile, delectatio quędam vtilis.

Secūdus à causis, & iis quæ illis cōnexa sunt.

At secundus locus ibi constitutus, Et in corruptiuis autem, & generationibus, & corruptionibus, &c. quem vocant a causis, & iis quæ illis connexa sunt, similiter exemplis declaratur, quemadmodum & tertius in litera ibi assignatus, Amplius ex eo quod est magis & minus & similiter, quem a comparatione vocant.

Tertius à cōparatione

In huius itaq; loci declaratione monstrat Aristoteles, hunc locum a maiori destructiuum tantùm esse, & in iis quæ diuersorum sunt generum, & in iis quæ sunt eiusdem generis, si maximè tale proponatur. A minori verò tantùm constructiuum, & a similibus atq; paribus vtrunq; habere, quippe qui iuxtà cōstructiuus sit & destructiuus. At cùm in huius tertij loci fine insinuatur, prudentia esse disciplina, id accipiendum est secundum Socratis opinionem, qui autumabat, moralem virtutem omnem, esse disciplinam.

Quartus ex hypothesi.

Porrò quartus & vltimus huius literę locus, ex hypothesi & suppositione dictus, atq; ibi collocatus, Amplius ex suppositione similiter, &c. vtilis est construendo & destruendo particulari problemati. Nam hypothesi facta, quòd si vni Insit prædicatum, omni competat, monstrabimus particulare affirmatiuum, vniuersali problemati affirmatiuo respondens, & destruemus particulare negatiuum. Similiter quoque censendum est, si ex suppositione ostendamus vniuersale problema negatiuum, quod particulare negatiuum subalternatum infert, & tollit particulare affirmatiuum sibi contradictoriè oppositum.

Cū aūt indefinitum.

In caput duodecimum, quo instruimur definire problemata accidentis indefinita & particularia, Scholia.

Quædam problematū diuisio.

ANtequàm huius capitis locos attingamus, non inutile fuerit nostro iudicio, si problematis diuisionem, partim in secundi huius exordio explicatam, paucis repetamus. Est itaq; problematum hoc vniuersale aut affirmatiuum, aut negatiuum, illud verò particulare, itidem aut cōstructiuum, aut destructiuum. Id quoq; est, quod sine vllo signo vniuersali enunciatur. Atq; huius, quoddam est particulare indefinitū, quod ab omni determinatione est sepositū, vt voluptatē esse bonam vel malam. Aliud est problema particulare finitum, quod adhibita vna aut pluribus determinationibus pronunciatur. Vna quidam, vt dum dicitur, aliquam voluptatē esse bonam, Pluribus verò, vt cùm dicitur, vna voluptas tātùm est bona. Nonnulli illud appellant indefinitū secundum rem & modum, hoc aūt ex re & modo determinatū. At an rectius illud distribuendū esset in indefinitū secundū modum tantùm, & in indefinitū secundū modū & rem, Itē & determinatū particulare problema, in determinatū secundū modum tantū, & in determinatū secundū rem & modum, aliorū censurę cōmittimus, cùm idipsum parui sit momēti.

Primus locus.

Porrò quinq; locorū in litera assignatorū primus, qui a destruendo vno modo problema particulare indefinitū, & dupliciter cōstruendo dicitur, adeò intellectu facilis est, vt nulla prorsus indigeat interpretatione.

Secundus.

Cęterùm secūdus, quem appelant à definiti problematis particularis cognitione, in litera ibi redditi, Cùm aūt determinata fuerit positio, & cæt. de eo problemate accipiendum est, quod particulare est secundum modum & rem, hoc est, quod in vniuersale problema commutatū efficitur falsum. Alioqui non valeret bifariàm interimi.

Tertius. Quartus. Quintus.

At tertij loci redditi in litera ibi, Vtile autem & inspicere in singularibus, &c. qui a subiecti singularibus dicitur. Item & quarti a generis diuisione, Et quinti, qui a diuisione prædicati appellatur, intelligentia, ex libro secundo, in quo eædem consyderationes sunt ab Aristotele assignatę, est petenda.

Obiectio.

Quòd si quis obiiciat, hos tres postremos locos idoneos esse colligēdis problematibus vniuersalibus, quippe qui sunt secūdo libro traditi, & proinde Philosophum hoc capite non docere, particularia problemata definire exclusis vniuersalibus.

Dilutio.

Respondebimus imprimis, tam huius capitis summarij partem (excludens vniuersale, non esse Aristotelis, sed recentiorū. Insuper duos priores locos destinatos

esse

esse ad particularia problemata construenda & interimenda. Posteriores verò tres, alia atq; alia ratione conducentes esse definiendis problematibus particularibus & vniuersalibus. Huius tertij libri locorum numerum & ordinem monstrat sequens formula.

Loci in problema eligibilioris vniuersale, hunc ordinem & nomenclaturam sunt sortiti.

1. A tempore.
2. Ab autoritate.
3. A genere.
4. Ab eo quod est propter se.
5. Ab eo quod est secundum se.
6. A causa per se.
7. A simpliciter bono.
8. A natura bono.
9. A subiecto digniore.
10. A proprio.
11. A subiecto meliore.
12. A fine.
13. A propinquitate finis.
14. A finibus medij.
15. A possibili.
16. A fine meliore.
17. A proportione.
18. A comparatiuo.
19. A consequentibus.
20. A bonorum numero.
21. A voluptate.
22. Ab oportunitate.
23. A toto tempore.
24. Ab independente.
25. A causis.
26. A propinquiore.
27. A similitudine boni.
28. A similitudine melioris.
29. A similiore bono.
30. A dignitate.
31. A difficultate.
32. A proprietate.
33. A malorum incommixtione.
34. A comparatione positiui.
35. A superlatiuo.
36. Ab amicis.
37. A bono amicorum.
38. A circunstantijs.
39. A commodiore.
40. Ab independente.
41. A dissimulatione.
42. Ab increpatione minori.
43. Ab increpatione maiori.
44. A propria virtute.
45. A bonorum effectiuis.
46. A casibus & coniugatis.
47. A comparatiuo.
48. A superabundantia.
49. Ab eligibili propter se.
50. Ex appositione eidem.
51. Ex adiunctione minori.
52. Ex ablatione.
53. Propter se.
54. Propter se & gloriam.
55. A magis propter se.
56. A diuisione eligibilis.
57. Propter melius.
58. Ab impedimentis virtutum.
59. A solo eligibili aut indifferenti.

Loci ad disserendum in omne problema comparationis vniuersale

1. A natura.
2. A causa efficiente.
3. A comparatiuo.
4. Ac adiunctione.
5. A remotione.
6. Ab impermixtione.
7. A definitione.

Loci ad particularia problemata conducentes.

1. Ab oppositis, coniugatis, & casibus.
2. A corruptiuis & generationibus.
3. A minore, maiore, & pari.
4. Ex hypothesi.
5. Per indefiniti naturam.
6. Ex definiti cognitione.
7. Ex diuisione subiecti.
8. Ex diuisione generis subiecti.
9. Ex diuisione generis praedicati.

Tertij Topicorum Finis.

Tertius locus in litera ibi assignatur, Maximè autè ad accidentis definitionem, &c. Desumitur a secunda accidentis finitione, dicente, Accidens est, quod contingit alicui eidem inesse, & non inesse. Id autē quod legitimè assignatur genus alicuius, inseparabiliter ac perpetuò necessum est illi inesse. Post hæc in litera, ibi. Amplius si non in eadē diuisione est genus, pro ponitur quartus locus, nuncupatus a prædicamenti distinctione, cuius sententia est. Necesse est genus & speciē eiusdem esse ordinis prædicamentalis. Et proinde si id quod pro genere assignatur, vnius sit prædicamenti, & species alterius, non recta erit generis assignatio. Secundum hunc locum aduersus Empedoclis sententiam colligetur, album non esse niuis & cygni genus. At in altero literæ exemplo, in quo dicitur bonū aut pulchrum nō esse disciplinæ genus, quòd illa sint prædicamenti qualitatis, hæc autē prædicamenti ad aliquid, aut gratia exēpli positū intelligatur, aut disciplina iuxta veterū opinionem designabit primariò respectum aliquē. Cæterùm quo pacto huic non repugnet illud Aristotelis, in Prædicamentis in tertia qualitatis parte, In omnibus fermè talibus genera ad aliquid dicuntur, singularium verò nihil, ex eodem passu est desumendum. Porrò quintus ac postremus locus huius literę ibi designatus, Rursum si necesse fuerit vel cōtigerit genus participare, &c. a participatione speciei dicitur, qui est huiusmodi. Si id quod pro genere assignatū est, speciem participat, interimendum erit problema. At quid sit participare, mox indicat Aristoteles, dum inquit, Participare est participati rationē suscipere, hoc est, id alterum participat, quod vniuersaliter sumptum alterius nomen & rationē suscipit seu definitionem, vt si corpus substantiæ genus esse constituatur, mala erit generis assignatio. Item si aut substantiæ aut quantitatis aliud ponatur esse genus, perperàm erit genus redditum. Huius loci intelligentia amplior, ex vniuocorum finitione in Prædicamentis explicata, facilè desumi potest.

Locus 3. ab accidentis finitione.

Locus 4. de pdicamenti distinctione

Locus 5. à speciei participatione.

Amplius si de aliquo assignata species.

In secundum caput, docens destruere generis problemmata comparatione speciei ad quam dicitur, annotatio.

Hvius secundi capitis intelligentia, quinq; locis cōprehenditur. Quorum primus in literæ exordio redditus, qui rectè a speciei verificatione nūcupari potest, hunc habet sensum. Si de aliquo species verè dicatur, de quo non prędicatur id quod pro genere constitutū est, praua erit generis assignatio. Atq; proinde ens reale atq; scibile, non erunt genera opinabilis, quòd hoc de rebus fictitijs atq; impossibilibus verè dici valeat, illa aūt nequaquàm. Secundus dicitur a specierū participatione, assignaturq; in litera, ibi. Rursum si nullam specierū contingat participare, &c. Cuius hæc est sententia. Si quid constituatur genus esse alicuius, quod sub ipso non proximè cōtineatur, si id nullam illius generis participet speciem colligendum erit problema esse non generis, hoc loco contra Platonē arbitrantē delectationē esse generationem in sensibilem animā (qua de re agitur in Ethicorū decimo libro) monstratur motus nō esse delectationis genus, q; neq; generationē neq; corruptionem participet, neq; augmētationem, neq; diminutionē, neq; alterationē, neq; secundum locū mutationem. Post hæc in litera, ibi. Amplius si de pluribus dicitur quàm genus, &c. Tertius collocatur locus, qui dicitur a speciei prædicatione maiori, qui est. Si de pluribus species prædicetur, q̄ id quod veluti genus est assignatū, non rectè redditū est genus. Quare non rectè dixit Pythagoras, ens esse genus opinabilis, eò quòd opinabilia sint & entia, & non entia, de quibus nequit ens prædicari. Discrepat autē hic locus a primo, quòd aliud sit, quippiam de aliquo prædicari de quo nō prædicatur alterū, & de pluribus vnū prædicari, de quibus alterū non prædicatur. Nam illud sine hoc accidere potest. Quapropter ens secundum primum locum non erit statuendum genus opinabilis, quoniam de aliquo prædicatur, a quo ens remouetur. Item idem monstrabitur per hunc locū, quòd de pluribus, quàm ens, prædicetur opinabile. Quartus in litera ibi redditus, Rursus si de æqualibus genus & species dicitur, nuncupari potest ab æquali speciei prædicatione cū genere. Huius autē sensus est. Quæ sic sese habent, vt cōuersim de se mutuò prædicentur, nequeunt ad seinuicē generis & speciei rationē suscipere. Quare neq; vnum, est entis genus: neq; primū, principij: neq; contra vnius, ens, aut primi principium. Cęterùm cū in huius loci calce dicitur. Elementū autem est ad omnia huiusmodi, elementi nomine accipe principium, maximamq; propositionē ac dignitatē. Post hæc in litera, ibi. Videndum aūt etsi alicuius, &c. Quintus indicatur locus, dictus ab eiusdem speciei indiuiduis. Cuius duplicē apud autores reperimus interpretationem. Vnā prosequitur Anthonius Demochares his verbis. Locus ab indiuiduis destruit generis positionē, qua defenditur aliquid esse genus ad indiuidua tantū & ea quę sunt indifferentia specie & ratione, vt qui diceret hominem esse genus ad virū & mulierem. Nam homo & mulier indiuiduę sunt rationis, quòd vtriusq; eadem & indiuisibilis

Primus locus à speciei verificatione.

Secūdus locus à specierū participatione.

Plato.

Locus tertius à speciei prædicatiōe maiori.

Pythagoras

Quartus locus ab æqua speciei prædicatione.

Locus quintus ab eiusdem speciei indiuiduis.

uisibilis sit substantiæ ratio (accidentariam pertranseo qua sexus cõcipitur) vel qui diceret ad Aethiopes, Gallos, Picardos, genus esse hominem. Illi enim non differunt substantia, sed loco quẽ incolunt. Construit verò ille, eò q; si vnius indiuidui monstretur genus, & alterius eiusdẽ rationis erit genus. Nam omnium indiuiduorũ est idem genus, eiusdem rationis existentium. Hactenus Antonius. Altera est. Si datæ alicuius speciei pro genere assignetur aliquid, quod non est aliquorũ indiuiduorũ illius speciei genus, (quippe quia de illis non prędicatur, aut non in quid) reliquorum non erit genus, & perperàm facta fuerit assignatio. Quòd si contra aliquorum genus fuerit, & reliquorum erit genus, vt si animal genus fuerit Socratis & Platonis, erit quoq; genus cæterorum hominum particularium. At si quis ponat, quasdam lineas esse indiuisibiles, sequens Democriti, Platonis, & Leucippi placita, dicentium, omne diuisibile ex indiuisibilibus coalescere constituiq;, is non rectè linearũ indiuisibilium genus constituerit esse indiuisibile: q; indiuisibile nõ sit genus linearũ diuisibiliũ (Alioqui diuisibile indiuisibile foret) quæ eiusdem naturæ specificæ sunt cũ indiuisibilibus. Nam indifferentes secundũ speciẽ sunt rectæ lineæ omnes, siue impartibiles sint, siue partibiles. Rectas autem dicit Aristoteles, non vt indicet rectas a curuis secundum speciem dissidere, sed (quemadmodum inquit Albertus) quoniam rectitudo forma est simplex, vnóque modo proueniens, & in primas lineas quadrãs, quæ sunt compositarum atque diuisibilium linearum principia. Curuitas autem ex duabus formis est composita, nempe concaua & conuexa.

Plato. Leucippus.

Albertus.

Cõsiderãdum aũt, &c.

In caput tertium, docens terminare destructiuè & constructiuè generis problemata, collatione facta ad aliud genus impertinens, aut superius genere assignato, scholia.

Locus primus à diuerso genere.

COmplectitur præsens caput quatuor locos, Quorum primus in exordio designatus, qui a diuerso genere non iniuria appellari valet, est eiusmodi. Si aliquid constituatur esse alicuius speciei genus, cuius aliud est genus diuersum, quod neq; alterum contineat vniuersaliter, neq; ab altero contineatur, neque ambo sub eodem tertio genere, perperàm facta est illius generis assignatio, vt si quis Pythagoram imitatus, vnitatum numerorumq; genus arbitretur esse substantiam, non rectè assignauit genus: quod illorum genus sit quantitas, quę neq; substantiam continet, neque ab ea continetur, neque ambæ sint sub eodem tertio genere. Diuersorum enim generum & non subalternatim positorum (vt dicitur in Prædicamentis) diuersæ sunt species & differentiæ. Porrò iustitiam esse scientiam existimabat Socrates, At scientiam non contineri sub morali virtute argumento est, quòd mathematicæ disciplinæ non sint virtutes morales, neq; item fortitudo & liberalitas scientiæ. Insuper negãtes prudentiam esse scientiam, perpendebãt quòd scientia sit vniuersalium, ingenerabilium, & incorruptibiliũ. Prudẽtiam verò, cõtingentium, & eorum quæ sub actionẽ veniunt & deliberationẽ. Secundus locus generis destructiuus, in litera ibi assignatus. Considerandum autẽ & genus generis assignati, vocatur a superioris generis prędicatione, & est. Si quippiam dicatur alicuius esse genus, cui tamẽ superius genus nõ in quid cõuenit, male facta est generis assignatio, vt non rectè assignatur animalis genus esse coloratũ. Nam quale, quod colorati est genus, non in quid de animali prędicatur. Hic locus originem accipit ex prima antepręidicamentali regula. Tertius itidem generis destrúctiuus redditus in litera, ibi. Rursus si genus participet speciem, &c. dicitur a speciem participantibus, qui est eiusmodi. Si id pro genere assignetur, quod secundũ se vel suum genus speciem assignatã participet, interimendum est generis problema, vt si animal constituatur esse corporis genus, perperàm sit assignatio, eò quòd animal genus constitutum, & eius superius corpus animatum, participent speciem assignatã nempe corpus. Quartus & vltimus locus in litera ibi assignatus. Adstruenti autem si confiteatur quidem, &c. qui dicitur a generis prædicatione & diuisione, generis constructiuus, hanc habet sententiam. Si voluerimus construere genus, imprimis considerandum est, si quod pro genere assignatur, insit speciei, quod si concedatur, & negetur vel dubitetur inesse vt genus, inspiciendum est, an aliquod superius illius generis assignati, de eadem specie in quid prædicabitur. Quòd si reperiantur, omnia eiusdem generis, & superiora & inferiora (si de specie prædicantur) in eo quod quid est prædicari, construendũ erit problema generis, vt si homini insit corpus animatũ, sed dubitetur, an vt genus insit, considerandũ an ne de homine in quid prædicetur corpus, quod corporis animati est genus. Quod si accidat, & substãtia, quæ corporis genus est superius, & animal quod inferius est genus, & de homine prædicantur, & in quid, corpus animatũ quoq; in eo quod quid est de homine prędicabitur. Et proinde construendum erat problema propositum. At si dubitetur, an id quod pro genere assignatur insit speciei, nõ statim confugiendum est ad

Pythagoras

Socrates.

Secundus à superioris generis prędicatione.

Tertius de speciẽ participãtibus.

Quartus à generis prędicatione & diuisione.

est ad superiora genera. quia non oportet, si superiora de aliquibus prædicentur, & inferiora de eisdem dici, sed contra. Quare qui dixerit, ambulationis lationem esse genus, non sufficit monstrare, motũ esse ambulationis genus. Non enim sequitur, motus est genus ambulationis, ergo & latio. Ratio enim a genere ad speciem constructiuã est infirma, quare opus erit adminiculo diuisionis. Nam cũ habeamus, motũ illi conuenire tanquam genus, oportebit & specierum aliquam de ambulatione prædicari, eò quòd ambulatio non sit primæ diuisionis ipsius motus. Quare cum ambulatio speciem motus aliquã participet, & non augmentationẽ, neq; diminutionẽ, neq; alterationem, neq; generationem, neq; corruptionem, necesse fuerit lationẽ participare, vel non esse motũ. Nam a quo remouentur partes, & totum aufertur.

Rursũ de qbus species.

In quartũ caput, instruens definire generis problemata, cõparando assignatũ genus, & superiora genera, & generũ rationes, ad ea quæ sub subalterna specie continentur, annotatiunculæ.

Prior locus à specie subalterna.

HVius literæ duo sunt loci, Prior dicitur a specie subalterna, qui est huiusmodi. Si alicui speciei subalternæ quippiam vt genus assignetur, quod de ea specie, iisq; quæ sub ipsa continentur, non prædicetur in eo quod quid, vel cuius non omnia superiora dicto modo prædicentur, aut non sese habeat dicta species, & id quod pro genere fuerat assignatum, velut genera subalterna, interimendum erit generis problema. excẽpla facilè est ex prius dictis in medium adferre. At secundus locus ibi redditus. Considerãdum aũt & rationes generum, &c. appellatur ab vniuoca prædicatione, qui est. Quicquid de specie subalterna, & omnibus sub ipsa cõprehensis vniuocè prædicatur, illius est genus, & quicquid non prædicatur vniuocè de ea & sub ipsa cõtentis, illius nõ est genus, vt animalis genus est corpus animatũ, non autem coloratum. Hactenus ab Arist. dictũ sit, de terminãdis definiendisve generis problematibus, facta ad speciem siue indiuiduam, siue subalternam, atq; ipsius indiuidua, comparatione.

Posterior, Ab vniuoca ꝑdicatione.

Rursus si differẽtiam vt gen⁹.

In quintũ caput, monstrans quo pacto definienda sint problemata generis, collati ad differentiam & speciem, vt alterũ pro altero, aut sub altero indebitè assignatur, scholia.

COmplectitur hoc quintũ caput locos numero nouem, Inter quos primus, a differentia prædicante nuncupatus, est eiusmodi. Si quis differentiam veluti genus alicuius speciei reddiderit, interimendum erit generis problema, vt si quis Platonicos imitatus dixerit, immortale esse Dei genus, perperàm facta est assignatio. Nullius enim genus est differentia, id quod intelligunt aliqui (quibus placet differentiam superiorẽ de inferiori in quid prędicari) de differentia, quatenus differentia est, in quã sic acceptã quadrat duntaxat in quale, & non in quid prædicari. Secundus locus in litera ibi designatus, Etsi differentiam in genere posuit, &c. dicitur a subiecta differentia, qui est. Si constituatur aliquod genere cõparatione differentiæ, destruendũ est illud esse genus, vt numerus nequit esse genus cõparatus ad abundans siue impar, quod supponatur hoc loco esse numeri diuisiua differẽtia. Tertius locus a genere speciei subiecto dictus, in litera ibi redditur, Amplius si genus in speciem posuit, & est huiusmodi. Peccat qui id quod alicuius speciei genus est, constituit eiusdem speciei esse speciem, vt perperàm genus reddit, qui mixtionẽ asserit esse temperamenti speciem: & contiguitatẽ continuationis: & secundum locum mutationẽ, ipsius lationis, id quod asserebat ipse Plato. Nam hæc, illorũ potius sunt genera, quòd latius pateant, & de pluribus in quid prædicentur. Nam omne continuũ est contiguum: & omne temperamentũ, mixtio: & omnis latio secundum locum mutatio, & non contra. Continua ea dicuntur, quorum vltima sunt vnũ. Contigua autem, quorũ vltima sunt simul, & hæc eadẽ sunt tangentia, quæ definiuntur ab Aristotele, quinto libro de Auscultatione naturali esse, quorũ vltima sunt simul. Et proinde omnis continuatio erit contiguatio ac tactus: non autem contra, omnis contiguatio omnisq; tactus continuatio. Quartus locus ibi assignatus, Rursum si differentiam in specie posuit, a differentia speciei subiecta appellatur, qui est huiusmodi. Qui differentiam generis diuisiuã, velut inferius assignat in specie eiusdem generis, praua est assignatio: vt peccat, qui immortale asserit dei esse inferius. Quintus locus proximè sequens, ibi. Amplius si in differẽtia genus posuit, vocatur a genere differentiæ subiecto, cuius sententia est. Errat qui id quod differẽtię genus est diuisum, existimat eiusdẽ differentię inferius esse, illi quoq; subijci. Sextus mox continuò superiori subiunctus, & a genere appellatus, est hic. Manifestè peccat, qui id q̃d alicuius genus est, veluti differentiam assignat, cũ illius sit in eo quod quid est prædicari: Huius autẽ in eo quod est quale. Septimus locus subnectitur in litera, ibi. Rursum si nulla differentia generis prædicatur, &c. quiq; a differentiarũ prædicatione dicitur, hanc habet sententiam. Si nulla generis assignati differentia de aliquo prædicetur, genus de eodem non prædicabitur, vt de anima neq; par, neq; impar prædicatur, & proinde neq; numerus de anima dicetur, cuius oppositum

Locus primus à differẽtia prædicante.

Secundus à subiecta differentia.

Tertius à genere speciei subiecto.

Plato.

Quæ continua & cõtigua.

Quartus locus à differẽtia speciei subiecta.

Quintus à genere differẽtię subiecto.

Sextus à genere.

Septimus à differẽtiarũ ꝑdicatione.

asserebat

Octauus à priori specie

asserebat Plato. Octauus locus ibi designatus, Amplius si prius natura est species, & cæt. atq; a priori specie nuncupatus, est huiusmodi. Perperàm assignatur genus, quod specie natura posterius est, & quod interēpta specie simul interimitur. At de hac re, in Porphyriana Isagoge, & in Prædicamentis dictum est, cum tractaretur secundus prioris modus.

Nonus ab eo qđ à specie est separabile.

Nonus & vltimus huius capitis locus, vocatur ab eo, quod a specie separabile est, qui est. Praua est assignatio generis, aut differētiæ, si id pro genere aut differentia assignetur, quo ablato valet species consistere. Cum enim genus & differētia sint de speciei substātia, non poterit species existere ablato genere aut differētia. Quare non erit moueri animæ genus, quemadmodum arbitrabatur Xenocrates, neq; opinionis differentia erit verum aut falsum, cum eadem opinio consistere possit, nunc sine veritate, nunc sine falsitate. Existimant quidam, hæc simul iungenda esse, putantes quandā opinionem, quę dubia sit, neq; veritati neq; falsitati subiectam esse. Verùm nihil scrupuli relinquitur, si opinionem acceperis fusè ac amplè, vt quamlibet enunciatiuam apprehensionem complectatur.

Inspiciē dum autē, &c̄.

In sextum caput, ostendens quo modo terminanda sint generis problemata, in quibus quod pro specie constituitur, ad genus sese habet contrariè, æquiuocè, solitariè, aut translatitiè, scholia.

Locus primus à cōtrario genere.

PRæsentis literæ tredecim sunt numero loci. Quorum primus, qui a contrario genere nuncupatur, est eiusmodi. Si pro genere assignetur quicquam alicuius speciei, quæ contrarium genus participet, praua erit assignatio. Nequeunt enim contraria in idem simul conuenire. Species autem sine suo genere consistere, est impossibile, vt iustitiæ non est genus vicium, eò quòd sub virtute tanquam genere comprehendatur.

Secundus à speciei communicatiōe Platonici.

Secundus in litera ibi assignatus, Amplius si aliquid cōmunicat species, &c̄. dicitur a speciei communicatione, & est. Si aliquid statuatur genus esse alicuius speciei, cui quicquā competat, quod nulli generis constitutæ speciei possit conuenire, perperàm facta erit assignatio: vt non rectè dicitur a Platonicis, animæ genus esse numerus, quod animę conueniat viuere, id quod in nullum quadrat numerū.

Tertius à speciei æquiuocatione.

Post hæc in litera, ibi. Considerandum autem etsi æquiuoca sit species, &c̄. Assignatur tertius locus, qui est. Si pro genere quicquam assignetur alicui speciei, quæ æquiuoca est, praua est assignatio, cum oporteat & genus & speciem vniuocū esse. De hac aūt re nōnihil dictū est in primi libri Topicorum calce, dum ageretur de abundandi instrumentis.

Quartus à speciei vnitate.

Quartus locus ab vnitate speciei dictus, in litera ibi assignatus. Quoniam autem omnis generis plures species, &c̄. hunc sensum habet. Si constituatur aliquid tanquam genus, quod vnicā duntaxat contineat speciem, interimendum erit generis problema. Nam vno existente genere, plures existunt species. Generis quoq; ratio est, de pluribus specie differētibus, in eo quod quid est prædicari. Quare numeri secundum primā a nobis in Prædicamentis de oratione allatā recensitamq; opinionem, non erit genus quātitas discreta, cum non contingat aliam reperire speciem, sub eo genere cōprehensam.

Quintus à trāslatione. Quid translatio.

Quintus locus mox in litera ibi subiectus. Considerandum est, si quod translatitiè dictū, vt genus assignauit, &c̄. a translatione nuncupatur, cuius hæc est sententia. Peccat, qui pro genere alicuius speciei constituit id quod metaphoricè translatitiè est accipiendum. Et proinde errat, qui temperantiæ genus tradit esse consonantiam. Nam consonantia metaphoricè dicitur de temperantia, & non propriè. Genus aūt vult propriè prædicari. Consonantia propriè dicitur vocū & sonorum concordia. Impropriè verò sumitur, pro moderata rationis dominatione in libidinem & illecebras, quā temperātiam appellamus. Cæterùm translatio (teste Quintiliano) tropus est, quo nomen vel verbum, ex eo loco in quo proprium est, in eū in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est, transfertur.

Sext⁹ à speciei contrario.

Porrò sextus locus ibi designatus, Amplius si sit contrarium speciei aliquid, considerādum, & cæt. appellatusq; a speciei cōtrario, est eiusmodi. Si quid constituatur genus esse alicuius speciei habentis contrarium, quod sub eodē genere non contineatur, si modò id genus nō habeat contrarium, destruendum est generis problema. oportet enim contraria reponi in eodem genere nō habente contrarium. Quare si vnius cōtrarij firmetur genus aliquod, illud idem & alterius erit. & contra, si illius non sit genus, neq; alterius, vt qui monstrauit albi genus esse coloratū, cui nihil contrarietur, & nigri relinquitur esse genus. Similiter quod dulcis non sit genus coloratum, neq; amari concluditur esse genus.

Septimus a specie cōtraria cōtrariū genus habēte.

At septimi loci ibi designati, Cum autē est contrarium generi, &c̄. dicti a specie contraria, contrarium genus habente, hæc est sentētia. Oportet contrarias species, in contrarijs esse generibus, quando generi genus est contrarium. Hinc intemperantiæ genus colligimus esse vitium, q̄ tēperantię genus sit virtus. Cæterùm illi obiectioni, quę aduersus hunc locū adferri posset, desumpta ex vitijs contrarijs sub eodem ge-

nere

nere comprehensis, satis factum responsumq; arbitramur in cōmentarijs in Prædicamēta per nos editis. Octauus locus in litera mox ibi subiectus, Rursum si omnino in nullo genere, &c. appellatur a genere contrario, qui est. Si speciei assignetur cōtrarium, quod sub nullo genere morali cōtineatur, perperàm facta erit assignatio. Nam omnia cōtraria (vt inquit in prædicamentis Aristoteles) vel in eodē genere, vel diuersis generibus, vel ipsa aliorū esse genera est necesse. Hoc loco monstrabimus, bonū nō esse in genere, quòd malum illi contrarium nō sit in genere, sed ipsum sit genus. Post hæc describitur nonus locus, ibi. Deinde considerādum, si cōtrarium est alicui & genus & species, &c. vocaturq; a contrariorū medio, cuius hæc est summa. Quādo tam species, q̄ genera consimiliter cōtrariantur, necessarium fuerit, posito & monstrato medio inter species contrarias, destrui genera illarum esse, inter quæ nullum intercidit medium. & contra si generū quæ cōtraria sunt, sit aliquod medium, non autē specierū contrariarū, erit generis problema interimendum. Hunc locū propter instantiam in litera allatam, intelligunt quidam de cōtrarijs moralibus, non autem naturalibus, cuiusmodi sunt sanitas & ægritudo. Alijs placet bonū & malum amplè sumenda esse, vt omnibus cōmunia sint prædicamentis. Et proinde ea ipsa, nō reuera esse sanitatis & ægritudinis genera. At Antonius Demochares de hac ipsa re aliud a superioribus sentiens ad hunc modum scribit. Instantia (inquit) affertur de sanitate & ægritudine speciebus boni & mali, habentium mediū, illis non habentibus medium. Nam inter sanū & ægrum nihil intercidit. An hæc multis sit probabilis, etsi nō sit vera? Non enim pulchritudo, robur, turpitudo, cæcitas, propriè media sunt inter bonum & malum. Nam falsum est, illa non esse bona vel mala corporis. Non enim hic sumitur bonū vel malum pro habitu animæ, sed corporis qualitate & vniuoce. Quare tantū instātia sit apparens quibusdam. Nam si species sint contraria mediata, & genera, & contra, alioqui destruuntur. Hæc Demochares. Porrò decimus locus in litera ibi redditus. Amplius si est vtrisq; quidē aliquid medium, dictusq; a medijs variè circumlocutis, est huiusmodi, si assignentur cōtraria genera speciebus contrarijs, quorum media dissimiliter sese habeant, quòd vnū secundum negationē nuncupetur, & alterum secundum subiectū seu affirmationem, interimendum erit problema. Nam probabile est, in vtrisq; medium similiter enūciari, vt boni & mali: Item iusti & iniusti media secundum negationem dicta, sunt neq; bonum neq; malum, neque iustum neq; iniustum. Vndecimus locus assignatur ibi, Amplius quādo non est cōtrarium generi, considerādum, &c. qui nuncupatus a medio contrariorū eiusdem generis, hunc habet sensum: Si constituatur pro genere contrariarū specierū, quod contrario caret, quodq; sub se veluti genus non contineat medium eorundem contrariorū, interimendum est generis problema. vt si color nō sit genus palloris & ruboris, neq; alboris & nigroris erit genus. At instantia in litera allata, de defectu & superabundantia in malo tanquàm genere contentis, sub quo virtus quæ est illorum medium, non cōprehenditur, non vera est. Nam generi malo, aliquid contrarium est, nempe bonū. Alijs placet, præsentē locum intelligendum esse, de eo quod mediū est propter vtriusq; extremi contrarij participationē, cuiusmodi non est virtus cōparatione vitiorum, vnius per defectū, & alterius per superabūdantiam. Duodecimi loci a contrario genere dicti, & in litera ibi designati, Considerandum etiam, si genus quidem contrarium, &c. hæc est summa. Si alicui speciei non habente contrarium, assignetur genus, cui aliquid sit contrarium, destruendum est generis problema. Nam si genus cōtrarium habeat, oportet & speciem contrarium obtinere. Cæterùm instantiam in litera inductam de sanitate ægritudine contrarijs, febri & ophthalmia carentibus cōtrariò, quibusdam placet non verā esse, eo quòd dicta consideratio, de eo genere accipienda veniat, quod habeat contrarium, quod similiter genus sit, sanitas autem horum opinione non est genus. Antonio autem Demochari videtur sanitas genus esse, & febri contrariè opponi corporis sanitatem, & oculi sanitatem ipsi ophthalmiæ, quæ est oculorum morbus. Nam Græcis ὀφθαλμὸς oculus dicitur. Hactenus de locis destructiuis. Porro is qui decimus tertius est, construentiq; est vtilis, assignatur in litera ibi, Construenti verò tripliciter, &c. Cuius tres sunt portiones. Prima desumitur a contraria specie eius generis, cuius non est contrarium. Nam in quo genere monstrabitur altera specierum contrariarum, in eodem sanè reliqua collocabitur. Hæc autem pars sic legenda est, Primùm quidem, si contrarium speciei, sit in dicto, &c. Secunda est a medio contrariorum generis constructiua, dum monstramus quippiam esse contrariorum genus, eò quòd illud genus sit medij inter illa contraria intercepti, vt ostenditur color genus esse albedinis & nigredinis, quòd palloris & rubedinis sit genus. Tertia est a contraria specie, habente genus alteri contrarium. Oportet enim contrarias species in generibus contrarijs collocari, si generi fuerit

Octauus a genere contrario.

Nonus a contrariorū medio.

De instātia in litera assignata, diuersę sententiæ.

Antonius Demochares.

Decimus a medijs variè circūlocutis

Vndecimus a medio cōtrariorum eiusdem generis.

De literæ instantia.

Albertus.

Duodecimus a cōtrario genere.

Loci 13. pars 1. a cōtraria specie eius generis cui nō est contrarium.

Secunda a medio contrariorum.

Tertia a cōtraria specie habēte genꝰ alteri cōtrarium.

fuerit aliquod contrarium, vt neceſſe eſt iniuſtitiam eſſe vitium, ſi iuſtitia fuerit virtus, & ſic in reliquis cenſendum eſt.

Rurſũ in caſibus & cõiugatis.

In caput ſeptimum, (nam mendoſum eſt ſummarium huius capitis & ſequentium, quantum ad ipſorũ numerũ pertinet) oſtendens quo pacto definienda ſint generis problemata per locos à cõiugatis, ſimili, generatione & corruptione, annotatiuncula.

Locus 1. à caſibus & cõiugatis. Secundus à proportione & ſimilitudine.

HVius capitis ſumma quatuor comprehenditur locis, qui iuxta vtiles ſunt & conſtruenti & deſtruenti. Quorum primus dicitur a caſibus & coniugatis, qui eſt eiuſmodi. Si caſuũ aut coniugatorum vnum alterius genus eſt, erit & reliquum reliqui genus. & contra, ſi vnum alterius non ſit genus, nec reliquum reliqui genus erit. vt ſi iuſtitiæ genus ſit diſciplina, quemadmodum arbitrabatur Socrates, diſciplinatè genus erit ad iuſtè collatum, & diſciplinatus ad iuſtum. Secundus ibi aſſignatus, Rurſum in his quæ ſimiliter ſe habẽt, &c. dicitur a cõparatione & ſimilitudine, cuius hic eſt ſenſus. Quæ eandem proportionem, ſimilitudinémve inter ſe cõſequuntur, ſimilem quoq; generis rationẽ ſortiuntur, vt ſi ſimiliter ſeſe habeant delectabile ad delectationẽ, & vtile ad bonũ quod eſt vtilitas, eò quòd delectabile effectiuum ſit delectationis, & vtile vtilitatis ſiue boni. ſi bonum ſeu vtilitas genus ſit delectationis, erit ad bonũ ſeu vtile genus delectabilis, etſi nõ illud, neq; iſtud.

Tertius à generationibus & corruptionib⁹.

Tertius locus mox ſequens ibi, Similiter aũt & in generationibus, &c. vocatuſq; a generationibus & corruptionibus, eſt huiuſmodi. Si in generationibus & corruptionibus vna generatio vel corruptio ſpecies fuerit, vel generationis vel corruptionis, ſimili modo dicendũ erit de ipſis fieri & factis, corrumpi & corruptis, & contra, vt ſi ædificatio ſpecies ſit operationis, & ædificare ſpecies erit ipſius operari, & ædificaſſe ſpecies eius quod eſt operatũ eſſe, & contra. Simili modo in corruptionibus, corrumpi, & corruptis, iudicãdum eſt.

Locus 4. ab efficiẽtibus cauſis & effectis.

At quartus locus in litera ibi redditus, Et in generatiuis & corruptiuis, &c. dicitur ab efficientibus cauſis & effectis, qui ſuperiori ſimilis eſt, & pertinere videtur ad primum locum, qui a caſibus & coniugatis appellabatur.

Si autẽ ſit priuatio.

In octauum caput, explicans quo modo terminanda ſunt generis problemata, conſiderando ad priuatiuè vel contradictoriè oppoſita generi & ſpeciei, annotatio.

Prioris loci nũcupati ab oppoſitis ſecundũ priuationẽ & habitũ, ſpecialior primus locus.

POſt eorum locorum tractationẽ, quibus a contrarijs & medijs conſtruere licet & deſtruere generica problemata, hoc capite tradit locos ſimiles ex priuatiuè & contradictoriè oppoſitis deſumptos, qui numero ſunt duo Prioris dicti ab oppoſitis ſecundum priuationem & habitum, tres ſunt ſpeciales particularéſve, duo deſtructiui, & tertius conſtructiuus. Primus eſt, Si ſpeciei genus eſſe conſtituatur id quod priuationem ſpeciei amplectitur, perperàm facta eſt generis aſſignatio. Oportet enim ſimpliciter & vniuerſaliter vt non ſint in eodem genere priuatiuè oppoſita, aut non in eodem propinquo, vt ſi ſenſus proximum genus ſit ipſius viſus, non erit ſenſus cæcitatis genus. & ſi cæcitatis eiuſmodi genus fuerit inſenſibilitas, ipſa non erit ipſius viſus genus. & ſi ſcientiæ genus ſit habitus, non erit ipſe genus ignorantiæ.

Secundus.

Secundus eſt, propoſitis genere & ſpecie habentibus priuatiuè oppoſita, ſi priuatio ſpeciei non eſt in priuatione generis, velut in genere, deſtruendum eſt generis problema, vt ſcientia monſtratur non eſſe genus ipſius viſus, eo quòd ignorantia nõ ſit genus cæcitatis: & contra colligi poteſt, ignorantia non eſt cæcitatis genus, quòd ſcientia non ſit genus viſus.

Tertius.

Tertius generis conſtructiuus eſt. Priuatiuè oppoſitorum ſi habitus vnus alterius ſit genus, & priuatio vna alterius erit genus, & contra. vt ſi ſenſus eſt genus ipſius viſus, erit inſenſibilitas genus ipſius cæcitatis, & contra.

Poſterior locus à cõtradictoriè oppoſitis.

Porrò locus ſecundus in litera ibi aſſignatus, Rurſum in negationibus conſiderandum, & cæt. dicitur a contradictoriè oppoſitis, cuius hæc eſt ſententia. Si vna affirmatio genus ſit alterius affirmationis, negatio ſpeciei genus erit negationis generis, vt ſi bonum ſit ſuauis genus, erit non ſuaue genus non boni. de qua quidem re dictum eſt in ſecundo Topicorum, cum pertractarentur loci de conſequentia econtrario & in ipſo.

Quo pacto in negationibus & priuationibus reperiat̃ generis & ſpeciei habitudo.

At obiter annotandum eſt, habitudinem generis & ſpeciei impropriè ſolum tribui negationibus, item & priuationibus. Nam ad vniuerſalis rationẽ exigitur, vt res per vocem deſignata ſit quid poſitiuum, eiuſmodi non ſunt negationes aut priuationes. De hac autem re, in Porphyriana Iſagoge nonnihil dictum eſt a nobis.

Si autẽ ſit adaliqd ſpẽs.

In caput nonum, docens definire generis problemata, collatione facta ad relatiuè oppoſita, ſcholia.

Locus 1. à relatiuè oppoſitis.

PRæſentis literæ commonſtrantis terminare generica problemata per inſpectionem relatiuè oppoſitorum, octo ſunt loci. Quorum primus in exordio redditus, dicitur a relatiuè oppoſitis, & eſt. Si alicui ſpeciei quæ eſt adaliquid aſſignetur genus, quod nõ ſit adaliquid, praua erit aſſignatio, vt ſi dupli qđ eſt adaliquid, genus ſit multiplũ, oportet multiplum

eſſe

esse adaliquid. Consideratio hæc locū habet in relatiuis secundum esse, in quibus etiam oporset si genus adaliquid sit, & speciem esse adaliquid. Et proinde literæ obiectiones inualidæ erunt. Secundus subnectitur cum in litera dicitur, Rursum si non ad idem, & cær. appellatúrque ab vnitate relationis, dicens. Si assignatum genus nequeat ad idem referri, ad quod refertur species, non rectè erit redditum genus. vt si multiplum non possit referri ad dimidium siue subduplum, ad quod refertur duplum, non erit multiplum genus dupli. Tertius ibi assignatus, Amplius si non ad idem & secundum genus dicitur, & cæt. qui appellari valet a superiorum generum relatione, hunc habet sensum. Non tantū oportet speciei genus propinquum, ad idem ad quod dicitur referri, sed & cuncta reliqua superiora genera, vt non tantum ad dimidium refertur dupli genus proximū quod est multiplex, sed & transcendens siue superabūdans, & ad aliquid disquiparātiæ ad idem valebunt referri. At literæ instantia, cum cōtineat ea, quæ duntaxat sunt adaliquid secundum dici, nihil momenti adfert contra hunc locū, qui intelligendus venit de ijs, quæ per se sunt adaliquid.

[Locus 2. ab vnitate relationis.]

[Locus 3. à superiorum relatione.]

Deinde in litera, ibi. Rursum si similiter dicitur genus, &c. Traditur quartus locus, qui a relatiuis penes casuum similitudinem appellari potest, est huiusmodi. Si speciei, quæ est adaliquid, genus assignetur, quod sub eodem casu non referatur quo refertur species, interimendum erit generis problema. Oportet enim vtrunq; & speciem & genus sub eiusdem casus habitudine referri, vt patet in duplo & multiplici, quæ referuntur sub habitudine genitiui casus. Verùm contra hunc locum adfert Philosophus instantiam de contrario & differenti, quæ secundum dandi casum referuntur, & de diuerso quod illorum est genus, relato in genitiuo secundum Græcos, & secundum Latinos in ablatiuo. Cæterùm quod diuersum contrarij sit genus, apertius est, q̄ vt declaratione indigeat. Quod autē differētis sit genus, ex 5. libri Metaphysices, nono cap. licet deprehēdere. Diuersa (inquit Aristoteles) dicuntur ea, quorum aut species sunt plures, aut materies, aut substantiæ ratio, atque omnino diuersum ipsum, opposito modo eidem dicitur. Differentia verò dicuntur ea, quæ diuersa sunt, etsi aliquo modo eadem sunt, modò non sint eadem numero, sed aut genere, aut specie, aut similitudine rationis.

[Locus 4. à relatiuis penes casuū similitudinē.]

[Literę instātia.]

[Arist. 5. Metaphysicæ.]

Quinti loci in litera ibi assignati, Rursum si similiter adaliquid secundum casus dicuntur, &c. dictiq; a relatiuis secundum similem casuum conuersionē, hęc est intelligentia, Si speciei & generi relatiuis secundum eundem casum referendis, relatiuè opponantur, quæ non referanrur secundum eundem casum, perperàm speciei genus est assignatum. Necessum est enim, relatiuorum & correlatiuorum, secundum eundem casum fieri conuersionem, id quod declarat in relatiuis & secundum esse, & secundum dici. At cum in litera dicitur, Similiter autem & in disciplina & opinione siue assensu. Nam & hæc alicuius & conuertitur. Similiter autem & disciplinatū & opinabile alicuius, id accipiendum est secundum Gręcum idioma. Nam apud Latinos hæc in auferendi casu referuntur.

[Locus 5. à relatiuis secundū similē casuū conuersionem.]

Sextus locus in litera ibi designatus, Rursum si non ad æqualia species & genus dicitur, &c. vocatur ab æquali relationū numero, qui est. Si species vno tantum modo ad suum correlatiuum referatur, & genus pluribus modis, aut contra, destruendum est genus assignatum. Oportet enim referri tot modis genus, quot species refertur, quemadmodum accidit in dono & datione, quæ secundum genitiuum & datiuum referuntur, quorum hæc illius genus est. cum donum definiatur esse, datio irreddibilis, hoc est, alicuius quod iure repeti non potest. Porrò hic locus cum superiore tantū probabilis est, & non vniuersaliter verus, id quod monstrat ea pars literæ, In aliquibus autē non accidit ad æqualia, &c.

[Locus 6. ab æqli relationū numero.]

Post hæc in litera, ibi. Videndum autem etsi oppositi est oppositum, &c. Explicatur septimus locus, a relatiua specie appellatus, qui est eiusmodi. Si proponantur species & genus, quæ oppositā speciē & genus oppositū relatiuè habeant, si posita species in proposito genere fuerit, & species opposita erit in genere opposito, & cōtra. vt si duplum veluti species, sit in multiplici tanq̄ genere, erit subduplum, in submultiplici velut species in genere, & ediuerso: Est autem hic locus & construenti & destruenti vtilis, ex quo desumitur illa maxima propositio, Relatiuè opposita non posse contineri sub eodem genere proximo.

[Locus 7. à relatiua specie.]

[Maxima.]

Pro octauo & vltimo huius literæ loco, a relatiuorum diuisione, facta ad eorum subiecta collatione dicto, redditoque, ibi. Considerare ergo oportet, & cęt. pręmittit Philosophus ibi, Quoniam autē eorū quę sunt adaliquid, & cæ. eorū quæ sunt adaliquid partitionem trimembrem eiusmodi. Eorum quæ sunt adaliquid, quædam ex necessitate insunt illis aut circa illa, ad quæ referuntur, quales sunt, habitus, dispositio, & commensuratio. Per quam accipit Albertus virtutem. At Antonius Démochares per commensurationem, inrelligendam existimat mixtionem. Alia sunt adaliquid, quæ non est necesse ijs, ad quæ referuntur inesse, etsi id euenire possit, vt est scientia, quam animæ

[Locus 8. de relatiuorū diuisione.]

[Trimēbris relatiuorū partitio.]

constat inesse, quæq; ad scibile refertur, quod animæ conuenit, dum sui scientiam anima habet. Non tamen id necessum est accidere, eò quòd scientia, quæ in anima existit ad aliud referri possit, puta res mathematicas, aliaq; id genus, quæ neq; anima neq; homo existunt. Tertio loco alia sunt, quæ nequeunt illis ad quæ referuntur inesse, vt contrarium, duplum, & reliqua, quæ dicuntur relatiuè opponi. At dum in litera dicitur, Neque scientiam scibilis, nisi sit scibile animal, & cæt. animalis loco legenda est anima. Quòd si quis requirat adaliquid secundum esse, quæ sint ex duobus primis generibus, hæc poterit eligere. idem numero, agens patiens, & similia. Nam idem numero, ex necessitate inest illi ad quod dicitur. Agens verò & patiens, etsi nonnunquã in idem incidãt, nõ tamen perpetuo. His itaq; præmissis subnectit Philosophus octauũ locũ eiusmodi, generis & speciei destructiuũ, si speciei quę sit adaliquid vnius generis, assignetur genus alterius generis. Aut generi vnius ordinis reddat species alterius, improba erit generis & speciei constitutio. Vt si memoriæ, quæ est secũdi generis, pro genere assignetur mansio, hoc modo descripta memoria. Memoria est mansio, cũ mansio sit primi ordinis, pro genere assignatum est, quod primi est generis, speciei quæ est secundi ordinis, quare prauè est genus assignatũ. Cæterùm hic locus sic in Boetiana versione legitur. Considerare igitur oportet, si quis in genere ponat quod tale est, in non tali, vt si memoriam, immansionẽ scientiæ dicat. Nam omnis immansio, in manente & circa illud. Quare & scientiæ immansio, in scientia. Memoria igitur in scientia, eò quòd immansio scientiæ est, hoc autem non contingit. Memoria enim ois in anima. Porrò memoriam hoc pacto definit Ioannes Damascenus. Memoria est imaginatio relicta ab aliquo sensu secundum actum apparentem, aut confirmatio sensus & intelligentiæ. Postremò in literæ calce, ibi. Est autẽ qui dictus est, &c̃. asserit Philosophus, dictum locum vtilem esse ad interimendum accidentis problemata, eo quòd quẽadmodum vnum vnius ordinis nequit esse genus aut species eius quod est alterius ordinis, sic nec simili modo potest vnum alterius esse accidens, quod an vniuersaliter veritati subnixum sit, diligentioribus lectoribus discutiendum relinquimus.

Explicatur 8. locus.

Quid sit memoria secũdũ Ioannẽ Damascenũ

Rursũ si habitum in actu posuit.

In decimum caput, monstrans quomodo terminanda sint generica problemata facta inspectione ad actum, habitum, potentiam, & consequentia, annotatio.

HVius capitis tres sunt loci. Primus vocatus ab habitu & actu est huiusmodi. Si quis actũ in habitu, aut habitum in actu, velut speciem in genere collocaueris, interimendum erit generis problema. At nomen habitus, ad potentias extẽdit Philosophus, quòd semper habeantur. Alioqui non foret sensus, habitus. Huius loci causam arbitrantur nonnulli esse, quòd aliàs diuersorum generum & non subalternatim positorũ diuersæ essent species & differentiæ. Autumant enim ij de quibus agimus, habitus esse prædicamenti qualitatis, & actus pertinere ad actionis classem. Secundus in litera ibi assignatus, Peccant autem & qui habitum, &c̃. dicitur ab habitu & consequente potentia seu passione, qui est. Perperàm genus assignant, qui habitum tanquam speciem constituunt in potentiam & passionẽ consequentem, vt peccant qui arbitrantur mansuetudinis genus esse iræ continentiam: fortitudinis, timorum continentiam: & iustitiæ, continentiam lucrorum. Hæc enim ab illis separari possunt, cũ mansuetus non semper irascatur, nec fortis timeat, nec iustus lucrari intendat, sed perturbatione frequenter careant. Eum aũt qui continens est, perturbari est necesse. Huius loci exemplum, ex litera facile est intellectu, quæ sic habet, vt mansuetudinẽ, continentiam iræ, fortitudinem & iustitiam, timorũ & lucrorum continentiam. Nam fortis & mansuetus, perturbatione vacãs dicitur. Continens autẽ, qui perturbatur sed non ducitur, fortasse igitur talis potentia sequitur vtrunq;, vt si perturbetur nõ ducatur. Verùm continere nõ hoc est, hunc quidem fortem, illum autẽ mansuetũ esse, sed omnino perturbari ab huiusmodi nihil. Cum igitur sine huiusmodi iræ, timorum, & lucrorum continentia possit esse mansuetus, fortis, & iustus: Genus autem non valet a specie separari, non erit continentia, mansuetudinis, fortitudinis, & iustitię genus. At tertij loci ibi descripti, Aliquoties autem & quod sequitur quouis modo, & cæt. appellatiq; a consequentibus, hæc est sententia. Etsi genera nunquam relinquant species, sed illas semper sequantur, non tamen quicquid quouis modo sequitur alterum, credendum est leuiter genus esse, eò quòd accidentia ipsa, & quæ non sunt de ratione rerum, nonnunquam comitentur. At quo pacto sese habeant tristitia & ira, moralis est instituti: quemadmodum & & Physici est inuestigare, quid sit fides seu credulitas, quidq; opinio, & an ab eadem opinione possit formido tolli, ita vt ex opinione credulitas fiat, & id genus alia.

Locus 1. ab habitu & actu.

Locus 2. ab habitu & cõsequente passione.

Locus 3. à consequentibus.

Videndũ autẽ & si in aliquo.

In vndecimum caput, ostendens definire generis problemata, inspiciendo ad subiectum dici secundum quid, & ad se habere vt partem ad totum, scholia.

Præsentis

PRæſentis literæ ſumma tribus explicatur locis. Quorum primus a ſpeciei & generis ſubiecto appellatus, eſt eiuſmodi. Si quid pro genere alicuius ſpecici deſignetur, quod non natum ſit eidem ſubiecto ineſſe cui ineſt ſpecies, praua erit generis aſſignatio. Et proinde non eſt verecundiæ genus timor: neq; triſtitiæ ira, neq; amicitiæ voluptas, ſi amicitia in potentia concupiſcibili ſit, & voluptas in rationali duntaxat. Item & ira in iraſcibili, triſtitia autē in concupiſcibili, cui ſoli ineſt voluptas triſtitiæ contraria. Similiter & verecundia in rationali, & in iraſcibili timor. Porrò cum eo, quo negatur verecundiæ genus eſſe timor, pugnare apparet Damaſcenus, qui timorem ſecat in ſex ſpecies. Diuiditur autem (inquit) timor in ſex, in cunctationem, verecundiam, erubeſcentiam, ſtuporem, terrorem, & agoniam. Verecundia, timor eſt ex expectatione conuitij, Et hic affectus optimus eſt. Sic Damaſcenus. Diuus Thomas, quodā in loco ex hoc quarto Topicorum libro adfert, verecundiam eſſe timoris ſpeciem. Et proinde ſuſpicamur, duplicē Philoſophum inſinuaſſe timoris acceptionem, quā his verbis explicat Albertus Thomæ præceptor. Eſt autem (inquit) hic notandum, quòd pro certo ab autoribus timor ponitur eſſe genus verecundiæ. Dicit enim Damaſcenus, quòd verecundia eſt timor in turpi perpetrato. Sed timor dicitur æquiuocè, ſecundum quod eſt fuga turpis, & ſecundum quod eſt fuga periculi: hoc autem modo quo eſt fuga cordis in periculo, non poteſt eſſe genus verecundiæ, & ſic intelligitur quod hic dicitur. At Antonius Demochares conſiderans omnem timorem veluti paſſionem eſſe in potentia ſenſitiua, duplicem conſtituit verecundiæ ſignificationem, ſecundum quarum vnam exiſtimat ipſam ineſſe rationali potentiæ. Accipitur (inquit) nomen verecundiæ pro pudore illo ingenuo, cum obſeruantia quadam producto, cuiuſmodi eſt pudor ille honeſtus filiorum erga parentes, non ob ſcelus patratum, verùm propter obſeruantiam, αἰσχύνη propriè dicitur pudor ob ſcelera perpetrata. Verùm αἰδώς, eſt metus infamiæ, ſeu vt Stoici definiunt, φόβος τῆς ἀδοξίας. Hæc Demochares. Verùm quibus parum curæ ſunt exempla, arbitrantur exemplum redditum eſſe ſecundum veterum opinionem, aut accipiendum admiſſa hypotheſi, qua ſubinde vtitur Philoſophus in reddendis locorum exemplis. Cæterùm in huius loci calce, ibi. Vtilis autem hic locus, & cæt. ſubnectit Philoſophus, hunc locū idoneum eſſe ad interimendum accidentis problema. Nam ſi duorum accidentium, quorum vnum alteri accidat, id cui alterum accidit, nō inſit eidem ſubiecto, deſtruendum eſt accidentis problema. Secundus ibi aſſignatur, Rurſum ſi ſecundum quid ſpecies, &c. nuncupaturq; a ſpecie genus ſecundum quid participante, qui eſt huiuſmodi. Si quippiam tanquam genus conſtituatur alicuius ſpeciei, quę illud participet ſecundum quid, hoc eſt ſecundum partem, praua erit generis aſſignatio, cum oporteat ſpeciem genus ſimpliciter participare, atq; ſecundum ipſius totam rationem. Et proinde animalis genus non eſt aut ſenſibile aut viſibile. quòd animal huiuſmodi ſit duntaxat ſecundum corpus, non autem ſecundum animam ſenſitiuam. Porrò ea literæ pars, neq; grāmatica diſciplina, ad hunc modum eſt legenda, Neq; grammatica ſecundum quid diſciplina, Similiter autem & in alijs. Porrò tertij loci in litera breuibus deſcripti ibi, Latent autem quandoq;, & cæt. appellatiq; a parte, hæc eſt ſententia. Qui totum integrale vel eſſentiale, in parte reſpōdente, veluti in genere vel latenter collocat, illegitimè genus aſſignat, eo quòd huiuſmodi pars vt pars deſignata, aut omnino de ſuo toto nequeat prædicari, aut non in quid: vt errat qui animalis exiſtimat genus eſſe corpus animatum. Idem cenſendum eſt de corpore, animalis collatione. Porrò corpus animatum, accipit quidem Porphyrius vt animalis ſit genus. ſic enim inopia verborum quod deeſt circumloquitur. At Ariſtoteles pro corpore illo cui anima ineſt, & non pro compoſito hic ſumit. Ideo forſitan Argyropilus, quòd ſignificatio Ariſtotelis non eſſet pro corpore animato, plerunq; viuens vſurpauit.

Obiectio. Damaſcen9. Thomas. Dilutio. Albertus. Antonius Demochares. Locus 2. a ſpeciei ſecūdū qd genus participāte. Locus 3. a parte.

In duodecimū caput, monſtrans quo pacto definire oporteat generis problemata, conferendo bonū & malum ad potentiā, & id quod ſub pluribus continetur generibus ad alterū, annotamentum.

Videndū autē ſi quid.

COmplectitur hoc duodecimum caput tres locos. Quorum primus ab eligendo appellatus, eſt eiuſmodi. Quiſquis aliquid vituperabilium ac fugibilium, ſub potentia vel potente tanquam genere callocauerit, perperàm genus conſtituit, vt peccat qui furis aut latronis genus dicit eſſe, poſſe aliena clam aut apertè ſurripere. Non enim quis ideo fur eſt, quia poteſt aliena ſurripere, ſed qui ſcienter aliena ſurripit inuito domino. quēadmodum nemo prauus dicitur, quod praua poſſit agere, id quod approbat Philoſophus bifariàm. Tum primò, quia ſtudioſus & Deus, quos conſtat non eſſe prauos, poſſunt praua agere. Id quod de ſtudioſo nihil habeat ambiguitatis. De Deo autem, ſi pro abſoluto illo & immenſè bono ſumatur, id ſentire nefas eſt. tametſi ea poſſit, quæ praua videri poſſint. At de dijs gentium nemo

Locus 1. ab eligendo.

non concedit, secundum quorum fortasse morem Aristoteles hic locutus est, sic & Ouidius.

Vir magnus bello, nulli pietate secundus
Aeneas, odijs Iunonis pressus iniquae.

Vbi Iunonem iniquam appellat, quae a gentibus dea credebatur. Tum secundo, quia omnis potestas est eorũ quae sunt eligenda. Nam potestas prauorũ efficiendorũ est eligenda, eò quòd studioso & deo cõueniat. Quare nullius vituperabilis genus erit potestas. Nam si nõ verum sit, nullius vituperabilis potestatẽ genus esse, accidet aliquod vituperabile esse eligendũ. Cum enim omnis potestas sit eligẽda, & quaedã item potestas sit vituperabilis, nempe ea quę est prauorũ, erit quoddã vituperabile eligendũ. Secundus locus vocatus a bono propter se, assignatur ibi. Et si quid propter se honorabilium, & cęt. cuius hic est sensus. Cum honorabilium & propter se bonorũ genus tantũ sit bonũ propter se, perperàm assignat honorabilibus & propter se bonis, potestatẽ potentẽ vel effectiuum. Nam haec duntaxat bona sunt propter aliud eligenda. Caeterùm tertius locus in litera ibi descriptus, Aut si quid eorũ quae sunt in duobus generibus, &c̃. dictusq; a generum cõmunione, est eiusmodi. Si quaedam proponãtur, quę duo genera participẽt ex aequo vel plura, si talia in vno genere tantũ posuerit, interimendum est generis problema. Dicitur autem ab Aristotele, tum plura genera esse, quando vnum genus pluribus dictionibus genericis circumloquimur, vt seductor positus sub potente & eligente decipere, sub pluribus generibus ponitur, neq; sub potente decipere, neq; eligente rectè assignatur. Fraudulentus is est, qui potest & eligit alterum sub latenti vafremento decipere. Calumniator autem, qui potest & eligit alteri falsum crimen impingere.

Locus 2. à bono ppter se.

Locus 3. à generũ communione.

Amplius aliquoties ecõuerso

In caput decimum tertium, docens definire generis problemata, comparatis ad se inuicem genere & differentia. Item subiecto & passione, scholia.

TRes sunt numero huius literae loci. Quorũ primus nuncupatus a differentia tanq̃ genere collocata, & cõtra, est. Si quis genus vt differentiam, aut differentiã vt genus assignauerit, improba erit generis & differentiae constitutio. Vt peccat qui arbitratur stuporis genus superabundantiam esse, & fidei vehementiam, id quod tribus rationibus comprobat Philosophus. Quarum secunda ibi assignatur, Amplius si quis superabũdantiam. Et tertia ibi, Amplius accidet sic assignanti vehementiam vehementem dicere. Secundus locus assignatur ibi, Quandoque autem peccant & passionum, & caet. qui dictus a passionis subiecto, hunc habet sensum. Peccant interdum ob ignorantiam, qui passionis & accidentis subiectum constituunt ipsius esse genus. Tertius locus superioris conuersiuus, ibi redditus, Rursum si passionẽ cuius est passio, &c̃. appellatusq; a subiectũ passione, est huiusmodi. Errat qui pro subiecti genere passionẽ assignauerit. Cęterùm literae exemplum, quo dicitur perperàm finiri spiritus seu ventus esse aer motus (saluo semper aliorũ melius sentientium iudicio) ad superiorẽ potius pertinet locum, quàm ad hunc. Quippe cum declaretur ventus, qui definitur esse ipsius aeris passio, & proinde non constituatur passio subiecti genus, sed contra, subiectũ passionis genus. At quod sit venti genus, quid ve sit, ex Physicis est petendum. Porrò ad ampliorem secundi loci declarationẽ, non inutile nobis videtur, si quaedam adijciamus ex D. Thomae Aquinatis opusculo, cui nomẽ de ente & essentia praefixit. Hic enim in eius operis calce de passionũ finitionibus agens, ad hunc modum disserit. Quoniam (inquit) accidentia non componuntur ex materia & forma, ideò non potest sumi in eis genus a materia, & differentia a forma, sicut in substantijs compositis, sed oportet vt genus primùm sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diuersimodè secundum prius & posterius de decem generibus praedicamentorum praedicatur. Sicut dicitur quantitas, ex eo quod mensurat substãtiam. & qualitas, secundũ quod est dispositio substantiae, & sic de alijs secundum Philosophum decimo Metaphysicae. Differentiae verò in eis sumuntur ex diuersitate principiorũ ex quibus causantur. Quia verò propriae passiones ex proprijs principijs subiecti causantur, ideò subiectũ ponitur in definitione earum loco differentiae, si in abstracto sumantur, secundum quod sunt propriae in genere, sicut dicitur quòd simitas est curuitas nasi. Sed econtrario esset, si eorum definitio sumeretur secundum quod concretiuè dicuntur. Sic enim subiectum, in earum definitione poneretur sicut genus, quia tunc definirentur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur a materia, sicut dicitur, quòd simũ est nasus curuus. Etiam est similiter, si vnũ accidens alterius accidentis principium sit, sicut principium relationis est actio, & passio, & quantitas. Et ideo secundum hoc diuidit relationem Philosophus in quinto Metaphysicae. Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta, ideo quãdoq; sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregatiuum & disgregatiuum dicuntur

Locus 1. à differẽtia velut genere collocata.

Locus 2. à passionis subiecto.

Locus 3. à subiecti passione.

Thomas.

dicuntur differentiæ coloris, quæ causantur ex abundantia vel paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur. Hæc Diuus Thomas eo in loco. Verùm de hac re exactior consyderatio ex Metaphysicis est perenda.

Thomas.

In decimum quartum caput, quo nos instruit Philosophus definire generis generatim accepti problemata per locos communes, annotatiuncula.

Amplius si omnino.

HVius capitis summa quatuor locis comprehenditur. Quorum primus, quem à toto quidam appellant, est. Si quid alicuius genus esse constituatur, quod nullius omnino genus est, non erit rectè genus assignatum, & proinde interimēdum erit problema propositum. vt huius albi non est genus album, neque huius albedinis albedo, cùm nequeat album vel albedo de specie differentibus prædicari. At secundus locus a transcendente vocatus, assignatur ibi, Rursum si quod omnia sequitur, &c. qui est eiusmodi, Si quod transcendentium, siue ad omnia sequentium, tanquam omnium præsertim communium genus aut differentia constituatur, perperàm erit facta generis aut differentiæ assignatio. Adiecimus, tanquam omnium præsertim communium, quia nonnulli vel probabiliter tuentur, ens genus esse omnium, quæ in classibus prædicamentalibus continentur, non autem comparatione vnius veri & boni, quæ vulgò entis passiones existimātur. Loci huius declaratio intellectu ex se est facilis. Porrò duo reliqui in literæ calce assignantur, quorum prior dictus a continente subiecto, est. Si quid statuatur esse alterius genus, cui tanquam subiecto inest, destruendum est generis problema. vt niuis genus non est albedo, quòd ipsa insit niui. Posterior appellatus ab vniuoco, est. Si quid pro alterius genere assignatur, quod de illo non prædicetur vniuocè, reficienda erit generis constitutio.

Locus 1. à toto.

Locus 2. à transcendente.

Locus 3. à continente subiecto.

Locus 4. ab vniuoco.

In decimumquintum capitulum, quo docemur terminare generica problemata, facta ad peius melius, magis & minus collatione, Scholia.

Amplius quando existente.

QVatuor in hoc capite proponit Philosophus locos, inter quos primus in literæ exordio positus, quem quibusdam placuit vocare ex contrariæ speciei transsumptione, est huiusmodi, Si aliquando proponatur genus habens contrarium, cuius & species contrarium similiter habeat, si meliori speciei adferatur quod peius est pro genere, aut contrà, peiori speciei quod melius est, destruendum est generis problema. Alioqui in contrariis moralibus id quod bonum est, in genere malorum constituendum foret, aut quod malum est, in bonorum genere. Errat igitur, qui corpoream voluptatē dixerit esse fœlicitatem, quòd id quod malum est in virtute collocet, quæ melius bonum est, cuiq; vitium contrariè sit oppositum.

Locus 1. ex cōtrariæ speciei trāsumptione.

Post hæc in litera ibi, Etsi eodem similiter ad vtraq; se habente, secundus redditur locus, quem a pari appellant, cuius hæc est summa, Si quippiam ad duo genera similiter se habeat, quorum alterum est melius, & alterum peius, & possit in vtroq; poni vt in genere, conuenientius fuerit reponere in genere meliori quàm peiori. Quapropter peccat, qui animam, quæ similiter (aliquorum sententia) sese habet ad motum & quietem, seu stationem in motu, tanquam in genere collocat, cùm statio & quies melior sit agitatione atq; motu. Cæterùm quietem siue stationem non accipit Aristoteles pro motus priuatione, quam peiorem constat esse ipso motu, sed pro forma positiua, quam id quod mouetur assequitur cessante motu. Hoc exemplum videtur allatum esse contra Platonicos, qui arbitrabantur, animam numerum esse à seipso motum. Tertius huius capitis locus ibi assignatus, Amplius ex magis & minus, &c. cui nomenclaturā indunt à genere magis & minus suscipiente, est huiusmodi. Si aliquid quod magis & minus suscipiat, pro genere constituatur eiusdem speciei, quæ neq; secundum se, neq; secundum suum denominatiuum recipiat magis & minus, interimendum est generis propositum problema. Nam si species concretiuè designata magis & minus recipiat, oporter & genus simili modo sumptum, secundum magis & minus prædicationem suscipere. Et contrà, si genus prædicationem secundum magis & minus recuset, necessum est, vt nulla eius generis species possit secundum magis & minus prædicari, quemadmodum aliis in locis vtcunq; explicuimus. Porrò quarti loci ibi redditi, Rursum si quod magis videtur vel similiter, non est genus, &c. atq; dicti ab ipso magis & paribus, hæc est summa, Si duorum propositorū vnum videatur magis genus esse quàm alterum, & quod magis videtur non est genus, neq; quod minus. Si verò similiter vtrumq; videatur esse genus, si vnum genus non fuerit, colligetur quoque alterum genus non esse, vt de ira prædicari videtur tristitia & opinio in eo quod quid est. Nam dicitur aliquando ira tristitia, Aliquando & ira dicitur opinio contemptus. Cùm igitur vtraq; de ira prædicentur, & non sit manifestum vtrùm illorum sit genus, sumendum est id quod magis videtur esse genus. Quòd si comprobetur, id non esse genus, neq; quod minus

Locus 2. à pari.

Locus 3. à genere magis & min⁹ suscipiente.

Locus 4. ab ipso magis & paribus.

videtur esse, erit. vt si tristitia dicatur non esse genus iræ (quemadmodum superius monstratum est) quæ magis videtur, neque ipsius iræ genus erit existimatio siue opinio. Quæ in huius loci explicationem adferuntur, cùm sint vtcunque lectoribus intellectu facilia, non est opus vt pluribus verbis ea explicemus.

Amplius ad construendum.

In decimumsextum caput, quo docet Aristoteles tantùm construere generis problemata, annotariuncula.

Locus 1. ab ea quæ in quid est prædicatione.

Complectitur præsens litera tres locos generis constructiuos. Quorum primus appellationem habens ab ea quæ in quid est prædicatione, est huiusmodi, Supposito q quippiam de pluribus specie differentibus prædicetur, si id de illis in quid prædicetur, construendum est esse generis problema. Item si quid de vna specie prædicetur in quid, & similiter de aliis, probè erit speciei genus assignatum. Contrà, si non in quid prædicetur, aut non de specie differentibus, aut de vnica duntaxat specie, generis problema foret interimendum. Cęterùm ne quis differentiam existimaret esse genus, eò q vtrisq; conuenit quodammodo in quid prædicari (Differentia enim in eo quod quale quid est, de speciebus dicitur) in litera ibi, Quoniam aũt videtur in quibusdam & differentia in eo quod quid est de speciebus prædicari, separandum est genus a differentia vtentes iis quę dicentur elementis, subnectit Philosophus tria generis & differentiæ discrimina, de quibus abundè diximus in Isagoge Porphyriana, & in Aristotelis Categoriis circa tertiam substantiæ proprietatem. Porrò secundi loci in litera illic redditi, Quoniam autẽ videtur musicum in eo quod musicum, &c. vocatiq; à denominatiuis, sensus est iste, Si vnum denominatiuorũ alterius sit genus, erit & denominans, alterius denominantis genus, quod licet per locum a coniugatis monstrare. Tertius locus, qui a consequentibus appellatus, ibiq; in litera designatus, Amplius quoniam quod sequitur aliquid, &c. probabilis duntaxat est, & non in omnibus veritatẽ continens, qui est eiusmodi, Si vnum semper ad alterum sequatur, & non contrà, illo tanquam genere est vtendum, eò quòd difficile sit illud a genere separare. &, vt inquit Faber, tametsi illud communius non esset genus, vult tamen nos plærunq; non præbere difficiles, sed obsequi. quia in multis proprium genus assignare est quàm difficillimum, neq; decet dialecticum multum esse contentiosum, & talia interdum generum loco sunt recipienda. At quo pacto illud instantiæ (quoniam non ens sequitur omne quod fit) veniat intelligendum, in priori Peri Hermenias libro est expeditum. At huius libri locorum ordinem atque nuncupationem monstrat subiecta formula.

Locus 2. à denominatiuis.

Locus 3. à consequentibus.

Catalogus locorum ad generis problemata.

1. A cognatis.
2. Ab accidentis prædicatione.
3. A definitione accidentis.
4. A prædicamenti distinctione.
5. A speciei participatione.
6. A speciei verificatione.
7. A specierum participatione.
8. A speciei maiori prædicatione.
9. Ab æquali specie.
10. Ab indiuiduis.
11. A diuerso genere.
12. A superioris prædicatione.
13. A speciem participantibus.
14. A generum prædicatione.
15. A specie subalterna.
16. Ab vniuoca prædicatione.
17. A differentia prædicante.
18. A differentia subiecta.
19. A genere speciei subiecto.
20. A differentia speciei subiecta.
21. A genere differentiæ subiecto.
22. A genere pro differentia.
23. A differentiarum prædicatione.
24. A specie priore.
25. A specie inseparabili.
26. A contrario genere.
27. A speciei communicatione.
28. Ab æquiuocatione.
29. Ab vnitate speciei.
30. A metaphora.
31. A speciei contrario.
32. A contraria specie.
33. A genere contrario.
34. A medio contrariorum.
35. A mediis variè eloquutis.
36. A mediis contrariorum generis.
37. A contrario genere.
38. A contrariis & mediis.
39. A casibus & coniugatis.
40. A proportione.
41. A generationibus & corruptionibus.
42. A causis efficientibus.
43. Ab oppositis priuatiuè.
44. A contradictoriis.

45. A rela-

45. A relatiuis.
46. Ab vnitate relationis.
47. A superiorum relatione.
48. A casuum similitudine.
49. A conuersione casuum simili.
50. A numero relationum eodem.
51. Ab opposita specie.
52. A relatiuorum diuisione.
53. Ab habitu & actu.
54. A consequentibus.
55. A subiecto.
56. A specie genus participante secundum quid.
57. Ab eligendo.
58. A bono per se.
59. A generum communione.
60. A differentia.
61. A subiecto passionis.
61. A passione.
63. A toto.
64. A transcendente.
65. A continente subiecto.
66. A non vniuoco.
67. A transsumptione.
68. A paribus.
69. Ab ipso magis & minus.
70. Ab ipso magis & paribus.
71. A prædicatione in quid.
72. A denominatiuis.
73. A consequentibus.

Quarti libri Topicorum finis.

¶ IN QVINTI TOPICORVM LIBRI, DOCENTIS TERMINARE PROPRIORVM PROBLEMATA, Primum caput, quod proprij diuisionem complectitur, & illud de quo agendum sit explicat, Scholia.

Vtrùm aũt proprium an non.

Pertractatis superiori libro iis locis, quibus instruimur cõstruere & destruere generica problemata, in hoc quinto libro congruenti ordine eorum locorum tractatum aggreditur, quibus valeamus conflata ex propriis problemata definire. Nam proprium, veluti quoddam interiectum medium est inter genus & terminum. Latius enim se fundit genus quàm proprium, quod definitioni collatum imperfectioris rationem suscipit, cuiusq; loci elementa sunt terminandorum definitionis problematum. At nomine proprij (de quo præcipuus hic est sermo) catagraphen descriptionemq; intelligimus, quæ cum termino seu definitione conuenit, tum quòd vtraq; oratio est, tum quòd vtraq; est notum faciendi gratia, deniq; quòd vtraq; remeat. Differt autem quòd hæc, ex iis solis, quæ essentiam cõcernunt, coalescit, Illa verò nonnihil accipit quod ad essentiam minimè pertinet, quemadmodum alibi vberius est explicatum. In huius itaq; quinti libri capite primo, ad hunc modum præfatur Aristoteles, Vtrum autem proprium, an non proprium, quod dictum est, per hæc consyderandum. Deinde mox in litera ibi, Assignatur autem proprium, aut per se & semper, &c. Proponit quandam proprij diuisionem, quę Fabro, Alberto, aliisq; videtur esse trimembris, Alij quadrimembrem esse arbitrantur. Propriorum enim quoddam est per se, vt per se proprium est homini, esse animal natura mansuetũ. Nam animalia mansueta videntur quædam irrationalia, sed non natura, verùm consuetudine, & industria, vt aues quædam. Aliud est proprium semper, vt Dei animal immortale, sumpto immortali non vt Dei sit differentia, sed potius accidens proprium. Aliud est ad aliud, vt animæ ad corpus comparatæ, corpori imperare, & corpori ad animam collato, animæ parére & inseruire. Aliud est aliquando proprium, vt alicuius hominis ambulare, dum ambulat solus in theatro, seu quemadmodum habet Boetius, in gymnasio. Est autem gymnasium locus exercitationis alicuius, vt rei literariæ ludus. Deinde in litera ibi, Sunt autem proprij quod ad alterum est, &c. monstrat quòd duobus aut quatuor modis valeamus proprij ad alterum interimere problema duobus quidẽ, si idem proprium duobus cõparetur, vni cui conueniat, & alteri à quo remouetur. Quatuor verò, si duobus duo tribuantur eiusmodi ad aliquid. verbi gratia, hoc problema, Sitne ad equum homini proprium bipes, bifariàm destruetur, nempe si quis monstrauerit, aut hominem non esse bipedem, aut equum esse bipedem. Quòd si in medium adferatur, an ne ad equum homini sit proprium bipes, & equo ad hominẽ quadrupes. interimetur, si monstratum fuerit, hominem non esse bipedem, aut equum non esse quadrupedem, aut hominẽ esse quadrupedem, aut equum esse bipedem. Cæterùm ne mox tradita

Proprij diuisio quadrimembris.

Propriũ per se.

Propriũ semper.

Propriũ ad aliud.

Propriũ aliquando.

Quid per se proprium.

tradita proprij distributio, lectori incognita permaneat, in literæ decursu ibi, Est autem per se quidem proprium, &c. singula illius membra ad hunc modum describit. Id per se proprium est, quod ad omnia assignatur, & ab omni separat, hoc est, quod alicui speciei accidit, & omnibus sub ipsa contentis, & eam speciem à cæteris omnibus dissepatat, & distinguit, vt hominis, per se proprium est esse animal rationale, disciplinæ capax, quod homini omni, & soli acciden

Quid ad aliud pprið.

taliter insit. Ad aliud proprium est, quod accidit speciei, quam non ab alio omni diuidit, vt virtuti naturali ad disciplinam, proprium est pluribus inesse. Nam hæc soli animæ & rationalibus animalibus conuenit, illa autem, pluribus & rationalibus & irrationalibus, & animatis & inanimatis, & naturalibus & artificialibus. vt hominis virtus dicetur, posse intelligere, equi currere, domus defendere ab imbrium & ventorum iniuriis, cubiculi seruare contenta,

Quid semp proprium.

& sic in reliquis. At semper proprium est, quod secundum omne tempus verificatur, & nunquam relinquitur, vt animalis ex anima & corpore compositum esse. At illud est proprium

Quid sit propriū aliquando.

aliquando, quod secundum aliquod tempus verum est, & non ex necessitate semper subiectum consequitur, vt comparatione hominis in foro deambulare. Cæterùm non iniuria

Quæstio.

posset quis rogare, quo pacto sese habeant eiusmodi proprij acceptiones, ad eas tres quas in primo Topicorum reddiderat Aristoteles, & eas quatuor quæ à Porphyrio in sua Isagoge

Solutio.

sunt explicatæ? Cui summatim responsum sit, Id facilè posse ex singulorum modorum finitionibus deprehendi. Nam quod in præsentia dicitur per se proprium, id ab Aristotele in primo huius descriptum est, idem quoq; est proprio quarto modo à Porphyrio descripto. Deinde, cùm id quod semper inest, interdum soli & omni speciei accidat, interdum autem omni & non soli, manifestum euadit, eorum quæ sunt semper propria, quædam esse propria secundo modo, iuxta proprij acceptiones in Isagoge Porphyriana traditas. Alia verò propria quarto modo. At quid sentiendum sit de propriis ad aliud & aliquando, palàm est ex prius dictis.

Duplex proprium ad aliud.

Post hæc in litera ibi, Est autem ad alterum proprium, &c. partitur Philosophus proprium ad aliud, in duo membra. Eiusmodi enim proprij quoddam est, quod speciei omni, & semper conuenit. vt bipes homini ad equum collato, hoc modo est proprium. Alterum est, quod in pluribus & sæpius speciei conuenit, quemadmodum potentiæ rationali conuenit imperare potentiis concupiscibili & irascibili, quibus competit vt in plurimum & frequentius parère, quàm imperare, etsi nonnunquam imperent, vt palàm est in incontinentibus. Deinde ibi in litera, Propriorum autem ea maximè logica sunt, &c. aliam assignat propriorum distributionem, dum testatur propriorum quædam esse logica, vt sunt propria per se, semper, & ad aliud, quòd ex his fiant problemata dialectica, ad quæ rationes & crebræ & bonæ, siue conuenientes adferri possunt, cuiusmodi sunt problemata ex illis propriis procreata. At proprium aliquando non est logicum, eò quòd ex ipso non constituatur problema, quod variis modis aut construi queat, aut interimi. Quam obrem in litera ibi, ad aliud igitur proprium, & cæt. colligit Philosophus, hoc in libro agendum esse de solis propriis, quæ per se & semper sunt. Nam in secundo & tertio libris, quibus pertractatum est de accidente & ipsius annexo, sufficienter abundeq; expedita sunt, quæ idonea videri possunt definiendis eorum propriorum, quæ ad aliud sunt, problematibus.

Primū qdē an bene assignatū

In secundum caput, quod ostendit, quo pacto interimitur proprij problema, si non sit proprium subiecto notius, annotatio.

Locus 1. ab ignotiore.

Prælibatis iis, quæ sequentium veluti quædam seminaria fulsimentaq; videbantur, impræsentiarum aggreditur Philosophus eorum locorum tractationem, quibus queamus & interimere & appobare proprij problemata. Primùm eos locos recenset, quibus possimus agnoscere, an proprium, quod assignatum est, bene, an non bene sit redditum. In hoc autem secundo capite duos enumerat locos. Quorum prior nuncupatus ab ignotiore, hanc habet sententiam, Si cui subiecto constituatur aliquod proprium, quod non sit notius, sed ignotius, aut æquè ignotum, interimendum erit proprij problema. Sin autem eq notius fuerit, eâtenus construendum erit proprij problema. Nam discendi causa (vt inquit Aristoteles) & proprium & definitiones facimus. Cæterùm cùm subiectum sui proprij causa sit, & eo secundum se, naturáque prior atque notior, accipiendus veniet hic locus de his quæ nobis priora sunt atq; notiora. Peccat igitur cum Leucippo Democritus, qui igni proprium statuit esse animæ simillimum, cùm ignis longè notior sit, (est enim sensibilis) quàm

Locus 2. ab ignotiore coueniente

animæ esse simillimum, eò quòd animæ natura non satis nobis sit cognita, id quod apertè monstrant super anima diuersæ Philosophorum sententiæ, quas in primo de Anima libro adfert, & prosequitur Philosophus. Secundus locus ibi in litera redditus, Illud autem si

non

non notius est hoc huic inesse,&c. quem appellant ab ignotiore conuenientia,est eiusmodi. Si quod pro proprio assignatum est, notius nō sit ipsum subiecto inesse,quàm ipsum subiectum secundum se esse,quemadmodum asserit diuus Albertus, perperàm redditum est proprium. Quòd si notius sit ipsum subiecto inesse,adstruendum erit secundum quid problema, hoc est, ad eum vsq; modum.Quam ob rem lapsi sunt nonnulli, è quorum numero fortasse fuit Democritus,qui igni proprium tribuebant esse id,in quod primò nata est esse anima.Nam ignotius est & animam inesse alicui, & alicui inesse primò, quàm ignem esse. Hactenus de huius capitis explicatione.

In tertium caput,docens interimere,construereq; proprij problemata,inspecta proprij & subiecti simplicitate & multiplicitate, Scholia.

Deinde destruē ti qdē si qd nominum

HOC tertio capite monstrat Philosophus,per duos locos quomodo definienda sint proprij problemata, ratione obscuritatis in sermone repertæ. Prior locus à proprij æquiuocatione appellatus,est huiusmodi, Si quid constituatur proprium, cuius aliqua pars sit æquiuoca dictio,aut quod oratio sit ambiguum habens sensum, interimendum est proprij problema. Quare animalis proprium non erit natum sentire, φ sentire multiplex sit ad habere sensum seu potentiam sensitiuam,& ad sensum vti. Huius duplex redditur in litera ratio. Prior, φ multiplex,sermonis obscuritatem aduehat. Multiplex enim omne indistinctum parit confusionē. Posterior, φ assignantes eiusmodi propria increpandi sint, qui dum in alio sensu proprium accipiunt quàm respōdens, disputando, syllogismum constituunt sophisticum,non dialecticum. At econtrà,si omnes assignati proprij partes simplices sint, neq; tota oratio diuersis sensibus sit obnoxia,eatenus erit rectè assignatum proprium,vt ignis proprium est, mobilissimum esse in supremum locum. Cæterùm secundus locus, in litera ibi redditus, Deinde destruenti quidem si multipliciter dicitur,&c.quem a subiecti multiplicitate appellant,est iste,Si subiecto multiplici indistincto quicquam statuatur esse proprium,perperàm erit facta proprij assignatio,Si verò subiecto simplici vniuocoq; assignetur, erit secundum hoc legitima assignatio,vt hominis qui simplex est,proprium est animal natura mansuetum.Contrà autem hypothesi facta, φ hæc oratio (scire hoc) designet subiectum cuius proprium inquiritur,si quid pro proprio illius reddatur, destruendum est problema proprij, eò φ illa oratio diuersa significet,vel ob amphibologiam,vel propter dictionis,scire, æquiuocationem, Significat enim hanc rem secundum habitum vel actum scire,aut hanc rem sciri,vel habitu,vel actu,quemadmodum satis apertè tradit litera.

Prior locus à proprij æquiuocatione.

Posterior locus à subiecti multiplicitate.

Deinde destruē ti qdē si frequēter.

In quartum caput,docens interimere proprij problema, ex eiusdem repetitione, ex nimia communitate, & indebita plurium assignatione, atque ex horum oppositis construere,Annotatio.

HVius capitis summa tres complectitur locos ob superfluitatem proprij destructiuos, quorum primus vocatus à frequenter dicto, est huiusmodi. Si in proprio assignando, idem sæpius dicatur,interimendum erit proprium.Sin autem non, secundum hoc construendum est problema. At quot modis accidat idem frequēter dici aperit Philosophus, ibi, Eueniet autem frequenter idem dicere duobus modis,&c. Prior modus est,quando idem secundum se (etsi nonnunquam casus varietur) repetitur,id quod accidit ei,qui igni proprium autumat esse corpus tenuissimum corporum. Fuisset enim satis, si dixisset corpus tenuissimū seu rarissimum,ignis esse proprium. Posterior modus est, cùm vnius in proprio positi,reddita collocataq; definitione, idem repetitur,quod non apertè alioqui collocabatur, vt literæ proprium designetur esse substantiam,quæ maximè corporum secundum naturam fertur in inferiorem locum siue versus centrum,si loco corporis substitueris eius definitionem, substantia repetetur. Nam pro proprio accipiendum erit substantia, quæ maximè substantiarū corporearum (id enim corporis terminus est) secundum naturam fertur in inferiorem locum. Porrò secundus locus in litera ibi redditus, Deinde destruenti quidem si tale aliquid, &c. quem libet nonnullis a communi omnibus nomine vocare, hunc habet sensum, Si in proprio assignando quippiam collocatum fuerit, quod vniuersis rebus per prædicationem commune sit,perperàm assignatum est proprium.Si verò huiusmodi non contineat,proprium eatenus legitimè assignatum erit. vt errat,qui scientiæ proprium assignat opinionem vnam existentem à ratione indissuasibilem esse, eò φ transcendente vno in sua communitate sumpto vtatur.Nam si transcendens contraheretur limitareturq; per aliquod adiectum,non esset interimendum proprium,quemadmodum testatur Albertus,id quod fatetur accidere in sexta proprietate substantiæ. Cæterùm tertij loci,qui ab ocioso appellatur,redditurq; in litera ibi,

Locus I. à frequēter dicto.

Quot modis idē frequenter dicitur.

Primo.

Secundo.

Locus 2. à communi oibus noie.

Albertus.

Locus 3. ab ocioso.

Deinde

Deinde destruenti quidem si plura propria,&c.hic est sensus, Si eiusdem speciei plura assignentur propria non indicando q plura sunt, praua est proprij assignatio. vt errat, qui igni corpus leuissimum & tenuissimum, velut vnum constituit proprium. Quòd si oppositum acciderit, secundum hoc construendum erit proprij problema. vt humidi proprium est, corpus quod in omnẽ figuram ducitur. Corpus autem in omnem figuram dicitur ductile, quod se præbet pro arbitrio tractantis in hanc figuram vel illam ducendum. huius naturæ est cera, quæ in varias formas nutu tractantis disponitur. At ductilium exactior cognitio, ex libris Meteorologicis est petenda. impræsentiarum sat fuerit, ductilia dici, quorũ superficies secundum partem simul in latitudinem & profunditatem, eadem percussione transferri nata est. vt qui premit ceram, compressione & tactu in latitudinem & profunditatem simul extendit.

Deinde destruẽti quidẽ si codẽ.

In quintum caput, ostendens destruere & construere proprium, consyderando subiectum, ipsius partem oppositam, id quod simul natura est, vel posterius, Scholia.

Prior locus ab codẽ subiecto, vel subiecti subiectiua parte.

PRæsentis literæ duo sunt loci, Quorum prior dictus ab eodem subiecto vel subiecti subiectiua parte, est eiusmodi, Si alicui subiecto proprium statuatur idem subiectum, vel alio nomine nuncupatum, vel ipsius pars subiectiua, interimendum est proprij problema, vt ensis proprium non est gladius, neq; hominis, animal homo. neq; animalis, cuius est homo species, homo, & ita in reliquis. Nam idem non est seipso notius. Neque pars subiectiua, cùm sit natura toto vniuersali posterior, nobis notior est toto vniuersali. sed potius cõtrà, prius & notius est totũ vniuersale sua parte. Hęc enim (inquit Arist.) insita natura nobis est via, vt è notioribus nobis magisq; manifestis, ad notiora naturę magisq; manifesta proficiscamur. At confusa primò nota sunt nobis magis ac manifesta. Diximus aũt partẽ subiectiuam, eò q in parte literæ declarante construendũ esse problema, si neq; subiectum neq; subiecti pars in proprio sumatur, vtatur Philosophus parte essentiali, dicens, animalis eàtenus proprium esse, cõstitui ex anima & corpore. Post hęc in litera ibi, Destruenti quidẽ, si aliquo vsus est aut opposito, redditur locus secundus, qui ab oppositis, vel simul natura, vel posteriore appellatur, hunc sensum habet, Si quis proprium assignaturus, in proprio collocet subiecto oppositũ, aut id quod simul natura est, aut posterius, illegitimè proprium assignabit, & proinde interimendum erit proprium. Quòd si id vitauerit, secundũ hoc cõstruendum erit proprij problema, vt qui bono asseuerat proprium esse malo oppositũ. & homini, animal esse bruto perfectius, peccat. Nam illic opposito, nempe, malo, hic aũt eo quod simul natura est, vtitur. Cæterùm id quod de opposito dicitur, accipit Albertus de opposito, quatenus oppositũ est, Insuper & per posterius id intelligit, quod posterius est nõ natura, (Est enim omne proprium natura & simpliciter posterius subiecta specie) sed secundũ nos, & quod posterius cognoscitur, cuiusmodi nequit esse proprium, si omne proprium in subiecti cognitionẽ assequendam destinetur.

Posterior ab oppositis simul natura vel posteriore.

Deinde destruẽti quidẽ si nõ qđ semper.

In sextum caput, quo instruimur definire proprij problemata, consyderata sequela, & alijs quibusdam, Scholia.

Locus 1. ab accidente.

COntinet hoc sextum caput tres locos, quorum primi exordio literæ collocati, dictique ab accidente, hæc est sententia, Si proprium assignetur alicui subiecto, quod non semper & necessariò sequatur subiectum, improba erit proprij assignatio, id quod duabus monstrat rationibus. Prior ibi redditur, Nam neq; in quo deprehẽdimus, &c. Posterior ratio redditur ibi, Amplius aũt ad hoc neq; quando, &c. At ediuersò, si assignatũ sit proprium, quod semper subiectum consequatur, erit secundum hoc rectè redditũ proprium, vt habentẽ efficere studiosum, virtutis est proprium, non aũt moueri aut stare, animalis comparatione.

Locus 2. ab ipso nunc.

Secundus locus in litera ibi designatus, Deinde destruenti quidem, si quod nunc proprium est, &c. appellatur ab ipso nunc, cuius hæc est summa. Assignaturus proprium vt nunc, si id non determinauerit, indicaueritq; ipso sermone, perperam proprium assignabit. Quòd si id ipsum significauerit, eàtenus bene erit assignatũ vt nunc proprium, vt volẽs assignare alicuius hominis proprium vt nunc, si pronunciet hominis proprium esse vt nunc ambulare, rectè assignat proprium vt nunc. si verò duntaxat dicat hominis ambulare esse proprium, perperàm reddet proprium. Cæterùm tertius locus à sensibili dictus, in litera ibi assignatus, Deinde destruenti quidem, si tale assignauerit proprium, &c. est huiusmodi, Si quid proprium assignet, quod tantùm sensu cognoscitur inesse subiecto, non recta erit assignatio proprij. Et proinde astrum lucidissimum quod fertur supra terram, non dicetur esse Solis proprium. At contrà, si intellectu & non solo sensu cognoscitur ex necessitate inesse, secũdum hoc legitima erit proprij constitutio, vt eàtenus proprium est superficiei, potissimum veterum opinione, esse magnitudinem primùm coloratam, hoc est, antequàm corpus sit coloratum.

Tertius à sensibili.

In ca-

In caput septimum, docens proprij problemata definire, consyderatis termino & genere, ipsorumq; definitionibus, annotatio.

Deinde destruēti quidē si definitionē.

PRæsentis literæ duo sunt loci. Prior dicitur à termino, qui est, Qui definitionem constituit, vt subiecti proprium, improba erit proprij assignatio. At si quid, quod conuersim prædicatur, & non indicat quid est esse, velut proprium assignauerit, secundum hoc construendum erit problema proprij. At alter à genere appellatus, & in litera ibi collocatus, Deinde destruenti quidem, si non quippiam in quid est, &c. hanc habet intelligentiam. Si in proprio constituto nihil ostendatur, quod de subiecto in eo quod quid est prædicatur, destruendum erit proprij problema. At si aliquid eiusmodi reperiatur, secundum hoc erit problema construendum. Quapropter animal disciplinæ susceptibile, hominis est proprium, non autem animalis proprium est animam habere, sed potius corpus animam habens sensitiuam. Hactenus dictum sit super definiendis terminandisq; proprij non contractis problematibus.

Locus prior à termino.

Posterior à genere.

In caput octauum, monstrans quomodo determinanda sunt proprij simpliciter dicti problemata, attenta proprij & subiecti conuertibilitate, annotatio.

Verùm verò proprium.

EXpeditis discussisq; iis locis, qui idonei videbantur ad ostendendum, an proprium bene an perperàm foret assignatū, Alios aggreditur locos, quibus veluti quibusdam ducibus, valeamus monstrare, an quod proponitur sit proprium per se & simpliciter, an non. In hoc itaq; octauo capite assignat Philosophus vnicum locum, quem à conuersione proprij & subiecti nuncupant, cuius tres sunt partes. Prima est, si alicui subiecto statuatur aliquod proprium, quod nulli contento sub subiecto insit, aut insit, sed non ratione ipsius subiecti, aut non suscipiat proprij rationem seu nominationē comparatione illorū sumptorum cum subiecto, erit interimendum proprium. Contrà autem, si hæc ipsi competant, construendum erit problema. verbi gratia, animal disciplinæ susceptiuum, & de Socrate, Platone, cæterisq; hominibus particularibus prædicatur, & secundum quod homines sunt. Insuper illud comparatione Socratis, quátenus homo est, est proprium, & proinde animal disciplinę susceptiuum, proprium est hominis. E diuerso, indeceptibile esse per orationem, seu argumentationē, ac paralogismum, non est scientis proprium, eo q̃ nulli Geometræ conueniat. Cæterùm aliquibus placet, secundum hoc verum esse, idem pollere quod soli inesse. At pars secunda in litera ibi designata, Est autem locus hic destruenti, &c. hunc habet sensum, Si de aliquo proprium seu oratio descriptiua dicatur, & de nullo eodem, aut non omni, nomen seu subiectum verificetur; vel contrà, si subiectum de aliquo dicatur, nulli aūt insit, aut non omni proprium, destruendum est proprium, quod construendo oporeat de quo nomen prædicatur, & proprium seu orationem verificari, & contrà. Porrò tertię partis ibi assignatę, Deinde destruenti quidem si non de quo oratio, &c. hęc est summa. Si de pluribus verificetur proprium, quàm subiecta species, vel econtrà, species de pluribus, quàm proprium, destruendum est proprium, vt animal disciplinæ susceptibile, quod secundum Platonicorū placita Deo conuenit, non est hominis proprium, sed animalis proprium est corpus sensitiuam habens animam, q̃ ista conuersim de se inuicem dicantur. At quo pacto hæ duæ partes sese habeant comparatione primæ, & an à se mutuò dissideant, item & verùm plantæ dicendæ sint animalia, q̃ corpora sint animam (etsi non sensitiuam) habentia, impræsentiarum non decreuimus disquirere, eò q̃ non multum emolumenti lectoribus adferre valeret harum rerum exactior pertractatio.

Vnici loci dicti à cōuersione proprij & subiecti, Prima pars.

Secūda pars eiusdē loci.

Eiusdē loci tertia pars.

In nonum caput, docens interimere proprium, cùm subiectum ponitur proprium eius quod est in ipso, & construere econtrario, scholia.

Deinde destruēti qdē si subiectum.

COmplectitur hęc litera duos construendi & destruendi proprij locos. Prior à subiecto vocatus, & in literæ exordio descriptus, est eiusmodi, Qui id quod subiectum est, fecerit proprium illius quod subiecto inest, perperàm construit proprium. Qui verò id proprium assignauerit, quod subiecto inest, & soli conuenit, construendum erit proprij problema, vt errat, qui arbitratur ignem esse proprium subtilissimi corporis, q̃ subtilissimum insit igni, non contrà. Alioqui cùm accidat, plura vel specie dissidentia eidē inesse, idem specie differentibus, concedendum foret esse proprium, id quod non est faciendum. Nam quemadmodum eadem differentia non est specie differentibus tribuenda, sic nec idem proprium, specie diuisis est tribuendum. At e diuerso rectè assignat proprium, qui terræ proprium asseuerat esse corpus grauissimum specie. Adiunxit (specie) Philosophus. Nam quanquam terra terrâ sit grauior, vt & ignis igne leuior; nihil tamen alterius speciei terra est grauius, de qua quidem re in Physicis latius est differendum. Post hæc in litera ibi, Deinde destruenti quidem, si secundum participationem assignauit proprium, & cæt. reddit Philosophus secundum

Prior locus à subiecto vocatus.

Locus posterior à participatione.

locum, à participatione appellatum, cuius hæc est intelligentia, Si quis velut alicuius subiecti proprium constituat, quod in ipso subiecto essentialiter, aut quidditatiuè, aut qualitatiuè contineatur, illegitimè proprium assignauit. At contrà si subiectum id quod assignatum est dicto modo non participet, neq; contineat, & conuersim de specie subiecta prædicetur, rectè assignatum erit proprium. vt animalis proprium est, corpus natum sentire, non autem hominis proprium est, animal gressibile bipes. Sunt enim gressibile & bipes (veterum sententia) quędam hominis differentiæ, cuiusmodi non est natum sentire, animalis collatione. Cęterùm admonendus est lector, hic Aristotelem agere potissimùm de ea parte, quæ postrema sit in assignando proprio complexo, hoc est, descriptione. (Nam prius tradidit, in omni proprio eiusmodi necessum esse, vt collocetur aut genus, aut quippiam aliud generis loco) Deinde omnibus receptum esse, si definitioni (quam substantialem vocant) adiiciatur proprium simplex, quod vocant prædicabile proprium, eam definitionem in numero descriptionum constituendam esse. Quare si res sic se habeat, veniet hic secundus locus accipiendus de eo, quod vltimum in descriptione locum obtinet. Id quod satis indicat ea literæ pars. Erit autem huiusmodi differentia quædam, de aliqua specie dicta.

Deinde destruēti qdē si nō contingit.

In decimum caput, ostendens quomodo interimenda sunt & euertenda proprij simpliciter problemata, considerando tempus idem, & eiusdem definitionem, annotatio.

Locus 1. à tempore.

HVius capitis intelligentia, ex locis quatuor numero pendet, quorum primus à tempore appellationem accipit, qui est huiusmodi, Si quis pro proprio reddat, quod subiecto tempore aut prius sit aut posterius, interimendum erit proprij problema. construendum autem, si id assignet, quod simul tempore sit cum subiecto, & illi ex necessitate semper insit, non vt definitio vel differentia. Post hæc in litera ibi, Deinde destruenti quidem, si eorundem in eo quod eadem sunt, &cæt. assignat Philosophus secundum locum, quem licet appellare ab eisdem numero, cuius hic est sensus, Si duorum numero eorundem, siue species sint, siue genera, vni proprium constituetur, quod alterius non sit proprium, perperàm redditum erit proprium. Quòd si contrà acciderit, sitq; id quòd assignatum est, vnius proprium, erit & alterius proprium. verbi gratia, sint prosequendum & eligendum eadem numero; colligetur prosequendi non esse proprium videri quibusdam bonum, quod id ipsum non sit eligendi proprium. Non est enim eligendum quod quibusdam bonum apparet, sed quod per se bonum est, & verum. Ediuersò, sunto homo & terrigena eadem numero, monstrabitur terrigenæ proprium esse habere animam triplici potentia præditam, nempe concupiscibili, irascibili, & rationali, eò quòd id homini sit proprium. Potest & hic locus extendi ad ea, quæ numero diuersa sunt, indifferentia tamen secundum speciem. Nam horum, quatenus sunt eadem indiuidua specie participantia, necessum est & ipsorum idem esse specificum proprium. At in huius loci calce lectorem admonet Philosophus, hunc locum vtilem esse in terminandis accidentibus, quòd eadem accidentia numero oporteat inesse eidem subiecto, & idem accidens eisdem subiectis.

Locus 2. ab eisdem numero.

Locus 3. à specie subalterna.

Post hęc in litera cùm subiungitur, Deinde destruentē quidem, si eorum quæ sunt eadem specie, &cæt. tertius collocatur locus, appellatus à specie subalterna siue generica, cuius hæc est summa, Si diuersis speciebus eiusdem generis, non assignentur propria eiusdem generis, interimendum est problema. Si verò assignentur propria eiusdem generis, erit adstruendum proprij problema. Oportet enim eadem genere eadem habere propria, sed differentia ab inuicem, quemadmodum & species inter se distinguuntur. Nam si speciei alicuius diuisionis, proprium quiddam adferatur diuidens, & oppositæ speciei in eadem diuisione oppositum afferatur, proprium alteri conueniet. Si itaq; alicui speciei afferatur proprium, & huic oppositum non sit speciei oppositæ sub eodem genere, destruetur proprium positum. vt qui dixerit hominis proprium esse, à se moueri, improbabitur, quòd equi qui est eiusdem cum homine generis, non sit proprium oppositū, nempe a se stare. Nam stare & moueri eiusdem sunt diuisionis, quemadmodum homo & equus. Quare si vnum vni non conueniat, neq; reliquum reliquo. Construitur autem hoc loco, Nam si alicuius speciei dicatur proprium, & oppositæ speciei fuerit oppositum proprium, erit quod positum est asserendum proprium. Quare colligetur auis proprium esse volatile bipes, eo quod hominis eiusdem generis, idem secundum genus proprium sit gressibile bipes. Nam vt species homo & auis eiusdem sunt generis, sic & eiusdem existunt gressibile bipes & volatile bipes. At hic locus inutilis est ad construendā propria eorum, quę sunt eiusdem generis, quorum quædam habentur genera, quædam species infimæ. vt non oportet, si hominis proprium sit gressibile bipes, equi vel bruti proprium gressibile quadrupes, eò quòd gressibile quadrupes non vni speciei,

ſpeciei, ſed multis & ſpecie differẽtibus congruat. In quibus tamen propria reddentur vltima, & vltimarũ ſpecierũ eiuſdem diuiſionis, firmus fuerit locus. Oportet itaq; eadem genere, ea-dem habere propria, ſed differentia ab inuicem, quemadmodũ & ſpecies inter ſe diſiungũtur.

In caput vndecimum, monſtrans interimere & conſtruere proprij problemata, conſyderando id quod natura ineſt, vnà tradens decem proprij modos, Scholia.

Deinde deſtruẽti qdē ſi qd natura.

SI quæ in hoc capite à Philoſopho traduntur, libuerit ad certos reuocare locos, tres huius literæ conſtituendi erunt loci, quorũ primus in exordio deſignatus, quem ab eo quod natura ineſt appellare poſſimus, hunc habet ſenſum. Quoniam propria quædam aſſignantur ſubiectis, quę actum & neceſſariam exiſtentiam non habẽt deſignare, ſed ſemper potẽtiam & naturalem quandam inclinationẽ, ſi quis affectet aſſignare proprium ſecundum naturalem aptitudinẽ, ſed verbis explicet actum indicantibus, deſtruendum eſt poſitũ proprium. Quòd ſi quod natura ineſt, id locutione explicet, rectè erit redditum proprium, vt qui aſſignat hominis proprium eſſe diſciplinæ ſuſceptiuum, legitima eſt proprij aſſignatio. At qui tuetur, bipes eſſe hominis proprium, ex eo quòd bipes magis actum videatur ſignificare, & ſemper cõuenire homini habere duos pedes vult, dimouebitur & deſtruetur proprium. Bipes aliquot in locis veluti differẽtia ſumitur, In alijs tanq; proprium, dum naturalem aptitudinem deſignat, aliquãdo vt actum habendi duos pedes, quemadmodum in præſenti litera. Secundus locus in litera ibi aſſignatur, Amplius quęcunq; dicuntur, vt ſecundũ aliud aliquid primum, aut vt primũ ipſum, labor eſt aſſignare talium proprium) qui appellatur ab altero ſubiecto, hoc modo explicandus eſt. Eorum quæ duobus ineſſe poſſunt, vni quidem proximè & continenter, Alteri verò per alterũ & ſecũdo ordine, non eſt facilè proprium aſſignare, eò q; ſi vnius ſubiecti dicatur eſſe proprium, alterius monſtratur eſſe, & contrà. Id quod litera declarat, de colorato (quod non verè proprium eſt) cõparatione ſuperficiei & quantitatis corporeæ. Nam vtri harũ contuleris eſſe coloratũ, non ſoli inerit. Cæterùm quomodo aſſignandum ſit huiuſmodi proprium, expediuimus in Ariſtotelis Categoriis, dum explicaremus naturalem aptitudinẽ ad æqualitatẽ & inæqualitatẽ ſuſcipiendam, aliter & aliter quantitati atq; ſubſtantiæ cõpetere. At illius in huius ſecũdi loci calce traditi, Quare non de quo oratio, & nomẽ verificabitur, hic ſenſus eſt, Si quis arbitretur, coloratũ eſſe corporis proprium, cùm quantitas colorata velut ratio dicatur de ſuperficie, de qua non dicitur corpus (non eſt enim ſuperficies corpus) oportebit rationẽ, quæ eſt quãtitas colorata, de ſuperficie verè dici, de qua non dicitur nomen ſubiectum, putà corpus. Idem quoq; eueniet, ſi coloratũ proprium ſuperficiei aſſignetur. Nam coloratum de corpore prædicabitur, de quo non prædicatur ſuperficiei nomen. Poſt hæc tertius locus ibi redditus, Accidit autem in quibuſdam propriis, &c. appellatur ab indeterminatione proprij, cuius eſt hic ſenſus, Si proprium quod determinatione egeat, quis pronunciet indeterminatè abſolutéque eſſe proprium, interimendum eſt proprij problema. At pro ampliori clarioriq; huius loci cognitione, ſubnectit Philoſophus decem proprij determinati atque reſtricti modos, qui ſunt Proprium quod natura ineſt. Proprium quod nunc ineſt. Proprium ſpecie, ſiue cõſequens ſpeciem indiuiduam. Proprium ſimpliciter ſeu vniuerſaliter, hoc eſt, ſubalternã ſequens ſpeciem. Proprium ſecũdum aliud, ſeu veluti poſterioris ſubiecti. Proprium primi ſubiecti. Proprium alicuius vt habiti. Proprium eius tanquam participati. Proprium tanquam participantis. At horum, quatuor ex parte proprij deſumuntur, & reliqui ſex ex ſubiecti comparatione. Nam ſi conantur proprium aſſignare, omnes aſſignant vel id quod naturaliter ineſt, eò quòd proprium manet fluátque ex eſſentialibus ſubiecti principiis, cuiuſmodi proprium eſt bipes hominis collatione, aut quod nunc & alicui ineſt, ſecundum quem modum alicui dicitur proprium, actu habere quatuor duntaxat digitos in altera manu, aut quod eſt ſpeciem conſequens, quemadmodum igni proprium eſt, eſſe corporum ſubtiliſſimum, eò quòd non ſaluetur ignea ſpecies, niſi in corpore ſubtiliſſimo. Aut quod naturam ſimpliciter conſequatur, hoc eſt, genericam, velut animali proprium eſſe dicitur, viuere vita manifeſta. Aut aſſignant quod ſecundum aliquid ipſo ſubiecto inhæret, non autem ſimpliciter & ſecundum ipſum, vt animæ proprium dicitur eſſe prudens, eò quòd illi tanquam ſubiecto remotiori conueniat prudentia ſecundum rationalem potentiam, veluti proximum ſubiectum. Aut quod ſubiecto primò aut proximè inſit, quo pacto potentiæ rationali proprium eſt prudentia, illi nullo intercedente ſuſceptibili competens. Aut quod ſubiecto conuenit, eò quòd aliquid in ſe habet, ſecundum quem modum ſcienti proprium eſt eſſe indiſſuaſibile à ratione (eſt enim ſciens à ratione indiſſuaſi-

Locus 1. ab eo quod natura ineſt.

Locus 2. ab altero ſubiecto.

Locus 3. ab indeterminatione proprij.

Decem proprij determinati ac reſtricti modi.

bilis, quod scientiam habeat, qui a ratione est indissuasibilis. Aut quod alicui insit, quod ab altero habeatur, quomodo indissuasibile à ratione scientiæ inexistit. A sciente enim habetur scientia. Aut velut id quod ab aliquo essentialiter participatur, quo pacto sensibile proprium est animalis, quo substãtialiter & quidditatiuè participãt omnes animalis species, suntq; ob id sensibiles, Aut tanq; ei quod participat alterũ, vt si viuere dicatur esse homini aut bruto proprium, & sanè aliud est esse proprium alicuius tanquã participati, ab eo quod alicuis velut participantis est proprium. Nam huius subiectum necesse est remotũ esse, non aũt illius, cùm eueniat subinde, ipsum esse proximum. Cæterùm si quis curiosior cognoscere velit horum modorum rationẽ & causam, Item & quo pacto hi decem proprij modi, ad diuisionẽ in huius quinti libri primo capite redditam reuocentur, poterit, si libuerit, consulere Alberti commentarios. Hic tantùm admonendum censuimus, illorum modorũ plærosq; non re ipsa à seinuicem dissidere, sed sola ratione. At locos particulares sub hoc tertio veluti communiori comprehensos, ex huius capitis calce facillimum est deprehendere, vnà cum suis exemplis.

Deinde destruẽti quidẽ si idem eiusdẽ.

In duodecimum caput, quo instruimur interimere & adstruere propriorum problemata, penes idem & similiter, Annotatio.

Locus prior ab eisdẽ numero.

COmplectitur præsens litera duos locos, Quorum prior ab eisdem numero & definitiuis, hoc est, definitioni annexis vocatur, qui est eiusmodi, Si quis constituerit idem nomine & ratione, esse sibiipsi proprium, destruendum esse problema. Nam omne idem, indicat esse eius cui est idem, aut implicitè, si sit idem numero nomine, vel explicitè, si sit idem definitione. Quicquid autem alicuius esse indicat, vel definitio est, vel definitioni annectendum. Et proinde honesti, non est decens, proprium. nec vestis, tunica. Quòd si quid in substantia diuersum assignauerit, quod conuersim prædicetur, construendum erit problema, vt animalis proprium est substantia animata, accepta dictione (animatum) non vt differentiam substantialem animalis, aut animam sensitiuam designet, sed potius quandam naturalem significet aptitudinẽ, ad efficiendas animæ sensitiuæ operationes. In hac enim significatione animatum extra animalis est substantiam, & eam consequitur. At Albertus per animatũ accipit id quod animatum est, & viuit vita perfecta & manifesta, qualiter asserit non reperiri in plantis.

Albertus.

Duplex totum integrale.

Vnum dissimilare.

Pro secundi loci apertiore intelligentia, qui in litera ibi redditur, Deinde etiam in his quæ similarium sunt partium, &c. diciturq; à partibus similaribus, admonendũ quàm breuissimè, duplex esse totũ integrale, Vnum dissimilare, (quod Græcis dicitur Hererogeneum) cuius partes, etsi eiusdem speciei sunt cum toto, non tamen eandem quam totum suscipiunt denominationẽ, cuiusmodi sunt plantæ & animalia, in quorum diuersis partibus constat diuersam esse qualitatũ dispositionem ob diuersa numera obeunda. Neq; enim id quod in animali caput est, est manus, neq; contrà. Insuper neque caput est homo, neque cor homo est. At in his totis, etsi id quod toti proprium sit, etiam insit partibus, cùm & totum & singulæ partes eiusdem sunt speciei, non tamen à proprio accipiunt partes nuncupationem. Neque enim manus risibilis dicitur, neque disciplinæ capax. Alterum est totum homogeneum seu similare, cuius partes integrales omnes, eiusdem sunt rationis, & qualitatiuæ dispositionis, & inter se, & cum toto, quam obrem eandem omnino nomenclaturam recipiunt. Ex his itaque colligitur ratio huius loci secundi dicentis, Si alicui toti homogeneo atque similari constituatur proprium, quod non competat omnibus illius partibus integralibus, aut contrà aliquibus partibus cõueniat, & in totum non quadret, destruendum est proprij problema, vt esse aquam plurimum salsam, non est mari proprium, eò quòd quandam maris portionem cõstet non esse aquam plurimum salsam. neq; huic parti aeris proprium est, esse spirabile. quòd id licet alicui aeris parti competat, nempe ei qui præcordiorum refrigeratiua est, non tamen toti aeri. Quòd si res contra sese habeat, adstruendum erit proprij problema, vt rectè constituitur terræ proprium esse, natum moueri mundi medium versus motu recto, quòd vniuersæ terræ & singulis eius partibus conueniat.

Alterũ similare.

Locus 2. à partibus similaribus.

Deinde ex oppositis cõsyderãdũ est,

In decimumtertium caput, docens construere & destruere propriorum problemata, secundum omne oppositionis genus, Scholia.

Locus 1. à contrariis.

HVius capitis, in quo monstrat Philosophus definire proprij problema secundum omnẽ oppositionis speciem, quatuor sunt loci. Primus, qui statuitur à contrariis eiusmodi, Si assignentur duo subiecta contraria, duoq; item prædicata contraria, si horum vnum non fuerit proprium illorum alteri, neq; reliquum reliquo. Quòd si vnum prædicatorũ fuerit vni subiectorum proprium, & reliquum reliquo erit. vt sunto, candidum & nigrum, visus congregatiuum, & visus disgregatiuum, colligetur candido proprium esse visus disgregatiuum

tiuum esse, quòd visus congregatiuum sit proprium nigro. At contrà, si proponantur iustitia & iniustitia, bonum & malum, non erit bonum iustitiæ proprium, quòd malum non sit proprium iniustitiæ, & ediuersò. Neutrum enim soli conuenit. Secundi loci, qui a relatiuè oppositis nuncupatur, hæc est sententia. Propositis duobus subiectis & prædicatis relatiuè oppositis, si horum vnum illorum vni non fuerit proprium, neq; reliquum reliquo erit. Sin verò horum vnum illorum vni proprium extiterit, erit reliquum reliquo proprium, vt monstratur superatum non esse proprium subdupli, eò quòd superantus non sit dupli, cùm sit ipsius genus. Item contrà, ostendatur, dimidij esse proprium, sese habere vt vnum ad duo, quòd dupli proprium sit, sese habere vt duo ad vnum. Porrò tertius locus ab oppositis secũdum priuationem & habitum dictus, in litera ibi collocatus, Tertio autẽ destruenti quidem si habitus, &c. est cùm superioribus simul vtilis construendo & interimẽdo propriorum problemati. Vt monstratur ipsius auditus non esse proprium sensus, quòd insensibilitas non sit proprium cæcitatis, cùm quodammodo sit genus ipsius. Contrà, si visus proprium sit videre, seu potentia visiua discernere, erit quoq; cæcitatis proprium non videre, &c. At quarti loci in litera ibi assignati, Deinde ex affirmationibus & negationibus, &c. qui est ab oppositis secundum affirmationem & negationem, hoc est, contradictorijs, tres sunt loci particulares. Primus solùm est destructiuus, quo conferuntur affirmata & negata prædicata eidem subiecto, Si prædicatum (inquit Aristoteles) affirmatum, alicuius subiecti sit proprium, illius negatio eiusdem nequit esse proprium. & contrà, si negatio alicuius subiecti sit proprium, affirmatio non poterit eiusdem subiecti esse proprium. Alioqui accideret, contradictorias enunciationes simul esse veras, vt si animatum (acceptum eo quo prius annotatum est modo, nempe vt naturalem aptitudinem designet exercendarum operationum animæ sensitiuæ) sit animalis proprium, non erit illi proprium non esse animatum. Secundus locus illis superioribus respondens, in litera ibi redditus, Secundum autem ex prędicatis vel etiam non prædicatis, &c. quo consyderantur duo subiecta & duo prædicata secundum contradictionem, est constructiuus & destructiuus. Destruit quidem affirmationis affirmationem esse proprium, quòd negationis negatio non sit proprium. & contrà, si affirmationis affirmatio non sit proprium, neque negationis negatio erit proprium. vt non hominis colligitur proprium non esse non animal, quòd hominis proprium non sit animal. est enim ipsius genus. At eodem loco construitur proprium. Nam si affirmationis affirmatio fuerit proprium, & negationis negatio. & contrà, vt quia non animalis proprium est non viuere, per negationem colligetur animalis proprium esse viuere. Porrò tertius locus in litera ibi designatus, Tertiò autẽ ex ipsis subiectis, &c. solùm destructiuus est, quo inspiciuntur duo subiecta secundum affirmationem & negationẽ ad vnum prædicatũ, & proinde primo loco hic est oppositus, cuius sententia est hæc, Si negati subiecti asseratur proprium, illud idem non erit eiusdem subiecti affirmari proprium. & contrà, si proprium dicatur subiecti affirmati, illud idem non erit eiusdem subiecti negati proprium, quod exemplis est facile declarare. At hunc locum inutilem esse cõstruendo problemati, monstrat ex eo Philosophus, quòd non est negationis subiectæ proprium affirmatio, nec affirmationis negatio. Quare non sequetur, hæc affirmatio non est negationis proprium, igitur est negationis proprium. Neq; contrà, hæc negatio non est negationis proprium, igitur est affirmationis. Nam (quemadmodum inquit Aristoteles) affirmatio negationi omnino non inest, quare si non insit, nequit illius esse proprium affirmatio. Verùm negatio etsi affirmationi inesse possit, non tamen vt proprium, quòd cum ea non recurrat. Neq; hic vocis subiectum solum attendimus, sed potius rem, reiq; rationem, quemadmodum inquit Faber, cuius hæc sunt in hunc locum verba, Non enim negatio subiectum affirmationi (vt neq; substantiæ accidens) esse potest, sed contrà, affirmatio negationi subiectum, vt oculus cæcitati, (Est enim oculus cæcus) non autem cæcitas oculo. Neque subiectum vocis solùm hic attendimus, sed potius rem reiq; rationem.

Locus 2. à relatiuè oppositis.

Locus 3. ab oppositis secundũ priuationẽ & habitum.

Locus 4. ab oppositis secundum affirmationẽ & negationem.

Locus 1. particularis

Locus 2. particularis

Locus 3. particularis.

Deinde ex iis quæ ex opposito.

In decimumquartum caput, monstrans definire propriorum problemata, destruendo & adstruendo ex ediuerso diuisis, ex casibus, & ex similiter vel sic sese habentibus, Scholia.

Continet præsens litera locos numero quatuor. Primus, qui ab iis, quę sunt eiusdem diuisionis, nuncupationem accipit, construit & destruit proprij problema, cuius hæc est sententia. Si dentur quædam species eiusdem diuisionis, seu in quas genus per differentias diuiditur, & alterius illarum proprium quoddam assignetur alterius diuisionis, qui monstrauerit reliquum eiusdem diuisionis cum priore non esse proprium reliquę speciei, destruit problema assignatum, vt si animal in mortale & immortale distribuatur, similiter & altera diui-

Locus 1. ab iis quæ sunt eiusdẽ diuisionis.

sione in sensibile & intelligibile, qui ostenderit animal sensibile nō esse proprium mortalium, monstrauit animal intelligibile non esse proprium Dei & immortalium. At si positū proprium cum altero diuisum, sit speciei ex opposito diuisæ proprium, adstruendum erit problema propositū, vt anima diuiditur in concupiscibilem, irascibilem, & rationalem, & animæ virtutes sunt, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia. Qui itaq; huius diuisionis quiddam proprium assignat & demonstrat ex priori diuisione, & reliquas huius diuisionis species, propria superioris diuisionis colliget habere, vt si prudentiæ proprium sit per se rationalis virtutē esse. & fortitudinis erit proprium esse virtutē irascibilis. & temperantiæ, concupiscibilis virtutē esse.

Locus 2. à casibus & coniugatis.

Cæterùm secundi loci, à casibus & cōiugatis dicti, atq; in litera ibi redditi, Deinde ex casibus destruenti quidē, &c. hæc est summa. Si casus, alicuius casus non sit proprium, neq; primigenij coniugatū, primigenij erit proprium: neq; cōtrà, vt si ipsius iustè, non est proprium bene, nec iusti proprium erit bonum. & contrà, si iusti, non est bonum proprium, nec eius quod iustè est, erit bene proprium. Insuper, si vnus casus alterius casus est proprium, ita sese habebunt & reliqui casus, & coniugata. Nomine enim casus, & coniugata & primigenia intelliguntur, vt si homini proprium sit, q̄ ipse sit risibilis, & hominis & homini & aliorū casuum cōsimilis proprij fiet denominatio. Neq; hic locus à cōiugatis & casibus, inspiciendus est in iis, inter quæ nulla est oppositionis species, sed & in oppositis secundum coniugationē acceptis, vt si iusti non est bonum proprium, neq; eius quod iuste est, id quod bene est: etsi malum non sit iniusti proprium, neq; eius quod est iniuste, id quod est male. At si albi proprium est disgregatiuum visus, erit quoq; proprium nigri cōgregatiuum visus, & ita deinceps in casibus reliquis. Atq; illud est, quod admonet Aristoteles. Non solùm (inquiens) in eo quod dictum est secūdum casus considerandum, sed & in oppositis, quemadmodum & in prioribus locis dictum est, nempe in secundo huius libro. Porrò tertius literę locus assignatus ibi, Deinde ex iis quæ similiter sese habent, &c. qui à duorū proportione ad duo dicitur, adeò manifestus est, vt nostra nullatenus egeat annotatione. At gymnastes, ludi est magister, & qui præest in exercendis corporibus, vt qui instituit ad artem palestricam, gladiatoriam, & alia militaria exercitamenta.

Locus 3. à duorū ꝓportiōe ad duo.

Locus 4. ab iis quæ eodē modo habēt, duas possidet partes.

Cæterùm quartus locus in litera ibi descriptus, Deinde ex iis quę eodem modo se habēt, &c. quem ab iis quæ eodem modo se habēt appellant, duntaxat destructiuus est, qui à superiori & similiter se habētibus differt, q̄ in illo, duo duobus in similitudine & proportione cōferuntur, hoc aūt loco traditur cōparatio vnius ad duo eodem modo se habentis secundum inesse, cuius duæ sunt partes. Prior est, si idem prædicatū ad duo subiecta eodem sese habeat modo, si horum vnius non fuerit proprium, neq; reliqui erit proprium, vt si sentire similiter sese habeat ad hominē & equum, & hominis nō sit proprium, neq; equi erit proprium. Posterior est, si idem prædicatū ad diuersa subiecta dicatur similiter sese habere, si vnius proprium fuerit, non erit alterius proprium. Nam impossibile est, idem esse plurium distinctorū proprium, eò q̄ oporteat omne proprium cum sua recurrere specie. At si pluribus cōgrueret speciebus, non posset cum illis conuerti. Et proinde si prudentia eodem modo videatur se habere ad pulchrum & turpe, q̄ sit disciplina vtriusq; & boni & mali (quæ pulchri & turpis nomine designantur) & constituatur vnius puta virtutis esse proprium, alterius vt vitij non erit proprium. Cæterùm de exemplo Aristotelico sic tradit Antonius Demochares, Non ignoramus (inquit) Aristotelem vsum fuisse conuersa locutione, & propè dixerim Metonymia, quæ nomen pro alio nomine videatur dicere. Nam (inquit) si prudentia proprium sit disciplinam esse honesti, non erit amplius eiusdem proprium, turpis esse disciplinam, quod rationem subiungens habet. impossibile enim est, idem plurium esse proprium. Vides rationem non respondere exemplo, nisi conuerteris locutionē, & reduxeris ad id exemplum, quo vnum proprium duobus distinctis eodem modo habentibus conferatur, quorū vtriusq; idem non potest esse proprium. Verùm hoc exemplo, vni prudentiæ duo propria connecti videntur, cùm sit præpostero ordine dicendum, ita vt prudentia proprium diuersorum proponatur. Sic ille.

Pars prior.

Pars posterior.

Deinde destruē ti qdē si qđ secū dum.

In decimumquintum caput, construere & destruere ostendens proprij problema secundum esse, generari, & corrumpi, atq; ex specie inspectione, Scholia.

Lectori exhibet hoc capite duos locos, quorum priorem in literæ frontispicio collocatum, vocārunt quidam à causis, Alij à generatione & corruptione, qui est huiusmodi, Si quod secundum esse dicitur, non est proprium eius quod secundum esse dicitur, neq; corrumpi proprium erit eius quod est corrumpi. neq; generari, eius quod est generari, & contrà licebit colligere, & secundum esse, non esse proprium eius quod est secundum esse. & corrumpi non esse proprium eius quod est secundum corrumpi, si eius quod est secundum generari

Primus locus à causis, vel à generatione & corruptione.

nerari,non sit proprium generari,&c. vt si hominis nõ est propriũ esse animal, neq; eius quod est hominẽ generari,proprium erit generari animal: neque eius quod est hominem corrumpi, proprium erit corrumpi animal. Etsi eius quod est hominẽ generari,non sit proprium animal generari. neq; eius quod est hominẽ corrumpi, proprium erit animal corrumpi, neq; hominis proprium erit animal,id quod sic sese habet. Nam inter hæc consistit generis & speciei habitudo. Est quoq; hic locus construendo problemati idoneus, quemadmodum explicat litera, in qua mortale accipiendum est velut hominis proprium, aut illi nonnihil est annectendum, cum palàm sit,ipsum non recurrere cũ homine. At posterior locus in literæ cõtextu ibi assignatus. Deinde inspiciendum ad ideam suppositi,& cæt. vtilis est construenti & destruenti: Destruenti quidem, Nam(supposita Idearum opinione)si quid proponitur quod non conueniat subiecto,aut cõueniat non tamen inquantũ illius Idea dicitur,destruitur proprium,vt hominis proprium monstratur non esse quiescere, eò quòd ipsi homini non inest quiescere secundum quod homo est,sed secundum quod Idæa est. Construendi autẽ si inest subiecto propriũ secundum se & secundum Ideam, vt animalis proprium eligitur ex anima & corpore cõponi,q; hoc illi insit,& secundum se & secundum Ideam. Cæterùm annotat hoc in loco Iacobus Stapulensis,quiescere hic non propriè quietẽ,sed statũ immobilitatemq; nulli motui oppositã importare. Nam prorsus existimabāt Ideas immobiles, neq; vsquam natas moueri. Et errāt qui quæ participatis conueniebāt tribuebāt Ideæ, non qua Idea, sed qua participata Idea, vt cõponi ex anima & corpore,cõuenit animali,qua animal est, nõ autẽ qua ipsum & per se animal. Nam ipsum animal & omnis Idea,simplex vel potius non cõposita. Ideò admittebant illam,ipsum animal incõpositum esse,quatenus ipsum,& idem compositum esse non simpliciter,sed quatenus communicatum atq; participatum. Hactenus Faber.

Posterior locus ab Idea.

Iacobus Faber.

Deinde ex magis & minus.

In decimumsextum caput, quo docemur destruere & adstruere proprij problemata, secundum magis & minus & simpliciter, scholia.

Explicat Philosophus hoc capite vnum locũ nuncupatum a proportione maioris & minoris,quem distribuit in quatuor particulares locos,vt plenior ipsius habeatur cognitio. Primus quo vnũ vni cõparatur, destructiuus est & constructiuus, ab ipso magis & ipso minus inferẽdo positiuum simpliciter,siue cum maximè,siue cum minimè dicatur. Destructiuus quidem. Nam si quod est alicuius magis, nõ sit proprium eius quod est magis: neq; quod minus,erit proprium eius quod minus: neq; quod maximè, eius quod maximè: neq; quod minimè,eius quod minimè: neq; quod simpliciter,eius quod simpliciter, hoc est, neq; positiuum positiui. Insuper si id quod simpliciter,eius quod est simpliciter nõ sit proprium,neq; id quod magis,eius quod est magis erit proprium: neq; quod minus,eius quod minus: neq; quod maximè aut minimè,eius quod maximè aut minimè est,proprium erit. Verbi gratia, si maioris voluptatis non sit maius bonum proprium,neq; minoris voluptatis,proprium erit minus bonum: neq; maximæ voluptatis,maximũ bonum: neque minimæ voluptatis minimũ bonum: neq; omnino voluptatis,proprium erit bonum. Eodem modo deprometur ratio ex ipso minus ad cætera. Sunt enim hæc magis minus,maximè minimè,& simpliciter, ita connexa, vt nequeant a se mutuo diuelli. Exemplum literæ de corpore prætermissum est,quod corpus cũ sit substantia,non recipiat magis & minus. At quoniam ex legitimæ consequentiæ illati opposito,rectè colligatur antecedentis oppositum, facile fuerit declarare, hunc locũ construẽdis proprij problematibus esse accõmodum. Cæterùm secundo loco ibi reddito, Secundo aũt destruenti quidem,&c. cõparantur duo prædicata duobus subiectis, qui destructioni & constructioni est vtilis. Nam si conferantur duo prædicata duobus subiectis secundum magis & minus,quorũ vnũ magis videtur esse proprium sui subiecti,quàm reliquũ alterius,& quod magis videtur proprium non sit proprium,neq; quod minus videtur esse proprium, erit propriũ. Etsi quod minus videtur esse proprium,sit proprium: erit quoq; proprium,quod magis videbatur esse proprium. Vt si tẽperantiæ videatur magis proprium esse affectus sedare,q̃ liberalitatis bona profundere. & non sit proprium tẽperantiæ, sedare affectus. non erit liberalitatis proprium bona profundere. Et si minus videatur esse proprium forti, se obijcere belli periculis,quàm magnanimi proprium sit contẽnere parua. illud autẽ admittatur esse fortis propriũ, erit & hoc proprium magnanimi. At tertius locus ibi designatus, Tertio verò destruenti quidem, &c. quo ad duo subiecta vnũ confertur prædicatũ, tantũ destructiuus est. Nam & si eodẽ prædicato duobus subiectis cõparato, quorũ vnius magis videtur esse proprium & alterius minus, necessum sit si non sit proprium eius, cuius magis videtur esse propriũ: neq; illius cuius videtur proprium,minus esse proprium. Non tamen oportet, si proprium sit eius cuius

Vnici loci a proportione maioris & minoris.

Primus particularis locus.

Locus 2. particularis.

Tertius particularis.

minus videbatur esse, simul esse proprium, cuius magis credebatur esse proprium. Alioqui idem foret plurium proprium, quod prius dictũ est, & impræsentiarum testatur Aristoteles, esse impossibile. Porrò quarto loco in litera ibi collocato, Quarto destruenti quidem, si quod magis est eius proprium, &c. conferuntur duo prędicata eidem subiecto secundum magis & minus, atque hic proprij est interemptiuus & constructiuus. Destructiuus quidem. Si enim duorum prædicatorum, quorum vnũ magis videtur esse proprium alicuius subiecti, quàm alterum, illud non sit proprium, neq; hoc erit proprium. Etsi id quod minus videtur esse proprium, sit proprium, tale erit & id quod magis videbatur esse proprium. Neque enim absurdi quicquam accidet, si eiusdem plura faciamus esse propria. At huius loci exemplum, in Boetiana versione ad hunc modum legitur, vt quia magis proprium est animalis sensibile, quàm partibile: Non autem animalis sensibile proprium, quare non erit animalis partibile proprium. Hactenus de loco a maioris & minoris comparatione.

Quart⁹ particularis.

Deinde ex ijs quæ similiter insunt.

In decimumseptimum caput, docens interimere & destruere propriorum problemata, ex ijs quæ similiter insunt, scholia.

OB eandem quam superiori capite reddidimus causam, eum locũ qui a paribus dicitur, in tres locos particulares partitur Philosophus, quorũ quilibet & destructiuus est & constructiuus. Primus, in quo duo prędicata duobus subiectis conferuntur, est huiusmodi. Si duo prædicata duobus subiectis videantur similiter esse propria, si illorum vnum non sit proprium vni istorum, nec reliquum erit reliqui proprium. Quòd si vnũ alterius fuerit proprium, erit & reliquũ reliqui propriũ, vt si similiter videantur propria esse potentiæ rationalis, ratiocinari: & concupiscibilis concupiscere: si illius non est illud proprium, neque huius hoc erit proprium. Item si similiter videantur propria esse potentiæ rationali, primũ esse prudens, & concupiscibili primum temperans, si illius illud sit proprium, & hoc huius erit proprium, & contra. At quo pacto dissideat hic locus ab eo, qui prius est a proportione appellatus, his verbis explicat Antonius Demochares. Neq; putãdum est (inquit) nullum esse discrimen inter hunc locũ & decimumnonum, quẽ a proportione nuncupauimus, quoniam in illo sola habitudo in controuersiam similitudinis vocatur, hic verò similitudinis conuenientia desideratur, non tantum habitudo. Pleraq; enim paulò negligentius spectantibus, apparent eandem habitudinem inter se habere, quæ rebus illis non conueniunt, vt notum sit ijs, qui conferunt diuersa inter se eadem habitudine, vt qui definiunt species eiusdem diuisionis, alijs duabus alterius generis, quibus non conueniant. Sic Antonius. Cæterùm secundus locus, qui a similiter inexistentibus eidem tertio appellari potest, collocatur ibi, Secundo autem destruenti, & cæt. qui simul & destruenti & construenti iuxta est accõmodus. Nam si duo prædicata, eiusdem subiecti videantur esse propria, si illorũ vnũ non sit subiecti propositi proprium, neq; reliquum erit. etsi vnũ subiecti fuerit proprium, erit quoq; & reliquum eiusdem proprium. Porrò tertius locus, ab eo quod pluribus similiter inest dictus, ibi assignatus, Tertio verò destruenti quidem, &c. destructiuus est. Nam quamuis si idem plurium videatur esse proprium, & vnius non sit proprium, necesse sit non esse proprium alterius, Non tamen oportet, si vnius fuerit proprium, & alterius proprium esse. Aliàs idem proprium diuersorum esset, quod est impossibile. Exemplis abstinemus, quòd sint ad manum.

Loci a paribus.

Primus particularis.

Anthonius Demochares.

Secundus a similiter inexistentibus eidẽ tertio.

Tertius ab eo quod pluribus similiter inest.

Deinde destruẽti quidẽ si potentia.

In huius quinti libri decimumoctauum caput, monstrans construere & destruere proprij problemata, penes potestatem & superabundantiam, scholia.

IN hoc vltimo capite, lectori exhibet duos locos, vnum a potentia, alterum a superabundantia, quorum vterq; ad construendum & destruendum ex æquo est accõmodus. Prior siquidem destruenti vtilis est. Nam si quis assignando proprium secundum potentiam, assignet potentiam ad aliquid, quod potest non esse manente re, cuius assignatur proprium, interimendum est problema. Vel vt propius ad literæ expositionem accedamus, Si alicui subiecto assignetur proprium secundum potentiam passiuã, quę nequeat ad actum reduci, nisi per alterius potentiam actiuam, qua non existente vnà cum suo subiecto, simul tollatur potentia passiua, permanente in rerũ natura suo subiecto, destruendum est proprij problema. Nam perperàm assignatur proprium, si ipso sublato possit subsistere ipsius subiectum, vt aeris proprium non est respirabile, eò quòd id aeri non conueniat, si non existat animal. Cum enim solum animal respirare possit, videtur non posse fieri, vt ipso ablato & non existente, queat aer esse respirabilis. Cæterùm inquirere, an perpetuò potentia actiua ablata, necessum est potentiam passiuã auferri, id quod subindicare videtur exempli declaratio, non logici, sed aut physici, aut metaphysici est instituti. Construenti autẽ idem locus est conferens, quando & ad ens & non

Prior locus a potentia.

& non ens proprium assignatur, si non enti potentia cōuenire possit. Oportet enim proprium potentia, ad ens potentia assignari. Quare entis proprium bene assignabitur, posse pati aut facere. Recurrit enim tale positū proprium. Sic qui hominis propriū assignauerit risibile secundum potentiā, & non secundum actū dixit, similiter susceptiuū disciplinæ. Cauendū est igitur, ne quis potentia assignans proprium, fecerit potentiā solum conuenire enti existenti, quod conspici potest subiecto consistente. Nam tale non recurreret cū nomine siue subiecto. Porrò secundus locus qui a superabundantia dicitur, & in litera ibi assignatur, Deinde destruenti quidē si per superabundantiam, &c̄. destructiuus est, eò quòd omne propriū secundū superabundantiam dictū contingat non recurrere cū subiecto. Potest enim quod secundū superabūdantiā dicitur, varijs ac diuersis cōpetere. Quare qui dixerit ignis proprium esse corpus leuissimū, errat, quòd corpus leuissimū secundū superabundantiam enunciatū, alteri ab igne possit conuenire. Nam destructo igne manebit corpus leuissimū, vt aer. Construet autē qui conuertibile assignauerit, quod neq; quid est indicet, neq; per superabundantiam dicatur. Hactenus de definiendorū proprij problematum locis, quorum nomina, numerum, & ordinem, sequens figura commonstrat.

Locus posterior. à super abūdantia.

Loci quibus destruere contingit problema proprij simpliciter, & construere aliquo modo.

1. Ab ignotiore.
2. Si cuius sit ignotum.
3. Ab æquiuoco proprio.
4. Ab æquiuoco subiecto.
5. A frequenter dicto.
6. A transcendente.
7. Ab ocioso.
8. Ab eodem vel parte.
9. Ab oppositis vel simul vel post.
10. Ab accidente.
11. Ab ipso nunc.
12. A sensibili.
13. A termino.
14. A genere.

Loci ad problema proprij simpliciter, & destruendum, & construendum.

1. A conuersione.
2. A subiecto.
3. A participatione.
4. A tempore.
5. Ab eodem.
6. Ab eodem genere.
7. Ab eiusdem distinctione.
8. A natura.
9. Ab altero subiecto.
10. Ab indeterminatione proprij.
11. A definitiuis.
12. A similaribus.
13. A contrarijs.
14. A relatiuis.
15. A priuatiuè oppositis.
16. A contradictorijs.
17. Ab ijs quæ sunt eiusdem diuisionis.
18. A coniugatis & casibus.
19. A proportione.
20. Ab eodem modo habentibus.
21. A causis.
22. Ab Idea.
23. A magis & minus.
24. A paribus.
25. A potentia.
26. A superabundantia.

τέλος.

¶ IN SEXTI LIBRI TOPICORVM, DE DEFINITIONIS PROBLEMATIBVS TRACTANTIS PRIMVM CAPVT, explicans quinq; modos, quibus valemus interimere problemata definitionis, & quæ sunt hoc libro discutienda, scholia.

Eius autē qd est circa definitiones.

Pertractatis ijs locis, quibus valemus trium prædicatorum, accidentis videlicet, generis, & proprij problemata, & construendo & interimendo definire, congruenti ordine pergit Philosophus, aggrediturq; ea, quæ ad definitionum terminationem pertinent. Nam etsi terminus cæteris prædicatis quæ finitioni quodam modo annectuntur, natura atq; perfectione sit prior: ordo tamen disciplinæ nihilo secius exposcit, vt ipsius examen loco vltimo constituatur, eo quòd illorum constructio longè facilior sit, ipsius finitionis constructione. Possent & nonnullæ aliæ huius ordinis adferri causæ, sed nobis breuitati est studendum. Primo itaq; huius sexti libri capite, duo præsertim præfatur Aristoteles veluti quędam cōmunia Quorum vno commonstrat interimere

Cur definitionis ꝓblemata vltimo loco ponantur.

Quinq; modis interimitur problema

rimere definitionem quinque modis, quos partes appellat. Unus est. Si terminus non verificetur de eo cui tribuitur definiti nomen. Alter, si cum sit genus rei definiendæ, definitio reddita aut nullum contineat genus, aut non cōpetens, vtputa remotum aut analogum. At quomodo genus maxime eorum quæ in definitione ponuntur, definiti substantiam indicare apparebit, pluribus in locis superius declarauimus. Nam etsi vtrumq; & genus & differentiam necessum sit adesse, vt rei definiendæ tota essentia substantiaq; explicetur, differentia tamen generi iuncta qualitas videtur esse, quòd in specie constituenda generi velut materiæ atque cuidam subiecto, accedat. Et proinde a Porphyrio dictum est, differentiam magis propriam non simpliciter in quid, sed in eo quod quid quale est prædicari. Tertius est, si constituta finitio cum subiecti nomine non recurrat. Quartus, si prædictis omnibus obseruatis non indicet quid est esse, seu substantiam definiti. Quintus autē, si non bene aperteq;, sed inuolutè & sub obscurè substantiam designet. Cæterùm secundo ibi in litera, Si igitur non verificatur de quo nomen & oratio, & cæt. seligit Philosophus duos postremos interimendi modos, velut eos de quibus præcipua huius libri cura est, eò quòd reliqui interimendi modi in superioribus libris, secundo, quarto, & quinto, sufficienter abundeq; sint explicati.

Primū igit' inspiciendum,

In secundum capitulum quod monstrat, dupliciter ostendi, non esse bene definitum nomen, annotatiuncula.

Duo generales loci. Si definitio sit obscura. Si superflua.

IN litera præsenti duos tradit generales modos, quibus queamus interimere benè esse definitum nomen, eò quòd facilius quis posset errare in bene definiendo, q̄ simpliciter finiendo. Quemadmodum in singulis rebus difficilius est bene facere, quàm facere. Hi duo loci sunt, si definiēs vtatur obscura interpretatione, aut in definitione plura, quàm par est, assignet. Qui rursum in alios partiuntur, quemadmodum sequentia apertè commonstrabunt. Interimenda igitur erit definitio, si vel obscura sit, vel superflua.

Rursus autem vtrūq;.

In caput tertium, agens de errore ex definitionis obscuritate manante, scholia.

Locus 1. ab æquiuoco.

COmplectitur præsens caput quinq; locos, accōmodos destruendo definitionis problemati, propter obscuritatem. Primus in exordio assignatus, & ab æquiuoco appellatus, est huiusmodi. Si quis in reddenda definitione termino vtatur æquiuoco (sub quo accipies orationem amphibologicam) interimendum venit definitionis problema. Idem quoq; accidet, si definitū, cuius quæritur aut statuitur definitio, sit æquiuocū, idq; præcipuè, si assignaturum definitionē lateat definiendæ rei æquiuocatio. Nam æquiuocū indistinctū termoni affert obscuritatē. Primū huius loci exēplum, vocabulo (ductionis) vtitur æquiuoco, cuius diuersa acceptio, ex verbo duco facilè deprehēditur, huius aūt variam significationē haud difficile est ex grāmaticis cognoscere. In vna acceptione a Seneca dicitur. Fata volentē ducūt, nolentem trahunt. In alia Cicero dicit. Ego si mei cōmodi rationē ducerem, te mecū esse maximè vellem. In alijs insuper significationibus vtitur Virgilius diuersis in locis inquiens.

> Tanton' me crimine dignum duxisti,
> Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum.
> Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem
> Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat.
> Pars duxere muros, molinq; arcem.

Cæterùm dictio ἀγωγὴ, quo nomine vtitur hoc loco Aristoteles, multiplex est, Nam nunc institutionem morum significat, nunc verò dietam & rationem victus, Dicitur & interdum ἀγωγὴ ἡ μεταβολὴ, Qua significatione vsus est Aristoteles, cum definitionem illam reddidit. Nam generatio transmutatio est ad substantiam. Insuper cōmensuratio, qua vtitur secundū Aristotelis exemplum, dictio est æquiuoca, quēadmodum & cōmensurabile. Quæ enim eadem mensura metiuntur, vt numeri inter se, vel magnitudines, commensurabilia dicuntur, Aliquando verò quæ contemperamentū qualitatū idem habent, eò quòd non excedat vna alterā, cum sit æqualis ipsarū compositio, cōmensurabilia sunt, vel quæ potentias analogas habent. Porrò secundus literæ locus in litera ibi assignatus, Alius si secūdum metaphoram dixit, &c. appellatur a metaphora, & est. Si quis in reddenda alicuius finitione metaphora & translatione vtitur, reijciendum est definitionis problema, quòd ipsa translatio orationi adferat obscuritatem. Metaphora (quæ a Cicerone translatio dicitur) fit, cum nomen aut verbū, ex proprio loco in eum transfertur, in quo aut propriū deest, aut translatū proprio melius est. Deciduum & indeciduū, propriè circa idem fieri nata sunt, & circa id quidē, cui motus secundum locum conuenire natus est. vt folia decidua sunt, vt vitis. Indecidua, vt lauri & buxi. Translatitiè igitur de scientia dicetur, q̄ fortè qui scientiam sit adeptus, ab illius [illegible]credulitate

Quæ cōmēsurabilia.

Locus 2. à Metaphora. Quid Metaphora. Cicero.

tate dimoueri non possit. At nutrix propriè est, quæ vbera admouet natis. Translatitiè igitur de terra dicetur. Post hæc in litera ibi, Amplius si nō positis nominibus vtitur, &c. designatur tertius locus, qui ab insusitatis nominibus appellatus, reprobat & euertit definitionis problema. Nam definitio omnis, ex consuetis nominibus & receptis, vt clara sit, est cōflanda. Quãobrem errauerit, qui imitatus Platonē in reddenda oculi finitione vmbricilio vtetur. Et in definitione aranei, putrimordaci: & in medullæ, ossigenio: quòd cilium vmbrā facit in oculo, q̃ araneus putribus rebus morsus infigat, & quòd medulla ex osse gigni videatur, aut potius quòd medulla gignat os. Araneorū autē (inquit Aristoteles, nono libro de historia animalium, cap. 39.) & phalangiorū plura sunt genera: mordax, quod in duo distinguitur. Alterum simile iis quę lupos appellant, est paruū, varium, procax, salax, pulex nuncupatū. Alterū maius, coloris nigri, cruribus prioribus nigris, tardum, & lentè ambulans, nec viribus valens, neq; saliens. Cætera quæ medicamentarij proponunt, aut nullum, aut certè exilem inferunt morsum, &c. Tertium genus, quod sapientissimū, lautissimumq; omniū est. Texit enim primū filis quoquo versus distendens in orbē, tum stamina ducens, initio a medio accepto, nec inscitè mediū ipsum accipit. Deinde subtegmina inferens atq; stipans, cubile & repositorium alibi sibi constituit, sed venationē in medio sui operis obseruãdo exercet, reliqua quæ ab Arist. in eo loco subnectuntur, lectu iucūda sunt, quę a nobis nō referuntur, q̃ breuitati nobis sit studendum. Porrò cū sequitur in litera, Quædā autē neq; secundum æquiuocationē, neq; secundū translationē, &c. confert ad seinuicē prędictos locos, volens hunc tertium illis duobus prioribus peiorē esse. Nam ex tribus modis, quibus ob nomina, obscura redditur definitio, vt æquiuocatione, & metaphora, & dissuetudine, illa quidē est teterrima obscuritas definitionis, quæ per dissuetū nomen paratur. Nam qui vtitur æquiuoco, nomen habet propriæ significãs rem aliquā, etsi nō solam. Metaphora verò, etsi nō propriè rem significet, aliquo modo tamen notum facit significatū propter similitudinē. Nam metaphorę omnes fiunt secundum aliquā similitudinē. At quę sic impropriè dicuntur & præter consuetudinē, neq; propriè aliquo modo, neq; cognitionē aliquā faciunt. Sunt igitur deteriora cæteris. vt qui legē, mensurā, vel imaginē diffiniuerit. Nulla enim similitudo cōperitur, secundū quā lex dicitur mensura vel imago, neq; etiā consueuit taliter dici. Nam mensura est quātitas, lex autē non est quātitas. Similiter imago imitatio est animalis ex talibus coloribus protracta, At lex, non est huiusmodi. Quare manifestū est, magis fatuā esse finitionis defensionem per nomina inconsueta & impropria, q̃ per æquiuocationē & metaphorā, ac demum obscuriorē. Post hæc in litera ibi, Amplius si non manifesta est contrarij ratio, &c. assignatur quartus locus, a contrarij finitione dictus, cuius sententia est. Si vnius contrarij reddita definitione, non sit alterius contrarij finitio statim manifesta, reijcienda erit prioris contrarij constituta definitio. Cum enim contrariorū idem sit genus, ex cuius per differentias partitione contrariæ proueniant species, necessum est eum qui vnius contrariorū finitionem cognoscit, & alterius finitionē statim cognoscere. Cæterùm quintus locus in litera ibi collatus, Aut si per se dicta non sit manifestū cuius est definitio, &c. dicitur ab ignorantia definiti. cuius hæc est sententia. Si in medium proferatur definitio, cuius nescitur definitū, reijcienda erit definitio tanquam vana & nullo vsui accōmodanda, non aliter q̃ imagines ab antiquis descriptæ, quibus parum elaboratis, nisi quis superscripsisset & descriptione manifestasset, quod animal talibus indicabatur, nihil memoriæ, nihil cognitionis & gratiæ posteritati attulissent. Qui igitur constituerit definitionem aliquam, qua per se nota non intelligatur cuius sit definitio, sed ad id opus sit adiunctione definiti, refellendum erit definitionis problema. His igitur quinq; argumentorum formis, ob obscuritatem interimitur ipsa definitio. Hactenus de definitionis obscuritate dictum sit.

Locus 3. ab insusitatis nominibus.

Plato.

Quid phalangium. Arist. 39. ca. 9. libri de animaliū historia de araneis.

A contrarij finitione.

Locus 5. à definiti ignorantia.

In quartum caput, considerans defectum ex superfluitate definitionis prouenientem, scholia.

Si igię̃ superfluũ

Extractatis iis locis, quibus propter definitionis obscurum sensum valemus definitionum problemata profligare ac interimere, mox hoc capite subiungit Philosophus quinq; locos, quibus promptiores nos reddere velit, destruendis definitionum non bene assignatarum problematibus, quòd plura quàm deceat complectatur definitio. Horum primus, quem a communi nomine appellant, est eiusmodi. Si quid in definitione pro genere constituatur, quod simpliciter omnibus entibus conueniat, & loco differentiæ assignetur quod in omnes eiusdem generis quadret species, euertendum est definitionē benè assignatā, vt vanæ sunt hæ hominis definitiones. Vnum animal rationale, Animal sensibile rationale, & reliquæ similes, quòd vnum omnibus insit, & sensibile omnibus conueniat animalibus, & nullum animal ab altero

Locus 1. à communi nomine.

Locus 2. ab ablatione.

ab altero diuidat ac separet sensibile. Porrò secundi loci in litera ibi redditi, aut si est qui-
dem proprium quod appositũ est, qui ab ablatione appellatur, hæc est sententia. Si assignatæ
definitionis aliquo ablato quod relinquitur cũ definito recurrat, & ipsius essentiam perfectè
manifestéq; explicet, improba erit assignata definitio. Nam id quod adiectũ fuerit, extra sub
stantiam definiti erit, eiusmodi non exigit substantialis definitio, cuius solus hic habetur con
sideratio. Huius loci tria apud Philosophum adferuntur exempla. Quorum secundum est
animæ definitio, quam Xenocrates assignabat, definiens animã numerũ esse seipsum mouen

Plato in Phædro.

tem. In qua superfluum dicit Aristoteles esse numerũ, cum Plato omisso numero in dialogo,
cui Phædrus titulus præfigitur, animam definiat omisso numero id esse, quod seipsum mouet.
Cuius verba amplectendę breuitatis gratia missa facimus. Verùm subiungit Philosophus, id
quod seipsum mouet, cõuersim fortassis de anima prædicari, nõ tamen totã animæ substantiã
atq; quidditatem indicare, quòd generis loco positus sit numerus. Nam etsi differentia speciei
constitutiua cum specie constituta recurrat, non tamen vniuersam eius substantiam conce-
denda est designare. At quoniam huius rei discussio exactior ad primũ philosophum attinet,
non autẽ logici sit instituti, subiunxit declaratu esse difficile, an id quod seipsum mouet, totã
ipsius animæ essentiam explicet, & an animæ genus sit numerus. Porrò de tertio exemplo
etiam dubio, phlegmatis pituitæq; hanc definitionem adferente, humidum primũ a cibo indi
gestũ ad hunc modum. Suidas scribit, Phlegma non dicitur primũ ab alimento. Primũ enim
ab alimento sanguis est, phlegma id est pituita, primũ est crudorum. Sunt enim alia cruda a
phlegmate. Mutatur acidus humor circa stomachum, non absolutè primum, sed crudorum.

Locus 3. à definitionis parte.

Tertius literæ locus ibi collocatus, Amplius si quod eorum quæ sunt in definitione, & cæ.
a definitionis parte appellatur, qui est eiusmodi. Quisquis definitionẽ assignaturus, in ea posu
erit partem, quę non omnibus sub definito cõprehensis competat, perperàm assignauit ratio-
nem, & peius definit, quàm is qui in definitione vtitur eo, quod simpliciter omnibus compe-
tit. Nam hoc communi, omnibusq; competenti ablato, si quod restat sit definitio conuertibi-
lis, erit & totũ vel addito eo cõmuni, cum definito conuertibile. Nam vniuersaliter ad propri-
um atq; conuertibile quolibet addito, quod vniuersaliter de definito verificetur, totum con-
uertibile efficietur, vt si animal rationale cum homine recurrat, conuertetur etiam cum homi
ne ens animal rationale. Seruatur itaq; conuertibilitas ab eo, qui in definiendo eo vtitur, quod
in omnia quadrat, non autẽ ab eo qui eam in finitione particulam collocat, qui nõ omnibus
sub definito contentis conuenit, cuiusmodi est hæc hominis definitio, animal gressibile bipes
quadricubitum, vel animal rationale album. At quartus locus, a frequenter dicto nuncupa

Locus 4. à frequenter dicto.

tus, in litera redditur ibi, Rursum si idem frequenter, & cęt. cuius hæc est sententia. Qui in ter
mino reddendo, actu vel virtute quadam idem frequenter repetit, is nõ bene definit, vt errat,
qui homini hãc tribuit definitionẽ, esse animal rationale mortale rationale, esse animal sensibi
le rationale. Simili modo falli videtur, qui cõcupiscentiam definit esse delectationis appetitũ.
Nam cum concupiscentia eadem sit delectationi, in ea oratione qua dicitur concupiscentia
esse appetitus delectationis, idem dicitur repeciturq;, puta ipsa delectatio. Cęterùm quoniam
non re vera conuincitur, in ea oratione esse nugatio, eo quòd non est ex parte eiusdem extre-
mi inutilis eiusdem verbi repetitio, subnectit Philosophus, An hoc quidem nihil inconueni-
ens, &c̃. Ex ijs nihilò secius monstrare contendit Aristoteles, non esse verè definitionẽ, cuius
naturã explicare conatur, si omnino idem sub alio tamen nomine per se definiatur. Post

Locus 5. ab additione partis toti facta.

hæc in literæ calce ibi, Rursum si vniuersali dicto addidit & particulare, &c̃. redditur quintus
locus, quę nuncupãt ab additione partis toti facta, qui est huiusmodi. Si in assignata finitione,
vniuersali vniuersaliter potissimũ accepto, particulare seu inferius posterius iungatur copula
tiua cõiunctione, veluti quiddam diuersum, non erit probè assignata definitio, id quod euenit
definienti clementiam esse diminutionẽ seu remissionẽ expedientium & iustorum. & medici-
nam esse disciplinã sanatiuorum animali & homini, & legẽ imaginem eorũ quæ natura sunt
bona & iusta. Quæ autẽ aduersus hunc locum solent adferri, ex ipsius explicatione facilè di-
luuntur. At clementia dicitur esse expedientium & iustorum, quòd ipsa alicui minuat crucia
tus iustos, parumper ad mansuetudinem misericordiamq; deflectens. attamen quod hic ver-
sum est clementiam, Aristoteles habet ἐπιείκειαν, quod vertere magis solent æquitatem ac bo
nitatem, quæ quidem virtus est, quæ legem vbi ab vniuersali defluit, emendat, sicq; ius immi-
nuere videtur, vt ex quinto Ethicorũ Aristotelis habetur. Sed siue clementia, siue æquitas &
bonitas vertatur, bis non est constituenda. Hactenus de ijs locis dictum sit, quibus monstra-
re valebimus, non rectè benèque redditam esse definitionem. Ad eos locos transeundum
est,

est, quibus ostenditur non esse definitio quod est assignatum.

Vtrum verò definiit.

In quintum caput, quo instruimur definitionem interimere, ex prioris & notioris inspectione, considerationeq́;, scholia.

PRæsens litera, cuius exordium congruentius nostro iudicio calci superioris textus iungeretur, quatuor locos complectitur, quibus docemur refellere assignatam definitionem. Quorum primus ab ignotiore & posteriore nuncupatus, est huiusmodi. Interimenda est definitio omnis, quæ per posteriora & ignotiora redditur, Quem duabus confirmat rationibus. Vna ostensiua, ex eo desumpta, quòd omnis doctrina & disciplina habeatur, fiatque ex prioribus, notioribus, & cæt. quemadmodum in Posterioribus Analyticis fuse est explicatum. Altera verò ibi collocata, Si enim definiuit, & cæt. ad impossibile deducit, nempe eiusdem plures esse definitiones propriè dictas. Et proinde vnius & eiusdem plures esse substantias & quiditates. Post hæc in litera ibi, Igitur per non euidentiora quidem definitionem dupliciter est accipere, & cæt. Pro ampliori & prius dictorum & posterius dicendorum cognitione, duplex distinguit ignotius. Simpliciter videlicet atque secundum naturam, & secundum nos ignotius, quæ etsi nonnunquam in idem incidant, cuiusmodi sunt mathematica, in alijs tamen conuersum habent ordinem, vt id quod natura notius est, sit nobis ignotius: & quod notius est nobis, ignotius sit natura. De qua quidem re in Analyticis Posterioribus fusius pertractauimus. Deinde in litera ibi, non oportet autem latere, quoniam sic definientes non contingit quod quid est esse definitio indicare, & cæt. monstrat Philosophus, omnem definitionem, quæ propriè dicta sit (cuius solius mentio hic fit) oportere ex prioribus & notioribus simpliciter ac secundum naturam consistere, quatuor rationibus. Prima redditur ibi in litera, Siquidem oportet per genus, &c. Secunda ibi, Sunt autem & notiora, &c. Tertia ibi, Amplius his qui secundum veritatem huiusmodi definitiones dicunt esse, quę sunt ex his quæ vnicuique sunt nota, &c. Quarta ibi, Amplius eisdem alia, interdum alia magis nota, &c. Hæc succinctim annotauimus, quòd ex prius a nobis alibi vtcunq; declaratis queant esse manifesta. Hactenus itaque a nobis dictum sit super loco ab ignotiore & posteriore propositæ definitionis interemptiuo. Reliquos literæ huius locos, quanta poterimus breuitate prosequemur. Locum itaq; secundum, quē a motu & indefinito appellant, assignat Philosophus ibi, Alius autē, si eius quod est in quiete & definitum, &c. cuius sententia est. Si id quod est in quiete seu permanens, per motū quis definiat, aut determinatū per indeterminatū, repellenda est assignata definitio, quippe quę id quod secundum naturā est prius, per posterius explicet. Et proinde nullæ sunt eiusmodi definitiones, Scientia est habitus per disciplinā acquisitus, Scientia est ignorantiæ priuatio, Sanitas est morborum defectus. Peccat itaq; qui determinata per indeterminata, & immobilia per motum definiunt. Deinde in litera ibi, Eius autē quod non est ex prioribus, &c. locū tertium, qui ex nō prioribus dicitur, dissecat Philosophus in tres particulares locos, quibus quartum annectit. Horum autem primus appellatur ex oppositis, qui est eiusmodi. Si oppositorum vnum definiatur per alterum, interimenda est definitio, eò quòd opposita sunt simul natura, non autē vnum prius reliquo. Quare non rectè definitur bonum, quod malo sit contrarium. At hic locus, quemadmodum testatur hoc loco Aristoteles, exceptionem patitur in relatiuè oppositis, quorum neutrum sine altero propriè finiri potest, quemadmodum nec perfectè intelligi, id quod tradidit Porphyrius in sua Isagoge, & in suis Categorijs Philosophus. Secūdus locus, quem ab eodem appellant, subnectitur ibi. Alius, si eodem vsus est ei quod definitur, cuius sensus est. Cum idem seipso non sit natura prius, qui in definiendo apertè aut latenter eodem vtitur, non definit, & proinde interimendum venit definitionis problema, vt si quis finiuerit solem esse stellam, quę die apparet. Nam si diei loco, ipsius definitionem constitueris, quæ est latio solis super terram, Sole cuius reddebatur definitio, vteris. Tertius locus, qui dicitur a differentia eiusdem diuisionis, collocatur ibi, Rursum si eo quod ediuerso diuiditur, &c. cuius summa hæc est. Si differentiarum oppositarum idem genus diuidentium vna per alteram definiatur, repellenda est definitio, vt non definit, qui abundans seu impar dixerit esse numerum, qui vnitate maior sit pari. At quartus locus, illis tribus superioribus annexus, qui ab inferioribus dicitur, assignaturque in litera ibi, Similiter autem etsi per inferiora, &c. est. Nulla est superioris finitio, quam ingreditur inferius. Nam inferius, natura, suo superiori est posterius. vt non definit, qui bonum dicit esse virtutis habitum. & parem numerum, qui bipartitè diuiditur, hoc est, in duas partes æquas. Hactenus de primo loco, qui ab ignotiore & posteriore dicebatur, & plures complectebatur locos particulares, dictum sit.

Locus 1. ab ignotiore & posteriore.

Quæ ad definitionem reddendam necessaria.

Locus 2. a motu & indefinito.

Loci 3. g ex non prioribus dicitur. 1. locus particularis, Ex oppositis.

2. ab eodem.

3. a differentia eiusdem diuisionis

4. ab inferioribus.

Secundus aūt si res.

In sextū capitulum, monstrans quo pacto interimenda sit definitio ex generis consideratione, scholia.

Post eum locum, qui ex ignotiore & posteriore dicebatur, secundum locū præsenti capite tradit Philosophus, quem in tres partitur. Primus a generis absentia appellatur, qui est huiusmodi. Si res definienda in genere continetur, quod in definitione omittatur, destruenda est assignata definitio, eò quòd in omni definitione rei finiendæ, primo loco ipsius genus sit collocandum, vt corporis seu quantitatis corporeæ non est definitio, habere tres dimensiones: neque hominis definitio est, scire numerare, quòd in illa omissa sit magnitudo, In hac aūt animal. Attamen tales definitiones, quando permanifestum est definiti genus, sine calumnia admittūtur, quod ad definitiones recta expetatur vel maximè in disciplinis intelligentia. Cæterùm quid sentiendum sit de ijs rebus definiendis, quę sub nullo genere collocantur, non statuimus hoc loco discurere. Porrò secundi loci, quem ab imminutione vocant, in litera ibi redditi, Amplius si ad plura cum dicatur, &c. hæc est summa. Si definito plura per se respicienti ea assignetur definitio, quæ genus cōplectens vnum illorum duntaxat spectat, interimenda est ea finitio: Si verò definitū plura respiciat, vnum per se, alterum autem per accidens, repellenda erit definitio, quę id quod per accidens est continet, aut vtrunq;, & id quod per se est, & quod est per accidens. Verbi gratia, grāmatica destinatur per se & ad scribendum quod profertur, & ad cognoscendum, hoc est, legendum: Et proinde non erit audiendus, qui grammaticam definit scientiam esse scribendi quod loquitur, sed is qui grāmaticam dicit esse scientiam scribendi cognoscendiq;, hoc est, legendi quod pronunciatur. Alioqui eiusdem rei plures venirent admittendæ definitiones. Insuper grammatica, per se spectat ad id quod congruè scribendum est & legendum: per accidens autem, id quod incongruum est. quemadmodum per se medicina respicit sanitatem, & per accidens ægritudinē, nempe gratia sanitatis, aut seruandæ aut efficiendæ. Errabit ergo, qui in horū finitionibus, aut tantum eo vtetur quod per accidens est, aut vtrisq;, & eo quod per se est, & eo quod est per accidens. Quòd si duntaxat id quod per se est cōplectatur, terminus rectè assignatus erit, si modò aliundè non proueniat defectus. Idem quoq; eueniet, si id quod definiendum suscipitur, melius & peius respiciat. Nam in melius per se destinabitur, in peius autem per accidens duntaxat. Cæterùm huic loco obsistere apparet, quod per se finium mentionem fecerit, qui cum sint causæ extrinsecæ non sunt accommodi constituendæ finitioni propriè dictæ seu substantiali, qua de hic agitur, quanque constat oportere ex genere & differentijs solum procreari. Quod si hunc nodum soluere nitaris, dicens per se finium loco accipiendas esse differentias, mox occurret scrupulus alter, quo ambigetur, an singulis per se finibus, singulæ respondeant differentiæ. Verùm huius nodi difficultatisve dissolutionē curiosioribus lectoribus cōmittere maluimus, quòd breuitati quantū licet nobis sit studendum. Porrò tertius locus in litera ibi redditus. Rursum si non positum est in proprio genere, &c. quē a genere vocant, hunc habet sensum. Si quis rem quampiam definire volens, eo vtatur genere, quod rei definiendæ re vera non est genus: aut genere vero vtatur, quod non sit proximū, sed remotum, (id quod litera vocat genus transcendens vel trāsiliens) neglectis differētijs intermedijs ipsius generis remoti & intermediorum diuisiuis, nulla erit reddita definitio, vt hominis definitio, neq; est substantia rationalis, neque corpus rationale, neq; corpus animatū rationale, sed animal rationale, & substantia animata sensibilis rationalis, atq; corpus animatum sensibile rationale. Ex hoc itaq; loco depromptum est illud vulgare quo dicitur, In cuiusque rei definitione constituenda proximo vtendum esse genere, id quod aut palàm aut latenter fit in omni definitione.

Locus 1. à generis absentia.

2. ab imminutione.

Obiectio.

3. à genere.

Rursū in differentijs.

In septimum caput, quod docet definitionis problema interimere ex consideratione differentiæ quæ generi quodam modo annectitur, scholia.

Expeditis ijs locis, qui ex generis inspectione accommodi erant interimendis finitionis problematibus, conuenienti ordine eos aggreditur, qui ex differentijs depromi queunt. Nam quēadmodum in omni definitione substantiali ipsi generi prior debetur locus, sic & differentiæ est, secundum & posteriorē occupare locū. Complectitur itaq; præsens capitulum duos locos, quorū prior, quē a differentia quidam appellant, hos quatuor particulares locos cōprehendit. Si quis definiendo non vtatur differentia, aut loco differētiæ id accipiat, q̄d nullius est differentia, interimenda erit eiusmodi definitio. Si quod differentiæ loco in definitione redditū est, non alterā habeat differentiam, idem genus ediuerso diuidentem, nulla erit assignata definitio. Insuper si quod in speciei definitione veluti differentia sumitur, nō verificetur vniuersaliter de genere sub disiunctione sumptum, cum altera eiusdem generis differētia, refellenda est definitio. Id quoq; accidet, si id quod loco differentiæ acceptū sit, generi iunctū, non

Prioris loci, dicti à differētia, loci 4. particulares.

non constituat speciem. Breuitatis autẽ amplectendæ gratia, exempla omittimus. Post hęc in litera ibi, Amplius si negatione, &c. secundus assignatur locus, quẽ nuncupãt a negatione loco differẽtiæ sita, cuiusq; sententia est. Qui negatione genus diuidũt, & eam in speciei definitione constituũt, peccant, & proinde destruenda est definitio. Vt errãt Euclides & Plato, finientes lineã esse longitudinem sine latitudine. Huius loci approbatio ad id perducit inconueniens, quo concedatur genus participare speciem & differentiam, quod cũ non validè conueniat, nisi penes eos qui Ideas seu formas arbitrantur esse easdem numero, Subijcit Philosophus postea: Est autẽ dictus locus vtilis ad eos qui ponũt formas esse, & infra. Quare ad illos solos hic locus vtilis, quicunq; genus vnum numero dicunt esse, hoc autẽ factitãt qui Ideas ponunt.

2. à negatione loco differẽtię sita. Euclides. Plato.

Porrò differentiæ disiunctim sumptæ, vniuersaliter prædicantur de genere vniuersaliter sumpto, seorsim aũt acceptæ particulariter duntaxat, vt omne animal est rationale vel irrationale, & quoddã est rationale, & aliud irrationale, eò quòd homo sit rationalis, ac brutum irrationale. Quare seclusa Idearũ positione, non poterit monstrari, genus participare speciẽ aut differentiam. Quod enim participatur, necessum est vniuersaliter participanti conuenire. Ex hoc itaq; loco existimamus illud axioma vulgare depromptũ esse. Nullius rei positiuæ verã esse substantialem definitionem, quæ negationem complectatur. Diximus positiuæ rei. Nam vt indicat litera ibi, Fortasse nunc in quibusdam, &c. in priuationibus definiendis opus est negatione. Verùm huiusmodi definitiones non videntur propriè esse definitiones.

Rursũ si speciẽ vt differentiã.

In caput octauum, docens euertere definitionem, collatione aliorum facta ad differentiam, annotatio.

QVatuor sunt huius octaui capitis loci. Quorum primus, quem a specie tanquam differentia constituta appellant, est eiusmodi. Si species in locũ differentiæ a definiente collocetur, nulla erit definitio, cũ nequeat species esse differentia. Secũdus literæ locus ibi redditur, Amplius si genus vt differẽtiam, &c. qui a genere differentiæ locũ occupãte dicitur, & est. Destruendũ venit finitionis problema, si quis in cõstruenda definitione quo differentia speciei constitutiua genus assignauerit. Literæ exemplum quo finitur virtus esse habitus bonus, in dubium reuocatur, allata duplici ratione adnitente approbare bonũ non esse virtutis genus, sed differentiam. At duorũ posteriorũ locorum, quorum priorem a prædicatione in quid appellant, & posteriorem ab accidente, cum perspicua sit intelligentia, nostro non egent interpretamento. Quicquid enim in quid prædicatur, siue species sit, siue genus, Item & omne quod subiecto competit velut accidens, a differentiarum numero est propulsandum.

Locus 1. à specie tanq̃ differentia constituta. 2. à genere, differẽtiæ locũ occupãte. 3. à prędicatione in qd. 4. ab accidẽte.

Amplius si prædicetur.

In nonum caput, monstrans quomodo confutanda sunt finitionis problemata, ex generis ad differentiam comparatione, scholia.

HOC in capite adfert Aristoteles locos numero sex, quos summatim attingemus. Primus dicitur a prædicatione differentiæ de genere, qui est. Si quis in constituenda finitione alicuius speciei eo vtatur genere, de quo vniuersaliter prædicatur differentia, vel species, vel aliquod ipsius speciei inferiorũ, reijcienda erit definitio. Oportet enim finiendę rei genus latius patere, q̃ cætera omnia. Quàre non erit hominis definitio, esse Socratẽ rationalem, vel virũ rationalem, eò q͏̃ Socrates & vir, sit homo & rationalis, & Socrates qui hominis est inferius, recurrat cum Socrate, qui vt genus assignabatur, & vniuersaliter de viro prædicetur & rationale & homo, cuius definitio quærebatur. At secundum locum ibi designatum, Rursum si prædicatur genus de differẽtia, vocãt a generis de differẽtia prędicatione, cuius hic est sensus. Si genus redditæ definitionis de differentia assignata, quatenus huiusmodi sunt, prædicetur, respuendum est finitionis problema. Nam genus nequit in quid est de differentia enunciari. Ad cuius rei confirmationẽ duas adfert Philosophus rationes, quarum priore colligit, multa animalia (nempe diuersas generis diuisiuas differentias, quas oportet animalia esse, si de illis in quid genus animal prædicetur) de eadem specie prædicari, quod an inconueniens reputandum sit, poterit diligens lector inuestigare. Nam pluribus in locis superioribus, visus est Aristoteles admittere, plura animalis genera, quorum neutrum alterum continet, de eadem specie in quid posse prædicari. Post hæc tertius locus in litera ibi assignatus, Similiter autem inspiciendum, & cæt. qui a prædicatione speciei vel indiuidui de differentia dicitur, hanc habet sententiam. Si de assignata differentia essentialiter & quiditatiuè, aut species aut speciei inferius prædicetur, reijcienda est definitio. Id quod approbat Philosophus duplici ratione: Vna, quòd illud sit impossibile, eò quòd quicquid de alio in quid prædicetur, ipso sit communius & de pluribus prædicabile. Differentia autem, de pluribus quàm constituta species prædicatur, aut de æqualibus, etsi illius prioris duntaxat meminit Aristoteles.

Locus 1. à pdicatione differẽtię. 2. à generis de differẽtia pdicatione. 3. à prædicatione speciei vel indiuidui de differentia.

Secundâ eiusdem probatio subnectitur mox ibi, Item accidet, differentiam speciem esse, &c. cuius pars postrema, in qua dicitur, Palàm quoniam differentia est homo, duplicem recipit interpretationẽ. Vnam quidem, secundum quã homo velut differentia sese habeat, quã ita explicat Iacobus Stapulensis. Elementũ vult esse Aristoteles, quicquid aptè accõmodéq; de differentia prædicatur, differentiam esse. Inferior enim forma, superiori formæ vt subiectum esse videtur, vt rationale animato, perinde ac albedo colori. Huic expositioni accedere videtur Albertus. Alter sensus est, si dicatur id quod nomine differentiæ puta rationalis designatur, quartum eiusmodi, substantialiter & quidditatiuè dicatur esse homo, quẽ sanè sensum magis probamus, veluti superioribus omnino consentientem. Dixerat enim, alioqui necessum est, vt differentia species esset, non autẽ vt species admittenda esset differẽtia. Deinde ex eo quòd species prædicetur in quid de differentia (quã constat quid commune esse) consequi potius videtur, oportere differentiam speciem esse, quàm speciem esse differentiam. Cæterùm quartus & vltimus huius literæ locus, qui a differentia quæ specie posterior est, appellatur, ibi designatus, Rursum si non prior est differentia, &c. ex dictis alijs in locis apertã habet intelligentiam. Nam omnẽ differentiam necesse est esse natura priorẽ ipsa specie constituta, vel si cum ipsa specie recurrat. Quòd si Aristoteles agat de ea differentia, quæ speciem constitutam superet eaq; maior sit, nihil restat in hoc loco ambiguitatis.

Iacobus Stapulensis.

Albertus.

4. à differentia quæ specie posterior est.

Cõsiderãdũ autẽ & sialteri⁹ generis.

In decimum caput, nos instruens refellere definitionis problemata, ex differentiæ ad alia collatione, scholia.

TRes sunt huius capitis loci. Quorum primus, qui a discretione generum non continentium se inuicẽ appellatur, est eiusmodi. Si contigerit differentiam in definitione acceptã, vnius generis diuisiuã, esse alterius, neq; cõtenti, neq; continentis, neq; vtriusq; ab altero contenti, non erit differentia quæ ponitur in definitione, & proinde reprobandum est finitionis problema, vt illegitimè definiet hominẽ, qui ipsum diceret animal esse contemplatiuũ vel actiuum, eò quòd actiuum & contemplatiuum differentiæ sunt habitus, qui genus est aliud ab animali, neq; sub ipso contentum, neq; ipsum continens, neque ambo sub eodem tertio continentur. Alioqui eadem esset species diuersorũ generũ nõ subalternatim positorũ, quemadmodum prosequitur textus. At hoc in loco, semota omni hypothesi, fatetur eandẽ differentiã esse duorũ generũ non se continentiũ, sub eodem tamen tertio genere contentorum. In quibus sanè differentijs, illud prius dictum, quamlibet differentiam constitutiuam suum constitutiuum genus inferre, exceptionem patitur. Nam nulla est consecutio, Bipes est, ergo animal gressibile bipes est, vel igitur animal volatile bipes est. Sed valida erit illa, Bipes est, igitur aut animal gressibile bipes est, aut animal volatile bipes est. Post hæc in litera ibi, Videndum autem etsi de aliquo differentiam, & cæt. assignatur secundus locus, nuncupatus a determinatione loci vel accidentis, cuius summa est. Si in definitione, differentiæ loco reddatur quod alicubi designet, interimenda est differentia, & ob id profligabitur finitionis problema. Nequeunt enim res substantialiter a seinuicem loco dissidere, cum locus extra rei locatæ substantiam sit. Illud autem omni differentiæ oportet competere. Cæterùm si quis rogauerit, cur loci potius meminerit Philosophus, quàm temporis, aut id genus aliorum. Respondet Albertus, locum magis cum differentia consentire, quàm tempus, eò quòd locus suum locatum tueatur saluetq;. Tempus autem magis causa videtur esse corruptionis, quemadmodum traditur quarto Physicorum. Deinde in litera ibi, Rursum si affectũ differentiam assignauit, &c. redditur tertius locus, ab affectu dictus, qui est eiusmodi. Quisquis definiendo speciẽ, in differentiæ locum constituit affectum seu passionem, perperàm assignat differentiam, & proinde interimenda est definitio. Nam omnis differentia constitutiua conseruat rem ipsam quam constituit, Sine enim differentia species consistere non valet, vt si non sit gressibile, neq; homo erit. At passio & affectus tantũ abest vt rem conseruet, vt etiam corrumpat, & eius demolitionem procuret, super qua quidem re in Physicis est differendum. Passionẽ definit Aspasius, motũ esse, quo patiendo mouetur, quod continuè alteratur. Sed siue passio motus sit, siue qualitas tertiæ speciei, quæ motus sit terminus, cum hæc rei in sua substantia essentiáve iam constitutæ adueniat, nõ poterit passio & passibilis qualitas esse differentia, vt hominis differentia nequit esse calidum, frigidum, humidum, siccum, &c. Quarti loci ibi assignati, Etsi alicuius eorũ quæ sunt ad aliquid, &c. quẽ vocant a distinctione generis, hunc sensum reddunt quidam. Si alicuius speciei differẽtia asseratur, quæ non sit eiusdẽ prędicamenti cũ specie, destruenda erit talis differentię positio. Nobis magis probatur iste. Labitur, qui in relatiuo definiendo, pro differentia vtitur absoluto: & cõtra errat, qui in absolutæ rei finitione, loco differẽtiæ relatiuum

Locus 1. à destructiõe generũ non cõtinẽtium seinuicem.

2. à determinatiõe loci vel accidentis.

Dubitatio. Dilutio ex Alberto.

3. ab affectu.

Aspasius.

4. à generis distinctione

relatiuũ reddit. Nam si res finienda absoluta fuerit, necesse est & ea omnia quę definitionẽ ingrediuntur, absoluta esse. Quòd si relatiuũ extiterit, cætera quoq; relatiua erũt, quod accipiendũ venit de iis quæ per se sunt relatiua, Cuiusmodi nõ est disciplina, qua veluti exemplo vtitur litera, indicãs apertè, si genus sit adaliquid, oportere differẽtias diuisiuas esse adaliquid. Distribuitur autẽ disciplina in contemplatiuã, actiuam, & effectiuam. Dictionẽ autem Græcã ποιητικὴ vertit Boetius in effectiuam. Reliquæ translationes legunt poeticã, sed lectio Boetiana nobis probatur magis, velut apertius explicans scientiæ amplitudinem, & eius species.

In vndecimum caput, monstrans quo pacto profligandum sit finitionis problema, ex eo quòd singula quæ sunt adaliquid non assignantur ad id ad quod sunt, scholia.

Cõsiderãdũ autem & si adquod natum.

Pertractatis locis, qui accõmodi videbãtur, ad reprobãdam definitionẽ, ex ipsius partium generis videlicet & differentiæ contemplatione: nunc alios aggreditur locos, qui in vniuersam integramq; finitionem quadrare valeant, quorum quatuor vtcunq; iis quæ sunt adaliquid conuenientes, hoc capite in medium adfert Philosophus. Primum nuncupant ab ipso relatiui accidente, cuius hæc est summa. Si in finitionibus relatiuorum non constituatur id, ad quod natura vel arte natum est referri, improba erit assignata definitio. Pro huius loci declaratione mox subiungit, duplicia esse relatiua. Nam quædam sunt relatiua, quibus nequeamus vti, nisi ad ea duntaxat, ad quę secundum naturam sunt, vt visu tantum vtimur ad videndum seu circa visibile. Idem in aliis sensibus reperitur. Aliis vti possumus ad plura, & si ad horũ vnum secundum artẽ propriè primoq; sint destinata. Atq; in his definiendis, si id ad quod impropriè destinatur, quodq; secũdariò respiciat collocetur, reiiciẽda erit definitio. Nam peccabit, qui dolium finierit instrumentũ esse ad hauriendã aquã. Palàm enim est, dolium non esse ad id natũ & institutum, sed ad vinũ continendum. Quare etsi nõnunquam continget vti dolio ad hauriendum aquã, id tamẽ non propriè adhibetur illi. Quare non naturã dolii definitio illa contineret, quæ redderetur per id accidentarium. Simili modo redarguẽdus veniret, qui medicinã finiret morbi esse scientiam, quòd ipsa duntaxat illius sit per accidens, quẽadmodum superius testatus est Aristoteles. Porrò vnde cognoscendum sit, ad quid vnumquodq; natũ sit dici, aperit Philosophus dum subnectit. Ad quod sanè vtitur prudens qua prudens, & quæ circa vnumquodq; propria est scientia. Deinde in litera ibi, Amplius si nõ primi assignauit, &c. traditur secũdus locus, quẽ a posteriore habitudine licet appellare, cuius hæc est sententia. Si quippiam cõtingat ad plura dici, nõ tamen æqualiter ad omnia refertur, sed ratio prioris & posterioris inuertit ordinẽ, id nõ venit per posterius definiendũ, alioqui abiiciẽda est definitio: vt errat qui prudentiæ finitionẽ asseuerat esse animæ vel hominis virtutẽ, cùm prudentia his insit, mediante anima rationali. In idem vicium incidit, qui in prudentiæ fortitudinis ve finitionibus anima & homine vtitur, non autẽ concupiscibili aut irascibili potẽtia. Nam si quorundã accidentium subiecta differentiæ locò sint accipienda, probabilius est ea esse, quę prima sunt & propria. Post hæc in litera ibi, Amplius si nõ susceptiuum est eius, &c. tertius proponitur locus, qui a qualitatis subiecto dictus, est huiusmodi. Si passioni qualitatiue reddatur finitio per id subiectũ cui nequit conuenire, interimẽda est assignata definitio. Hunc locũ declarat his quatuor finitionibus perperàm assignatis. Somnus est impotentia sensus exterioris secundum actũ facti. Dubitatio est æqualitas cõtrariarum ratiocinationũ. Dolor est separatio naturalium partium cũ violentia. Sanitas est mediocritas calidorum & frigidorũ, ipsis genitiuis subiecta prima designantibus. Insuper has finitiones improbat litera ibi. Item id quod fit an effectiuũ aut contra, accidit ponere sic definientibus, &c. Ex qua sanè literæ particula, promptum est colligere, eas finitiones, quæ vulgò causales appellantur, non esse omnibus numeris absolutas. Porrò cui veluti proprio subiecto cõueniat somnus, dubitatio, hoc est iudicium quo iudicamus nos nescire, cuius contradictionis parti adhęrere debeamus, & dolor, non est logicę speculationis. Postremus atq; quartus huius literæ locus, quem a tempore appellant, collocatur in litera ibi, Amplius secundum tempora omnia considerandum, & cæt. cuius hæc est intelligentia. Si definitum alicui competat secundum omnem temporis differentiam, non autem reddita finitio, tollenda est interimendaq; assignata definitio. Vt sempiterni finitio, non est esse id quod semper futurum est. Neq; immortalis, esse animal nunc incorruptibile, nisi sumatur nunc incorruptibile pro eo, quod nunc tale est vt nunquam valeat corrumpi, non autem si sumatur pro eo, quod non corrumpitur nunc, aut pro eo quod nunc nequit corrumpi sed postea poterit corrumpi.

Locus 1. ab ipso accidẽte relatiui. Duplex relatiuum.

2. à posteriori habitudine.

3. à qualitatis subiecto.

4. à tẽpore.

In duodecimum caput, monstrans quo pacto repellenda sit finitio secundum locos sumptos penes magis, minus, & simile, scholia.

Inspiciẽdũ aũt.

A cōparatione secūdū magis & minus.

COmplectitur pręsens litera locos numero septem. Quorum primus a comparatione secundum magis & minus vocatus, hunc habet sensum. Si constituatur definitio rei alicui, cuius natura alia oratione magis explicari potest, reijciēda est eiusmodi definitio, vt iustitiæ finitio nō est potestas æqui distributiua, sed potius electio æqui distributiua, quemadmodum iustus non est, qui potest æquū distribuere, sed qui eligit distribuere æquū.

2. ab ipso magis & min⁹.

Secundus locus ibi assignatus, Amplius si res quidē suscipit magis, &c. quē ab ipso magis & minus vocant, est hic. Si res definienda suscipiat magis & minus, quod definitio recuset: aut contra, si finitio prædicetur cū aduerbijs magis & minus, non autē definitū, profligāda est definitio, vt hominis definitio nequit esse animal albū grāmaticum: neq; colorati corpus sensibile.

3. ab intēsionis dissimilitudine.

At tertius locus ibi collocatus, Amplius si suscipiunt vtraq; quidē magis, appellatus ab intensionis dissimilitudine, hunc habet sensum. Si finitū & finitio magis suscipiunt, nō tamen simul atq; eodem tempore, abijcienda erit definitio, vt amoris definitio nō est, concupiscētia cōuentionis, quēadmodum arbitrātur medici, eò quòd magis amās nō magis concupiscit cū muliere cōgredi, sed fortè magis cōcupiscit amatæ præsentiā.

4. à cōparatione duobus facta.

Quartus locus in litera ibi designatus, Amplius si duobus quibusdam propositis, &c. cui nomē est a cōparatione duobus facta, est huiusmodi. Si duabus speciebus propositis definitū de vna magis verificetur, de qua minus definitio, & de altera magis definitio quàm definitū, inanis & vana erit reddita definitio, vt ignis sunto tres species, carbo, flamma, & lux (vti existimabāt veterum nōnulli) sitq; ignis definitio corpus subtilissimum., si flamma magis sit ignis quàm lux, & minus corpus leuissimum, non erit ignis finitio corpus subtilissimum.

Albertus.

At Albertus arbitratur, flammā esse magis ignē luce.

5. ab ipso magis.

Post hæc in litera ibi, Rursum si hoc quidem, &c. subsequitur quintus locus, quē appellant ab ipso magis, qui est. Si duobus similiter insit definitū, definitio aūt vni magis & alteri minus, aut ediuerso, illis similiter conueniat definitio, definitum autem dissimiliter, non rectè reddita erit definitio, vt si nix & cygnus similiter candidi sint, non autem similiter visus disgregatiui, non erit candidi definitio, esse coloratum visus disgregatiuum.

6. à differentiarum distinctione.

Deinde in litera ibi, Amplius si ad duo definitionem assignauerit secundum vtrunq;, &c. assignatur sextus locus, qui a differentiarū distinctione dicitur, cuiusq; sensus est. Si rei finiendæ constituatur definitio per oppositas differentias, ita quòd ex singulis differentijs singulæ procreentur eiusdem rei finitiones, reprobādæ erunt huiusmodi finitiones. Nam alioqui eueniret, contradictoria de se mutuo prædicari, vt si quis definierit bonū esse, aut quod delectabile est per auditum, aut quod delectabile est per visum. Item & ens esse, quod potest pati tantum, qualis est materia, Aut quod potest duntaxat agere, cuiusmodi est Deus optimus, Aut quod simul & pati & agere potest. Nam si ens sit quod tantū pati potest, quicquid non potest pati, erit non ens: At Deus qui non potest pati, ideo ens est, quod possit agere tantū, Quare ens erit nō ens.

7. à definitione.

At vltimus septimusq; locus in litera insinuatur dicente, Amplius & generibus & differentijs, &c. huncq; nuncupāt a definitione, qui est. Si alicuius partis definitionis siue genus sit, siue differentia, definitio non cōpetat rei definitæ, nulla erit assignata definitio, vt si quis plantam dixerit esse animal è terra erumpens, inanis est reddita definitio, quòd corpus animatum sensibile animalis definitio non congruat plantæ. Hanc tamen literæ portionem, nonnulli velut notabile quoddam præambulumq; posterius dicendis accipiunt.

Si autē sit ad aliquid qđ definit.

In decimumtertium caput, docens profligare definitionis problemata, per locum à relatiuè oppositis, scholia.

Locus 1. à correlatiuo.

ADfert in medium Philosophus præsenti capite locos tres, quibus instruamur interimere finitionis problemata, relatiuorū contemplatione. Quorum primus, quem a correlatiuo appellant, est eiusmodi. Si in definitione eius, quod secundum se relatiuum est, aut secundum genus, non constituatur correlatiuum secundum se aut secundum genus, refellenda est definitio assignata, vt scientiæ quę secundum se relatiua est, etsi secundum dici, definitio non est opinio seu assensus ratus, siue firmus & indissuasibilis, sed opinio scibilis, & grāmaticē, quæ secundū suū genus duntaxat relatiua est, nō est scientia literarū, sed scientia scibilis grammatici. Insuper voluntatis definitio non est appetitus sine tristitia, sed appetitus boni, hoc est, appetibilis, minus cōmuni in superioris locū constituto. At quo pacto cū hoc loco nō pugnet illud in Categorijs, Caput verò, & manus, & eorum singula, quæ substantiæ sunt, ea ipsa quæ sunt, sciri definitè possunt, ad quod verò dicantur, non est necessarium scire, ex eisdem Categorijs est petendum.

2. à medio.

Secundus locus in litera ibi assignatus, Aut si cum quippiam ad aliquid dicitur, &c. appellatur a medio, cuius hęc est sententia. Si idem relatiuum duo respiciat, quorum vnum finis sit, & alterum medium ad eundem finem destinatum, finitio per medium

reddita

reddita, est repellenda, & amplectenda ea quę finem complectitur, vt concupiscentia definienda est, non per delectabile, sed per delectationem, quod delectabile propter delectationē eligamus. Porrò tertius locus dictus ab actione. & in litera ibi redditus, Consyderandum & si generatio est, &c. hunc sensum habet, Si in finitione eorum quæ sunt ad finem, pro fine constituatur actio & generatio, non aūt generatum aut factum esse, interimenda est definitio, nisi generari & agi potius finis rationem susceperint, quàm generatum esse, & egisse. Nonnunquā enim in actione maior perfectio & magis finis constituitur, quàm in absolutione, vt in delectationibus. Magis enim volunt actu delectari, quàm destitisse a delectatione, plurimi, exemplo Phyloxeni Erixij, qui (vt testis est Aristoteles) adeò fuit cupediuorax, voluptaibus epularū diffluens, in ventrem furiens, vt à diis ipsis precatus sit, sibi dari collum ipso grue longius, quo in ipso tactu summum bonum collocaret, & præsenti delectatione gauderet. Quartum locum, quem vocant à defectu circunstantiarū, subnectit Philosophus ibi, Rursum in quibusdā si non determinauit qualis, &c. cuius summa est, Si sint aliqua ad aliquid non simpliciter, sed secundum aliquas circunstantias atq; cōditiones, quæ si prætermissæ sint in definitione, explodenda est definitio, velut differētias non cōtinens. Hunc declarat duplicibus exemplis, nempe moralibus & naturalibus. De ambitioso & auaro agitur in quarto Ethicorū. De intemperante aūt in tertio. Est aūt succussio (quam Græci σάσμον appellant) motus terræ, qui a spiritu, in eius latebris inclusi, exitum petentis violentia prouenit. De quo Aristoteles in Phenomenis, quæ Meteora appellantur, determinat. Deinde in litera ibi, Amplius in appetibilibus, &c. insinuatur quintus locus, qui a defectu differentiæ apparētis dictus, est eiusmodi, Si in eorum, quæ sub appetitu, veluti genere continentur, finitione, nulla incidat mentio eius quod videtur, pellenda procul est ea finitio. vt voluntatis terminus, est appetitus boni veri, aut apparentis, non autem appetitus boni, & sic in reliquis. Cæterùm illa textus parte, Si autem & assignauerit quod dictum est, &c. Admonet Philosophus, hunc finiendi modum labefactare Idearum positionē, eò quod nequeat esse per se separatū bonum apparens, aut delectabile, cùm id quod apparens est, ex sensus seu intellectus iudicio pendeat. Quare si ex Idearū habitudine tanquā causa pendeant singularia omnia, non poterit aliquis appetitus esse apparentis boni & delectabilis, sed erit omnis appetitus veri boni & delectabilis, cuius oppositū experientia monstratur. Post hæc in litera dum dicitur, Amplius si sit quidem habitus definitio, &c. redditur sextus locus, a cōiugatis & contrariis vocatus, qui est, Cùm coniugata omnia ad inuicem similiter, cōtraria verò contrariè se habent circa munus definiendi, si vnius cōiugatorū finitioni rectè assignatæ non respondeat alterius coniugati definitio. aut vnius contrarij finitioni legitimæ, alterius similiter detur definitio, interimendæ sunt eiusmodi posteriores finitiones. Quòd si illæ similiter, hæ aūt contrariè sint assignatæ, vna finitione monstrata congruente, ostensum erit, reliquas rectè esse redditas. Nam in assignandis huiusmodi definitionibus, qui promptus est vnam reddere, facilè plures rectas constituet finitiones. Id quod exemplis haud difficile est declaratu. Cæterùm in litera ibi, Amplius in his quæ sunt ad aliquid consyderandum, si ad quod genus assignetur, & species ad illud quoddam assignatur, subindicatur septimus locus, quem appellant a specie relatiua, cuius intelligentia est eiusmodi, Si duorum generum relatiuorū, vnum ad aliud assignetur, tanquam id per quod definire valet, non aūt illius species ad huius speciem possit simili modo assignari, refutanda erit definitio. Id quod subobscurè declarat in relatiuis & secundum esse & secundum dici, quemadmodum constat ex litera. At obiiciet fortasse quispiam illud ab Aristotele in Categoriis dictum, quædam genera esse adaliquid, quorum nulla species indiuidua est adaliquid. Non igitur necesse fuit, speciem relatiui generis, per alterius correlatiui generis speciem finiri. Huic sic responsum, Aristotelem hoc in loco agere de iis, quæ secundum esse relatiua sunt, in quibus necessum est, species esse adaliquid, si genera adaliquid fuerint. Quid aūt super exemplis sit dicendum, superius admonuimus. Postremò in litera ibi, Videndum autem etsi opposito opposita est definitio, &c. subiungitur locus octauus atq; vltimus, qui à correlatiui finitione vocatus, est eiusmodi. Si correlatiuè oppositorum non sint oppositæ definitiones, tollendæ sunt tanquam vanæ & inutiles. Quòd si oppositæ sint, re vera definitiones erunt, vt dupli & dimidij hæ definitiones sunt. Duplum est, quod in æquali, hoc est, tanto eodemq; superat dimidium. Dimidium est, quod in æquali a duplo superatur, sunt enim oppositæ. At si patri designetur hæc finitio, esse animal rationale mortale, reiicienda est hæc finitio, quòd non pugnet cum filij ratione. Non enim opponuntur, Esse animal rationale, & a patre hominem esse genitum.

3. ab actione
4. à defectu circūstātiarū
5. à defectu differētię apparentis.
6. à cōiugatis & cōtrariis.
7. à specie relatiua.
Obiectio.
Dilutio.
8. à correlatiui definitione.

Et in cõtrariis aũt ſimiliter.

In decimumquartum caput, docens confutare definitionem per locum à contrariis, Scholia.

Locus 1. à cõtrarij finitione.

HOC capite monſtrat Philoſophus tribus locis, quomodo ex contrariorum conſyderatione valeamus refellere terminum ſeu finitionem. Primus, qui inſcribitur à cõtrarij finitione, eſt. Sit vnius contrarij reddita finitio, ſi alterius contrarij finitio non ſit ſecundum aliquam contrariorũ complexionẽ contraria, repudianda eſt eiuſmodi definitio, vt ſunto adiutiuum & nociuum contraria. ſit quoq; adiutiui ratio, eſſe boni effectiuum. nociui autem ſit finis, eſſe effectiuum mali, aut corruptiuum boni. neceſſe eſt harum alteram, illi primò conſtitutæ eſſe contrariam. Quòd ſi neutra contrarietatem reſpectu illius ſuſcipiat, neutra erit finitio ſecundi contrarij, etſi harum altera ſit accommoda finitio, non erit illa finitio primi contrarij. Quippe inter quas nihil ſit contrarietatis. Poſt hæc in literæ decurſu ibi, Quoniam autem quædam contrariorum priuatione alterius dicuntur, &c. redditur locus ſecundus, dictus à priuatiuè contrariis, id eſt, quorum vnum vocabulo poſitiuo, & reliquum priuatiuo deſignatur, qui eſt eiuſmodi, Propoſitis duobus priuatiuè contrariis (etſi tolerabile ſit id quod ſecundum priuationem dicitur, finiri per id quod eſt ſecundum habitum,) attamen ſi contrà fiat, & definiatur quod ſecundum habitum eſt, per id quod ſecundum priuationem dicitur, vitioſus erit eiuſmodi terminus. Cuius prior cauſa eſt, quòd habitus & priuatio non ſe mutuò definiant. Poſterior eſt, quoniam idem ſeipſum definiret, quemadmodũ explicat litera. Diximus in initio, etſi tolerabile ſit, &c. eò ꝙ inæqualitas à Boetio finiatur, non per æqualitatis priuationem, ſed quòd ſit diuerſarum rerum diuerſa quantitas. Quòd ſi quis obiiciat, Ariſtotelem hoc in loco aſſerere neceſſarium eſſe, vt id quod ſecundum priuationem dicitur, per habitum definiatur. Reſpondebimus, id ex aliorũ ſententia ab Ariſtotele aſſertum, aut duntaxat accipiendum, quatenus nomine priuatiuo deſignatur, & priuationem connexam habet, non autem vt eſt contrarium. Poſtremus locus ibi redditus, Si autem neutrum contrariorum ſecundum priuationem, &c. vocatuſq; à contrariis ſecundum habitum, tradit eiuſmodi contrariorum neutrum per alterum poſſe finiri. Cuius explicationem non proſequemur longius, eò quòd litera ſit apertiſſima.

2. à priuatiuè cõtrariis.

Boetius.

Obiectionis dilutio.

3. à cõtrariis ſecundũ habitum.

Amplius ſi qd ſecũdum priuationem.

In caput decimumquintum, accommodum interimendis finitionum problematibus, ex priuatiuè oppoſitorum conſyderatione, annotatiuncula.

DVO ſunt huius literæ loci, quorum prior nuncupationem ſortitur à ſubiecto vel habitu priuationis, qui eſt, Si quis priuationẽ aliquam definiat, neglecta habitus nota, Item ſubiecti vel primi, aut temporis a natura conſtituti, reiicienda eſt ea finitio. Poſterior ibi collocatur, Videndum autem etſi non ſecundum priuationem, &c. diciturq; à priuatione, qui eſt huiuſmodi, Si quid ſecundum priuationem non dicitur, tanquam priuatio definiatur, ea finitio ex finitionum familia numeroq; eſt explodenda, quippe quæ rei definiendę non indicet eſſentiam. At de ignorantiæ acceptione duplici, in Poſteriorum Analyticorum priori libro nonnihil attigimus. Hactenus de his duobus locis ſummatim atq; ſtrictim dictum ſit, quòd litera præſens nihil difficultatis lectori ingerat.

Prior loc9 à ſubiecto vel habitu priuationis.

Poſterior à priuatione.

Amplius ſi ſimilibus nominis caſibus

In decimumſextum caput, docens conſtruere & deſtruere finitionis problemata, annotatiuncula.

DVO ſimiliter ſunt huius capitis loci. Prior dicitur à caſibus, quem prius admonuimus idoneum eſſe & conſtruenti & deſtruenti. Poſterior aũt ab Idea nomen accipit, qui eſt, Si alicuius reddita finitio non quadret in Ideam, neque ei competat, euertenda eſt definitio. & proinde perperàm homini definitionem aſſignauit Plato, eſſe animal rationale mortale, quòd mortalis non ſit hominis Idea, quæ a Platonicis αὐτοάνθρωπος dicebatur, & vniuerſaliter in quibuſcunq; definitionibus adiungitur vel effectiuum, vel paſſiuum, tales definitiones non quadrabunt Ideis. Nam Ideæ ſunt immobiles & perpetuæ, & impaſſibiles, vel ſaltem tales ab Idearum aſſeclis defenduntur. Ipſas quoq; nihil conferre rerum generationi, monſtrat Philoſophus ſeptimo Metaphyſices libro.

Prior loc9 à caſibus.

Poſterior ab Idea.

Plato.

Amplius ſi eorũ quæ ſecundũ.

In decimumſeptimum caput, quo inſtruimur refellere problema ex multiplicis finitione, Scholia.

POST eorum locorũ tractationẽ, quibus promptè reddimur ad improbandas finitiones totius vniuerſalis & vniuoci, alios numero quatuor in hoc decimoſeptimo capite adiicit, idoneos ad euertendas definitiones eorum, quæ multipliciter dicuntur. Primus ab æquiuocatione appellatur, qui eſt, Si omnium eorum, quæ velut æquiuoca ſub eodem æquiuoco nomine comprehenduntur, vna reddatur definitio omnibus communis, interimenda

Primus locus ab æquiuocatione.

menda est eiusmodi finitio. Alioqui æquiuoca forent synonyma, seu vniuoca. & æquiuocum, vniuocum. Huius loci exemplum adducit litera ex Dionysio veteris Academiæ propugnatore, vitam finiente, quòd sit motus generi nutriendi naturaliter inseruiens. Hæc finitio videtur ex æquo, & plantis & animalibus conuenire. Vitæ autem horum videntur esse æquiuocæ & ratione dissidere, quòd illarum (vt ait Albertus) vita occulta sit, horum autem manifesta. Atque ex hoc literæ passu fortassis depromptũ est illud vulgare, animam esse æquiuocam trium animarum collatione, nempe rationalis, sensitiuæ, & vegetatiuæ, quod an sic se habeat, an secus, Physicæ est consyderationis. Porrò secundus locus, ab æquiuocis definitis latentibus dictus, (quem cum sequentibus libuit magis quibusdam cautelas appellare) redditur ibi, Postquam aũt quędam latent æquiuocorum, &c. hunc habet sensum, Et si æquiuocatione respondentẽ latente, opponentem æquiuoco velut vniuoco vti oporteat, finitio tamen reddita erit interimenda. E diuersò aũt, si opponentem lateat æquiuocatio, statim a cinitio respondens æquiuocationem aperiens, ipsum æquiuocum dissoluet in plura significata. Deinde in litera ibi, Quoniam aũt quidam respondentium, assignatur hic tertius locus, quem à definiti determinatione vocant, cuiusque summa est, Quoniam varij sunt respondentes, modò confitentes nomen definitum multiplex, modò simplex atque vniuocum (nomen quidem simplex dicunt esse multiplex, quando præsentiunt, traditam finitionẽ non omnibus ipsius definiti significatis cõgruere. At quod multipliciter dicitur, simplex faciunt, dum existimant redditam rationem omnibus dictionis multiplicis significatis competere) necessarium est vti præconfessione, vt determinetur, vtrùm sit simplex vniuocumve, an æquiuocum sit id cuius definitio redditur, ne supersit respondenti subterfugij locus, dum suam sententiam opponenti aperuit. Qui enim nondum sua responsione astrictus est, is tam ad affirmationẽ quàm negationẽ paratus est, vt dicat vel simplex vel multiplex esse definitũ. Postremò in litera ibi, Rursum si quis definiens aliquid eorum quæ multipliciter dicuntur, &c. traditur quartus locus, qui ab autoritate & consuetudine nuncupatus, est huiusmodi, Si quis æquiuocam dictionẽ definierit vna definitione, quæ non omnibus illius significatis cõueniat, & ob id constanter affirmet respondens, dictionem finiendam esse simplicem & vniuocam, opponendum illi est ab opponente, quòd oporteat vti nominibus receptis, non autem pro arbitrio voces fingere contra vulgarẽ omnium sententiam. Nominibus enim vtendum est cum multitudine: & si de rebus ipsis earumque proprietatibus sentiendum est, quemadmodum pauci & sapientes.

Dionysius.

Albertus.

2. ab æquiuocis definitis latentibus.

3. à definiti determinatione.

4. ab autoritate & consuetudine.

In decimumoctauum caput, explicans quo pacto terminanda sint problemata definitionis, complexo assignatæ, Scholia.

Si autẽ alicuius cõplexorum.

PErtractatis iis definitionibus, quæ pertinent ad vniuoca, quæ omnino simplicia sunt, & æquiuoca, quæ quodam modo tantùm sunt simplicia, nempe voce sola, eos aggreditur, qui sunt complexorum. Nam in huius primo volumine dixerat, ea quæ sub orationem significantur, posse definiri. Duos itaque profert Philosophus locos in hoc capite, quibus construere & euertere valebimus complexi definitionẽ. Prior appellatus à remotione partis, est eiusmodi, Assignata complexi finitione, si ablata vna parte a definitione, quæ sit vnius partis definiti definitio, reliqua reliquæ definitio sit, construenda erit complexi integri finitio. Quòd si contrà accidat, reiicienda erit definitio, vt hominis albi finitio est, animal rationale mortale coloratum disgregatiuum visus: quoniam si albi tollatur definitio, quæ est coloratũ disgregatiuum visus, quod relinquitur, vera est hominis definitio, & e diuersò. Quòd si lineę finalis rectę, hęc finitio assignetur, finis superficiei fines habens, cuius medium superadditur extremis, destruetur esse finitio, eò quòd ablata ea parte, finis superficiei fines habens, quæ finalis lineæ definitio est, reliqua finitionis pars (cuius medium superadditur extremis) non sit rectæ definitio. Nam recta potest esse linea infinita, quæ medio & extremis caret. Deinde in litera ibi, Amplius si cùm sit compositum, &c. insinuatur secundus locus, qui à partium æqualitate nuncupationẽ sibi vendicat, hancque habet sententiam, Si complexi finitio fuerit æquimembris, destruenda est definitio. Est autem tum finitio æquimembris, cùm quot sunt definiti partes & verba, tot quoque sunt definitionis. Quàre tunicę albę terminus non est vestis candida, sicut nec tunicæ terminus est vestis. Nam quemadmodum simplicis incomplexique terminum necesse est esse orationem, sic & complexi terminũ necessum est pluribus constare nominibus iis ex quibus conflatur complexum. Quod bifariam (vt testatur prius litera) accidit fieri, Vno quidem modo perfectè ac absolutè, dum in integra finitione singulorum simplicium, ex quibus resultat complexio, singulas finitiones collocamus, vt si hominis albi dixerimus esse finitionem, animal rationale coloratum visus disgregatiuum. Nam & hominis & albi

Prior à remotiõe partis.

2. à partium æqualitate.

Duobus modis cõplexa definiũtur.

Primò perfectè.

2. impfectè.

albi essentiales terminos exprimimus. Altero modo imperfectè, dum vno simplici retento, alterius duntaxat assignauerimus definitionem, secundum quem modum in primi libri initio finiti sunt syllogismi demonstratiuus & dialecticus. Atq; hic finiendi modus potissimùm contingit, in quibus definiti pars seruanda in definitione adeò manifesta est, vt videatur vel vanum, vel tædiosum, eam pluribus verbis definire.

Cõsyderandũ aũt, & si per cõmutationem.

In vndeuigesimum caput, monstrans quomodo liceat definire definitionis problemata, ex inspectione trausumptionis nominum, Scholia.

Primus locus à cõmutatiõe noim diuersæ notionis.

2. à generis noti permutatione.

HVius literæ tres sunt loci, quorũ primum ibi designatũ, Consyderandum aũt & si per cõmutationẽ nominum, &c. à cõmutatione nominũ diuersę notionis appellant, cuius sententia est, Si in cõplexi finitione etiam æquimẽbri (quæ superiori capite alia ratione exclusa est) nomina recepta, in quę cõplexi nomina commutata sunt, in virtute non sint eadem nominibus definiti, repudianda est eiusmodi definitio. vt scientiæ contemplatiuæ terminus non est opinio contemplatiua, quòd opinio non idem sit quod scientia, sed potius alienum quid, si sumatur pro habitu, cui annexa sit contradictoriè oppositi formido, aut cõmunius, si accipiatur pro quouis iudicio, quo pacto sumebatur, cùm aliquot in locis superioribus dicebatur scientia esse opinio indissuasibilis. Post hæc in litera ibi, Amplius si alterius nominũ commutationẽ faciens, &c. secundus designatur locus, vocatus à generis noti permutatione, seruata intactaq; differentia, qui est eiusmodi. Si loco generis notioris quàm sit differẽtia, nomen aliud constituatur, eadem seruata differẽtia, finitio reddita est interimenda. Quòd si cõtrà, differentia notior sit genere, & relicto genere ac seruato in differentię locum, nomen aliud statuatur, erit itidem reddita definitio nulla. Cùm enim omnis definitio amplioris cognitionis habendæ gratia reddatur, congruentius est, vt notiori nomine seruato, quod ignotius est notiori nomine explicetur. At quando accidit, genus notius esse differentia, & contrà, genere differentiam esse notiorẽ, cùm omne genus differentia sit generalius atq; communius, lectoribus inquirendum omittimus. Cæterùm tertius locus in litera ibi redditus, Si autem differentiæ definitionem assignauit, quem à definitione communi appellant, est eiusmodi, Si seruato genere prioris finitionis, loco differentiæ constituatur definitio, quæ communior sit ipsa differentia, pluribusq; competat, reiicienda est finitio, etiam si integra finitio ex genere & differẽtiæ finitione coalescens, soli finito conueniat. Literæ exemplum est, Si quis numerum imparem dixerit numerum medium habentem, determinandum est quo pacto medium habentem. Nam numerus quidem communis in vtrisq; orationibus est. Imparis autem, transsumpta est oratio. Habent autem & linea & corpus medium, cùm non sint imparia, &c. Hic mi lector vides, neq; lineæ, neq; corpori, neq; superficiei, quadrare esse numerum medium habentem, hoc est, diuisibilem in duas partes æquas, residente media vnitate, quemadmodũ quinarius in duos binarios secatur, vnitate quodammodo inter ipsos media. At imparis reddita finitio seorsim accepta, illis competet, nisi ab initio à respondente determinata fuerit, in quo sensu acceperit habere medium, si id multiplex fuerit, dum nunc tribuitur quãtitatibus continuis, nunc autem discretis. Alioqui reprehendendus erit, quòd malè finitionem differentiæ assignârit, aut syllogismo conuincetur reddita differentiæ finitio pluribus conuenire. Cæterùm hunc locum arbitrantur plurimum fauere ei opinioni, quæ asserit, differentiam superiorem de inferiori in quid prædicari. Cùm enim hoc in libro agatur de termino, finitioneq; propriè dicta, quam necesse est ex genere & differentia constare, vt pluribus in locis & huius & superiorum librorum testatus est Aristoteles, videtur eiusmodi definitio tribuenda esse differentiæ. De hac autem re nonnihil attigimus in Isagoge Porphyriana. At qui eius sunt opinionis, meminerint oportet, Aristotelem præcipua cura agere de finitione substantiali ac essentiali, etsi nonnunquam finitionis nomine fusius accepto vtatur, id quod apertissimum est Aristotelis documenta trutinanti atq; examinanti.

3. à definitione cõmuni.

Rursũ si id cuius qdẽ ordinẽ.

In vigesimum caput, docens interimere finitionem, cùm entia per non entia definiuntur, &c. Scholia.

Locus à definitione non ens significante.

2. ab indeterminato correlatiuo.

HVius capitis quatuor sunt loci. Quorum primus est huiusmodi, Si ens per non ens, hoc est, possibile per impossibile finiatur, interimenda est reddita definitio. Nam entis nullo pacto pars substantialis potest esse non ens. Quare albedinis, quæ est ens, nequit finitio esse color igni permixtus, eò quòd impossibilis sit coloris qui incorporeus est, ac materia ex qua fieret carens, & ignis mixtio. Nequit enim substantia cum accidente permisceri, super quare in Physices est agendum. At secundi loci in litera ibi assignati, Amplius quicunque non diuidunt in his quæ sunt ad aliquid, &c. qui vocatur ab indeterminato correlatiuo,

tiuo, summa est hęc, Si definiendum sit relatiuum aut secũdum se, aut secundum suum genus, si non reddatur id quod per se & propriè spectat, confutabitur assignata definitio. Nam alioqui non inter sese recurrent correlatiua, id quod necessum est ipsis competere. quatenus relatiua sunt. Huius loci explicatio seu declaratio, medicina vtitur, quæ duntaxat est ad aliquid secundum suum genus, & per se est eorũ quæ salubria sunt, & ad efficiendam sanitatẽ conducentia, quorũ ratione vtcunq; dici potest medicina esse alicuius entis, quemadmodũ per accidens referri potest ad ea omnia, quę salubribus accidunt. Porrò tertius in litera ibi redditus, Quandoq; aũt definiunt non esse, &c. cui a perfectione & habitu nomen indiderunt, hunc habet sensum, Si quis definire susceperit rem quampiam secundum substantiam & essentiam, quam finiat duntaxat secundum ipsius bene esse, reiicienda erit huiusmodi finitio, quales sunt hæ Rhetoris & furis finitiones, perfecti & boni furis & Rhetoris comparatione. Rhetor est, qui potest quod in vnoquoq; est verisimile consyderare, & nihil prętermittere. Latro est, qui clàm sumit. Cæterùm quartus locus ibi in litera redditus, Rursum si quod propter se eligendum est, &c. appellatur ab iis, quæ per se non sunt eligenda, cuius sententia est, Si id quod propter se eligendũ est, finiatur per id quod propter aliud eligendũ est, cuiusmodi sunt effectiuum & operatiuum, refellẽda est eiusmodi definitio. Neq; id solùm veritatẽ continet, si per se bonum non sit propter aliud appetendum, verùm etsi ad alium finem meliorem referatur.

3. à perfectione & habitu.

4. ab iis quæ per se non sunt eligẽda

In vigesimumprimum caput, docens destruere totius integralis finitiones, Scholia.

Cõsyderandũ aũt est & si is.

QVoniam definitionum varij sunt modi secundum definitorũ totorumq; diuersitatem; (Nam quoddam totum est vniuersale, cuius definitio ex genere & differentia coalescit, de qua hactenus dictum est, Aliud est totum naturale, aliud verò integrale) hoc in capite explicat Philosophus eos locos, qui accommodi sunt destruendis problematibus definitionis totius integralis. Qui quidem loci numero sunt septendecim, quos quanta poterimus breuitate attingemus. In exordio itaq; huius capitis succinctim indicat, triplicem posse reddi definitionem totius integralis. Vnam quidẽ, quæ conflatur ex partibus integralibus in recto acceptis. Alterã, cuius partes totius in obliquo collocantur. & tertiam, quæ vnam partem in recto designatã contineat, & alteram in obliquo. Id enim est quod indicat Aristoteles, dicens, Considerandum aũt est, etsi is qui alicuius definitionẽ assignauit, aut hoc, aut quod ex his est, aut hoc cum illo definiuit. Harum definitionũ exempla sunt, Si domus finiatur esse ligna & lapides, cõsici ex ligno & lapidibus, esse tectum cum lignis & lapidibus. Primus igitur locus, quem ex repugnantibus, veluti inconueniente consequente appellant, ex partibus in recto casu, qui obliquis prior est desumptus, hanc habet sententiam, Errat, qui totum integrale per partes definit in recto assignatas. Alioqui hæc euenient incommoda. Idem de pluribus simul prædicari, de quorũ neutro seorsim accepto poterit dici. & contraria eisdem conuenire. vt si quis Citticum Zenonẽ imitatus, iustitiam finiat, q̃ sit temperantia & fortitudo (is enim volebat iustitiam dici, in rebus assumẽdis temperantiam, & in perpetiendis fortitudinẽ) sintq; Socrates & Plato, quorum ille sit temperans, hic aũt fortis, ipsi iusti erunt, quippe cum temperantiam & fortitudinẽ habeant, quorum neuter est iustus. Quòd si id confiteri nihili sit ducendum, cõtraria de iisdem enunciari monstrabuntur, si Socrates temperans sit & timidus, Plato aũt fortis & intemperans. Nam ambo idcirco iusti sunt, quòd fortitudinẽ & temperantiam habẽt. Iniusti aũt, q̃ intemparantiam & timiditatẽ habeant. Nam si iustitia sit temperãtia & fortitudo: erit iniustitia, intemperantia & timiditas. Hoc quoq; definiendi modo indicantur partes integrales esse easdem cum toto. Quod cùm palàm est aliter se habere, reiiciendus est procul hic finiendi modus. Deinde in litera ibi, Si aũt non hæc, sed quod ex his est &c. traditur secundus locus, quem appellant à partibus nihil componere potentibus. Eiusq; summa est, Quisquis totum integrale finierit, partibus iis in obliquo positis, ex quibus nequit vnum quid prouenire, tollenda est huiusmodi finitio, vt si corpus dicatur esse compositũ ex lineis & numeris, interimenda est finitio, eò q̃ ex lineis & numeris nihil possit coalescere. Cæterùm tertius locus, cui nomen est à subiecti vnitate, ibi in litera redditus, Amplius si definitũ quidẽ, &c. est eiusmodi, Si totum integrale finiendum circa aliquid vnum primo fieri habeat, circa quod non primo fiunt partes finientes in obliquo, nempe ablatiuo iuncta præpositione ex, desumptæ, sed vna in vno alio primo fit, & altera in altero primo, nulla erit reddita definitio. verbi gratia, qui definierit prudentiam esse ex fortitudine & temperantia, quemadmodum Aristo Chius, reprobaretur, q̃ prudentia sit vnius subiecti, vt ipsius animę rationalis primò, At temperantia in concupiscibili est, & fortitudo in irascibili. Porrò quarti loci ibi assignati,

Triplex reddi põt totius integralis finitio.

Locus 1. à repugnantibus.

Zeno Citticus.

2. à partibus nihil cõponere potentibus.

3. à subiecti vnitate.

4. à subiecti distinctione

assignati, Si autem & partes & totum in vno aliquo primo, &c. quem vocant à distinctione subiecti, hic est sensus, Si totum integrale desinibile, in aliquo vno sit primo, & partes definientes obliquè designatæ, simul in vno primo sunt, non tamen eodem, vana erit assignata definitio. vt explodendus est, qui temperantiam finitet esse ex fortitudine & magnificẽtia. Nam illa primò est in concupiscibili virtute seu potentia. Hæ aũt in irascibili.

5. à destructiõe partiũ, toto destructo.

At quintum locum ibi in litera redditum, Rursum si cum toto corrumpuntur partes, &c. nuncupant à partium destructione toto destructo, cuius intelligentia est, Peccat qui totum integrale finit per partes obliquè sumptas, quas necesse est interimi, si totum integrale corrumpatur. Nam partibus interemptis, necessum est & totum integrale perimi. non contrà, cùm partes totius sint principia. & omne principium, effecto sit natura prius, quod non est necesse corumpi, corrupto posteriori & effecto. vt perperã animal definiretur esse ex bruto & homine. & quantitas corporea ex superficie & linea, ꝗ animali perempto perimitur & homo & brutũ: & quantitate corporea ablata, tolluntur superficies & lineæ.

6. à dissimili & neutro

Porrò sextus locus mox in litera subiunctus ibi, Aut si totũ quidem bonum vel malum, &c. apppellatus à dissimili & neutro, est iste, Si totum integrale, quod aut bonum sit aut malum, ex partibus iis definiatur quæ neutræ sunt, hoc est, neq; bonæ neq; malæ, aut contrà, si totum definitũ neutrum sit, & partes definientes aut bonæ aut malæ, reprobanda est ea definitio. Nam totum & partes oportet sibi respondere in boni & mali, aut neutrius ratione. Talis dicitur hæc esse virtutis finitio, Virtus est, quæ ex affectibus & potentiis procreatur. Cùm enim potentiis neq; laudemur neq; vituperemur, videbuntur potentiæ esse neutræ. At virtus perpetuò censetur esse ex bonorum numero. Hunc aũt locum accipiunt de bonis simpliciter, & per se, & malis. non aũt effectiuis bonorũ, & secundum quid bonis & malis.

7. ab ipso magis tali.

Post hæc in litera ibi, Aut si magis alterum quidem bonum, &c. assignatur septimus locus, dictus ab ipso magis tali, cuius hæc est summa, Si totum integrale ex partibus finiatur, quarum vna magis bona sit quàm altera mala, & totum non sit simpliciter bonum, aut magis bonum quàm malum, euertenda est reddita finitio, vt si imprudentia finiatur, quid esse cõstitutum ex fortitudine & falsa opinione, fortitudo magis bona est, quàm falsa opinio mala. At quoniam imprudentia non absolutè bona est, neq; magis bona quàm falsa opinio mala, repudianda est prædicta finitio. At hic locus, quemadmodum admonet in litera Philosophus, intelligitur in his quæ simpliciter bona sunt vel mala, & quæ permista suam propriam naturam atq; vim retinent, ac seruant. Nam in aliis frequenter euenit, vt mala cõmista bonum, & bona malum reddant, remissis vtrorumq; viribus & permutatis, quemadmodum palàm est in medicinis, vt (teste Aristotele in primo libro de dominorum regimine) vinum per se est bonum, item & lac, quę mista simul lepram generant.

8. à medio.

Insuper in litera ibi, Rursum si quod ex meliore & peiore est, &c. traditur hic octauus locus, quem vocãt à medio. Si duabus partibus vna meliore & altera peiore finiatur, totum integrale, quod neq; peiori melius est, neq; meliori peius, interimẽda venit definitio data, vt si continẽtia finiatur esse ex recta ratione & mala cupiditate, oportet eam esse peiorẽ recta ratione, & meliorẽ mala cupiditate. Quòd si aliter cõtigerit, refellenda veniet definitio. Hic quoq; locus est intelligendus, vt duo superiores, id quod admonet textus.

9. ab vniuoco.

Deinde in litera ibi, Amplius si cognomine est totũ alteri, &c. in medium adfertur nonus locus, cui nuncupationem tribuunt ab vniuoco, & est, Si totum integrumq; quis finiat per partes, quæ totius nomen participent, praua erit assignatio. Oportet enim totum integrale ad suas partes se habere, quemadmodum syllaba ad literas quæ nomen syllabæ nequeunt vnquam participare. Et proinde non rectè finitur virtus esse, quæ fit ex fortitudine, iustitia, & temperantia, ꝗ partes omnes nomen totius recipiant & rationem, sunt enim virtutes & habitus electiui in mediocritate consistentes, ea quæ ad nos est definita ratione, & vt definiuerit ipse prudens.

10. ab indeterminata cõpositione

Post hæc ibi, Amplius si non dicit modum compositionis, &c. redditur decimus locus, dictus ab indeterminata compositione, cuius sententia est huiusmodi. Quemadmodum ex indigesta diuersarũ partium integralium congerie non perficitur integrale totum: neq; satis habet ædificator, si ligna, lapides, lateres, &c. domus ædificandæ vtilia congregauerit. sed diligentẽ operam adhibet, vt singula in suis collocẽtur locis, ne quid fiat monstro simile. sic quoq; ex partibus toti reddita nõ est exacta definitio, nisi explicetur partium determinata dispositio & vnio, quę quodãmodo ipsius totius integralis est forma atq; substantia, id quod indicat litera, dicẽs, Non enim quod ex his, sed quod sic ex his est, vniuscuiusq; compositorũ est substantia.

11. à definitionibus per hæc & ex his.

Hactenus de finitionibus totius per partes in obliquo designatas dictum sit. Reliqui loci de iis terminis traduntur, qui simul partes & in recto & in obliquo complectuntur. Vndecimus igitur præsentis capitis locus ibi traditur, Si aũt

hoc

hoc cum illo assignauit,&c. quem nuncupant à finitionibus per hæc & ex his, hoc est, ex vna parte in recto & altera in obliquo constans. Cuius summa hæc est, Quoniam finitionē ex vna parte recta,& altera obliqua,necesse est sensum alterum duorum superiorum habere, secundum quem aut ambæ partes in recto sumantur,aut ambę in obliquo (Verbi causa huius definitionis ὀινόμελι seu mulsum, est mel cum aqua,sensus est,œnomel est mel & aqua, aut est quid constitutū ex melle & aqua.) Cui superiores, priusq; explicati loci sunt ad manum, facilè fuerit argumenta inuenire ad interimendas eas definitiones, quæ ex parte vna recta & altera obliqua coalescunt. At duodecimus locus ibi redditur, Amplius diuidenti quoties dicitur alterum,cum altero, Consyderādum,si nullo modo hoc cum illo,&c.quem apppellant à diuisione & multiplicitate huius orationis,hoc cum illo. Significat enim interdum hoc cum illo idem subiectum,seu in eodem subiecto esse. In qua significatione dicimus fortitudinē esse cum iustitia,quòd in eodem sint subiecto, vt anima,fortitudo & iustitia. Aliquando hoc cum illo, locum eundem designat,vt Socrates cum Platone dicitur esse, quia in eodem sunt loco. Aliquando idem tempus, vt Aristoteles cum Alexandro magno fuisse dicitur, quia in eodem tempore. Si igitur definitionis propositæ designantis hoc cum illo, neutra pars sit cum altera aliquo dictorum modorum, id est, neq; partes simul sint in eodem subiecto, neq; in eodem loco,aut tempore,futilis erit ea finitio,& pronide finitiuum problema interimēdum. vt improba est hęc virtutis finitio,virtus est continentia cum temperantia, quia neque in eodem subiecto primo sunt,neque eodem tempore,neque eodem loco. At an contrà,ex partibus eisdem secundum subiectum,aut locum, aut tempus, liceat construere finitionem,lectori ex sequentibus erit manifestum.

12. à multiplicitate huius orōnis, hoc cū illo.

Post hæc in litera ibi, Si autem diuiso quoties dicitur,&c.decimustertius assignatur locus, à disiunctis partium finibus appellatus, cuius intelligentia est eiusmodi, Si partibus partim in recto, partimq; in obliquo designatis, in totius integralis finitione, etiam in eodem tempore existentibus, alius atque alius sit finis, refellenda est reddita finitio. vt prauè finitur fortitudo esse audacia cum vero intellectu, seu vera intelligentia. Nam contingit aliquem simul tempore habere audaciam aliquem spoliandi,& intelligentiam rectam circa salubria,quem nemo sanæ mentis censebit fortem esse.

13. à disiunctis partiū finibus.

Porrò decimiquarti loci in litera ibi traditi, Amplius & si ad idem ambo dicātur, &c. quem vocāt à diuersis totius & partium finibus, hæc est summa, Si totius integralis finitionis, quæ per hoc cum illo exprimitur, partes vel subiecto, tempore & loco conuenientes, in eundem finem destinentur, quem non spectat totum finibile, euertendum est finitionis problema. Nam oportet totum definibile & partes finientes, in obiectum idem finémque dirigi. Quapropter non sunt audiendi, qui fortitudinem finire contendentes,adstruunt eam esse audaciam cum intelligentia recta circa medicinalia. Neque enim ad fortitudinis finitionem assignandam est satis, si horum vtrumque ad alterum dicatur, quemadmodum accidebat in priori loco. Neque si ad idem quodcunque sit. sed opus est vt illud sit finis fortitudinis,eodem quoque modo,& iisdem adhibitis circunstantiis. Vt fortis est,qui audet cum recta intelligentia, circa ipsam mortem, & mortis præliorúmq; pericula, & cæteris vestitur circumstantiarū ornamentis.

14. à diuersis totius & partium finibus.

Cæterùm quoniam in locō duodecimo non explicauerat vniuersum integrumq; orationis huius (hoc cum illo) significatum, illis tribus adiicit quartum in litera ibi, Quædam autem sic assignatorum,nullo modo sub dictam cadunt diuisionem,& ext. secundum quem hoc cum illo, designat hoc esse propter illud, tanquā causam. Nam qui dicunt iram esse tristitiam, cum opinione paruipendendi, in eo sensu asserunt, secundum quem dicimus, iram esse tristitiam propter opinionem paruipendendi, qui quidem sensus alienus est à tribus prius redditis. Quapropter si quid dicatur esse hoc cum illo, quæ neq; eadem sint subiecto,loco,vel tempore,neque hoc propter illud, veluti causam, reiicienda erit finitio,designās totum integrale esse hoc cum illo,vt si ira non sit tristitia propter opinionem paruipensionis, non erit tristitia cum paruipensionis opinione,iræ definitio.

15. à diuisione huius cum illo.

Post hæc in litera ibi,Rursum si horum compositionē dixit totum,&c.decimussextus assignatur locus,ab indeterminatis partibus appellatus, qui est eiusmodi, Si in totius integralis finitione,vel prætermisso compositionis nomine, assignentur integrales partes,quarum non explicetur determinata vnio, Item si definitio dixerit totum esse compositionem, destruenda est reddita totius definitio. Vtriusq; partis declaratio intellectu facilis est,si modò prius compositionem accipiamus concretim pro composito, & posterius abstractim.

16. ab indeterminatis partibus.

Postremò in litera ibi, Rursum si similiter in aliquo nata sunt, &c. redditur locus decimusseptimus, quem vocant ab altero contrariorum similium, cuius sententia est. Si duo contraria eidem subiecto similiter insunt, & ipsius definitio per alterum duntaxat

17. ab altero contrariorū similium.

contrarium constituatur, interimendum est finitionis problema. Nam qua ratione vnum contrariorum esset de natura subiecti, & reliquum. Quare si anima rationalis ex æquo sese habeat ad scientiam & ignorantiam, non erit rationalis animæ finitio, esse substantiam disciplinæ susceptibilem. cùm ea hypothesi permanente, similiter sit anima ignorantiæ susceptiua. Cæterùm an constitui possit, totum integrúmque, cuius substantia coalescat ex partibus contrariis ex æquo se habentibus, alterius & non logici est negotij.

Oportet autē si nō ad totā habeat.

In secundum & vicesimum caput, quatuor documenta tradens, definitionem interimere volentibus, annotatiuncula.

Postremū huius sexti libri capitulum, quatuor complectitur præcepta (alij locos vocāt) veluti superiorū coronidem, quæ videntur destinari ad leuandum opponentis laborē, & aliqua ex parte ad differendi maiorē abundantiam. Primum est, Si opponens non habet quod in integram finitionē obiicere valeat, eò quòd non sit tota nota, opportunū ei fuerit recurrere ad eiusmodi definitionis aliquam partē ei notam, & contra quam promptus sit argumentari, siue genus sit, siue differentia. Nam vna finitionis parte euersa, exploditur tota finitio. Atque ob hanc rem prius subinde dictum est, ad definitionem facile esse argumentari.

Primum præceptum.

Secundum.

Porrò secundi præcepti ibi redditi, Quæcunque aūt obscuræ sunt definitionum, &c. hæc est summa, Si a respondente in medium proferantur definitiones argumentanti obscuræ, oportet ipsum obscuritatē illam illucidare, cōformemque intelligentiæ suę facere, vt definitione clariore facta, elicere valeat argumentū. Nam necessarium erit, respondentē aut suscipere argumentantis declarationē, aut ostendere, quidnam a definitione alienum perperàmque aut dixerit aut adiecerit. At quibus placet hoc documentū pertinere ad respondentē, ij suę expositionis autorē habent Albertū. Nos aūt quem magis probamus sensum protulimus. Post hęc in litera ibi, Amplius quemadmodum in cōgregationibus, &c. assignatur tertium documentū, quod est huiusmodi, Quemadmodum in ciuilibus congregationibus, post priores leges latas, temporis lapsu, & aliis emergentibus casibus, meliores constituuntur, quæ priores abrogant atque tollunt: sic in finitionibus eiusdem rei finiendæ nonnunquam accidit, vt post priorem alia reperiatur, quę si melior sit priore eò quòd magis clariusque quid sit definitum explicet, acceptāda venit, atque proinde priorem destruat. Nam vnius eiusdemque rei vna duntaxat est perfecta finitio in eodem causæ genere. At vltimi pręcepti ibi redditi, Ad omnes autem definitiones non minimum, &c. hic est sensus, Non imminimum elementum est seu principium, opponentem apud seipsum accuratè ac diligenter, quod propositum est, definire, aut eius, quod ab aliis finitum est, definitionem examinare, si secundum artis definiendi regulas sit tradita, neque superfluum continens, neque diminutum. Quibus perspectis atque consyderatis, opponendi dialecticis argumentis abundandi maior dabitur copia. At locorum huius sexti libri nomina, ordinem & numerum, complectitur subiecta formula.

Albertus.

Tertium.

Quartum.

Quinque primi loci, ob obscuritatem non bene definiri quippiam indicant. Reliqui quinque ob superfluitatem.

1. Ab æquiuoco.
2. A metaphora.
3. Ab inconsuetis nominibus.
4. A contrarij definitione.
5. A definiti ignorantia.
6. A communi nomine.
7. Ex ablatione.
8. A parte inferiore.
9. A frequenter dicto.
10. Ab additione.

Infirmatur definitionis positio his sequentibus locis.

1. Ab appositis.
2. Ab eodem.
3. A differentia eiusdem diuisionis.
4. Ab inferioribus.
5. A generis absentia.
6. A b imminutione.
7. A genere tum proprio, tum communi.
8. A differentia.
9. A negatione.
10. A specie.
11. A genere.
12. A prædicatione in quid.
13. Ab accidente.
14. A prædicatione differentiæ de genere.
15. A genere prædicante de differentia.
16. A prædicatione speciei.
17. A differentia quæ posterior specie.
18. A distinctione generum.
19. A determinatione loci vel alterius.
20. Ab affectu.

21. A gene-

21. A generis distinctione.
22. Ab accidente relatiui.
23. A posteriore habitudine.
24. A subiecto.
25. A tempore.
26. A comparatione secundum magis.
27. Ab ipso magis & minus.
28. A dissimilitudine intensionis.
29. A comparatione facta duobus.
30. Ab ipso magis.
31. A differentiarum distinctione.
32. A definitione.
33. A correlatiuo.
34. A medio.
35. Ab actione.
36. A circunstantiarum defectu.
37. A defectu differentiæ apparentis.
38. A coniugatis.
39. A specie relatiua.
40. A definitione correlatiui.
41. A definitione contrarij.
42. A priuatiuè contrariis.
43. A contrariis secundum habitum.
44. A subiecto priuationis.
45. A priuatione.
46. A casibus.
47. Ab Idea.
48. Ab æquiuocatione.
49. Ab æquiuocis definitis.
50. A definiti determinatione.
51. Ab autoritate.
52. A partis remotione.
53. Ab æqualitate.
54. A diuersorum commutatione.
55. A generis permutatione.
56. A communi definitione.
57. A definitione non ens significante.
58. Ab indeterminato correlatiuo.
59. A perfectione & habitu.
60. Ab iis quæ per se non dicuntur.
61. A repugnantibus.
62. A partibus nihil componentibus.
63. A subiecti vnitate.
64. A subiecti distinctione.
65. A partium destructione.
66. A dissimili.
67. Ab ipso magis tali.
68. A medio.
69. Ab vniuoco.
70. Ab indeterminata compositione.
71. A finitionibus per hæc, & ex his.
72. A diuisione.
73. A distinctis partium finibus.
74. A distinctis totius & partium finibus.
75. A diuisione huius cum illo.
76. Ab indeterminatis partibus.
77. Ab altero contrariorum.

τέλος.

ℭ IN SEPTIMI TOPICORVM LIBRI, PERTRACTANTIS DE EIVSDEM ET DIVERSI PROBLEMATIBVS, quatenus definitioni sunt annexa. Item & de finitionis problematibus construendis, & prædicatorum inter sese comparatione, Primum caput, aperiens in frontispicio de quo agẽdum sit, & aliquot locos complectens vtiles ad terminandum problema eiusdem & diuersi, Scholia.

Vtrùm aũt idẽ an diuersum

QVoniam idem & diuersum, peculiari quodam modo finitioni sunt annexa, post locorum interimẽdæ definitioni accommodorum tractationem, haud incongruenti ordine eos locos aggreditur in hoc septimo libro Philosophus, quibus valeamus eiusdem & diuersi problemata definire. In primi capitis exordio præfatur Aristoteles, super quo eodem ac diuerso differendum sit, nempe de eo quod propriè dicitur, idem numero videlicet, non ãũt specie aut genere. Deinde subnectit duos locos. Prior dicitur à casibus coniugatis & oppositis, cuius summa est hęc, Si coniugatorum primigenium primigenio numero sit idem, & denominatũ denominato numero idem erit, & contrà. Et si duo duobus opposita eadem sunt numero, & reliqua eadem numero erũt, & ediuersò. Id quod in singulis oppositionũ generibus veritatem complectitur. vt si iustitia idem sit fortitudini, quemadmodum existimabat Menedemus Eritriensis, virtutum multitudinem & differẽtias reiiciens, idem erit iustus forti, & iustè fortiter. Item si candidum & album eadem sint numero, erunt quoq; eadem numero atrum & nigrum. & si eadem scientia & disciplina sint, eadem erunt scibile & disciplinatum. Item nescientia & ignorantia, siue priuatiuè siue contradictoriè illis opponantur. Posterior locus, quem ab effectiuis & corruptiuis vocant, in litera ibi redditur; Rursum ex effectiuis & corruptiuis, &c. cuius sensus est, Eorum quæ sunt numero eadem, eædem sunt generationes, eædem corruptiones, eædem causæ corru-

De quo agendum in hoc 7. libro.

Prior loc⁹ à casibus cõiugatis & oppositis.

Menedem⁹ Eritriensis.

Posterior ab effectiuis & corruptiuis.

corruptiuæ, eædem productiuæ & conseruatiuæ. vt si idem numero sint homo & terrigena, vtriusq; eædem numero erunt generationes, eædem causæ & producẽtes & conseruantes, &c. Porrò ex superioris loci exemplo ab Aristotele allato, facilè fuerit deprehendere rationem eiusdem numero non solùm tribuendam indiuiduis, sed & ipsius cõmunibus. Eiusmodi sunt vestis & tunica, quibus vsus est Philosophus in Topicorum primo libro.

Cõsyderandũ aũt & quorũ alterũ.

In caput secundum, tradens super eodem maximas depromptas ex superabundantia eiusdem duobus comparari, &c. Scholia.

Locus 1. ab ipso maximè vel superabundãtia.

Xenocrates

TRes numero locos continet præsens litera. Primum appellant ab ipso maximè seu superabundantia, cuius intelligentia est, Cùm id quod per superabundantiam dicitur, vni soli cõuenire oporteat, si quid de duobus cum aduerbio maximè dicatur, necessum erit, illa duo numero esse eadem, nisi vnum sub altero, veluti pars sub toto, cõtineatur. vt si aqua maximè sit frigida, item & vnda, erunt aqua & vnda numero eadem. Hoc loco vtebatur Xenocrates, etsi perperàm, colligẽs eandem numero esse vitam studiosam, & vitam beatam, seu fœlicem. Nam hæc sub illa continetur. Est enim omnis vita beata, studiosa. non autẽ omnis studiosa est fœlix. quemadmodum omnis Lacedæmonius, Peloponnensius est, non contrà, quemadmodum hic tradit Philosophus. Sunt enim Peloponnesij, qui Peloponnesum peninsulam incolunt, à Pelope olim regnatore eius nuncupata. Lacedæmonij aũt, qui & Spartiani, qui Sparten & Lacedæmona insigne regionis Laconicæ oppidum incolunt. Et est hæc regio in Peloponneso, Achaiæ regionis pars. At dicti sunt Peloponnesij Græcorum fortissimi, quòd Lacedæmonij sint fortissimi Græcorum. Porrò secundus locus ibi designatus, Rursum considerandum, si cui alterum idem & alterum, &c. inscribitur ab iisdem vel diuersis eidem tertio, qui est eiusmodi, Si duorum, quæ eadem numero constituuntur, vnum alicui tertio idem sit, cui non idem est reliquum, non erunt illa eadem. Et cõtrà, quęcunq; vni tertio eadem sunt numero, necesse est, vt sibiinuicem sint eadem, vt petra & lapis eadem esse monstrantur, quòd vtraque saxo eadem sunt numero. Contrà, materia & locus diuersa sunt, quod locus idem sit quod extremum corporis continentis immobile primum, cui non eadem est materia.

Qui Peloponnesij & Lacedæmonij.

2. ab iisdem vel diuersis eidẽ tertio.

3. à subiiciendi & prædicandi accidentiũ modis.

Post hæc mox subiicitur tertius locus, quem nonnullis libet appellare à subiiciendi & prædicandi accidentium modis. Atq; huius sensus est, Si duo adferantur tanquam numero eadem, si eorum vnum alicui accidat, cui non accidat reliquum. aut ipsorum vni accidat aliquid, quod non alteri, interimendum est eiusdem problema. vt esto album & candidum numero eadem. si niui accidat candidum, non autem album. aut candido accidat simile est, & non albo, minimè erunt album & candidum numero eadem.

Videndũ autẽ si nõ in vno genere.

In tertium caput, complectens maximas ex prædicamenti & generis differentia, & secundum magis & minus, & ex appositione desumptas, annotatiuncula.

Locus 1. à prædicamẽtorũ distinctione.

Pythagorici.

2. à generis medij diuortio.

3. à differẽtiarum dissidio.

4. à cõparatione secũdum magis & minus.

HOC tertio capite in summa ac succinctè sex locos adfert Aristoteles, accommodos eiusdem problemati euertendo, quos similiter quàm strictissimè attingemus. Primus, quem à prædicamentorum distinctione appellant, est iste, Quæ diuersis prædicamentalibus continentur limitibus, nequeunt vllo pacto eadem esse numero. Et proinde errabant Pythagorici, existimantes numerum eundem esse cum rerum substantia. Secundus, dictus à generis medij diuortio, est, Constitutis duobus eiusdem seriei prędicamentalis, quorum vnius sit hoc genus, alterius verò aliud, necesse est numero differre. Nam quęcunq; genere dissident, & numero differre oportet. vt iustitia non eadem numero est cum prodigalitate, nec prudentia cum Astrologia, quòd illarum vna sit malum, & altera bonum. Harum autem hæc speculatiua, & illa actiua. Tertius appellatur à differentiarum dissidio, qui est, Quorum differentiæ sunt variæ, illa numero distinguuntur. sicut dicimus, quæ specie distrahuntur, illa ipsa & numero discrepare. vt si, quis poluerit prudentiam esse sapientiam, quemadmodum quidam appellantes omnes prudentes sapientes, improbauimus ob id, quòd prudentia sit actiua, sapientia verò contemplatiua, & non actiua. Quartus locus, dictus à comparatione secundum magis & minus, est eiusmodi, Si duo constituantur, quorum vnum suscipit magis & minus, non autem alterum, aut ambobus suscipientibus magis & minus, vnum vno tempore suscipiat, & in eodem reliquum non, necesse est talia numero differre, nec vnquam poterunt numero esse eadem. Quam ob rem homo & fortis non vnum sunt numero, quòd forti suscipiente magis & minus, homo non recipiat secundum magis & minus prædicationem. Secundæ partis huius loci exemplum explicat ipsa litera. Quintum locum vocant ab appositione, cuius sensus est, Si adferantur duo tanquam numero eadem, quæ eidem tertio aduenientia

5. ab appositione.

uenientia, non idem totum reddant, interimendum erit eiusdem problema. Vt fortitudo ostenditur esse a iustitia diuersa, quòd illa homini adueniens, reddit hominem fortem, hæc autẽ iustum. Similiter dicendum est, si diuersis fiat adiunctio eorundem numero. Nam consyderandum erit, an quæ eadem dicuntur diuersis aduenientia, tota constituerint eadem, quoniam si reddant per additionem eadem, illa non sunt numero eadem, vt binarius & ternarius monstrantur non esse iidem secundum numerum, quòd diuersis adhibiti, nempe quinario binarius, & quaternario ternarius, idem procreent, putà septenarium. Porrò sextus literæ locus, qui ab ablatione dicitur, hanc habet intelligẽtiam, Si dentur eadem, a quibus eodem ablato, non eadem permaneant quæ restant, sed sint diuersa, necesse est, quę eadem dicebantur, numero esse differentia, vt ternarius & quaternarius numero differre monstrantur, quòd vnitate ab ipsis sublata, relinquuntur binarius & ternarius, qui numero imò specie differunt. At ex iis locis arbitramur deprom ptam esse eam maximam propositionem, Necesse esse numero diuersa, quibus tribuuntur contradictionis extrema. Literam autem in partes non secuimus, quòd facillimum sit lectori, singularum maximarum loca deprehendere.

6. ab ablatione.

In quartum caput, docens interimere problemata eiusdem, ex consyderatione hypothesis, & aliorum quorundam, annotatio.

Cõsyderandũ autem nõ solũ si iam.

QVatuor sunt præsentis literæ loci. Primus in exordio assignatus, quem ex hypothesi appellant, est eiusmodi, Si duo constituantur eadem, non solùm inspiciendum est, an ex tali positione sequatur impossibile, sed & in facta suppositione alicuius alterius, siue vera, siue falsa, ex hac colligatur impossibile. Quod si accidat, destruendum est eiusdem problema. verbigratia, Si ponatur iustitia auaritiæ esse eadem, ex ipsa positione sequuntur impossibilia hæc, iustitiam vitium esse, & virtutem vitium esse. At si secundum quorundam veterum aut vulgarium opinionem assignẽtur, vacuum & plenum aere esse eadem, non ex hac positione videtur sequi impossibile, sed facta suppositione, quòd aer loco aut vase inclusus exierit, hac suppositione euenit impossibile, nempe vacuum esse, & non esse. Quęcunque igitur sic sese habent, vt vno perempto reliquum permanere valeat, ex necessitate discrepabunt numero. Post hæc in litera ibi, Vniuersaliter autem dicendo, ex his, &c. secundus redditur locus a prædicatis & subiectis nuncupatus, cuius hæc est sententia, Propositis duobus, tanquam numero eisdem, si horum vni conueniat aliquid, quod alteri non congruat, aut si vnum alteri competat, de quo non dicatur reliquum, repellendum est eiusdem problema. Hac via monstrat Philosophus primo libro de auscultatione naturali, materiam à priuatione numero esse discretam, eò quòd sit ens, quod in aliquo substantialiter insit, quod sit principium per se rei naturalis, quarum quidem nomenclaturarum non est particeps priuatio. Deinde in litera ibi, Amplius quoniam multipliciter idem dicitur, subiungit Philosophus tertium locum, quem dicunt ab eiusdem diuisione, seu modis, quo nos instruit, admonetque, ne si qua constituantur eadem, statim autumemus illa esse numero eadem, sed maturè prius inquirẽdum, an duntaxat specie sunt eadem, aut genere, eò quòd sub eadem specie aut genere eodem continentur. Nam etsi aliquando accidat, quæ eadem genere aut specie dicuntur, rationem etiam eorum quæ eadem sunt numero suscipere, non tamen id est necesse. quæ omnia manifesta sunt ex superius dictis. Deinceps in litera ibi, Amplius si potest alterum sine altero esse, &c. redditur quartus locus, quem à duorum separatione vocitant. At ex hoc loco desumpta apparet ea maxima. Ea quorum vnum sine altero potest existere, inter se mutuam admittere & numeralem & realem disiunctionem, quanquam id non conuertatur.

Locus 1. ex hypothesi.

2. à subiectis & prædicatis.

3. ab eiusdẽ diuisione & modis.

4. à duorũ separatione.

Locorum autem, quibus interimere valemus, problemata eiusdem numero, & ordinem, & numerum complectitur subiecta formula.

1.	A coniugatis & casibus.	9.	A comparatione secundum magis & minus.
2.	Ab effectiuis & corruptiuis.	10.	Ab appositione.
3.	Ab ipso maximè.	11.	Ab ablatione.
4.	A comparatione.	12.	Ex hypothesi.
5.	A subiectis & accidentibus.	13.	A subiectis & prædicatis.
6.	A prædicamentis seu generalissimis.	14.	Ab eiusdem diuisione.
7.	A genere medio diuerso.	15.	A separatione.
8.	A variis differentiis.		

In quin-

Palàm autē ex iis quæ dicta sunt.

In quintum caput, conferens problemata de eodem ad finitionum destructionem & constructionem, Scholia.

HOC capite explicat Philosophus, quid præterea vtilitatis adferunt loci prius traditi, volens eos omnes qui commodi sunt ad refellendum numero idem, & statuendum numero diuersum, ad interimendas finitiones esse idoneos. At eos qui accommodi essent stabiliendis numero eisdem, non satis esse constituendis ipsis finitionibus. Nam omnem definitionem atq; definitum omne necesse est eadem numero esse, non autem quæcunque eadem numero sunt, existunt nomen & oratio, siue finitum & finitio.

Si autē cōstruere volumus.

In caput sextum, quædam ad sequentium maiorem cognitionem conducentia continens, Scholia.

EXpedita huius septimi libri prima parte, hoc est annumeratione eorum locorum, quibus copiosi reddimur ad confutanda eorundem numero problemata, mox aggressurus alteram partem docentem construere idem definitione, & proinde eadem numero (sunt enim finitum & finitio, eadem numero) nonnulla præfatur in hoc sexto capite Philosophus, quibus præparetur quodammodo lectoris animus, ad facilem sequentium assequendam cognitionem. Primum itaque admonet Philosophus, quòd eum qui definitionem construere velit scire conuenit, quòd nullus vel admodum pauci differentium, ipsam definitionem approbent syllogismo, sed omnes definientes aliquid, definitionem accipiunt tanquam principium, id quod accidit mathematicis, qui secluso cuiusuis probaminis adminiculo, suis vtuntur finitionibus, veluti principiis. Post hæc in litera ibi, Deinde quoniam exactè, &c. secundò admonet Philosophus, quòd etsi inuestigare exactius quid sit definitio, & ex quibus coalescit, sit alterius negotij quàm dialectici, (Est enim Metaphysici & demonstratoris, quorū ille de definitione agit septimo Metaphysices libro, quatenus vera est finiti quiditas, vt inquit Albertus. Hic aūt, quatenus euadat demonstrationis medium) hoc tamen non obesse quo minus queat cognoscere, ex quibus conflетur definitio ipsa, & q; syllogismo colligatur, neq; id tantùm, sed neq; obsistere, quo minus horum curam suscipiat, modò cōmunibus, probabilibusq; contētus, propria ac necessaria, quatenus eiusmodi sunt, non attingat. Potest siquidem, vt diximus in Analyticorum Posteriorum libro secundo, & impræsentiarum declarat Philosophus, ratiocinatione syllogistica probabili colligere, finitionem suo finito competere, hoc pacto, Omnis oratio quid est esse rei explicans, est ipsius definitio, At omnis oratio ex genere & differentia conuertibili constans, est oratio quid est esse rei explicans, Igitur omnis oratio ex genere & differentia, est definitio. Deinde, sed animal rationale oratio est ex hominis genere & differentia cum homine recurrente compacta, Est itaq; definitio hominis, animal rationale. At quomodo differētia quid est significet, & quomodo in quale quid prędicari valeat, alibi explicuimus. etsi nonnullis appareat in quid posse dici prædicari, eò quòd partem essentiæ speciei constituatq; designet. Postremò in litera ibi, Inspiciendum enim in contrariis, & in aliis oppositis, &c. assignat Philosophus vnum generalem locum, quem appellant ab oppositis in summa sumptis, inspecta tota integraq; definitione, cuius intelligentia est eiusmodi, Si ambigatur, an data definitio alicuius oppositi sit ipsius finitio, inspiciendum est, an opposita definitio sit alterius oppositi finitio, quod si ita sit, construenda est proposita finitio. vt dubitetur, an coloratum visus congregatiuum sit finitio nigri, si albi definitio sit coloratū disgregatiuum visus, erit quoq; coloratū cōgegatiuum visus nigri definitio. Nam oppositorū oppositæ sunt definitiones. Cæterùm quando contrariorū plures sunt connexiones, quemadmodum in secundo huius monstratum est, admonet Philosophus inspiciendum esse ad plures contrarij finitiones, è quibus differēti eligenda est ea, quæ maximè respondenti apparebit esse contrarij definitio. vt in dubium vertatur, an vtilis finitio sit effectiuum boni. contrarij quod est inutile, duæ sunt finitiones, effectiuum mali, & corruptiuum boni, ex quibus alteram seliget opponens, in cuius consensum coniectauerit respondentem esse propensiorem. Porrò hunc ratiocinandi modum, in Posteriorum Analyticorum secundo libro refellere apparet Philosophus. At neque (de finitione agens) ex suppositione ostendi potest hoc pacto, si mali ratio sit diuisibile esse, boni ratio erit indiuisibile esse, Contrariorum enim contrariæ sunt orationes. Hanc sanè obiectionem haud difficile est diluere, si res ipsa, de qua in loco allato agitur, perpendatur. Nam in Posterioribus Analyticis vult Aristoteles, vnius contrarij definitionem per alterius finitionem non posse monstrari, demonstratione propter quid & potissima, id quod indicant verba sequentia. Etenim (ait) & hic ad definitionem monstrandam definitio sumitur, quæ quidem licet alia sit, talis tamen est, vt ea vicissim ex altera non minus

Præceptum primum.

Secundum.

Albertus.

Locus vnus generalis ab oppositis in summa sumptis.

Dilutio.

minus ostendi queat. At hic sermo est de ratiocinatione dialectica, cum ea maxima propositio Contrariorum esse definitiones contrarias, sit dialectica.

In caput septimum, quo specialiter instruit nos Philosophus, definitionem adstruere, inspiciendo ad contraria, scholia.

Secūdā partem aūt hoc pacto.

QVoniam superiori capite dixerat, orationem ex genere & differentia constitutā, esse definitionē, & locū subiecerat idoneū, ad dialecticè monstrandum, integrā definitionem rectè esse assignatā: mox præsenti capite aperit, quomodo construēda & confianda sit collatione ad ipsius partes, quæ sunt genus & differentiæ, facta. Nam si hæc rectè assignātur, probè constructa erit quæ quærebatur finitio. Inspiciendū est igitur (inquit Arist.) si assignatū genus legitimè sit assignatū. Id quod erit in definiendis contrarijs, si eodē genere vtamur, aut cōtrarijs generibus. Nam si contrario finiendo contrariū non sit in eodē genere, necesse est, vt in cōtrario genere collocetur. In eode genere reponuntur albū & nigrū, nempe colore. In diuersis aūt, vt virtute & vitio, iustitia & iniustitia. Deinde secundo pergendū est ad differentias reperiendas. Consentaneū autē rationi esse apparet, vt contrariæ differentiæ de cōtrarijs prædicentur, quēadmodum accidit in albo & nigro. Quare si de rei definiēdæ cōtrario prædicentur differētiæ contrariæ prius redditis, de re finienda etiam prædicabūtur, quæ prius assignatę erāt, quas si generi prius inuēto iunxeris, rectè erit constructa definitio. Post hæc in litera dū subiungitur, an nō necessarium est, &c. Indicat quod mox traditū est, tantū quadrare in ea cōtraria, quæ sub eodem genere continērur, & contrarijs sub diuersis generibus cōprehensis posse cōpetere eandem generalem differentiam, vt esse animę veluti subiecti quod differentia est habitus animæ, qua dissidet ab habitu corporis, cōuenit & iustitiæ & iniustitiæ, (etsi duntaxat ratione habitus animæ, cuius differētia est proxima) Neq; enim fieri potest, vt eadē differentia constitutiua immediatè cōueniat vtriq; contrariorū. Ex his autē patet sequentium intelligentia, sed præsertim si modò aduertat lector, Aristotelem reddidisse iustitiæ & iniustitię non exactas finitiones. In his etenim necesse est contrariorū siue in eodem genere, siue in cōtrarijs generibus existentiū, contrarias esse differentias, quæ nō generales sint, sed specificæ. Cæterùm quoniam diximus iustitiæ & iniustitiæ differentiā esse, esse animæ velut subiecti, non absurdè fecerimus, si paucis aperiamus, vndè accidentiū petenda sunt genera & differētiæ. De qua quidem re in fine opusculi de ente & essentia ad hunc modū scriptū reliquit D. Thomas. Quoniā (ait) accidentia nō cōponuntur ex materia & forma, ideo non potest sumi in eis genus a materia, & differentia a forma, sicut in substantijs cōpositis sed oportet, vt genus primū sumatur ex ipso modo essendi, secundū q; ens diuersimodè secundum prius & posterius de decē generibus prædicamentorū prædicatur: sicut dicitur, quātitas ex eo quod mensurat substantiam, & qualitas, secundū quod est dispositio substantiæ, & sic de alijs secundum Philosophū decimo Metaphysicæ. Differentiæ verò in eis sumūtur ex diuersitate principiorum, ex quibus causantur. Quia verò proprię passiones ex proprijs subiecti principijs causantur, ideo subiectū ponitur in eorū definitione loco differentiæ si in abstracto sumantur secundum quod sunt propriæ in genere, sicut dicitur quòd simitas est curuitas nasi. Sed econtrariò est, si earū definitio sumeretur secundū quòd concretiuè dicuntur. Sic enim subiectum in earū definitione poneretur, sicut genus. quia tunc definirentur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur a materia, sicut dicitur quod simū est nasus curuus. Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta, ideo quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregatiuum & disgregatiuum dicunrur differentiæ coloris, quæ causantur ex abundantia vel paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur. Hæc Diuus Thomas.

Thomas. Quo pacto inuestigāda sint acciden tiū genera & differētię.

In caput octauum, docens construere definitionem ex casibus, coniugatis, similiter se habentibus, minori, maiori, & alijs quibusdam, scholia.

Ampliꝰ ex casibus & cōiugatis.

COmplectitur pręsens litera tres locos finitionis constructiuos, quibus tria adijciuntur documenta. Primus locus est a casibus & coniugatis, in quibus cū omnia consentiant, genus generi, differentia differētiæ, & proinde finitio finitioni, seruata duntaxat varia inflexione, si certum sit vnū ex coniugatis alicuius esse definitionē, idem in reliquis esse fatendum est. Exempla reddit textus, in quibus integra fortassis redditur finitio, In vno autē loco genus duntaxat. Secundus locus a proportione appellatus, redditur ibi, Et ex similiter se habentibus adinuicem, &c. Si etenim aliqua duo, ad alia similiter sese habent, & horum vnū, illorū vnius sit definitio, erit alterū alterius definitio. Exempla in litera adhibenrur, definitione accepta ex causa finali. At tertius locus ibi assignatus, Amplius ex eo quod est magis & similiter,

Locus 1. a cōiugatis & casibus. 2. a proportione. 3. a comparatione.

liter,&c. quę a cōparatione vocāt,hunc habet sensum. Si duobus finiendis,duæ assignētur fini tiones,quarum vna videatur magis sui finiti finitio,& altera minus. si ea quæ minus apparet esse finitio sui definiti vera fuerit definitio,erit quoq; & alterius non solum definitio, sed & magis definitio,vt si animal rationale magis videatur esse hominis definitio,q̄ equi animal hinnibile,sitq; animal hinnibile equi finitio,erit animal rationale nō solum hominis finitio, sed & magis definitio. Cæterùm admonet sequētibus Aristoteles,huic loco nullus esse locus,si vni definito cōparentur duo termini, aut duobus definitis vna definitio, eò q̄ eiusdem rei vnica sit substātialis definitio,ac omnis eiusmodi finitio vnicū habeat definitū, quēadmodum superius dictū est. Post hæc postremo in litera ibi, Sunt autē oportunissimi locorū,&c. tria subijcit Philosophus documēta,quorū primū est. Oportet maximè habere promptos locos a cōparatione secundū magis & minus,& similiter a casibus & coniugatis, eò q̄ ad construēdam positionē nō solum finitionis, sed & cæterorū prædicatorum conferāt illi loci. Porrò secundum præceptū assignatur ibi in litera, Aliorū autem,&c. quod est huiusmodi. inter assignatos omnes locos,ab alijs primo documento cōprehensis, quibus in quoduis problema sit disserendū,plurimū cōfert seligere maximè cōmunes & vniuersales. Nam quāto vniuersaliores fuerint,tāto plus virtutis & præsidij adferēt ad disserendū in plura problematū genera. Talis videtur esse ille locus in secundo libro assignatus, qui dicebatur a partibus in quātitate esse ad suū totū,siue id species specialissima fuerit siue subalterna,qui cōmunis est construendis & destruēdis cuiuslibet speciei prędicati quibusq; problematibus. Hic quoq; locus cōmodus est ad Ideas tollendas,q̄ nequeāt prędicata aliqua,quæ Ideis cōpetunt,in singula quadrare,quēadmodum dictū est in 5. Topicorū. Tertio admonet Philosophus ibi, Amplius si per metaphoram dixit nomen,&c. recurrendū esse ad metaphorā. (sub qua intellige nomē dissuetū) & an idē,eidem tanq̄ diuersum tribuat,& alios similes locos, qui vniuersales sunt destructiui. Nihil etenim idem suupsius valet esse accidens, genus, proprium,aut terminus. Atq; inter defectus dialectico vitādos recensuit Philosophus metephoram & inconsuetum nomen,de quo Aulus Gellius ex C.Cæsare primi libri Noctium Atticarū cap.10. Habe semper (inquit)in memoria atq; in pectore,vt tanquam scopulum,sic fugias inauditum atq; insolens verbum.

Primū documentum.

Secundum pręceptum.

Tertium documētum.

Aulus Gell.

Qđ aūt difficilius sit cōstruere.

In nonum caput, prædicata quatuor ad inuicem conferens, secundum construendi & destruendi facilitatem & difficultatem, scholia.

HOC postremo capite huius libri septimi,comparaturus Philosophus quatuor prædicatorum problemata,secundum construendi & destruendi facilitatē & difficultatem,primo monstrat,quid in singulis prædicatis sit censendum, in exordio proponens,difficilius esse definitionis problemata construere,quàm destruere. Id quod duabus rationibus approbat. Secunda in literæ decursu redditur ibi, Amplius construenti quidem vniuersaliter statuendum syllogismum. Post hæc in litera ibi, Similiter autē & circa proprium & genus, &c. subnectit Philosophus,idem esse de proprio & genere, nempe horū problemata difficilius destrui q̄ construi: quod primo monstrat de proprio, deinde de genere ibi, De genere autem quoniam construere quidē necesse,&c. Deinde in litera ibi, In accidente verò vniuersale quidem,&c. superioribus annectit,duplex esse accidētis affirmatiuum problema. Vnum vniuersale,& alterū particulare. Quorum illud facilius est destruere quàm construere,hoc autē facilius construitur quàm destruitur. Idem quoq; censendū est in problematibus negatiuis. Post hæc in litera ibi, Manifestum autem,qua de causa omnium facillimum,&c. comparat Philosophus ad seinuicē prædicatorū problemata,volens in primis, omnium problematum ea quę sunt definitionis,facillimū esse destruere, & difficillimū construere, quod comprobat duabus rationibus. Secunda in litera ibi collocatur, Amplius ad definitionem quidem contingit & per alia argumentari. Siue enim non propria sit definitio,siue non genus quod assignatur,siue non inest aliquod eorum quæ sunt in definitione, &c. Deinde inter reliqua prædicata facillimū est interimere proprij problemata, & difficillimū adstruere,de quo in litera ibi, Aliorum autem proprium,&c. Post hæc,generis problemate sequentem locum obtinente, sequuntur accidentis problemata, quæ facilioris sunt constructionis, & destructionis difficilioris. Non enim possunt destrui,nisi vnico modo, nempe si non insit. Reliqua autem pluribus interimuntur modis, quemadmodum explicat litera ibi, Facillimum autem omnium construere accidens,&c. Hactenus igitur a nobis dictum sit strictim de huius capitis intelligentia, quòd ipsa litera ex se sit aperta satis.

Difficilius esse cōstruere finitionis ꝓblemata,q̄ destruere.

τέλος.

IN OCTA-

IN OCTAVI TOPICORUM LIBRI, MONSTRANTIS ARTEM DIALECTICAM IDONEAM ESSE ad obuiationes & exercitationes, primum caput, quod prooemiale est, scholia.

Posthęc autē de ordine,

IN huius libri exordio, tria ipsius dialectices proposuerat Philosophus cōmoda atq; vtilitates, nempe exercitationes, obuiationes, & secundum philosophiam disciplinas. Inter quas constat praecipuam esse secundum Philosophiam disciplinā, quemadmodum sine controuersia asseritur, omnium syllogismi specierū perfectissima esse demonstratio. hanc cōmoditatē superioribus libris praesertim sexto prosecutus est. At reliquas duas veluti in tertiā destinatas, hoc primo libro pertractat, prius de obuiationibus considerans, & tandem exercitationū naturā explicans, eò quòd quodam modo spectare videatur obuiatio exercitationem, si modò diuo Alberto credamus. At quoniam obuiatio omnis, cōflictatioq; in paucioribus q̄ duobus nequit consistere, quippe quę egeat opponente ac respondente, in tres solent hunc librū partes distribuere. Prima enim ea explicat, quae sunt opponentis. Secunda in medium ea producit, quae sunt subsidio fungenti respondentis munere. Tertia verò recenset quae ad exercitationes pertinent, quęadmodū ex sequentibus palam erit. Hactenus de huius libri partitione, quā idcirco praemisimus, vt lector in summa cognoscat ea, super quibus disserit hoc in libro Philosophus. In primo itaq; huius libri capite, quod quodā modo prooemiale est, in primis aperit quae hic sunt considerāda, dum dicit. Post haec autē de ordine, & quomodo oportet interrogare dicendū, hoc est. Post ea, quę superioribus in libris a nobis tradita sunt, vt perspecta esset syllogismi dialectici natura ac substantia, vtq; cognosceretur dialectice plurimū vtilitatis afferre disciplinis secundū philosophiam assequendis, res ipsa postulat vt cōmonstremus, eam plurimū conferre obuiationibus. At cū nequeant esse obuiationes, nisi copia sit quaestionū idonearum, ideo in primis a nobis dicendum est de dialecticis interrogationibus, & earū ad seinuicē ordine. Post hęc in litera ibi. Oportet autem, &c. subiungit Philosophus tria ipsius dialectici munera, quatenus est obuiatiuus. Vnum est, quod themate respōdentis in medium producto, mox ad locos confugiat, ex quibus media diuersa colligat. Alterum est, argumenta inuenta apud semetipsum interrogare, perpenderéq;, & perspecta in certum ordinem dirigere & disponere. Tertium verò est, quę inuenta sunt & digesta respondenti palàm proponere. Est enim dialectica disputatio, cōmune opus & opponentis & respondentis. Porrò horum trium primum, cōmune est dialectico & philosopho, item rhetori & sophistae. At vtrum ijdem loci sunt demonstratiui & dialectici, an varij, nō statuimus hoc loco definire. Caeterùm reliqua duo, ordinare & interrogare sic propria sunt dialectico, vt nō possint demonstratori conuenire. Neq; enim ordinat sua media demonstrator, cum demonstrationis potissimę in singulis causarū generibus vnū duntaxat sit medium, quem si media plura digerere confessi fuerimus, ea tamen non eo disponit animo, vt ordinata modo dialectico interroget. At de demonstratoris & dialectici interrogandi diuersis modis, prius aliquot in locis egimus. Interrogat siquidem dialecticus, vt ex respondentis concessione, syllogismū suo fini idoneum conficiat: Demonstratori autē quatenus est huiusmodi, per seq; veritatem inquirit, nulla cura est, si ea quae assumit vera & nota, non ideo concedat respondens, eo quòd praemissae assumptae proximae sint ijs, quae ab initio monstranda accipiebantur, & praeuideat respondens; palàm ex eis praemissis id sequi, quod pugnet cum eo, quod ab initio respondens tuebatur: quia nullū est ei cum altero negocium, nisi qui vltro praemissis assentitur, vndè neglecta existimatione respondentis, maximè operam dabit, vt pro dignitatibus ac praemissis ea sumat, quae sunt conclusioni proxima. nam demonstratio omnis ex immediatis constat, in quibus necesse est, vt id quod medium locum tenet, proximum sit ac immediatè iungatur vtriq; extremo conclusionis.

Albertus.

Libri octaui prooemiū

Tria dialectici obuiantis officia.
Primum.
Secūdum.
Tertium.

Necessarię autem dicuntur.

In secundum caput, recensens quatuor genera propositionum, proposito ostendendo vtilium praetermissis necessarijs, annotatiuncula.

QVoniam omnem disputationem dialecticā necesse est constare ex probabilibus propositionibus tanquàm proximis principijs, non indecenter dicendorum initium facit Philosophus a propositionum varietate, quā insinuat huiusmodi diuisione. Earum propositionum ex quibus constant disceptatio dialectica, dialecticusq; syllogismus, quaedam necessarię sunt, aliae non sunt necessariae. Necessarias appellat, non eas quibus perpetuò annexa est veritas, sed sine quibus non consisteret syllogismus dialecticus, conclusionem intentā syllogisticè colligens,

Duplex propositio dialectica.
Vna necessaria.

Altera non necessaria, est quadruplex.

colligens, cuiusmodi sunt assumptio & subsumptio. Non necessariæ autē sunt, quibus a syllogismo detractis nihilominus permanet integer dialecticus syllogismus propositū inferens, cuiusmodi sunt assumptionis & subsumptionis approbationes. De qua quidē re in priori libro Priorū Analyticorū nōnihil diximus. At eā quæ nō necessaria est, in quatuor partes distribuit. Nam eius quædā est, quæ inductionis gratia adhibetur, vt respōdens vniuersalē admittat propositionē. Hanc vocāt inductiuā. Alia adijcitur ob disputationis magnitudinem atq; prolixitatē habendā, Non q necessaria sit ad rei propositæ fidē faciendā, sed vt differens videatur argumētis abūdare. Hæc ampliatiua dicitur. Alia destinatur ad celandū occultādumq; propositū, vt minus ꝑspiciat respōdens qd intendat opponēs, ac facilius fidē præbeat. Quarta verò adhibet, vt manifestior fiat disputatio, manifestis enim citius assentimur. Hanc explanatiuā, Illam verò relatiuā vocāt. Si qua prēter has assumatur ꝓpositio, vana est & disputationi inutilis.

Inductiua. *Ampliatiua.* *Celatiua.* *Explanatiua.*

Obiectio.

Post hæc in litera ibi, Sunt aūt quæ ad occultationē, &c. occurrit huic tacitæ obiectioni. ea quæ sunt ad celationē destinata, ad sophistæ pertinēt officium, eò quòd ipsa sint certaminis & victoriæ gratia, non aūt veritatis cognoscendæ. non igitur accōmodum erit dialecticæ pronunciatū celatiuum.

Dilutio.

Huic respondens Philosophus, ait, huiusmodi dialecticū munus esse ad alterum, & ex alterius consensu pendêre. & proinde necesse est, vt aliquando celatiuis propositionibus vtatur dialecticus, cum aliter nequeat suum finē assequi ob respondentis proteruiā. Insuper frequens esse constat, dialecticum & sophistā alia atq; alia ratione iisdem pręceptis vti. Dialecticum quidem, vt verā argumentationem nectat, & dialecticam fidem faciat, & veritatis assertionem. Sophistam autem, vt fallat, adstruatq; id quod non est, aut destruat id quod est.

Quomodo vtēdū ꝓpositionibus nō necessarijs.

Deinde in litera ibi, Necessarias igitur per quas fit syllogismus, non statim præordinandum: explicat in summa, quomodo vtendum sit propositionibus non necessarijs. Si (inquit Aristoteles) non palàm sit, propositionem necessariam pugnare cum ponentis themate, quā celare velimus, abeundum est ad vniuersaliores, propositionem necessariam continentes, Vt tueatur respondens, salubris & insalubris non esse eandem disciplinā: propositio dialectico syllogismo constituendo necessaria, est, omnium contrariorum eandem esse disciplinā, cuius loco assumendum est, omnium oppositorum eandem esse disciplinā, in qua includitur illa necessaria. Atq; si hæc admittatur, colligitur propositio necessaria. Si verò negetur, redeundum est ad propositionem necessariam, quæ interrogando proponatur. Quòd eam neget respondens, oportet eam vel syllogismo vel inductione approbrare, vt quia paris & imparis est eadē disciplina, nempe arithmetica, sani & ægri medicina, boni & mali ethice, congrui & incongrui grammatica, consonantiæ & dissonantiæ musica, quę omnia cum contraria sint, erit omnium contrariorum disciplina eadem. Simili quoq; modo ad ipsius approbationem adferri poterit syllogismus pro disputationis oportunitate, & vniuersaliter propositiones necessarias maiorem & minorem, vel ambas negatas, comprobare syllogismo oportet, vel inductione, aut vnā syllogismo, & alterā inductiua ratiocinatione. Hactenus de celatiuæ & inductiuæ propositionis generali visu.

Antonij Democharis expositio.

At literam illam sequentem, Quæcunq; autem valde manifestæ sunt, ad hunc modum exponit Demochares, si tam perspicuè visantur necessarię propositiones, vt negari non possent sine multo risu a respondente, statim tales primū in certamine ordinē tenebunt, quas proponere respondenti differens non formidabit, quòd ab eo negari honestè nequeant. Nam quando propositiones non sint notæ, dictū est, eas esse sumendas per syllogismū vel inductionem. Verùm quoniam immanifestius sit, quod concludendum est in abscessu, & vniuersalioris sumptione seu confugio & in inductione, (Nam quanto vniuersalioribus propositionibus vtitur interrogans, tanto magis discedit a propositionibus propinquis, & continentibus rem probanbam, vt qui pro contrarijs sumit opposita, & pro minus cōmuni vniuersalius conscendit, quo prosyllogismos constituit. Quare quod concludendum sit, non capit respondens. Similiter qui inductione eandem monstrat per consonantiam & dissonantiam, quarum eadem est scientia, similiter & aliorum eadem est scientia) conueniens fuerit, simul vtiles propositiones & necessarias interrogare & alijs immiscere, vt minus percipere possit & aduertat quid concludi talibus possit respondens, quādo aliter accipere non licet ab eo. Nam si per se interrogarentur, quod clarè videat, quid sequatur respondens, non admittet tales. Fieri enim potest, vt interrogās per se accipere non valeat aliquas propositiones, commixtas tamen alijs dat eas respondens. Quare iuuabit cognoscere hunc disponendi ordinem circa propositiones necessarias, quòd quædam admittantur sola dispositionis serie. Manifestum est igitur, quid sit obseruandum in propositionibus necessarijs. Nam si non sint manifestæ non sunt statim interrogandæ. Sic Antonius Demochares.

In tertium caput, pertractans de propositionibus, quæ celationis gratia assumuntur, scholia.

Occultanti verò ratiocinatione.

Commonstrato vtcunque vsu propositionũ non necessariarum, quia obuiatio quædam est semita, qua valet differens celare ad conclusionẽ probandam necessaria ad extorquendam veritatem a respondente, qui verum inuitus est dicturus: præsenti capite aperit Philosophus, quibus & quot modis accidat occultatio, recensens præcepta & documenta numero quindecim. Quorum primũ est, Ad occultationem plurimum confert prosyllogisatio necessariarum propositionum, ex quibus constituitur syllogismus qui est eius thematis aut probandi aut improbãdi, quod a disputationis initio propositum est. Idem quoque eueniet, si prosyllogismi præmissæ prosyllogisentur. Admonet autẽ Philosophus, id verum esse vt in plurimum, eò quòd (vt inquit Demochares) prosyllogismis non profuerit in proteruos & difficiles agere, & remotis maxima intercapedine propositionibus, sed propinquioribus rei propositæ in tales pugnandum, quòd primũ congressum superbo quodã animo sustineant, primas interrogationes spontè concedant, nihil omnino reformidantes. At postremas, vt scorpionẽ vitant, non dissimiles profectò audacibus, qui cum tanti roboris & potentiæ sibi præsumant, vt omnibus se superiores putauerint, proinde primis bellorum discriminibus sese offerunt, periculis obiectant, pericula verò experti tergiuersantur, fugã accipiunt, cum senserint se inferiores copiis, apparatu, & munimentis bellicis. Sic Demochares. At quid sit prosyllogismus, in primo Priorum Analyticorum est monstratum.

Occultandæ propositionis præcepta 15. Primũ est, vtendũ esse prosyllogismis. Anthonius Demochares, de proteruis respondentibus.

Deinde in litera ibi, Amplius autẽ conclusiones non dicere, &c. assignatur secundum præceptum, quod est. In occultatione nõ dicet interrogans conclusiones probandas respondenti, quas animo probare instituit, sed post varias interrogationes euestigio statimque postremã inferet conclusionẽ. Id fiet si subiiceantur prosyllogismorũ conclusiones.

2. Tacẽdum esse propositũ.

Cæterùm tertij præcepti generalis mox sequentis ibi, Vniuersaliter autẽ dicendo, &c. hæc est intelligentia. Qui in vniuersum omnia sic interrogare potest, vt absoluta omni totius orationis seu disputationis interrogatione, dum ex interrogationibus infert conclusionẽ, inquirat nesciens respondens, propter quid & vndè inferatur, probè & legitimè occultat. Ad huiusmodi occultandi formã, plurimum conducit celandi modus, cuius mox meminimus, quo propositiones prosyllogismorum interrogari præcipiebantur, prætermissa omnium superiorum conclusione, sed solum postrema conclusione subitò illata. Nam fit respondenti ignotũ, ex quibus accidat & inferatur mox conclusio, eò quòd non intelligat respondens prosyllogismos per membra indigestos, hoc est, indispositos secundum syllogisticam formã, neque præsentiat ex interrogationibus nullo modo in ordinẽ syllogisticum dispositis conclusiones inferendas, quæ postremò velut propositiones necessariæ syllogismũ constituentes, euestigiò conclusionẽ præcipuã intentamque colligunt. Cæterùm ea literæ pars. Minimè autem per membra digeritur syllogismus conclusionis, & cæt. hanc habet sententiam. Syllogismus qui conclusionẽ principaliter intentã colligit, tunc minimè disponitur in figura & modo, ac proinde maximè latet respondentẽ, cum ab opponente nõ assumuntur eius præmissæ, sed remotiores duntaxat quædam propositiones, ex quibus ipsæ præmissæ possunt syllogisticè colligi.

3. Sic interrogandũ, vt nesciat respõdẽs ex quibus inferat conclusio.

Post hæc in litera ibi, Vtile autẽ & non continua postulata sumere, assignatur quartũ præceptũ, quod est eiusmodi. Quoniam permutatio & multiplex euariatio occultationem adfert, plurimũ vtile fuerit, si non continuo ordine syllogistico sumantur propositiones, ex quibus fiunt plures syllogismi, sed permutatim digerantur, vt vnius syllogismi maior cum alterius minore, & contra, iungatur. Nam præmissis ordinẽ vtrumque continuũ syllogisticum seruantibus, nõ difficilè erit respondenti coniectare, quid conetur differens colligere, & proinde maior illi dabitur occasio, vt per opponentẽ assumptis refragetur atque dissentiat. Hæc quatuor præcepta, dicunt esse deprompta ex parte sermonis syllogistici.

4. Seorsum interrogandum.

Porrò quinti præcepti mox subsequentis ibi, Oportet autẽ & definitione sumere, & cæt. sensus est eiusmodi.. Si aliquã vniuersalem propositionẽ, in qua concretum definitiuũ de concreto prædicatur, celare volueris, quòd vniuersaliter proposita instantiam pati videretur, ea propositio prius proponenda est, aut particulariter aut indefinitè. Deinde, quantũ licet, transeundum est ad definitionẽ nõ cõcreti subiecti, sed cõiugati abstractim designati atque vniuersaliter sumpti, ex quo vniuersalis constituatur propositio, quæ nullam instantiam vel apparentem habeat. Ex hac licebit per locũ a coniugatis priorem vniuersalem, quam celabamus, colligere. Verbi gratia, sit hæc sumenda propositio. Omnis qui irascitur, appetit pœnã propter apparentem contemptũ. cum hæc videatur instantiam habere in filijs, qui parentibus irascuntur, prius proponetur indefinitè aut particulariter, eos qui irascuntur appetere pœnam propter apparentẽ contemptum, Deinde proponetur, omnis ira esse appetitus vindictæ propter apparentẽ contemptum,

5. Præceptũ. Digrediẽdũ ad cõiugatũ propositũ.

temptum, id quod quidem nullam instantiam admittit. Tum colligemus per locum a coniugatis, qui iuxta cõmodus est problematibus & vniuersalibus & particularibus definiendis, quòd omnis qui irascitur appetat pœnã propter apparentẽ contemptum. Post hæc in litera ibi, Præterea proponere par est non vt propter idipsum, &c. redditur sextum documentũ, cuius sensus est. Opponenti celare cupienti accõmodum est, quæ vtilia sunt ad differendum in propositum sic interrogare & proponere, vt non propositi, sed alterius gratia, putentur interrogari a respondente. Deuitant enim pro viribus respondentes, quæ intellexerint vtilia interrogari ad problema propositum. Alia verò quæ non credunt ad rem pertinere, penè gratis elargiuntur.

6. Dissimulãda propositi disputatio.

Deinde e vestigio ibi, Simpliciter autem dicendum, &c. assignatur septimum præceptum, quod est eiusmodi. Differentem occultationi propositi studentem efficere q̃ maximè oportet sua interrogatione, vt anceps dubiusq; sit respondens, an eo quod proponitur, an illius opposito vti velit opponens. Nam si dubium sit quidnã ad positionem sit vtile, respondentes concedent, quod ipsis magis videtur ad positionem cõmodum. Id fortasse fit, dum id quod propositioni opponitur, ex æquo cum propositione interrogatur, aut sub vtrausq; contradictionis parte interrogatio constituitur. Hæc autẽ tria documenta dicuntur pertinere ad sermonẽ enthymematicum, queadmodum duo sequentia ad exemplarem sermonẽ & inductiuum.

7. Interrogãda opposita simul.

Insuper in literã ibi, Amplius per similitudinẽ interrogare, &c. subiungitur octauum præceptũ tale. Si interrogans cupiat obscuriorẽ & occultiorem reddere disputationem & propositum celare, loco propositi assumat simile, a quo connectat argumentationem. Nam in simili magis latet vniuersale & propositũ (per vniuersale enim intelligendum venit propositum) quàm si nulla fieret egressio a proposito. Quę in eodem documento sequuntur, ex Prioribus Analyticis, dum ageretur de exemplo, sunt manifesta, & ob id non repetenda.

8. Differendum in altero simili.

Post hæc ibi, oportet aũt & ipsum sibimet, &c. proponitur nonũ documentum, quo admonet Philosophus opponentẽ, vt vniuersalem propositionẽ instantiam apertã habentem interroget, adhibita sua instantia, sicq; appareat velle differere cum respõdente iustis legibus, quo sibi, velut bonæ fidei homini, & nulla doli suspitione notato insuspectoq;, a respondente plura tribuatur, & maior ei fides adhibeatur.

9. In se instãdum.

Ad hæc mox ibi, Vtile autẽ dicere quoniam consuetum, &c. traditur decimũ præceptũ hoc, vt facilè interrogans a respondente quæ velit accipiat, peroportunũ est consuetis vti, & recepta interrogare. Omnes enim verentur diffiteri, quod consuetũ est concedi sine insigni ratione & non habẽtes instantiam. Item cum ipsis consuetis vtantur respondentes, diligenter cauebunt, ne ea quæ ab omnibus concedi solent, reijciant & reprobẽt. Quî enim fieri potest, vt leuis & parua ratio, opinionem tenacius menti inhærentẽ euellere possit, quã neq; grauiores quæq; dimouere valent?

10. Cõsueta interrogãda.

Porrò vndecimum præceptum assignat Philosophus ibi, Amplius non sedulò agere, &c. cuius hæc est intelligentia. Quoniam in omni negocio festinãtia quiddam suspicionis adfert, qui celare velit, vel id quod plurimũ vtile fuerit ad propositũ, non celeriter, properanter & studiosè nimium interrogabit, sed negligenter, & veluti aliquid admodum parũ vtile proposito. Nam iis opponentibus, qui diligentia & velut magno visu idonea requirunt, acriter obsistunt respõdentes, quòd talibus interrogatis formident decipi.

11. Nõ debet esse præceps & curiosa interrogatio.

Post hæc in litera ibi, Et vt in similitudine proponere, & cęt. subnectit Philosophus duodecimũ præceptum, quod est huiusmodi. Ad occultationem multum conducit in similitudine interrogatio. Facilius enim cõcedunt id quod proponitur in parabola, quia alterius videtur efferri gratia, & nõ propter se, q̃ quod per se interrogatur, vt qui vult accipere, continentiam esse virtutẽ, conueniet vt is roget, an queadmodum continentia sit virtus, sic fortitudo, sic iustitia? Id enim quod sic dictum est per aliorũ collationem, citius fatentur respondentes, q̃ per se positum. Est autẽ parabola, collatio diuersorum in eo quòd ad inuicem proportionis similitudinem recipiunt.

12. In parabolis interrogandum.

At decimitertij præcepti ibi collati, Amplius non ipsum proponere quod oportet, &c. sensus est. Ad occultationẽ vtile est interrogare propositiones, è quibus infertur propositum quod est sumendum, eo quòd facilius concedant respondentes antecedentia, è quibus propositiones necessariæ sunt inferendæ. quoniam minus manifesta sunt ad inferẽdam rem probandam. Hoc documẽtum partim consentit illi, quo prius explicatus est in summa, propositionis celatiuæ vsus.

13. Interrogãda antecedentia.

Ad hæc continenter ibi, Et id vltimo interrogare, &c. subditur præceptũ decimumquartum, quo admonet Philosophus opponentẽ, ne ea quæ suæ disputationi præcipuè sunt accõmoda, in disceptationis initio, sed potius vltimo loco interroget. Nam respondentes, quę in initio interrogãtur, maximè respuunt, eo quòd bona interrogantium pars, in disputationis principio constituere soleat, quę proposito maximè sunt necessaria. At quoniam contingit nonnullos eorum, qui respondentis officio

14. Non est in principio interrogandũ qđ maximè est necessarium.

officio funguntur, cōtra sese habere, & in primis interrogationibus suscipiendis faciles esse, nisi valdè manifestū sit, conclusionem illis connecti, & in postremis difficiles, cuiusmodi sunt dyscoli, proterui, & graues, hique qui sui ingenij fidentes acumini, primis quæsitis dedignātur insta re, cùm non metuant pati quicquam repugnantiæ vel palinodiæ, ex quibusuis admissis. In fine verò rixantur, nugātur, permutāt propositiones cōcessas in alias, ex quibus illatū nō sequi indicāt, vel dictionē inuertūt, aliquā fingēdo significationē æquiuocationē, & cætera huiusmodi. Proinde interrogātus potissimū intererit, respondentē agnoscere, & qualis fuerit cū quo est differendum, vt congruentem sibi celandi locū possit deligere. Cæterùm decimumquintum & vltimū præceptum ibi designatum, Amplius prolongare & interponere, & cæt. hanc habet sententiam. ad necessariarum propositionum occultationem valet prolongatio & interpositio varia interrogationum, nullam vtilitatem habentium ad rem monstrandam, neque necessariarum acceptionem, quemadmodum faciunt, qui falsè describunt in geometria. Nam propositis pluribus non facile est dinoscere quid falsum sit, & frequenter inter multa interrogata, quædam a respondentibus conceduntur, quæ reliquis seclusis interrogata non ponerentur a respondentibus. Hactenus de varijs occultandi modis dictum sit.

15. Producēdas esse interrogationes & multis intermiscēdas

In quartum caput, considerans de propositionibus non necessarijs, quæ ampliatiuæ sunt & explanatiuæ, agensque de inducendi præceptis, annotatio.

Ad ornatum verò.

Explicatis modis, quibus propositionem celare possumus, in huius capitis quarti exordio, de ampliatiua propositione agens, inquit Philosophus, Ad orationis ornatū & amplitudinem conducere inductionem & diuisionem eorum, quæ proposito cognata sunt & similia. Addit Philosophus, illud ex superioribus palàm esse. Nam de illa in Priorum Analyticorum posteriori libro, alijsque locis determinatū est. At de diuisione huiusmodi adfert exempla. Sit propositum, vnā disciplinam altera esse meliorem, is distribuere poterit scientiam in eam quę exactior est, & eam quæ minus est exacta. in eam quæ meliorum est, & in eam quę est deteriorū, Insuper in contemplatiuā, actiuam, & effectiuam. Deinde in litera ibi, Ad dilucidiatem autem, & cæt. agens Philosophus de quarto non necessariarum propositionum genere, quod postremum locum occupat, dicit ad necessariarum propositionum obscuritatem pellendam plurimum conducere exempla & parabolas, quę sunt accommoda, idoneaque ad sciendum, qualia contingit reperire apud Homerū, non autem apud Cherilum poetam. At quid sit exemplum, palàm est ex Priorum Analyticorum secundo. Exemplum finit Cicero esse, id quod rem autoritate, aut casu alicuius hominis, aut negocij, confirmat aut infirmat. Parabolam autem seu collationem, orationem esse, quæ rem cum re ex similitudine confert, Qui de his rebus plura scire cupiat, Aristotelem consulere poterit in secundo Rhetoricorum, & Quintilianum libro Institutionum quinto. Post in litera ibi, Vtendum autem in disputando syllogismo, & cæt. traditurus Philosophus quædam inductionis præcepta, quiddam discriminis assignat inter syllogismum dialecticum, dialecticàmque inductionem, quæ præcipua sint dialectici disputātis instrumenta, asserens dialectica vtendum esse inductione, dum super aliqua re differit contra rudes, vulgares, & multitudinem ignaram, Syllogismo autem, dum contendit contra subtiles, magisque doctos, ac proteruos. Nam inductio est verisimilior, clarior, & ad sensum (cuius iudicium sequuntur vulgares) notior, & pluribus cōmunis. Syllogismus autē euidentior, & ad contradicendum efficacior. Porrò in litera ibi, Est autē in aliquibus quidem, &c. assignatur primū inducendi præceptum, de inducendi facilitate & difficultate pertractans, cuius summa est eiusmodi. Facile inducimus ipsum vniuersale & cōmune, quoniam singularibus ipsis & similibus omnibus vnum est nomen vniuocum impositum. At si nomen cōmune non fuerit statutū similibus & particularibus, sed statuendum sit, valde laboriosum fuerit vniuersale accipere per talia. Nam si quis ex talibus efflagitet vniuersalem dari propositionē, respōdent interrogati, difficilius esse cognitu quæ sunt eorum quę proferuntur particularium talia, quæ contineantur nomine communi statuendo, & quæ non contineantur. Quapropter dissident plerunque arguentes & respondentes. Interrogātes quidem protestantur, quæ non sunt similia, neque sub eodē nomine contenta, esse similia & sub eodem nomine contineri. At contra respondentes dubitant & negāt, quæ similia sunt & sub eodem nomine contenta, esse similia. Quare vt huius controuersiæ origo tollatur, in omnibus particularibus, quæ nomine communi carent, instituere & fingere nomen oportet ipsis similibus & particularibus, ne liceat respondenti dubitare similiter dici quod infertur, neque nomen esse commune in quo particularia contineantur, id quod inductione infertur. Insuper vt interroganti nullus calumniandi locus relinquatur, qui quod dissimile est, & in quo non continentur

Ad ornatū cōducere inductionē & diuisionem.

Exempla & parabolas, pro depellenda propositionum obscuritati.

Cicero.

Exemplum.

Parabola.

Dialectici syllogismi & inductionis dialectice diuersitas quędā ex ipsorū vsu accepta.

Inducendi primū præceptum.

Singularibus nomen vniuersale imponēdū.

2. efflagitandũ esse instãtiã, si ex multis vniuersale nõ concedatur & nõ aliàs.

particularia omnia, tanquam cõtenta, similiter interrogat. Deinde ibi, Quando autem inducenti in pluribus, &c. redditur secundum præceptũ, quod est. Si opponens ex pluribus singularibus colligat vniuersale quod negat respondens, iustè exigere poterit instantiam. Quod si solum vniuersale propositũ nullis singularibus adductis respiciat respondens, non iustè poterit ex respondente instantiam efflagitare. Perficienda igitur prius a respõdente est inductio, Deinde postulanda est instantia. Post hæc ibi, Efflagitandum autem instantias, &c. Tertio præcepto admonet, ab opponente exigente instantiam, nõ esse recipiendã instantiam, quæ sic per id quod proponitur, nisi illa vnica sit, idq; significet & annotet respondens. vt si defensante quopiam, omnẽ dualitatem seu binarium omnium numerorum parium esse vtroq; modo primũ seu numero positũ, per enunciationem aliorum numerorũ colligat opponens, omnem parẽ numerum esse cõpositum, vniuersale negabit respondens, inquiẽs, vniuersale in solo binario habere instãtiam. Porrò quis numerus dicatur primus, & q̃ variè, in Posterioribus Analyticis expediuimus.

3. nõ ferenda instantia propositionũ, nisi cum annotatiõe.

4. æquiuocũ vniuersale diuidendũ.

Cæterùm quartũ præceptũ, quod ibi redditur, Ad eos aũt qui instant vniuersali, &c. est huiusmodi. Si in vniuersali inductione collecto, aduersus quod ferenda est instantia, collocetur terminus æquiuocus, explicãdus erit eiusdem æquiuoci diuersus significatus, ne respondens ferat instãtiam in alio sensu, q̃ interrogãs proposuerat. Quòd si lateat æquiuocatio, aut constiterit respõdenti quo in sensu significatuq; vtatur opponẽs, nõ erit explicãda æquiuocatio. Exemplum est, si quis monstrauerit, omnẽ hominẽ habere suum colorem & nõ alienum, & duos tantũ pedes: quòd omnis Italus eiusmodi sit, omnisq; Germanus, omnis Brabantus, &c. instãtiam fortasse feret respondens, ex eo quòd pictor alienũ colorẽ habeat, quem mutuò a quopiam ad pingendũ susceperit. Et coquus plures pedes, nempe gallinaceos, vitulinos, aut ouinos. Vtitur siquidem opponens verbo habere in prima & quinta significatione. Respondens autem instans, in tertio significatu, secũdum quem habemus quippiam tanquam nostrã possessionem. Quapropter determinãda atq; aperienda erat ab initio dictionis habere multiplicitas, de qua in calce suarum Categoriarum agit Aristoteles. Post hæc in litera ibi, Si autẽ non in æquiuoco, sed in eodem, &c. instruit Philosophus opponentem, quid agere debeat, facta per respondentẽ in eodem vniuoco instantia, nempe auferendũ ab vniuersali id, in quo solo consistit instantia, adiectione alicuius particulæ, & sic sumendum esse vniuersale, exclusa instantia. Duo redduntur in litera exempla. Prius est. Si opponenti inducẽti omnem eum qui amisit disciplinã notitiamq; verã, oblitum esse, eò quòd Messala Coruinus qui amisit disciplinã, oblitus sit. Similiter & quòd Georgius Trapezontius vir in omnibus summus ad senectutem extremam perductus, literas, & Græcas & Latinas quas perdiderat, oblitus est, adferat instantiam de eo, qui scientiam amisit duntaxat, eò quòd res perierit, aut euariata sit: tolletur autem hæc instantia, si assumatur hoc vniuersale, omnem eum qui scientiam amiserit re permanente, esse oblitum. Alterum est. Si ex iustitia & liberalitate, scientia & pulchritudine, aliisq; eiusmodi, colligatur, omni maiori bono maius malum opponi, & feratur instantia de sanitate, cui tanquam minus bono q̃ bona valetudo, maius malum opponitur, nempe ægritudo, quæ peior est mala habitudine. hanc instantiam auferet opponens, si dixerit maiori bono omni maius malum opponi, nisi vnum coinferret reliquum, id quod accidit illis quatuor propositis, Nam bona habitudo sanitatem infert. Morbus aũt malam habitudinem, vt in huius secundo explicatum est, dum ageretur de consequentia contrariorũ, in ipso, & ecõtrario.

5. in vniuoco instantia auferenda venit.

Prius literæ exemplum.

Posterius exẽplum.

6. Non instãte aliq̃, auferendam esse etiã instãtiã intellectã.

Post hæc ibi in litera, Non solum autẽ eo instante, &c. assignatur sextum præceptũ, quo docet opponentem, non tantũ vniuersale sumendum cum exclusione latæ instantiæ, sed & eius quæ ferretur, si præuideat respondentẽ allaturum instantiam. Cæterùm vt cognoscatur quę sint vniuersalia, quibus eiusmodi instantiæ adferri possunt, subnectit Philosophus, ea esse, quę propositiones sunt vniuersales in parte vera & in parte falsa, de quibus tractatum est in secunda syllogismorum potestate, secundo Priorum Analyticorum libro tradita. Postremo loco ibi, Si autem in multis proponenti non ferat instantiam, &c. redditur septimum & vltimum præceptum, quod est. Si in multis & ex multis singularibus inductione colligatur, vniuersale, aduersus quod nullam instantiam adferre valeat respondens, opponenti postulandũ est a respondente, vt vniuersale ponat ac concedat. Neutrum enim horum faciens, proteruus videbitur, quemadmodum in secundo huius dicebatur. Ex hoc præcepto depromere licet, non oportere in inductionibus assumere hanc particulam, & sic de aliis. aliasque similes. Hactenus de inductionis præceptis, in inductione obseruandis.

7. postulãdũ vniuersale concedi, cuius nulla vera habetur instantia.

Quãdo aũt contingit idem,

In quintum caput, de ordine & modo interrogandi pertractans, scholia.

In huius

IN huius libri exordio duplices proponebãtur propositiones, obuiationibus dialecticis vtiles, nempe necessariæ & non necessariæ. De nõ necessariarũ vsu varietateq; in superioribus actũ est sufficienter. Tractationem autẽ necessariarũ, arbitrantur nonnulli, superiori capite Aristotelẽ esse aggressum, nõ reformidantes asseuerare, alia atq; alia ratione eandem ꝓpositionem, puta inductiuã, esse non necessariam & necessariam. Alijs placet, hoc in capite primùm Aristotelẽ agere de necessarijs. Verùm his varijs opinionibus prætermissis, omnibus luce clarius constat, duo præcipua esse dialectici instrumẽta, Inductionem, & syllogismũ dialecticum. Cum igitur inductionis veluti imperfecti organi dialecticæ artis præcepta dederit, non indecenti ordine in præsenti capite quædam instituta documentáq; adfert, quæ ad syllogismũ dialecticũ pertinent, quatenus eius vsus obuianti dialectico est idoneus. Complectitur itaq; præsens litera documenta numero quinq;. Quorum primum est, Etsi demonstratori æquè idoneus sit syllogismus per impossibile, quemadmodum & ostensiuus, dialectico tamen in opponendo disserendoq; magis vtendũ est ostensiuo syllogismo, quàm syllogismo per impossibile, quãdo vtroq; modo idem probare contingit. Rationẽ subnectit Philosophus, eò quòd si sine impossibili syllogismo colligat, minimè fiet, vt dubitent respondentes de illata ex necessarijs præmissis conclusione. Sed quãdo per impossibile syllogisant opponẽtes (nisi manifestum sit, falsum esse quod illatũ est) dicunt respondentes, quod collectũ est nõ esse impossibile. Et proinde non accidit dialecticis interrogãtibus id quod cupiunt. Cæterùm quid ostensiuus syllogismus sit, quidue per impossibile sit syllogismus, & quo pacto ostensiua demonstratio, ea quæ per impossibile est, sit potior, in Analyticis & Prioribus & Posterioribus est explicatũ.

[Documẽtorũ pro dialectico syllogisticẽ obuianti.]

[Primũ, dialectico magis vtẽdum syllogismo ostensiuo, quàm eo qui ad impossibile deducit.]

Deinde in litera ibi, Oportet aũt proponere, &c. secundo documento admonet Philosophus, quas propositiones necessarias oporteat interrogantem in ostensiuo syllogismo assumere, nempe eas, quæ vt in plurimũ veritatem cõplectantur, & nullam patiantur instantiam, aut simpliciter, aut nõ in superficie, quæ valeat statim a respondente deprehendi, atq; agnosci. Eiusmodi enim facilè ponit is, qui respondentis officio fungitur, si modò proteruientis prouinciam non acceptet.

[Interrogãdę ꝓpositiones vt in plurimũ veræ ad syllogismũ constituendũ.]

Insuper in literæ decursu ibi, Non oportet aũt conclusionẽ, interrogationẽ facere, &c. in medium producit, quid sentiendũm sit de conclusione ex necessarijs præmissis colligenda. huius autẽ præcepti hæc est sententia, Concessis tandem præmissis necessarijs, non interrogandum est ab opponente, an præcipua cõclusio ex præmissis admissis sequatur veluti conclusio. Nam si hæc interponatur conclusionis interrogatio, non videbitur esse syllogismus dialecticus, respondente conclusionis interrogationẽ abnuente. Etenim tacita eiusmodi interrogatione, sed sola conclusionis præcipuè facta illatione, non videtur syllogisare, redargueréq; opponens ijs, qui nequeunt inspicere ex ijs quæ posita sunt consequi. Longè itaq; minus putabunt constitui syllogismũ, si rogetur an cõclusio ex præconcessis præmissis colligatur.

[Tertiũ præceptũ, Conclusionẽ nõ esse interrogandam.]

Post hæc in litera ibi, Non videtur autẽ omne vniuersale esse dialectica propositio, &c. Assignat Philosophus documentũ, quo possumus discernere, aliam esse quæstionẽ rogantem super alicuius rei quidditate atq; distributione, ab ea qua dialecticus vtitur. Cum aũt harum discrimina prius attigerimus, tum in secundo Peri Hermenias libro, tum in Analyticis Posterioribus, & aliquot locis sequẽtibus, nõ est quòd in hoc præcepto explicãdo immoremur.

[4. Nõ omnẽ interrogatiónẽ esse dialecticam.]

Porrò quinti ac postremi huius literæ documenti ibi designati, Quisquis autem vnã orationem multo tempore, &c. hęc est sententia. Cauendum est dialectico disserenti, ne ad vnius orationis syllogismive constitutionẽ multo tempore interroget, Alioqui enim perperam interrogabit. Nam si respõdens omnibus interrogatis annuat, aut multas interrogationes proponet interrogãs, aut easdem. Quòd si easdem, nugabitur interrogãs, easdẽ interrogationes inutiliter repetendo. Si verò varias atq; diuersas, non constituet syllogismũ, eò quòd omnis syllogismus ex duabus duntaxat propositionibus coalescat. At si nullis interrogatis assensum præbeat respondens, manifestũ est, interrogantẽ nõ impugnare positionem, vel recedere a positione impugnanda. Vel sic aliter, Si nõ respondeat interrogatis respondens, neq; reprehendat opponentem interrogantẽ quòd nugetur, idem frequentius immeritò repetendo, discedet ab inita disputatione, sua taciturnitate subindicãs, interrogãtem indignũ esse, vt cum eo super aliqua re disseratur.

[5. Vitãdã esse frequentẽ & multiplicem interrogationem.]

Verùm obijciet quis, hoc pręceptũ cum eo pugnare, quo superius inter occultandi propositi modos præcipiebantur multa esse interroganda. Cui responsum sit, Aristotelem prius egisse de pluribus interrogatis, diuersos prosyllogismos procreaturis, hoc autẽ in loco considerare de ijs interrogatis necessarijs, ex quibus coalescit pręcipuus principalisq; syllogismus. Hæc itaq; quinq; sunt præcepta, pertinentia ad ordinem & interrogationem propositionum necessariarum, ex quibus conflandus est dialecticus syllogismus.

[Obiectiõis dilutio.]

In sextum caput, explicans proponendi facilitatem & difficultatem, scholia.

Est autē argumētari dif ficile.

Positionum discrimen.


Quędā sunt q̄ differunt.

Traditis ijs, quę ad propositiones, & necessarias & non necessarias, earumq; interrogationes videbantur pertinere, quia cognoscenda est interroganti positionum natura & varietas, in præsenti capite aperit Philosophus, diuersam positionum naturā, in exordio docens, q̄ eædem sint propositiones, quæ & ad probandum difficiles, & ad defendendum faciles sint. At quæ sint eiusmodi indicat, dum mox subdit. Sunt autem talia & quæ natura sunt prima, & quę postrema. Per naturā prima accipienda sunt prima principia, quæ non habent fidē per priora. Per postrema verò conclusiones quæ a primis principijs longissimè distant. Verùm in vtrisq; non est eadem ratio difficultatis, sed opposita. Nam prima principia ex eo difficulter approbātur, q̄ ad sui probationē definitione indigent, quā respōdens nec facile assignabit, nec assignatā ab opponēte facile recipiet. Postrema verò difficulter approbātur, quia per multa media continuo ductu sumpta, ostendi debent ex principijs, id quod constat non facile esse factu. Si quis verò conetur ea probare non incipiendo a primis principijs, tunc rationes sophisticæ videbuntur, nec sufficienter ostendent propositū. Post hæc in litera ibi, Sunt aūt difficile argumentabilia, & cæt. numero eorum quæ difficulter probantur adijcit ea, quę natura primis sunt valde propinqua, cuius probatio i ubiungitur. Non enim contingit plures ad hæc rationes inuenire, cum sint pauca media, horumq; & principiorum per quæ necesse est monstrare ea quæ post illa sunt. Cæterùm quoniam quę superius dicta sunt, pendent ex primorum secundum naturam finitionibus, mox in litera subiungitur, quid sentiendum sit de finitionibus, dum dicitur, Definitionum autem difficile argumentabiles, &c. cuius sententia est hæc. Definitionum ex difficile sunt argumentabiles, quæ ex ijs nominibus constantur adeò obscuris, vt non sit statim facile agnoscere, an dicantur vniuocè, an multipliciter. vel vtrum propriè, an impropriè & translatitiè dicuntur de definito. At per definitiones difficile argumentabiles, nonnulli intelligunt definitiones, quibus difficile aliud probatur. Alij autem eas, quæ difficilius interimuntur. Ad hæc in litera ibi, Omnino autem omne problema, &c. explicat Philosophus, quadruplicem propositionem esse difficile probabilem & argumentabilem, monstrans simul medium, vtimq; qua queant probari. Primæ sunt principia. Secundæ sunt quæ definitiones prius dictas difficile argumentabiles complectuntur, super quibus dubium erat, an æquiuocationi, an metaphoræ locus esset. Tertiæ sunt, quæ principijs sunt proximæ, sub quibus veniunt intelligendæ, quæ postremæ & vltimæ sunt, nisi has quis pertinacius contendat sub primis comprehendi. Quarto loco sunt eæ, de quibus ambigitur cuius generis sunt, an primi, an secundi, &c. Quòd si resciatur cuius generis sunt, quę sunt primi monstrabuntur definitione, & quæ secundi, diuisione seu distinctione eius quod multiplex est, aut secundum metaphoram dicitur. At quæ vltimæ sunt, per mediarum propositionum inuentionem monstrabuntur. Nam & hoc modo vltima dicta sunt probari. Cæterùm quoniam contingit idem aliter & aliter definiri, subiungit Philosophus mox ibi, In multis autem positionibus, &c. quæ dicta sunt intelligenda esse de vera definitione, perinde atque si diceret Philosophus, Sæpe in multis positionibus non licet facile concludere falsum, aut monstrare verum, facta ratiocinatione ad illa per definitionem, ob id quod non legitima constituatur definitio, vt quòd nō contingit vni plura contrariari, nō quauis definitione posita monstrabitur. Nam qui definiret, contraria esse ea, quæ ab inuicem distant, seu quæ sese mutuo corrumpunt, his interrogatis non consequitur, vnum vni tantum contrariari, siue non plura vni contrariari, eò quòd multa habeantur, quæ ab inuicem distant, quæ nullam habeant contrarietatem. Cuiusmodi sunt numeri, & colores, & sapores extremorum collatione, in quibus etiam eisdem mutua est corruptio. At propria horum reddita finitione, facile propositum colligitur, vt si definiantur contraria, quæ maximè ab inuicē distant sub eodem genere posita, & eidem subiecto vicissim insunt, a quo mutuò se expellunt, nisi eorum alterum a natura insit, consequens erit, vnū non pluribus, sed vni tantum contrariari, quòd vnum ab altero plurimum, maximèque distare vni soli videatur posse conuenire. Porrò ne quis quod dictum est arbitretur peculiare ipsi dialectico, in litera ibi, Videntur autem & in disciplinis, & cæt. monstrat, idem in demonstratorem quadrare, nempe non valere eum demonstrare ob finitionis rectæ carentiam. Exemplum literæ mathematicum est de linea iuxta latus planum secante, & similiter diuidente lineam & locum. Nomine plani & loci, intelligitur spacium & area lineis intercepta. Linea autem ad latus planum secat, quando in superficie æquidistantium laterum ad latus per aream linea dicitur æquidistans, vt sit quadratum A B E F, diuidaturque linea

Et quę natura primis sunt propinqua.

Qui termini difficile sint argumētabiles.

Quadruplex positio difficilis probatu.



linea A E in puncto C æquidistanti & lineæ A B, & lineæ E F protracta ad punctũ D lineæ B F. Linea C D, ad latus diuidit planũ A B E F, & simile diuidit idẽ spaciũ & lineas A E, & B F. Nam quę proportio est A C lineæ ad lineã C E, & lineæ B D ad lineã D F, eadẽ est ꝓportio superficiei A C B D ad superficiẽ C E D F. Est igitur literę demõstratio huiusmodi. Quicquid tale est, vt eo alijs adueniẽte eandẽ similemq́; habeat diuisionẽ, illa similiter ac proportionaliter diuidit, sed linea ad latus planũ diuidẽte, accedẽte parallelogrãmo, lineæ & areæ, parallelogrãmi, eandẽ habẽt admittuntq́; diuisionẽ. Igitur linea planũ iuxta latus secãs, simile & lineas & locũ secat. Postremo loco in litera ibi, Quãdo aũt erit ad dignitatẽ & ꝓpositionẽ, &c. Cuidã dubitationi respõdet, quę est eiusmodi. Cum nonnunq̃ contingat, dignitatem & propositionẽ difficilioris esse approbationis, q̃ thema quod in initio propositũ fuerat, dubitatio est, an axioma & propositio sumenda sint sine suis approbationibus, an contra illis sua sint adhibẽda probamina. At si hoc sit efficiendum, erit difficilius probatione quod assumitur, quàm quod ab initio probandum constituebatur, sicq́; percipiet, sentietq́; opponens maius opus, & laboriosius cognoscet esse, disputare ad confirmationẽ propositionis, q̃ prius, dum dissereret super propositione primo constituta. At si illud sequẽdum sit, sumaturq́; axioma & propositio sine sua confirmatione, cõstituetur syllogismus ex minus credibilibus, axiomate scilicet & propositione difficilioris probationis, quod cauendum docent autores in omni confirmatione. Huic respõdens Aristoteles, arbitratur duo genera esse disceptationum. Vnum demonstratiuũ, quod cum discente suscipit doctor. Alterum dialecticum & exercitatorium, & in priori sumenda esse axiomata cum suis probationibus, tandem applicanda in thema propositum, nisi sint ipso themate discipulo notiora. In posteriori autem accipienda esse absq́; confirmationibus, si vera solum videantur, & non apertã habeãt instantiam. Atq́; ex his colligit Philosophus, quid intersit discriminis inter demonstratorem, quem docentem appellat, & dialecticum, quẽ nuncupat exercentem. Nomine dignitatis seu axiomatis, & propositionis, aliquorum sententia idem intelligit Aristoteles. Alijs placet intelligere nomine axiomatis proloquium, quod ad demonstrationem accommodatur, & demonstratori committitur, & per propositionem id quoq́; per dialecticum ad probationem inducitur. Hactenus a Philosopho dictum sit de formando opponente.

Dubitatio.

Dissolutio.

De responsione aũt primum.

In septimum caput, explicans opus bene interrogantis & respondentis, & diuersos disputandi disserendiq́; modos, scholia.

QVemadmodum insignibus bellorum ducibus summũ est studium, vnica quoq́; cura, vt milites eos colligãt, qui bellicis machinis instructi nunc hostium castra adoriantur, nunc sua tueãtur, hostiles incursus sustinẽtes ac repellẽtes, Sic & Aristoteles exactissimus disciplinarum traditor, vt totius conflictus dialectici, quem ineunt opponens & respondens, rationem absolueret, post primam huius libri partem, in qua & locis quibusdam & præceptis instruxit opponentem: congruenti ordine secundam aggreditur (Prior enim interrogatio, Deinde subsequitur responsio) in qua docet formatq́; respondentem, vt commodè ac apertè respondeat ijs, quæ ab opponente allata, interrogataq́; existunt. Atq́; in hoc septimo capite, pro maiori sequentium cognitione, duo præsertim pręfatur. Nam in primis aperit, quodnam sit opus bene respondentis. Item & quod bene interrogantis: cuius opus est, sic instituere ac parare disputationem & ratiocinationem, siue inductiua sit, siue syllogistica, vt cogat respondentem confiteri magis improbabilia ijs, quæ necessarium est consequi ex respondentis positione. Inopinabilia autem sunt, quæ Aristoteles ἀδοξότατα vocat. παράδοξα, id est, præter opinionem, quæ probabilibus sunt contraria & impossibilia. Contra, respondentis opus est, vt non propter se & suas responsiones appareat concludi & accidere vel impossibile vel inopinabile. Verùm si aliquando vi argumentorum aliquid tale inferatur & colligatur, oportet id fieri propter positionem & susceptum problema, ex quo posito tale quippiam nemo effugere potest. Nam ex probabili positione non natum est consequi inopinabile, quod constat posse colligi ex improbabili themate. Adijcit insuper litera duo vitia dialectico respondenti vitanda. Prius, ea ponere quæ non sunt ponẽda. Posterius, ea quę ponẽda sunt, nõ tueri, defensaréve, quẽadmodum tueri possent. Hic autem modus est, vt concedantur quę ad positionẽ sequuntur, & negentur quæ propositioni repugnãt, de quibus posterius agetur. Post hęc in litera ibi, Quia autẽ sunt indeterminata ijs, &c. Dicit Aristoteles, quòd quia a veteribus nullis præceptis traditum est, quid facere debeant ij qui propter exercitationem & veritatis inquisitionem disputationem ineunt, id est, dialectici, maximè cum respondentis

Quid sit interrogantis opus.

Quid opus respõdẽtis.

Dialectico respõdenti duo peccata vitanda.
Prius.
Posterius.

officio funguntur, (aliud enim iis præscriptũ esse debet, qui in demõstratione versantur, aliud sophistis, & aliud dialecticis) Ideo hic traditurus est, quomodo respondere debeat dialecticus, qualia concedere, & qualia negare conueniat, vt dicatur bene vel male tueri positionem.

Necesse est autē respondentē.

In caput octauum, positionum genera enumerans, & instruens ad ipsa respondere, annotatio.

Positionum distributio.

Probabile simpliciter.

Im̃pbabile simpliciter.

Constituturus Aristoteles præcepta ac leges, quas necesse est obseruare spectareq́; eum, qui dialectici respondentis officio munereque legitimè fungi admititur in sua positione tuenda, In præsentis literæ exordio, hanc indicat positionũ partitionem. Positionum, quas defensat dialecticus respondens, vna est probabilis, alia improbabilis, alia neutra. Insuper probabilium itidem & improbabilium, quædam sunt simpliciter probabiles. Aliæ verò neque sunt simpliciter probabiles, neq; simpliciter improbabiles. Sed determinatè, id est, alicui philosopho probabiles, vel alicui philosopho improbabiles. Probabile simpliciter est, quod videtur omnibus aut pluribus, &c. vt in primo lib. Determinatè verò probabile dicitur, quod alicui philosophorũ videtur, vt Platoni vel Socrati. Similiter improbabile simpliciter est, quod est contra opinionẽ omnium aut plurium, &c. Determinatè verò improbabile, q̃d repugnat alicuius philosophorũ opinioni.

Quĩtuplex positio.

Quintuplex igitur ex litera depromitur positio, Nempe simpliciter probabilis, & alicui probabilis, Simpliciter improbabilis & alicui improbabilis: Deinde ea quæ neutra est, quæ quidẽ quid sit, palàm est ex his, quę in eodẽ libro de problemate neutro dicta sunt, dũ explicaretur problematis definitio, etsi autumet Albertus, hoc in loco positionem neutrã dici, q̃ ipsi vnus assentiatur, cui alter dissentit.

Augustinus de positionũ varietate

At D. Augustinus in eo libello, quẽ de Rhetorices principijs inscripsit, alio (quẽadmodũ arbitramur) respectu quatuor positionũ genera statuit. Sunt igitur (inquit) themata, id est, figurę cõtrouersiarũ quatuor, εὔδοξον, quod nos opinionis bonę ex vtroq; bono possumus dicere, ἀμφίδοξον, opinionis ex vtroq; bono ac malo confusè possumus dicere, παράδοξον, quod nos opinionis malæ possumus dicere: tametsi quidam parum diligenter Græcè loquentes, paradoxon pro his quæ sunt bonæ opinionis accipiunt. Vndè vulgò etiã olympionicas, & cæteros victores sacrorum certaminum, paradoxos vocant, magis consuetudine, quàm ratione ducti. Nam (vt opinor) παράδοξον est, quod est παρὰ τὴν δόξαν, id est, cõtra opinionẽ bonã. Quarta est, facies cõtrouersiæ, quę Græcè ἄδοξος dicitur, quã nos, non vt vulgò malæ opinionis, sed nullius opinionis euidenter propositis, id est, humilem & sordidam. Sic Augustinus. Cæterùm circa hunc locum nonnihil difficultatis diligenti lectori occurrere posset, quod breuitatis amplectendæ gratia, neq; in medium proferre, neq; dissoluere imprę̃sentiarũ decreuimus. Post hæc in litera ibi, Nihil autẽ refert, &c. Subnectit Philosophus, nihil discriminis esse, quantũ pertinet ad quendã generalem respondendi modum, siue constituta respondentis positio fuerit probabilis siue improbabilis. Cuius declaratio clarior est, quàm vt nostra egeat expositione.

Quõ respõdendũ, si positio fuerit improbabilis, aut p̃babilis, aut neutra.

Deinde in literæ decursu ibi, Quoniam autem bene ratiocinans, & cæt. explicat Philosophus primo, quo modo respondendum est, si positio fuerit improbabilis. Deinde si fuerit simpliciter probabilis ibi, Simpliciter autem si est probabilis, &c. Et secundo si neutra fuerit, hoc est, neq; probabilis, neq; improbabilis, ibi, Similiter autem erit, etsi neq; probabilis, neq; improbabilis, &c. Huius autem literæ summa est eiusmodi. Imprimis si positio sit simpliciter improbabilis, nunquam debet concedere respondens propositiones interrogatas, quæ simpliciter non sunt probabiles, siue quæ sunt improbabiles simpliciter. Quòd si probabiles sint simpliciter, non tamẽ probabiliores conclusione, nõ debet eas ponere seu concedere respondens. Si verò positio fuerit simpliciter probabilis, dabit concedetq; respondens omnia probabilia, & quæcunq; improbabilia sunt minus improbabilia conclusione improbrobabili simpliciter, tandem colligenda. At si neutra sit positio, ponet talem sustinẽs positionẽ quæcunq; sunt probabilia, & ex improbabilibus, quæcunq; minus improbabilia sunt cõclusione ex ipsis colligẽda. Vniuersaliter enim in omni ratiocinatione ex notioribus ad conclusionem ignotiorem est progrediendum. Deinde in litera ibi, Si igitur simpliciter quidẽ probabile, &c. monstrat Philosophus quomodo responsioni insistendum est, quando positiones sunt alicui aut probabiles aut improbabiles: harũ autẽ duplex modus superius ponebatur. quædã enim sunt respondenti probabiles, quædã verò alij cuipiam, cuius opinionem defendit respondens.

Positio alicui probabilis duplex.

Si igitur prioris modi positionẽ tueatur qua suã opinionem explicat respondens, oportet ipsum apud se perpendere, quæ videntur sibi probabilia, & quę non, qua consideratione poterit intelligere & iudicare quæ erunt concedenda & quæ neganda. Cæterùm si positionem alteri probabilem defenset respondens, diligenter disquirere debet quæcunque ab eo cuius positionem defendit, traduntur. quoniam eadem concedere tenebitur & negare, quæ concedit & negat is, cuius est assertor.

assertor. Quare ad intelligentiam & traditionem illius, cuncta concedere vel inficiari debet respōdens. Et simpliciter qui velit extraneas & alias opiniones tueri, debet sequi etiam in reliquis earundem opinionum assertores, quemadmodum qui opinionem Heracliti (quod bonum & malum idem sunt) protegunt, non concedunt, ꝙ sit impossibile contraria eidem inesse, non quoniam ita arbitrantur secundum se & credunt, sed quia id cōcedendum est ex positione & sententia Heracliti, quam susceperant defendendam. Insuper idipsum curant, qui ab inuicem susceptas positiones defendunt. Nam ij perpendunt & coniiciunt illorum opiniones, quod vt iudicārunt illos respondere, ita ipsi conantur & volunt respondere. Post hæc in litera ibi, Quoniam autem est necesse omne quod interrogatur, &c. monstrat Philosophus quomodo respondendum sit ad interrogata per opponentē, paucis præmittens duplicem interrogatorū partitionem. Prior prorsus similis est illi, quæ superius de positione est tradita. Sunt enim interrogatorū quædam probabilia, Alia improbabilia, Alia neutra. Posterior est, horum enim quædam ad orationē pertinent, Altera verò non. Ea interrogatio ad orationem attinet, quæcunq; pertinet ad syllogismum, quo ad positionē disseritur. Non pertinet aūt ad orationem, quæ vanè interrogatur, nihilq; confert ad rem propositā. Quo igitur modo eiusmodi interrogatis (si modò fuerint cognita & simplicia) sint adhibendę responsiones, sic explicat Philosophus, Si sit probabilis interrogatio, vel ad orationem pertinet & syllogismum, vel non. Quòd si non pertineat ad orationem, eam respondens tenetur concedere, dicendo eam esse probabilem. Si verò sit probabilis ad orationem conferens, eam fatebitur respondens interrogationem. At dicet, illam valde esse propinquam proposito, & quasi per interrogationem sumi propositum, licet ea posita destruatur positio. sic enim non videbitur probabilibus instare, neque proteruire, neque pati aliquid ab interrogatione, quod similitudinem monstret inter interrogationem & conclusionem, qua euertitur positio. Cæterùm si interrogatio improbabilis sit, consyderabit respondens, an sit pertinens ad syllogismum in positionem, an non? Quòd si impertinēs videatur, illa est danda, eò ꝙ nihil potest inde colligere interrogans, & magis indicatur interrogātis futilitas, vel ingenij inopia, cui cùm vltrò hæc dentur, non habet quod monstret quæ requirit. Veruntamen ne rudis & nescius notetur respondens, qui concedat improbabilia, apertè denunciabit, ꝙ inopinabilis talis est interrogatio. Verùm eam ponit & dat disputationis gratia, vt experiatur quid colligi possit, simul ne videatur refugere congressum. Si verò improbabilis interrogatio ad orationē conducat, debet respondens dicere, quòd posita illa & cōcessa demonstratur propositum. Attamen quia valde absurda est, & à nullo sanę mentis cōcederetur, eam diffitetur. Quòd si interrogatio neutra fuerit, nec pertineat ad orationem, danda est ea respondenti sine aliqua annotatione. Si verò ad orationē attineat, oportet respondentem significare, quòd concessa illa destruetur positio. Verùm quia indifferens est, & vtriusq; particeps, neq; magis probabilis quàm improbabilis, ideo eam non concedit neq; diffitetur, sed eam dubitat.

Interrogatorum prior diuisio.

Posterior est ī interrogationē ad orōnem attinētē, & eam quę nihil ad orōnem attinet.

Quo pacto diluēda sint interrogata, siue ꝓbabilia, siue improbabilia, siue ad orōnē pertinēt, siue nō

Similiter aūt & in iis quę obscurè.

In caput nonum, docens ad multiplices & obscuras propositiones respondere, Scholia.

Commonstrato modo, quo sese habere oporteat respondentem circa interrogata simplicia & manifesta, pręsenti capite aperit, quo pacto respōdendum sit propositionibus obscuris & multiplicibus, in exordio dicens, licere respondenti non intelligenti eiusmodi propositiones, palàm fateri suam ignorantiam, & non simpliciter absoluteq; respondere ad interrogatum propositum. Erunt itaq; tales propositiones prius ab opponente explicandæ, quàm ipsis suam adhibeat responsionem respondens. Deinde in litera ibi, Si autem notum quidem sit, &c. docet respondere multiplicibus problematibus, volens problemati multiplici, cuius multiplicitas est cognita, in omni sensu vero existenti, absolute, simpliciterq;, ac sine distinctione respondendum esse, quod sic. Quòd si in omni sensu falsitati sit obnoxium, simpliciter negandum. Si verò in vno sensu veritatem contineat, & in altero falsitatem, in primis aperienda est multiplicitas, Deinde explicandū, quis sensus verus sit, quisve falsus. Quod si in principio non nouerit, neq; præsenserit respondens æquiuocationem, qua opponens vtitur ducendo ad aliud significatum, licebit respondenti ad opponentem dicere, ꝙ concesserit multiplex, non respiciens ad hoc significatum, sed ad aliud, cuius ratione admiserit ab initio problema multiplex. Quòd si planum & simplex est interrogatum, indistinctè concedendum est aut negandum. Post hæc in litera ibi, Quoniam autem omnis propositio syllogistica, &c. Repetita diuisione propositionis in necessariam ad orationem & syllogismum, & in non necessariam, cuiusmodi sunt inductiuæ, & quòd vniuersalis propositio aliquando colli-

Licere respōdenti fateri suā ignorantiam.

Quō ad multiplex danda est responsio.

Quo pacto colligendū vniuersale.

gatur inductione aut similitudine, aliquando verò syllogismo. ostendit quo pacto respōdens se gerere habeat circa propositiones, dicēs, admittēda esse singularia, si sint vera & probabilia, & ad vniuersale colligendum attendendum esse, si habeant aliquod singulare non prius recensitū, quo aut verè aut apparēter instare possit. Quod si non ostendat, concedendū venit vniuersale. Alioqui nolens vniuersale concedere, & instantiam non potens adferre, proteruiet respondens, quam sanè labem à se toto animo pellere debet. Insuper hoc vicio plurimū laborabit respōdens, si neq; instare valens, neq; vniuersale cōcedens, nequeat cōtra vniuersale argumētari. Nam etsi cōtra vniuersale ratiocinari posse, vtcunq; respōdentis errorē excuset, non tamē in vniuersum tollit. Nam cōplures (inquit Arist.) orationes opinionibus cōtrarias habemus, quas difficile est soluere, velut Xenonis, ꝙ non cōtingit moueri, neq; stadium transire, sed non propter id quod opposita sunt his, non ponendum. Non est igitur respōdentis honori factum satis, si nonnullis allatis, & negato vniuersali cōtrà argumētetur, cùm (quemadmodum dici cōsueuit) contrà argumentari, vt & inconuenientis allatio, non est solutio.

Vtilissimum respōdenti præceptū ac documentū

Post hæc in litera ibi, Sustinere aūt & positionē & definitionē, &c. admonet Philosophus respondentem, cōmodissimum esse ei qui velit positionē aliquam siue problema defendere, vt prius in seipsum argumentetur, seu præuideat, quibus argumētis positionē ab opponente destrui contingat, & ordinare quæcunq; ad obiectiones adferri possunt. Nam qui præsenserit ex quibus interimere tentabunt interrogātes positionē & propositū, manifestè agnoscet, quibus resistendum sit. Minus enim (vt dicitur) feriunt tela præuisa, quàm inopinata, & ab iisdem cauere facilius est. At quoniam dialectici respōdentis est, non sustinere positiones improbabiles, subnectit Philosophus in litera ibi, Improbabilem verò positionē, &c. duplicem esse positionem improbabilem.

Duplex improbabilis positio, Prima.

Nam quædam est eiusmodi, quia ex ea absurda quædam & præter opinionem contingit fateri, vt qui dixerit, omnia moueri (quemadmodum Heraclitus) aut nihil (vt Zeno) Ex talibus enim positionibus, nemo est tam infœlicis ingenij, qui non multa incommoda colligere queat.

Secunda.

Altera est improbabilis, quòd ea quæ peioris moris atque consuetudinis sunt eligenda, dicit, & quæ contraria sunt omnium consiliis, vt ea positio qua quis constituerit voluptatem esse summum bonum (vt Eudoxus) vel iniuriam facere melius esse quàm pati, defenderet. Tales enim oderunt audientes, qui peioris moris positiones defendunt, non propter disputationem & exercitium, sed vt eligentes hoc, & amantes quæ dicunt & sustinēt.

Quō respōdendū sit ad propōes syllogismo necessarias.

Postremò in litera ibi, Quæcunq; verò orationes falsum colligunt, &c. docet Philosophus respondere ad propositiones necessarias syllogismo constituendo, cuius sententia est, Quemadmodum non sufficiebat instantia sine ratione ad impediendum vniuersalis conclusionem, sic non aptè & conuenienter dissoluet syllogismum, qui solùm dicit conclusionem falsam esse, quòd præmissarum altera sit falsa, sed oportet reddere causam determinatam falsæ conclusionis, Nam necesse est semper, conclusione existente falsa in recta ratiocinatione, & alteram præmissarum esse falsam, vel vtrasque. At in iis syllogismis, in quibus tantùm altera est falsa, non est difficile cognoscere causam falsę conclusionis. In quibus verò contingit vtrasq; esse falsas, non sufficeret ad diluendum falsitatem conclusionis dicere, ꝙ aliqua pręmissarū sit falsa (cùm etiam ex falsis concludatur verum) sed afferenda est illa, quæ sit causa falsæ conclusionis. vt sit syllogismus ex duabus falsis, Omnis qui sedet scribit, & Socrates sedet, Socrates igitur scribit. Huius cōclusionis falsæ causa non est assumptio falsa. Nam si cōstituatur illa vera, Socrates sedet, non minus falsa erit cōclusio. Quare notum est, ꝙ causa falsæ conclusionis non erat assumptio falsa, cùm ea posita vera, adhuc cōclusio sit falsa. Nam si quis alius à Socrate sit sedens & non scribens, non amplius in Socrate & in tali assumptione aptè cōueniet illa solutio, qua dicebatur, quia assumptio falsa sit, & conclusio. Et proinde non venit interimenda assumptio, sed propositio hæc, omnis sedens scribit, quæ causa est conclusionis falsæ, cùm non omnis qui sedet scribat. Hactenus dictum sit de recta ratiocinationis solutione.

Est aūt orōnē ꝓhibere.

In caput decimum, enumerans quatuor modos prohibitionis concludendi, & duos increpandi, & triplici ratione monstrans, aliam esse increpationem orationis, propter se, & aliam ex parte vtentium, Scholia.

Quid ꝓhibere, quod quadrifariā accidat.

Post tractationem veræ solutionis, eas aggreditur, quas vocant secundum quid solutiones, quarū vna est prohibitio, & altera increpatio. Neq; enim idem sunt soluere & prohibere. Nam soluere est ipsius conclusionis, & proinde semel tantùm contingit soluere. Prohibere verò, est præmissarum ratione, Id quod contingit quadrupliciter, quemadmodum monstrat huius literæ exordium. Prohibet namq; respondens, ne oratione & syllogismo inferatur conclusio.

Primò.

In primis, quādo destruit propositionē, ob quam ab interrogāte falsam conclu-

concluderetur. Et differt hic modus prohibendi à solutione recta. Nam non soluitur oratio, nisi facto syllogismo & conclusione illata, quod soluere sit causam assignare falsæ conclusionis. At prohibitio hæc non sinit conclusionem inferri, sed ne inferatur adfert propositionem falsam esse, qua interrogans vult colligere. Secundò prohibet, ne quid colligatur, respondens, quando fit ad interrogantem instantia, & non ad orationem, vt quando non impedit orationem dictam, sed quia interrogans dubitat obiectæ instantiç solutionem, prohibetur oratio ad propositam peruenire conclusionem. Tertiò impedit, quando ad interrogata instat, & si vera sint quæ interrogantur, quia malè interrogantur, vel quia quippiam deficiat, vel non habeant rectam habitudinem ad syllogismum. Proinde cùm nihil inde concludi demonstrat respondens, tunc dicitur instare ad interrogata. vt qui dicit ex particularibus vel negatiuis ratiocinari, vel quia non bene hæc disponuntur. Postremus instandi modus est ad tempus, quādo fit instantia, quæ maiori tempore indiget vt discutiatur, quàm ferat præsens aliqua disceptatio. Prohibetur tamen interrogans colligere tali instantia, quod oporteat primum dissoluere instantiam obiectam. Verùm quia demonstrare instantiam non impedire cōclusionem, maioris & difficilioris est negotij, quàm requirat disputatio, ad tempus dicitur esse. In hanc profectò plurimi dilabuntur, qui alio prçtextu argumenta nequeunt effugere, quia omnium pessima est instantiarum. Quatuor igitur sunt modi instandi, vel quia præmissæ sunt falsæ, vel malè disponuntur, vel quia instantiam, non intelligit interrogans, vel si intelligat, tam breui tempore disputationum non potest reprobare. Vnde notum est, ex his quatuor instantiis, tantùm primam pertinere significationem ad solutionem. Reliquas verò esse impedimenta, & prohibitiones, ne conclusio inferatur ex interrogatis, quibus potissimùm conuenient vti, dum morosior, nescio quis, interrogans, impetum fecerit turbulentiorem. Hçc Demochares.

Quid soluere.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Post hæc in litera ibi, Inculpatio aūt orationis, &c. pertractat Philosophus vnicum quoddam orationis, quod dici solet disputationis interpretatio seu inculpatio. Hæc aūt duplex est, Vna est orationis secundum se sumptæ. Altera est desumpta ex ipsis differentibus, oratione vtentibus, nempe interrogante aut respondente, quibus adiicere possumus & tertiam disputationem, quæ iustè reprehenditur & sui & vtentium ratione. In præsenti igitur literâ monstrat Philosophus, aliam esse increpationem ratione vtentium, aut respondentis aut interrogantis, ab ea quç secundum se in orationem ferenda sit. Id in primis probat increpatione proueniente respondentis causa, Dum subnectitur in literæ contextu, Plçrunque enim quòd non bene disputatur oratio, &c. Nam disputatio redditur improbanda, cùm interrogans ea rogat, quæ idonea sunt, rectèque sumpta ad positionem improbandam, quæ negat respondens, præsertim si contraria asseueret, & rationibus corroboret, propter quod reddetur disputatio proteruiens & altercatiua, non aūt dialectica. Cçterùm ne quis suspicetur, dialecticum opponentē solùm colligere vera, subiungens Philosophus ibi, Amplius aūt quia exercitationis, &c. ostendit, differentem dialecticum posse falsum concludere, & ex falsis colligere, modò sint respondenti probabilia, eò quod positiones ponantur interdum veræ, & interdum falsæ. Ex hoc aūt literæ loco depromptum est illud vulgare axioma, quædam falsa quibusdam veris esse probabiliora. Etsi id non exprimat Aristoteles, dicens, quæ non sunt, siue falsa, alicui magis videri, quàm vera. Quod nunc diximus, non ineptè accipiunt velut secūdam rationem, monstrantem orationem secundum se reprehensibilem, quod falsa sit, non esse iustè increpandam, si talis fuerit, quæ respondenti magis probabilia proponat, etsi falsa sint. Hac enim ratiocinatione dialectica facta, magis credet conclusioni illatæ, quàm adiutus, vt suæ positioni adhæreat. Id enim vult ea literæ pars, Quare ex his, quæ illi videntur argumentatione facta, magis erit suasus quàm adiutus. Deinde in litera ibi, Oportet aūt eum qui bene transfert, &c. idem ostendit ex parte opponentis. Siquidem cùm respondentis proteruia subinde cogatur interrogans de vno proposito ad aliud transmutare, obseruandum est, vt id efficiat dialecticè, id est, per probabilia, & non contentiosè per apparentiā tantùm, & cutetenus probabilia. Nam alioqui reddet orationem siue disputationem dignam increpatione. Quemadmodum igitur Geometer geometricè monstrat, quādo ex Geometriç principiis demonstrationes constituit. Sic & Dialecticus dialecticè differit, qui propositiones probabiles, siue veras, siue falsas adferet ad syllogismum cōclusionis comprobatiuum. De hac quoque re nonnihil est dictum in huius operis secundo libro. Post hæc in litera ibi, Quoniam aut malus socius, &c. Adfert Philosophus tertiam rationem, quodammodo generalem, cuius sententia est, Cùm malus sit, qui commune quoddam bonum opus impedit, manifestum est, quòd in orationibus dialecticis is malus est dicendus & increpandus, qui commune opus dirimit, vt qui disceptationis & congressus

De solutiõe 2. secundū quid, quę dicitur disputationis increpatio.

Duplex disputatio.

Alia est orõnis secūdum se increpatio, ab ea quæ prouenit respõdētis causa.

Quædā falsa quibusdā veris esse probabiliora.

Alia est orõnis secundū se increpatio, ab ea quæ fit per opponentē.

congressus dialectici occasionem aufert. Est enim & in disputationibus omnibus, prterquã in certantibus & sophisticis, idem quod proponitur & quæritur, In demonstratiuis quidem quæritur discipuli instructio, In dialecticis, veritatis inquisitio spectatur, In sophisticis aũt, victoria, quam impossibile est vtrumq; differentem assequi. Siue igitur respondens, siue interrogans, impedimentũ consequendi communis operis præstiterit, increpandus erit. Postremò in litera ibi, Quoniam aũt est indeterminatum, quando contraria, &c. quendam superioribus adijcit modum, secundum quem oratio veniat increpanda respondentis occasione. Si enim incertum sit, quæ rogata à respondente sint, veluti proposito contraria, suscepta, & quę tanquam proposito vtilia, & ob id contingat præcocella posterius negare, & prænegata confiteri. Item contraria admittere, & cõuenientia negare, eò quòd interrogata à principio plærunq; respondentes ad malum referunt intellectum, redditur increpanda disputatio. Hęc apparet Alberti esse expositio. Cæterùm Demochares hanc literam ad hunc modum explicat, Sæpe contingit malas & viciosas esse disputationes, ob id quòd non determinentur & ignota sint quando opposita, & quando ea, quæ ex principio accipiunt, vt qui omnia ponit secundum fatum esse, & quippiam liberum nobis inesse, is se dicere opposita ignorat. Et qui infinitum à seipso complecti dicit, is idem faciet finitum & infinitum. Similiter, si dicatur & ponatur, quod diuitiæ sunt bonum, & interrogans inquirat, sit ne quo bene & male contingit vti bonum, an non? si dixerit respondens, vel non, vel sic, videbitur fieri disceptatio sophistica. Nam si dixerit non esse bonum cui conuenit bene & male, non habetur simpliciter destructio positionis, quòd bonum multiplex sit. Proinde in omnibus illis causa est reprehensionis respondens, qui non vtitur distinctione & determinatione, alia concedendo, alia negando. Nam disputatio sic in confusione posita, non poterit esse proba, Hæc Demochares.

In omni disputatiõe idẽ quod quæritur cõmune, prater quã in sophisticis.

Albertus. Antonius Demochares.

Orõnis autẽ secũdũ se.

In vndecimum caput, agens de quinque orationis, per se acceptæ, increpationis modis, ipsorumq; declaratione, Scholia.

MOnstrata distinctione inter increpationẽ orationis secundum se consyderatam, & quatenus interrogatur, aut interrogationi affertur responsio, In huius capitis frontispicio explicat Philosophus quinq; modos increpandarũ reprehendendarumq; disputationũ secundum se. Est enim primò reprehendenda oratio, quãdo ex præmissis interrogatis nihil omnino concludi potest, sed sunt asyllogisticæ, siue falsæ sint, siue inopinabiles, siue quædam, siue omnes, ex quibus tanquã causis pendeat inferẽda conclusio. Insuper si neq; allatis quibusdam neq; appositis, potest concludi intentio, & simpliciter quando inepta est coniugatio & asyllogistica, quarumcunq; fuerit propositionũ, illa per se est viciosa, & reprehensione digna. Secundò est, quando syllogisticæ sunt propositiones quæcunq; fuerint, sed non conclusiuæ propositi, sicut dictum est, id est, in prima increpatione, siue sint improbabiles, siue probabiles, siue veræ, siue falsæ. Tertiò, quãdo per additionẽ potest syllogismo colligi propositũ, verũ tamen quod apponitur est deterius interrogantis & positis, & conclusione minus probabile. Quãdo enim notiora relinquuntur, & accipiuntur ignotiora, talis oratio est increpatione digna. Quartò, quãdo per ablationẽ fit syllogismus, quod cõtingit, si plures necessariis ad syllogismum (quę tantùm duæ sunt) sumantur. Quintò verò, quãdo ex inopinabilioribus & minus credibilibus cõclusione, vel ex veris sed difficilioribus ad demõstrandum, quàm problema & positio. Cæterùm pro horum ampliori intellectu, nonnulla subiungit Philosophus. quorum vno in litera assignato ibi, Non oportet autẽ, &c. admonet, non esse existimandum, quemlibet syllogismum ex quibuslibet præmissis construi, neque quoslibet syllogismos ex æquo esse probabiles & verisimiles, seu suasibiles, eò q; hæc pendeant ex prçmissarum varietate, & positionum probandarũ, aut improbandarum, certæ deteerminatæq; sint præmissæ, quæ interrogantur, quarũ quædam sunt faciliores, hoc est, probabiliores, Aliç verò difficiliores, seu minus probabiles. Quare si quis disputationẽ seu syllogismũ contexerit ex iis quę maximè sunt probabilia secundum materiæ propositæ exigentiam, is disputationẽ probè instituet. Hinc fit, quòd non eadem sit responsio orationis secundum se sumptæ, & quatenus interrogatur, quemadmodum declarat litera, & ex superioribus palàm est. Post hæc ibi, Erit autem quandoque oratio etiam concludens, &c. tradit Philosophus, non omnem orationem syllogisticè dispositam, meliorem esse omni oratione, syllogistica forma carente. Sed contrà nonnunquam fieri, vt quædam syllogistica, sit asyllogistica peior, nempe quando illa ex fatuis, absurdis, & improbabilioribus colligitur problema, quod non tale est, hæc autem quæ asyllogistica est, indiget veris & probabilibus ad problematis ostensionem, & nondum ex assumptis, veluti conclusionis causis fiat syllogistica oratio. Cæterùm ex hoc loco licet depre-

Quinque increpandæ orõnis secũdum se modi. Primus.

Secũdus.

Tertius.

Quartus. Quintus.

Dialecticorum syllogismorũ nõ prorsus eadẽ est natura.

deprehendere, aliam esse orationē per se sumptam, quæ sit increpanda, & aliam quæ ad problema confertur. Nam si oratio syllogistica sit secundum se melior non syllogistica. & asyllogistica, problematis cōparatione interdum sit syllogistica melior. non semper hæc in idem incidere valebunt. Deinde in litera ibi, Eos autem qui per falsa, &c. agit Philosophus de iis qui dissere͂do ex falsis colligunt vera, volens non semper esse iustum ipsos redarguere & increpare, ꝙ dixerint, nonnunquam falsa veris esse probabiliora. Quicunq; igitur per falsa probabiliora veris ratiocinabuntur, dialecticam obseruant legem. At si per falsa obscuriora colligerent, digni forent increpatione. Cæterùm in litera ibi, Cùm aūt demonstratio sit alicuius dicta oratio, &c. agit Philosophus obiter & in summa de demonstratione, simul explicans, quorundam terminorum simplicium significationem. Dicit itaq; in primis, ꝙ cùm demonstratio sit dicta esse determinatæ conclusionis probatiua, nempe veræ & necessariæ per prima vera, necessaria, & immediata, &c. si pro præmissa accipiatur, quòd nihil sit ad conclusionem faciens, non poterit ex eo tanquam causa illati constitui syllogismus, quę sit demonstratio. Quòd si appareat, per locum aliquem sophisticū esse illatę conclusionis causa, erit sophisma, hoc est, commentum & ratio ita composita, vt vera esse videatur. At vocabulorum significatus explicat, dicens, Est aūt Philosophema quidem syllogismus demonstratiuus, ἐπιχείρημα (quod vbiq; interpres vertit in argumentū, & argumētationem, & ratiocinationem) syllogismus dialecticus. Sophisma verò syllogismus litigatorius, seu contentiosus. ἀπόρημα (quod sub epycheremate continetur) syllogismus dialecticus contradictionis. Porrò si quis requirat alios earundem vocum significatus, consulat Quintilianum in quinto Rhetoricarum institutionum libro. Insuper in litera ibi, Si verò ex vtrisq; quæ videantur, &c. confert Philosophus præmissas & conclusionem ad seinuicem secundum probabilitatem & improbabilitatem, cuius hæc est summa secundum Alberti expositionem, Si constituatur syllogismus dialecticus ex præmissis probabilibus coalescens, quarum vna altera sit probabilior, nempe assumptio subsumptione, nihil prohibet conclusionem esse probabiliorem præmissa, quæ alterius comparatione erat minus probabilis. At si vna sit probabilis, & altera neutra, erit quoque neutra conclusio. Quòd si assumptio fuerit subsumptione magis probabilis aut improbabilior, similis erit conclusio, aut magis probabilis, aut improbabilior. Cæterùm hanc ipsam literam ad hunc modum explicat Antonius Demochares. Conferuntur & propositiones problemati varia habitudine. Nam vel vtræque sunt probabiles, non tamen æqualiter, ex quibus ipsum problema ostenditur, sed vna est magis probabilis, altera minus. Nihil certè prohibet, quòd demonstratur problema per has, vtrisque esse probabilius, cùm possibile sit, non valde probabilibus existentibus propositionibus, conclusionem valde esse probabilem. Si verò altera sit probabilis, altera neutra, id est, neq; probabilis neq; improbabilis, accedet ad naturam præstantioris. vel si vna sit probabilis, reliqua aūt non sit probabilis, sed improbabilis, consequetur naturam maioris, id est, probabilioris, seu probabilis, & non inopinabilis. Si verò similiter, id est, similes sint propositiones & æqualiter probabiles, vel non, & conclusio similis erit, vel non. Admonet idem Antonius, Græcos codices habere in exordio huius loci, οὐδ'ὲρ κωλύει δ' δειχθὲν μᾶλλορ ἑκατέρορ δοκεῖν, id est, nihil prohibet, quod ostenditur magis vtroq; videri. Post hæc in litera ibi, Est aūt quoddam & idem, &c. explicat Philosophus quendam defectum, qui in disputationibus potest euenire atq; accidere. Hanc aūt literæ partem ad hunc modum explicat Albertus, Est autē, inquit, circa argumentationes peccatum, quod tamen idem cum aliquo prædictorū est, quia est de genere increpandæ orationis. Hoc autem peccatum est, quando quis ostendit per plura, quod præmissis inest per pauciora seu minora. & per talia minora quæ insunt orationi, hoc est, argumentum, sicut præmissę insunt conclusioni quantū ad extrema, quia aliter conclusio non sequeretur. Huius exemplum est, vt si probandum sit, quòd vna opinio magis est vera vel certa quàm altera, si aliquis ad hoc probandum assumpsit, quòd omne idem de se prædicatum, magis est verum vel certum, & assumpsit ad hoc pro minore propositione, quod in opinione est idem de se opinabile, & concludit propter hoc quòd magis est opinio certa, in qua idem est de se, quàm illa in qua est aliud quoddam de alio opinatum, & sic formet syllogismum. Omne idem de se prędicatū, certius est, quàm vbi aliud de alio prædicatur, opinio qua idē de se opinatur, est in qua idem de se prædicatur, ergo est certior quàm illa, qua aliud de alio prædicatur. Et hoc sufficit ad propositi ostensionem. Vbi autē hoc opinabile, siue ad hanc propositionē opinabilem, ꝙ id quod magis dicitur de se, magis verum & certum, quæ fuit propositio maior, petitum est etiam opinionem eandem de se magis veram esse, quæ superflua sunt, & longiorem debito facientia

Nō ppetuò sunt increpādi, qui ex falsis vera colligunt.

De demōstrationis cōstitutione.

Quid philosophema.

Quid epicheirema.

Quid sophisma.

Quid aporima.

Præmissarū ad cōclusionē cōparatio secundū ꝓbabilitatē Albertus.

Antonius Demochares.

Peccatū in disputationibus vitandum.

Albertus.

cientia ratiocinationem orationi, & postea ex omnibus illis concluditur, eandem opinionem de se certiorem esse, quàm aliam. Quando enim habetur, quòd omne de se prędicatum est verius alio quodam, & quòd opinio de se prædicata, non oportet assumere opinionem eiusdem de se maximè veram esse, quia cōclusio habetur sine illo, & ideo peccatum est, & nequitia increpandæ orationis. Quæ enim posset maior esse nequitia argumentationis, quàm quæ sua longitudine & superfluitate latère facit causam consequentię, circa quam est oratio. cùm enim plurima præmittuntur, nescitur ex quibus illorum sequitur conclusio. At Antonius Demochares eundem locum hoc pacto exponit, Verùm qui per longiora & plurima quædam ratiocinari contendunt, quæ breuibus, & quasi signo manifesta euadere possunt, hi obtenebrant veritatem & fidem, quare non peccati notam effugient, vt qui velit ratiocinari & probare, ꝙ quædam opinio est magis opinio quàm altera, huius fides facilè habetur, quoniam in quibuscunq; est quippiam propriè idem, & quippiam non propriè idem, seu, si mauis, ipsissimum, & non, in his est magis & minus. At in opinione est aliquid propriè idem, & non idem, ipsissimum, & non: vel sic in paucis monstratur, Omne quod propriè & impropriè dicitur, est magis & minus, Opinio autem propriè & impropriè dicitur, Igitur opinio altera magis quàm altera. Si quis itaq; ipsum propositū per multa ostendat, quę in paucis eadem licet accipere, peccabit. Vt qui quærit, in quibus aliquid idem propriè, & non, habetur, in eisdem αὐτὸ ἕκαστον, id est, ipsum vnumquodq; maximè esse, simul accipit propriè maximè opinabile esse αὐτοαληθὲς, id est, ipsum quod verè est. quare manifestum est opinabile maximè, vt αὐτοδοξαστόν, id est, ipsum opinabile, magis esse opinabile quibusdam. At id omne quod ad magis sit, id magis dicitur esse, vt si ad scibile scientia, & ad magis scibile magis scientia dicitur. & si sensus ad sensibile, & ad magis sensibile magis sensus. Postquam igitur opinio dicitur opinabilis, & magis opinabilis dicitur magis opinio. At αὐτοδοξαστόν, id est, ipsum opinabile, quod est ipsius veri, est magis opinabile, igitur αὐτοδόξα, id est, ipsa opinio erit magis opinio, quæ est ipsius veri, quàm altera, vel magis exacta dicitur aliis opinionibus. Nam quemadmodum opinabilia non sunt æqualia, sed alia magis, & alia minus, sic & opiniones alię magis, aliæ minus. Qui autem per talia propositi demonstrationem curat, quærit opinionem quandam veram propriè. Nam petitum est αὐτοδόξαν, id est, ipsam opinionem veram esse, & αὐτοδόξαστον ipsius veri, simul αὐτοέκαστον, id est, ipsum vnumquodq; maximè esse, ex quibus conclusum est propositum, ꝙ opinio aliqua magis est opinio quàm altera, Vt ea opinio, quæ maximè vera est, exactior altera dicitur. In talibus itaq; orationibus vitium fuerit, quod longo verborum ambitu, & externa multiplicatione, conclusionis causa obtenebratur, & medium per quod fit syllogismus. Hæc Demochares. Ex quibus attentius consyderatis potest lector deprehendere, quæ sint præter necessitatem accepta in secunda ratiocinatione.

[Margin: Anton⁹ Demochares.]

[Margin: Orō autem est manifesta.]

In caput duodecimum, recensens modos, quibus oratio vera aut falsa deprehenditur, Annotatiuncula.

[Margin: Modi 3. quibus argumētatio vera & manifesta deprehēditur. Primus. Secundus. Tertius.]

POST explicatos increpandæ orationis modos. In præsentis literæ exordio tradit Aristoteles tres modos, quibus oratio vera & manifesta deprehenditur. Primus atq; notissimus est, quando ex talibus propositionibus, & sic colligit propositum, vt nihil cogatur interrogans petere à respondente, ad ostendendam conclusionem, ꝙ tam claræ sint propositiones, vt nemo sit qui non eis assentiatur. Secūdus aūt qui maximè dicitur, hoc est, qui est valde consuetus, est quando fit syllogismus ex propositionibus manifestis, non secundum se, sed per alias, quemadmodū fit quando vtimur prosyllogismis. Tertius est, quando omittitur altera præmissarum, quòd clara sit, & omnibus nota, quemadmodum contingit in enthimematicis ratiocinationibus. Deinde ibi, Falsa aūt oratio vocatur quadrupliciter, &c. aperit quatuor falsæ argumentationis modos, Quorum primus est, si videatur oratio concludere propositum, non tamen colligat, ꝙ sit asyllogistica, quæ iure optimo vocatur litigiosorū syllogismorū apparens syllogismus, quòd forma syllogistica sit destitutus. Cæterùm Alberto teste, hic modus non recensetur hic velut ad dialecticum pertinens, sed potius ꝙ numerum reddat, faciatq; in falsæ opinionis modos, & ne insufficiens videatur esse falsæ ratiocinationis partitio. Secundò, oratio falsa redditur, dum ipsa colligit ex acceptis, sed non propositum, id quod videtur maximè accidere ratiocinationibus per impossibile quippiam demonstrantibus. In ostensione enim per impossibile propositū non syllogisatur, sed tantum deductione ad impossibile facta, tandem regressus fit ad propositum, quemadmodum in Prioribus Analyticis fusius est expositum. Tertio modo est falsa oratio, quæ ex assumptis concludit propo-

[Margin: Quatuor argumētationis falsę modi. Primus. Albertus. Secundus. Tertius.]

propositum, sed non per propria proposito monstrando, siue verum siue falsum colligat. Dicitur enim ea ratione falsa eiusmodi disputatio, qua per non propria ad cõclusionem progreditur. Huiusmodi est Brissonis oratio de circuli quadratura. Ad hanc quoq; orationis falsæ formam pertinere videtur ea ratiocinatio, qua monstratur vulnus circulare difficilè sanari, ꝙ rotundum sit, quoniam figurarũ omnium capacissima sit quę est circularis, cuius rei meminit Philosophus in Posteriorũ Analyticorũ priori libro. Postremò dicitur falsa oratio, quę per falsa & immediata quid concludit, non tamen propter quid, sed quia est, Cuius aliquãdo conclusio falsa fuerit, aliquando aũt vera. Cæterùm in litera mox sequenti ibi, Quòd aũt falsa sit oratio, dicentis peccatum, &c. (In qua per dicentẽ accipiunt aliqui interrogantem, Alij ipsum respondentẽ, Nostro aũt iudicio vterq; potest intelligi) monstrat vndè profluat peccatum disputationis ex falsis constitutæ, volens orationis ex falsis falsum colligentis peccatum esse potius dicentis seu respondentis, quàm ipsius orationis. neq; enim argumentans falsa assumeret, nisi respondens falsa concederet. Addit insuper, id non semper dicentis esse peccatum, vtpote cùm latet respondentẽ, pręmissas esse falsas, & conclusum falsum esse, eò quòd eæ præmissæ per se acceptæ queant quibusdam veris esse probabiliores, & colligere falsam conclusionẽ probabilem, ex qua interimatur vera positio. Oportet enim, si ex falsa conclusione syllogismo collecta verum interimatur, veramq; vel alteram pręmissarũ omnino nõ esse, seu esse falsam. Non enim interimitur verum, nisi ex falso. & conclusione syllogismi existente falsa, necessum est præmissarũ alteram falsitati esse obnoxiam. At si ex iis falsis, quæ maximè sunt probabilia, colligatur verum, & proinde non possit verum interimi, quippe cùm verum per verum non perimatur, sed solùm per id quod falsum est, Erit huiusmodi argumẽtatio demonstratiua, hoc est, illati probatiua saltem ei, cui præmissæ falsæ probabiles maximè esse videntur. At si ex falsis, quæ improbabilia sunt, conclusio vel vera colligatur, peior erit oratio ac ratiocinatio, quàm superior, qua ex falsis probabilibus falsum inferebatur. Cæterùm hæc literæ pars clarior est in versione Boetiana, ad hunc modum habente, Quòd aũt falsa sit oratio, dicentis peccatum potius est, quàm orationis. At ne quidem dicentis semper, sed cùm lateat ipsum, quòd falsam orationẽ dixit aliquam, eò ꝙ ab ipso suscipimus cum pluribus veris quippiam amplius, si ex iis, quæ maximè videntur, interimit aliquid verorũ (talis enim existens verorũ demonstratio est) oportet sanè, positorũ aliquid non esse omnino, quare erit huius demonstratio. Si aũt verum concludat per falsa & valde absurda, compluribus deterior erit, quæ falsum syllogisant. Erit autẽ talis, & quæ falsum concludit. Post hæc in litera ibi, Quare manifestum, &c. Ex superioribus recolligit numerũ orationum falsarũ, simul subindicans quo pacto sunt diluendæ. Cuius quidem literæ summa est, Manifestum est quę inquisitio debeat esse, cùm oratio dinoscitur falsa, quoniam prima consyderatio debet esse ipsius orationis falsæ secundum se, an colligat ex propositionibus assumptis, quòd si sic res habeat, respondendum eam non concludere, ꝙ in syllogistica forma deficiat. Secunda est, Vtrùm veram vel falsam ex propositionibus positis colligat conclusionem. Tertia, Postquam verum concludit, ex qualibus propositionibus connectat. Nam si talis oratio sit ex falsis vel probabilibus colligens, quæ appareant respondenti, talis syllogismus rationalis & dialecticus dicitur. Si verò colligat ex veris & existentibus, quæ non videntur respondenti, mala & vitiosa est. At si falsæ sint propositiones & valde simul inopinabiles, vel apparentes condisserenti, manifestum quòd ea oratio simpliciter & omnino vitiosa est, vel ad rem propositam inepta. Nam si problema non fuerit inopinabile & falsum, quæ ex falsis inopinabilibus disputatio conflaretur, praua erit ad rem. Quòd si problema fuerit falsum & inopinabile, oratio quæ sit per falsa & inopinabilia, simpliciter erit inepta.

Quartus.

Quomodo respõdendũ ad orõnes falsas.

Id aũt qđ in principio.

In decimumtertium caput, consyderans de modis petendi principium & contrarium, Scholia.

Quoniam orationibus, disputationibúsve, defectus atque falsitatis nonnihil adfert principij & contrarij petitio, iccirco instituit præsenti capite pertractare de vtriusque petitione, in exordio indicans, esse duplicem principij petitionem. Vnam secundum veritatem, de qua quidem se pertractasse testatur in secundo Priorum Analyticorum libro, cùm diceretur Petere quod in principio est, esse non ostendere propositum, idq; fieri multipliciter. Aut quando omnino non syllogisatur, Aut quando syllogisatur, sed per ignotiora, aut æquè ignota, aut per posteriora, id quod prius est. De quibus sanè modis eo in loco fusius egimus. Altera est principij petitio secundum hominũ opinionẽ, de qua hic agit, ipsius quinque modos recensens, Atq; horum vnus primum locum occupans, ꝙ sit manifestissimus, est, si

Duplex principij petitio.

Vna secũdũ veritatẽ.

Altera secũdũ hoĩm opinionẽ, cuius v. sunt modi.

Primus.

ex no-

ex nomine & re idem ad sui approbationem adferatur, vt est, si Cicero est orator, Cicero est orator. Hęc petitio alibi vocata est petitio statim, hoc est, cuius hominum cognitu facillima. At si vniuocorum, hoc est, polyonimûm seu multiuocorum, quorum res significata vna est, & eadem definitio, vnum per alterum monstratur, committetur principij petitio magis latens, vt Marcus flos fuit & tuba Romani eloquij, ergo Tullius fuit flos & tuba eloquij Romani.

Secũdus. Secundus modus est, cùm ex vniuersali problemate colligitur particulare. vt omnium oppositorum eadem est disciplina, igitur omnium contrariorũ vna est disciplina. Nam quod per se probandum est, vnà cum reliquis consimilibus in eo vniuersali problemate continetur.

Tertius. Tertius ediuersò & secundi conuersiuus, prouenit si ex singularibus minusq; communibus argumentemur ad vniuersale, vt omnium contrariorum eadem est disciplina. Item & omnium relatiuè, contradictoriè, & priuatiuè oppositorũ, Igitur omnium oppositorum eadem est disciplina.

Quartus. Quartus est, dum constituitur argumentatio à diuisis ad coniuncta. Exemplum autem Aristotelis, accipit diuisa & coniuncta in casu obliquo.

Quintus. Quintus est, dum conuertibilium vnum per alterum ostenditur. vt rationale est candidum, igitur homo est candidus. latus est incommensurabile quadrati diametro, igitur diameter est incommensurabilis lateri quadrati.

Obiectiõis dilutio. Quòd si quis obiiciat, In omni demonstratione vel potissima terminos esse conuertibiles, & inter dialecticos locos recensitos esse locos a definitione conuertibili, a partibus in quantitate ad totum, & contrà. Respondebimus ex ipso Aristotele, frequenter hos ratiocinandi modos non continere secundum veritatem principij petitionem, si ex prioribus & notioribus proficiscantur ad posteriora & ignotiora, sed duntaxat in ipsis secundum opinionem consistere, hoc est, videri admittere principij petitionem. Neq; enim absq; ratione præfabatur Aristoteles, se dicturum de principij petitione secundum opinionem.

Petendi opposita modi quinque. Post hæc in litera ibi, Aequaliter autem & cõtraria petunt ei quod ex principio est, &c. Enumerat Philosophus itidem modos, quibus accidat petere contraria, hoc est, opposita seu repugnantia.

Primus. Primus est, secundum quem petuntur opposita secundum affirmationem & negationem. vt esto principium, omnium contrariorum eandem esse disciplinam, Si rogetur, vtrùm non omnium contrariorum eadem sit disciplina, petitur oppositum secundum contradictionem. quòd si detur, destructum est propositũ. Sin verò non, principium consistit ac permanet.

Secundus. Antoni⁹ Demochares. Secundum modum hac pacto explicat Demochares, Secundum fuerit acceptio contrariorũ ad contrariorum positionem & syllogismum contrariorum, vel secundum ea quæ oppositæ contrariantur.

Heraclitus. vt qui defendit cum Heraclito, bonum & malum esse idem, is in ipsum congressurus inquiret, sitne sanitas vtilis cui adest subiecto, morbus verò inutilis? Quòd si sanitas sit vtilis adueniens subiecto, ea est bonum, & morbus inhærens subiecto malum. At quæcunq; in eodem subiecto eadem, & ad inuicem sunt eadem. Bonum autem & malum sunt in eodem subiecto, igitur sanitas est vtilis & morbus.

Albertus. Albertus autem hunc sensum reddit, Secundo modo petitur contrarium, si quis petat contraria secundum oppositionem contrarietatis dicta, vt si quis petat, an bonum & malum idem sint, hoc est, vnum in altero.

Tetius. Tertius modus est, si posito vniuersali, petatur oppositum in particulari. vt esto positio, omnium contrariorum eandem esse disciplinam, si rogetur, an sanatiui & ægrotatiui sit diuersa disciplina, tertius modus committitur. Hunc autem modum a primo quidam differre arbitrantur, quod hic sit tantùm in contradictoriè oppositis, & magis latens petitio, Ille verò est in omni oppositione secundum affirmationem & negationem, & minus latens.

Quartus. Quartus econtrà accidit, si posito particulari oppositum petatur in vniuersali, vt si positum sit ægrotatiui & sanatiui eandem esse disciplinam, quæratur vtrùm nullorum contrariorũ eadem sit disciplina.

Quintus. Quintus fit, aut quando petitur contrarium conclusionis, quæ ex necessitate accidit ex præmissis, eò quod ipsæ sint, Aut quando petuntur non opposita, sed disparata, ad quæ necessum est sequi contradictoria.

Quid discriminis intersit inter principij & contrarij petitionem. Postremò in literę calce ibi, Differt aũt contraria, &c. reddit Philosophus hoc discrimen inter principij petitionẽ, & petitionẽ contrarij seu oppositi, quod illa peccatum sit conclusionis, seu ad conclusionẽ relatum, Nam quod debet concludere & ostendere, petit. At hæc est præmissarum assumendarum ad syllogismum, quæ aliquo dictorum modorum sese habent.

In decimumquartum caput, tradens nonnulla documenta super dialectica exercitatione, Annotatio.

Ad gymnasiũ aũt. EXpeditis iis, quæ ad dialectices artem pertinent, quatenus obuiatiua est, siue ea attineant ad disserentes, siue ad orationes quibus disseritur, hoc decimoquarto & vltimo huius libri capite, aperit explicatq; Philosophus quibusdam documentis, dialecticam exercitationibus maximè esse accommodam, idq; cõgruo ordine. Nam quemadmodũ in artium me-

chanicarum

Pro dialectica exercitatione præcepta quindecim.

chanicarũ qualibet prius præcipiuntur, quæ ad opus ipsum efficiendum pertinẽt, deinde adijciuntur quæ iam operari scientes promptos reddere valeant, Sic & quæcũq; de interrogationis & responsionis modis præcepta sunt, videntur destinata, vt differentes nobile inire certamen possint, id quod nequeant assequi inexercitati. In literæ autem exordio constituitur primum præceptum huiusmodi. Ad exercitationem plurimum confert assuetudo conuertendi orationes & syllogismos, hoc est, ipse conuersiuus syllogismus, de quo actum est in 2. Priorum Analyticorum. Nam vius syllogismi conuersiui admirabilem quandam copiam parit, cùm per illum promptus quis efficiatur, admodum paucis habitis ad differendũ in multa, id quod palàm est ex loco mox allato. Nam si dati syllogismi conclusio collecta vniuersalis fuerit, quadruplicem constituere poterimus syllogismum conuersiuum. Sin verò particularis, duplicem.

Primum.

Deinde in litera ibi, Ad omnem autem positionem, &c. assignatur secũdum præceptum, quod est, Ad parandam exercitationem plurimum adiumenti adfert, si differens, absente eo quo cum differat, apud semetipsum ad propositę positionis qualis qualis fuerit, vtrãque contradictionis partem argumenta inquirat, & ex inuentis conflet ratiocinationes positionis constructiuas, & destructiuas, quas diligenter examinet, discutiatq; vtra sit probabilior. & post hæc harum rationum solutionem scrutetur. Sic enim accidet, eum exerceri & promptum esse, & ad interrogandum, & ad respondendum.

Secundum.

At tertium præceptũ designatur in litera ibi, Et ad cognitionẽ & secundum philosophiam prudentiam, &c. cuius summa est, Tanta vis est præparationis in vtramq; partem contradictionis, siue posse inspicere & conspexisse quæ vtrinq; accidunt, vt non tantùm ipse interrogans compellere possit respondentẽ verum fateri, sed & cognitionem assequi valeat, & eam, quæ est secũdum philosophiam prudentiam seu peritiam, hoc est, veri cognitionem (totius enim Philosophię conatus, veritatis sciendę gratia suscipitur) Et cum ipsa facultate vtraq; pars contradictionis argumentis agitari valeat, nihil amplius ad alteram partis veritatem accipiendam requiritur, præter iudicium, quo eligatur rectè alterius partis veritas. Verùm ad bene iudicandum & veri electionem, oportet boni esse ingenij. Is enim verè est dextri ingenij, qui verum apprehendere & deligere potest, & falsum omittere & fugere, cùm res in ambiguo est collocata. Bene natos autem hos esse oportet, qui bene iudicare & facere possunt. Nam tales amant quod bonum & rectum est, & odiunt quod turpe est & obliquum. Quare eorum quæ proferuntur & in vtramque partem proponuntur, quod optimum fuerit sequentur, bene discernent, verum iudicabunt, & falsum repudiabunt.

Tertium.

Post hæc in litera ibi, Et ad ea quæ sæpe incidunt problemata, &c. collocatur quartum documentum, cuius sensum explicat Albertus hoc modo, Eum qui exercitatus esse voluerit, oportet scire orationes disputatiuas, valentes ad ea problemata quæ sæpe incurrunt. hæc enim communia sunt, & ad multa valentia, & maximè de primis positionibus, quibus vtimur ad alia tanquam principijs. In his enim propositionibus sæpe contendunt ipsi respondentes cum opponentibus. At huius præcepti sententiam latius aperit Antonius Demochares his verbis, Ad promptam, inquit, differendi facultatem plurimùm conducunt rationes hæ, quæ deducuntur ad communia & consueta problemata. Non enim ex æquo vulgariter omnia defenduntur. Verùm sunt positiones & problemata, quæ à quouis fermè sustinentur. in talia itaq; argumenta præmeditata prompta, omnem tarditatem, & differẽdi auferent difficultatem. Ita vt nullus hęsitandi in congressibus detur locus. Idq; maximè faciendum est ad primas positiones, id est, ad principia constituere rationes crebras oportet, & scire quòd difficile sit ad illa abundare argumentis, nisi quis prius præmeditetur, quòd vel per prima vel probabilia veniat disceptandum. At neutrum feceris, nisi præmeditata ratione. Simpliciter videntur multo magis præparandæ rationes & discutiendæ in rem vulgarem, quæ positionem constituit difficiliorem, quàm in aliam facilis impugnationis consuetam, quod in illam non nisi magno sudore contingat sæpe quemcunque differere, vel ob id quòd rationes non offendantur pro voto in talem, vel quia respondentes nolunt respondere, & cunctà fastidiunt, quod verbum [illegible] repræsentat. Quædam enim fuerunt antiquorum positiones, quæ principijs ipsis prorsus repugnabant, vt Antisthenis, qui non esse contradictionem defendebat, & Heracliti, qui omnia semper moueri, & Zenonis, qui nihil moueri contendit. Quare oppositæ illis opiniones, positiones facient de principijs, in quæ non fuerit facile ad destructionem inuenire argumenta. Hactenus Demochares.

Quartũ documentũ, rationes ad cõsueta pblemata tenendas.

Albertus.

Antoni⁹ Demochares.

Antisthenes

Heraclitus.

Post hęc in litera ibi, Amplius definitionum, &c. redditur quintum præceptũ huiusmodi, Vtilis est dialectico definitionũ abundantia, tum probabilium, tum primarũ, quas habere promptas & ad manum tenetur. Nam ex definitionibus rationes coalescunt fortissimę, non tantùm in dialecticis

Quintũ, definitiões tractandas esse

6. Maximè scienda esse principia.

cticis, sed & in sensibilibus. Deinde mox cùm subnectitur, Tentandum autem & ea in quæ sæpissimè incidunt disputationes, &c. sextum designatur præceptum, cuius sententia est hæc, Tenendi sunt maximè illi loci, qui cõmunes dicuntur, per quos disserere licet ad multa problematum genera. Nam in tales incidunt rationes plurimæ, vt sunt illi qui sæpius oportunissimi sunt vocati, à casibus, à coniugatis, à generationibus & corruptionibus, à maiore & minore. Nam quemadmodum in Geometria circa elemẽta & principia exerceri oportet ad theorematum & conclusionũ demonstrationes, & in Arithmetica circa capitales numeros promptè se habere conuenit, quòd per illos exercitium fiat, quibus cæteri cognoscuntur per multiplicationem. Sic in disputationibus dialecticis promptè se habere oportebit ad locos communes, & principia atq; propositiones, quas memoriter scire debebit. Quemadmodum enim in memoriæ sensorio singulæ res pulchro ordine & consequẽte ad seinuicem constitutæ, bene memorabiles sunt. quæ verò nullum habent ordinem, prauè & difficulter, Sic & loci statuta lege ordinati plurimum iuuant ad memoriam locorum, & proinde ad syllogismos conficiendos, eò quòd loci numero sunt determinati, quos inspiciunt, qui exercitij copiam quærsit. At propositiones propriè secundum locos desumendę, ex quibus coalescunt syllogismi, non sunt numero determinatæ, atq; ob id minus memoriæ inhærẽtes. Porrò numeri capitales (quorum litera meminit) numeri sunt primi & pręcipui, consurgentes ab vnitate ad denarium vsque, ex quorum mixtione & multiplicatione cæteri procreantur, vt 12. ex 10. & 2. Ex 9. & 3. Item ex 3. & 4. Ex 7. & 5. Et ex duobus senariis. & sic deinceps in aliis numeris. Insuper ibi, Et propositionem communem magis quàm orationem, & cætera. collocatur septimum documentum, cuius sensus est, Oportet propositionem communem, id est, locum magis quàm orationem seu syllogismum memoriter tenere. Nam qui scit communem locum, pluribus abundabit ad disserendum, quàm qui syllogismum habeat, quòd ex vno loco ad multa problematum genera trahantur variæ rationes. At qui syllogismum habet, tantùm ad id, cuius est syllogismus contẽdere potest. Ast principij & hypothesis, hoc est, propriarum præmissarum & singularum positionum mediocriter promptos esse, est difficile. Verùm per principium & hyothesim accipit communẽ propositionem. Difficulter (inquit) est abundare mediocriter principio & suppositione, hoc est, propositionibus communibus, quę sint principia ad disserendum in problemata. Principium enim & suppositionem intelligimus locos communes, quòd per demonstrationem non ponantur. Deinceps in litera ibi, Amplius orationem vnam plures facere, statuitur octauum pręceptum, monens vt assuescamus orationem vnam plures facere, hoc est, vnam propositionem vniuersalem accipere, & in multas partes distribuere. Cuius quidem præcepti declaratio, similis est illi documento, quo propositi celandi gratia instruebamur, discedendum esse ad maximè vniuersalia propositum complectentia, cuiusmodi est, plurium non esse eandem disciplinam. Post hæc in litera ibi, Oportet autem & reminisci, vniuersales facere orationes, &c. redditur nonum præceptum, quo hortatur vtile ac accommodum esse, etiam si particularis fuerit positio, vt disserens in vniuersalem transferat, vt posita hac, Boni & mali est eadem disciplina, eam conuenit transmutare in vniuersalem, vt hanc, Omnium oppositorum est eadem disciplina. Sic enim contingit orationes plures facere vnam. At idem disputans & interrogans quàm maximè fugere debet, ne faciat syllogismos, qui suo aduersentur vniuersali, Id autem est quod insinuat ea literæ pars, Ipsum autem quàm maximè fugere contra vniuersale ferre syllogismos. Verùm Albertus hanc particulam sic explicat, Eundem opponentem oportet quàm maximè fugere siue discedere in vniuersali, & multos oportet syllogismos siue prosyllogismos ferre. At in litera ibi, Et semper oportet consyderare orationes, si in pluribus communibus disputantur, &c. (Nam in veteribus translationibus dictio communibus omissa est) decimo documento admonet interrogantem, vt orationes & syllogismos factos diligenter excutiat, consyderetq; an vniuersales propositiones habeant. Nam necesse est, omnẽ syllogismũ ex vtrisque præmissis vniuersalibus vel altera vniuersali coalescere. Ex particularibus enim nullus constituitur syllogismus, super qua sanè re in Prioribus Analyticis abundè dictum est. Post hæc mox ibi, Exercitatio autem facienda, &c. additur vndecimum præceptum, quo insinuat, contra quos exercitatio habenda sit, & quibus propositionibus, volens quòd cùm sint duo disputandi modi, nempe inductiuus & syllogisticus, is qui est inductiuus, & proinde exercitatio inductiua, in rudes conueniet. Pro quibus formandis parabolæ seu similitudinis partes, & id genus alia ipsis notiora sunt quærenda, At alter qui est syllogisticus, in expertos quadrat, quibus probè cognitæ sunt propositiones vniuersales syllogisticæ, & ad syllogismum

Qui numeri capitales.

7. Magis locũ esse tenẽdum quàm syllogismũ.

8. Vniuersale in multa distribuendum.

9. Particulare in vniuersale traducendum.

Albertus.

10. Consyderanda vniuersalia.

11. Vtrunq; disserẽdi genus tenẽdũ.

vtiles ac necessariæ. Insuper in literæ decursu ibi, Omnino autem exercitationis gratia, &c. duodecimo præcepto aperit, exercitanti cognoscendum esse, ex quibus sit differendi facultas, dicens vniuersaliter in omnibus congressionibus & exercitiis dialecticis oportere interrogantem adferre syllogismum ad problema vel propositionem aliquam ad id vtilem. Respondentem verò itidem tenere vel solutionem syllogismi, vel ad propositionem instantiam, eò ex illis est differēdi facultas, cuius gratia exercitatio suscipitur. Nihili quoq; referre, vter rectè vel malè de re aliqua dicat, siue interrogans, siue respōdens. Cæterùm quoniam confusè in hoc præcepto illa quatuor coniunxit, syllogismum, propositionem, syllogismi solutionem, & instantiam, non indicans speciatim, vtri differentium parti sint tribuenda, subiecit Philosophus, dum dicit, & maximè circa propositiones & instantias, decimumtertium præceptum explicans, quid & interroganti & respondenti specialiter sit attribuendum. Huius autem documenti hæc est sententia, Quanquam differendi facultas circa plurima versetur, & occupata sit, maximè tamen circa propositiones & instantias, sub quibus nostro iudicio subintelligenda veniunt syllogismus, & syllogismi solutio. Nam propositio iccirco affertur, vt tandem ab interrogante constituatur syllogismus. Instantia verò à respondente opponitur, vt syllogismi alioqui conflandi adhibeatur solutio. Aliàs enim perperàm in primo huius operis libro dixisset Aristoteles, de syllogismo dialectico loquens, hunc quærimus secundum propositum negotium. Ad hunc quoque modum intelligendum venit quod subiungitur. Est enim, vt simpliciter dicam, dialectici, proponere & instare. At pro huius clariore intelligentia explicat Philosophus, quid sit proponere, quidue instare. Est autem (inquit) proponere, vnum facere quæ plura sunt. Oportet enim vnum omnino sumere, ad quod est disputatio. Instare autem, quod vnum est plura facere, &c. Hæc Aristotelis dicta duplicem recipiunt interpretationem. Vna, quam tradit Albertus, est eiusmodi, Est (inquit) proponere, ea quæ in particularibus sunt plura, in vniuersali facere vnum, ad quod est disputatio. Instare verò, quod vnum est in vniuersali, facere plura in particularibus, per quæ fertur instantia. Instans enim primò diuidit vniuersale in particularia, aut interimit vniuersale per particulare, hoc particulare concedens, non autem illud, quo instando vniuersale interimitur. At aliis placet, proponentem ideo vnum facere, quæ sunt plura, quòd syllogismo colligit & vnit, quæ dispersa quasi videntur, & dissociata. Porrò superioribus præceptis, quibus monstratur quo pacto assequi queamus differendi copiam & exercitationem, adiicit decimumquartum, quo nos instruit, quibus cum neque dialecticè sit differendum, neque ineunda exercitatio. Hi partim sunt morosi & discoli, & partim sophistæ, etsi veterem totam translationem solis discolis tribuat Albertus. Nam si cum morosio ac discolo differendum sit, & exercēdum, necessum erit prauas fieri disputationes, quas vitare oportet dialecticum, vt in huius secundo libro testatus est Philosophus. Sunt quoq; huiusmodi, qui etiam summè probabilia respuunt, & quibus vniuersa negandi cura est, aduersus quos iustum quidem est syllogismos adferre illos reuincentes, non tamen est pulchrum ac honestum. Nam (quemadmodum in huius primo libro dicebatur) de quouis contraria opinionibus proferente curam habere, aut de opinionibus, de quibus habemus rationem contrariam, stultum est. At quoniam Sophistæ alium spectant scopum, quàm Dialectici, nempe videri sapientes, & non esse, hi tanquam indigni quibus cum disseratur, fugiendi sunt, & omittendi. Cæterùm ne hos prorsus negligamus, postremò adfert vltimum documentum, quo iubet nos habere aduersus discolorum interrogationes factos & paratos syllogismos, siue locos conficiendorum syllogismorum, per quos, velut numero minimos, & si virtute maximos, & ad plurima vtiles, copiosi & abundantes habeamur, & data fortassis oportunitate, qua liceat expediátve cum ipsis differere, eos conuincamus. At hæ orationes sunt illi vniuersaliores loci, quibus abundare statim est difficile, eò quòd pauca admodum sunt, ex quibus possunt desumi.

12. Ex quibus facultas differēdi sit, cognoscendum.

13. ab interrogāte habēdas esse propositiones, & à respondente instantias.

Alberti interpretatio.

Aliorū expositio.

14. Non cū omnibus cōgrediendū.

Quo pacto cū Sophistis agendū sit.

15. Studēdum habere syllogismū ad vniuersale.

τέλος.

IN

IN LIBRVM ELENCHORVM
PRAEFATIO.

Quare dicẽdũ de syllogismo litigioso.

TRes sunt syllogismorũ species, quæ peculiarẽ tractatũ requirere videtur, Demõstratio, Syllogismus dialecticus, & Syllogismus litigiosus, siue Sophisticus. De demõstratione dictum est in Posterioribus Analyticis, De syllogismo dialectico in Topicis. Restat igitur vt de syllogismo litigioso seu sophistico dicatur. Non tamẽ ea de causa, vt ipso vtamur sicut aliis duabus speciebus. Nam demõstratio & syllogismus dialecticus scientiarũ instrumẽta sunt & opera, sine quibus neq; discere quicq;, neq; docere conuenienter possumus. Litigiosus verò seu sophisticus syllogismus, perturbatio impedimentũq; scientiarũ est. quare de hoc dicendũ, non vt vtamur, sed ne decipiamur ab eis qui vtũtur. Sicut enim medici non solùm quæ conferũt ad sanitatẽ docẽt, sed etiam indagãt explorãtq; venenosa pharmaca, vt fugiãtur. Eodẽ modo oportet eos, qui omninò in veris ac probabilibus sunt exercitati, etiã de iis inquirere quæ apparẽtia sunt dũtaxat, ne per ea sibi patiãtur illudi, aut per se quippiam inquirẽtes, aut cum aliis disserẽtes.

Intẽtio Aristotelis.

Est igitur intẽtio Arist. hoc libro docere, quomodo sophistæ cõficiant apparẽtes elẽchos, quibus fallãt imperitos, vt sapientes videantur, quot intendãt ex suis sophismatis, & ex quibus locis ea depromãt, vt his perceptis tandẽ ostẽdat, qua ratione cõuenienter dissolui queant. Nam fieri nequit, vt aptè vinculũ soluat, qui nescit qua ratione fuerit vinctum. sed qui habet notitiam vinculi, facilè deprehendet, qualis sit inferẽda solutio.

Rodolphus Agricola.

De hac re elegãter disserit Rodolphus Agricola 2. lib. de inuẽtione dialectica, cap. 2. Dialecticen (inquit) vtilem esse certũ est, si falli, decipi, vera pro falsis, falsa pro veris accipi, inutile putamus. fallit tamen nonnunq; dialecticus, & pro veris falsa tradit. Euenit id quidẽ, sed & nauem gubernator euertit, & medicus aliquãdo perimit. Hominum sunt ista, non artium. Atq; vel eo magis fatendũ erit, vtilẽ esse dialecticen. cùm & qui oratione seducũt, astu id persæpe, nulla etiam instructi arte faciant. & qui fallitur, si artem calleret, vel nequaq̃ id, vel minus vtiq; pateretur. Sanè sicuti reliquę artes, quæ remedio sunt inuẽtæ humanis necessitatibus, nõ potuerũt succurrere incõmodis, nisi prius ea detegerẽt. Sic dialectica cùm magna ex parte in eo sit posita, quo pacto laqueos captionũ fraudũq; in dicẽdo vitemus, necesse habuit aperire insidias, & ostendere, quàm variè quis capi possit, Quæ si quis inde deprõpta vtenda sibi putauit, non artis hoc est culpa, vitare fugienda monstrãtis, sed improbitatis sectari vitãda cupientis. Aperienda enim sunt, vt caueantur mala. At nemo artifex tantũ remedia nouit. Hactenus Rodolphus.

Materia huius libri.

Materia huius libri, seu subiectum quod attributionis vocãt, quibusdã videtur esse syllogismus sophisticus, cuius definitio in primo Topicorũ est reddita. Passionẽ verò, siue proprium eius vulgò assignãt esse generatiuum deceptionis, Cui sentẽtiæ fauere videtur primum caput huius libri, quod toties sophistices meminit. Alij verò assignãt Sophisticũ elenchum, Nam Arist. huic libro titulũ fecit, de Sophisticis elenchis. Titulus aũt ferè breuis totius libri cõprehensio est. Ex quo colligunt, sophisticũ elenchum totius libri esse materiam. hanc partẽ diligẽter tuetur Egidius Romanus, quæ an magnopere discrepet à priore, studiosis inquirendum relinquo.

Egidius Romanus.

Cur Arist. nõ instituit tractatũ de syllogismis falsigraphis.

Illud aũt videtur admiratione dignũ, cur Arist. potius instituerit peculiarẽ librum de litigiosis syllogismis, qui dialectici apparẽt & non sunt, quàm de falsigraphis, qui cùm demonstratiui non sint, demonstrationis tamen speciem præ se ferunt. Nam quemadmodum disciplina demonstratiua index est recti & obliqui, seu verę demonstrationis & apparentis. sic etiam Dialectice videtur ostensiua esse argumentationis verè probabilis & apparentis, quia scientia omnis contrariorum est.

Responsio.

Responsio. Demonstratio certa lege constat, qua probe cognita citò arguitur quod simulat. Dialecticarũ, verò argumentationũ tanta est varietas, vt nulla possint regula sufficienter cõprehẽdi, ac discerni ab eis quæ tales apparent, & non sunt. Deinde nemo falsigraphum cõfecit, nisi ex ignorãtia & sine lege. Ipsa verò sophistice tẽpore Platonis & Arist. tanto studio ab ingeniosis hominib⁹ tractata est, vt non minori arte cõstare videatur, quàm dialectice. & ideo aperiendæ fuerunt eius technæ ac loci, ex quibus petuntur sophismata, vt possint aptè dissolui.

Huius libri Elenchorũ diuisio.

Porrò hic elenchorum sophisticorũ liber, etsi apud Gręcos vnicus sit ac singularis, Latini tamẽ cõmẽtatores eum in duos libros partiri consueuerũt. Prior cõmonstrat, quo pacto sit constituendus construendusq; sophisticus syllogismus, & quæ sint ipsius principia, & cõmunia, & propria. Posterior aũt tradit dissoluendarũ sophisticarũ ratiocinationũ modos, quẽadmodũ ex sequẽtibus palàm erit. Hactenus de iis quæ nobis videbãtur præfanda. Si quæ verò alia sint, quæ lector hoc in loco desyderaret, ea ex prioribus libris sunt eruenda, aut ex dicendis facilè cognoscentur.

In prioris

In prioris libri Elenchorum

SOPHISTICORVM PRIMI TRACTATVS,

de iis tractantis, quæ commoda sunt ad sophistici elenchi assequendam cognitionem, primum caput, quod Aristotelis procœmium continet, scholia.

De sophisticis autē elēchis.

IN præsentis literę exordio quadam procœmiali propositione indicat Philosophus, quorum suscepturus sit tractationem. De sophisticis autē, inquit, elenchis, & de iis quæ videntur elenchi, sunt autē paralogismi & non elenchi, &c. In qua quidem propositione nostro iudicio per sophisticum elenchum & paralogismū siue parelenchum, iidem veniunt syllogismi accipiendi, nempe ij, qui videntur elenchi, & re vera huiusmodi nō sunt. Et proinde posterior pars, prioris est explicatiua.

Procœmialis propositio.

Qui sint elēchi sophistici & parelēchi.

Sunt autē elenchi sophistici & parelenchi, qui apparent esse elenchi, non sunt aūt, cuiusmodi existūt quicunq; in materia, aut forma duntaxar, vel vtroq; deficiunt, modò adferantur tanquam cōcludentes staturę positionis contradictorium: quæ nō adijcerētur a nobis, si liberet nonnunq; accipere elenchū, vt prætermissa particulari connotatione, idem foret cū dialectico syllogismo. Sunt aūt syllogismi in materia tantū peccantes, sophistici syllogismi, quòd non probant quod colligunt. Similiter & in sola forma deficientes, quòd syllogisticā non seruent formam. Insuper & in vtroq; peccantes, quòd vtrâq; priuentur. At paralogismi dictionis Græcæ loco vertit Boetius captiosæ rationes, ex quo valebit quis deprehendere, nomine paralogismi eum syllogismū intelligi, qui dialecticus apparet & non est. Porrò quibus non placet hæc nostra interpretatio, Alberti, Egidij Romani, consulat cōmentarios, fusius hoc Aristotelis dictū explicantes.

Quę sint secundū naturam priora.

Cæterùm dum in eadē præfatione dicitur, Incipientes a primis secundum naturam, per secūdum naturā priora, sunt accipienda cōmuniora, Quanquam nihil periculi euenire videamus, si per priora intelligamus ea, quę naturali ordine pręeunt. Incidit enim in eadē vterq; ordo, & naturæ & doctrinæ, quēadmodum alicubi sumus testati.

Quō ordiatę Philosophus à primis secūdū naturam.

Orditur aūt a secundum naturā primis Alberti sententia, aut quoniā prius ostendit, quòd sit syllogismus sophisticus, quę quidem quæstio an est, cæteras quæstiones scibiles, quid est, quale est, & propter quid est, natura est prior, aut quia prius agitur de metis finibusq; sophisticarū ratiocinationum, quæ & si generatione posteriores sint, intentione tamen naturâq; sunt his priores. Possemus addere, aut quoniam prius summatim, deinde specialiter de fallacijs determinat.

Egidius Romanus.

Egidius autē Romanus per priora secundum naturā accipit cōmuniora elementa seu locos sophisticos, & metas, inter quas pręcipua redargutio nūcupatur. Hactenus super procœmiali propositione. Porrò quoniam veterum nonnulli, inter quos quarto Metaphysices connumerat Pythagoram Philosophus, autumabāt, quicquid alicui apparet, verū esse: & proinde omnē apparentem syllogismū & elenchū re vera esse elenchum.

Bimembris syllogismi & elēchi partitio.

In litera subsequente ibi, Quosdam autem esse syllogismos, alios aūt videri, vna diuisione bimembri proponit, quosdam syllogismos dialecticos & videri & esse verè eiusmodi. Alios autē videri tales, & non esse tales. Simili quoq; modo de elencho ferenda est sententia. Prius huius partitionis membrū, quòd omnibus receptum sit, nulla confirmat ratione.

Albertus. Aquinas. Egidius.

At ad posterioris approbationem tres adfert rationes, quibus vult Albertus, Aristotelem monstrare syllogismū sophisticum esse. At Thomæ & Egidio apparet, si modò Aristotelica deductio diligenter excutiatur perpendaturq;, quòd ostendatur sophisticus elenchus esse descriptorius, siue erroris deceptionisve adgeneratiuus, quod ipsius diximus esse quādam proprietatem.

Prima ratio

Harum itaq; rationum prima a rebus ipsis desumpta, ibi redditur. Nam quēadmodum in rebus, &c. In qua per habitum, intellige habitū scientiæ & virtutis: & per decorem, natiuā pulchritudinem. Insuper argyritis & lithargyrium spuma est argenti, quasi q̄ sit in lapidem cōpacta argenteum (Est enim Græcis λίθος lapis) At lithargyrus, lapis est argētelis.

Plinius.

Ponit enim Plinius, lapidem quē cotulam appellant emētiri argentū, qui olim in Tmolo flumine reperiebatur, nunc verò passim, quē alij heraclium, alij lydium vocant.

Secunda ratio.

Cæterùm hæc literæ portiuncula, in Boetiana versione post græcū codicem ad hunc modum legitur. Et in inanimatis quoq; similiter: Nam & illorū hoc quidem argentū, Illa verò aurū re vera sunt. Illa non sunt quidem, apparent autē secundum sensum, vt lythargirina & stannea, argentea. & felle tincta, aurea. Quod de fellę tinctis dicitur, accipit Albertus de iis quæ infecta sunt cro-

 ceo felle

ceo felle canino. Cæterùm secūda ratio ibi traditur, Videntur quidem propter imperitiam, &c, ex quo loco consueuerunt depromere hanc elenchi seu redargutionis succinctā finitionē. Elenchus est syllogismus cum conclusionis contradictione, hoc est, syllogismus dialecticus colligens contradictorium positionis, quam tuetur is qui munere respondentis fungitur. Et proinde palàm est, elencho ob peculiare connotatum adiectum syllogismū esse communiorem.

Elenchi succincta definitio.

Ratio tertia

Post hæc in litera ibi, Sed videntur ob multas causas, &c. assignatur tertia ratio sumpta ex locis sophisticis. Nam nomine loci per nomina, intelligēda venit fallacia æquiuocationis, quæ quidem fallacia inter cæteros in dictione locos maximè idonea est & cōmunissima, & ad constituendos sophisticos syllogismos, & ad decipiendum, eò quòd actuale multiplex complectatur, cuius particeps est locus amphibologiæ, reliquis in dictione fallacijs retinentibus multiplex aut potētiale, aut phantasticū. Cum itaq; plurima sit penes nos æquiuocarum dictionū copia, facilè fuerit penes æquiuocationis locū cōstituere paralogismū, qui videbitur elenchus ei, qui arbitrabitur, id quod in nominibus accidit, in rebus quoq; accidere, id est, φ quemadmodū vox est vna in se, sic etiam rei vnius tantū sit significatiua. At illius particulæ textus, Veluti per numeros ratiocinātibus contingit, cuius loco legit Boetius, quēadmodum ijs, qui calculis supputant. Hunc sensum reddit Egidius Romanus. Nam cū ratiocinamur in numeris, quot vnitates sunt in numero, tot sunt res quibus competit ille numerus. Sic credimus nos esse in nominibus, quia quot sunt nomina quæ loquimur, tot credimus res esse de quibus loquimur. Et infra, sicut numerus adæquatur rebus numeratis, sic credimus nomina adæquari rebus. Alij id referūt ad eos, qui expertes sunt artis numerorum. At quod in litera subiungitur, Nam nomina quidem finita, & cæt. a quibusdam putatur multis implicitum difficultatibus, quas latè prosequitur Augustinus Nyphus in commentarijs. Nobis sufficiat, φ nomina eiusdem idiomatis ad placitū significantia finita sint, id est, longè pauciora quàm res, vel finita, id est, eorū qui linguā tenent cognitione comprehensa. Res verò numero infinitæ nō natura (inquit Alexander) sed nostra cognitione imponēdo cuiq; proprium nomen. Neq; enim fieri potest, vt lingua aliqua tam sit diues & absoluta, vt habeat propria nomina rebus omnibus imposita. Cum igitur nō semper occurrāt nouæ voces, quæ rebus quotidie emergentibus imponantur, necesse est aliarū rerum vti nominibus, ac vnā eandemq; vocē pluribus rebus significādis accōmodari. Id quod si casu fiat, vocabitur æquiuocū a casu: si verò certa aliqua ratione, dicetur æquiuocū a consilio, sic latius dictum initio libri prędicamentorū. Porrò cū posterius dicūtur ij, qui in arte numerorū nō sunt prompti, a peritioribus facilè circūueniri, id referūt nōnulli ad rithmorū seu versuū & carminū certamen, in quo ignorantes versuū pedes, syllabarumq; quantitatē, a doctioribus vincebantur. Alij idipsum tribuunt ignaris artis supputatoriæ, siue calculis & nummis supputatorijs exercebatur, siue numerorum formis ac figuris, quas vulgò cifras vocāt. Hi enim arbitrantur, & numerorum formas & nummos, quocunq; loco constituantur, idem designare. Qua in re toto, vt aiunt, cœlo aberrant. At Albertus in eos quadrare asserit, qui imperiti sunt rithmimachiæ ludi, qui numerorum pugna appellatur, cuius quidem ludi rationē atq; artem in quodā opusculo, eoq; quàm breuissimo explicat Iacobus Faber Stapulensis. Post hęc in litera ibi, Quoniam aūt quibusdā operæpretium est magis videri, &c. Postq̄ ostendit Arist. vndè nata sint in disputationibus sophismata, proponit causam, propter quā exerceri cepit sophistica ars, & summo studio expeti. Extiterūt olim, sicut & nunc sunt, viri quidam improbi, non veræ sapientiæ, sed inanis gloriæ ac pecuniarum sectatores, qui deserto sapientiæ studio, sese totos dederunt studio conficiendi sophismata, non vt essent, sed vt viderentur vulgò esse sapientes, ac sic diuitias congregarent. Hos sophistas nuncupabant, & eorum scientiam sophisticam, si tamen scientia, & non potius impostura, dici debeat. nihil enim aliud erat, q̄ peritia quædā conficiendi deceptorias ratiocinationes, vt sapientes viderentur ac diuites euaderent. propter gloriam igitur, & diuitias congregādas exerceri primùm cepit, & in precio haberi ars sophistica. Porrò quomodo distinguatur, contentiosus a sophista, ostendit Arist. 6. cap. tertij tractatus huius libri, cum ait, Quod in rationibus ijsdem sunt litium amatores & sophistæ, φ ijsdem vtātur argumētationibus, sed non propter eadē, quod cōtentiosus victoriæ gratia, Sophista verò propter gloriam quæ in diuitijs est. Est enim sophistica ars quædā ditatura ab apparēte sapientia. Cæterùm sophistæ finitio, in versione Boetiana ad hunc modū legitur. Et sophista pecuniarū aucupator, ab apparente sapientia, & nō existente. Id autem pecuniarū aucupator, vno verbo dicit Arist. χρηματιστής, quo nomine designantur pecuniarum quæstores & venatores, quales esse sophistas, ex superioribus palàm est. Porrò superiorum occasione adfert Philosophus in litera ibi, Sapientis autem

Sensus illius particulę, veluti p numeros ratiocinantibus contingit.

Egidius Romanus.

Nomina finita res numero infinitæ.

Quo pacto intelligitur illud, eos q in arte numerorū non sunt prōpti à peritioribus facilè circūueniri.

Albertus.

Quare cœpit exerceri Sophistice.

Contentiosus à sophista differt.

opus

opus est,&c.duo sapiētis opera quibus ad aliū sese habet diuersimodē aut opponēdo aut respō dendo. Nam illa sex sapientis opera, quæ ab Aristot.recensentur primo Metaphysices, ipsi sapienti secundum se conueniunt. Vnū est,non mentiri de his quæ nouit,hoc est,nō admittere falsas propositiones,quas scit falsas,aut eas negare quas scit esse veras,& dum respondentis officio fungitur. Alterum est,dum opponentis munus exercet, posse manifestare respondentē mentiri,& conuincere quod concessum est fuisse esse falsum. Alij, inter quos & Iacobus Faber,nō mentiri,&c. referūt ad opponentē & interrogantē, Posse aūt manifestare mentientē, ad respōdentem. Oportet itaq; sophistā,dum positionem tuetur,videri nō mentiri etsi mentiatur. At dum problema positū impugnat,eundē videri posse manifestare respondentē qui mentitur,quanq̄ idipsum non valeat efficere. Et proinde prauo fini assequendo,consimile ad hiberi remedium, vt (quemadmodum dici solet)dignum sit patella cooperculum.

Duo sapientis opera. Primum. Secundum.

Iacobus Faber.

Quot aūt sūt species.

In secundum caput,quod de disputationum generibus seu speciebus considerat, scholia.

IN præsentis capitis exordio summatim in medium profert,quæ hoc in opere sunt consideranda. Nam primā eiusdem exordij partē vnanimi consensu tribuūt cōmentatores quinq; metis,de quibus proximo capite,& a quibus veluti terminis & finibus deduci putāt sophisticæ argumentationis species seu modos. Secundam autē dicentem, Et ex quot numero consistat,&c. referunt ad numerū fallaciarum,quę secundum genus duæ sunt,nempe in dictione & extra dictionē. Secundum speciem autē numero tredecim. At tertiam habentem, Et quot partes huius contingit esse negocij, intelligunt de opponente & respondente,quorū illius officium in priori libro explicatur, huius aūt in secundo. Porrò quod sequitur, Et de alijs quæ ad hanc artē suffragantur,&c. accipiunt de cautelis,alijsq; id genus,quæ vtriusq; partis & opponentis & respōdentis informationi,institutioniq; admodū prosunt. Post hæc in litera ibi, Sunt aūt disputationū genera quatuor, &c. Disputationem seu syllogismū in quatuor species partitur,singulis speciebus sua adhibita descriptione,vt magis eluceat,quid intersit discriminis inter sophisticā disputationem & cæteras,de qua sola se determinaturū pollicetur in huius capitis calce. Cæterùm quoniam hæc quæ dicimus luce sunt clariora, tantū reliquū est, vt singularū disputationis specierum definitiones explicemus. Descriptio doctrinalium disputationum est huiusmodi. Doctrinales disputationes sunt, quæ ex proprijs vniuscuiusq; disciplinę principijs syllogisant,& non ex his quæ videntur respondenti. Prior descriptionis pars, ex ijs quæ in Posterioribus Analyticis dicta sunt manifesta est. Nam quæ hic dicuntur propria alicuius disciplinæ principia, illic dicta sunt necessaria, propria, immediata, notiora, priora, & causæ. Et proinde hic finietur doctrinalis disputatio, quæ incidit circa demonstrationē propter quid & potissimā. At posterior particula(non ex ijs quę videntur respondenti)accipienda venit de probabilibus aut simpliciter aut respondenti,quibus videlicet respondens assentitur cum formidine de opposito, (oportet enim eum credere qui discit) id est, oportet eum firmiter & euidenter assentiri,& non cum formidine de opposito,vti assentimur ijs quæ videri dicuntur. Cæterùm dialecticarū disputationum hęc est finitio. Dialecticæ disputationes sunt, quę ex probabilibus collectiuæ sunt contradictionum: cuius sententia est. Disputationes dialecticæ circa eandem cōtradictionē adhibitæ,sunt disputationes,quę natæ sunt colligere duas contradictorias aut contrarias enunciationes ex probabilibus,vt quod verius est eligatur.Potest etiam hæc descriptio ad numerū singularem coarctari limitariq; hoc modo. Disputatio dialectica est,quæ ex probabilibus nata est colligere ac inferre aliquā conclusionē, quę alicui positioni valet opponi,aut cōtradictoriè aut contrariè. Verùm si qua huic finitioni intelligēdæ sint necessaria ac oportuna,ex initio primi libri Topicorū sunt desumenda. Porrò tertiū genus disputationū hoc modo describit Philosophus. Disputationes tentatiuæ sunt, quæ ex his sunt,quæ videntur respondenti,& quæ necesse est eum scire qui se simulat habere scientiam. Sub priori parte continentur syllogismi,qui sunt ex ijs quæ respondenti sunt probabilia,Sub posteriore verò ij qui sunt ex principijs cōmunibus,vt patet ex secunda parte sexti capitis tertij tractatus huius libri. Nam his ignoratis, necesse est ignorari particularē scientiam: quanq̄ eis cognitis,nō statim sequitur,scientiam esse cognitā. Potest quidem etiam ex proprijs alicuius disciplinæ principijs de alicuius eruditione experimentū sumi. sed huiusmodi tentamen ad eam facultatem pertinet cuius principia sumuntur. Nos verò hic de tentatiua loquimur, quæ nullius propria est facultatis,sed in omnē facultatis speciem sese fundit,sicut & ipsa dialectica. Porrò intelligentia definitionis litigiosarum disputationum,quę est. Litigiosæ disputationes sunt,quæ ex his quæ videntur probabilia,non sunt autem,syllogisant, ex litigiosi syllogismi finitione in primo Topicorum posita, facile deprehenditur.

Exordij literæ præsentis expositio.

Quæ disputationes doctrinales.

Quæ dialecticæ.

Quæ tētatiuæ.

Litigiosæ disputationes.

In caput

Primũ ergo ſumẽdũ.

In caput tertium, quod ſophiſticarũ orationũ metas fineſq; recenſet, & generatim modorum numerum, quibus ad eas perduci valeamus, ſcholia.

RECenſito, explicatoq; numero generum diſputationũ, quarũ vna ſpecies ſubiecta eſt ac propoſita, cuius naturam ac proprietates hoc in opere cõſtituit Ariſtoteles exponere, in præſenti capite duo potiſſimùm lectori proponit. Adfert enim primũ, quot ſint ſophiſticarum ac contentioſarũ diſputationum metæ ac fines proximi, ex quibus quodãmodo deſumi queunt ſophiſtica..um ratiocinationum ſpecies & modi, & qui maximè idonei exiſtant ſophiſtis, vt ſuum præcipuũ ſcopum aſſequantur, nempe videri eſſe ſapientes ob victoriam aduerſus coaltercantẽ obtentam. Nam per eos qui in diſputationibus decertant & corrixantur, conſtat intelligendos eſſe ſophiſtas. At hi fines (quemadmodum inquit Ariſtoteles) numero ſunt quinq;, nempe Redargutio, Falſum, Inopinabile, Solœciſmus, & Nugatio. Quos ſanè contentioſæ diſputationis terminos, ſic aſſequi aut verè aut apparenter vtitur ſophiſta, vt potius quod prius recenſitũ eſt, q̃ quæ conſequantur, obtineat. Id enim eſt, quod indicat ea literę portio, Atq; horum ſingulum aut verè, aut apparenter videri volunt. Nam maximè redarguere videri volunt, &c. Cæterùm omiſſa ea difficultate, qua ambigitur, an abſolutè ac ſimpliciter cupiat ſophiſta conſequi eiuſmodi fines, an videri potius, quum re vera non valeat eos obtinere non incongruum fuerit, ſi diſputationũ ſophiſticarum metæ ac eius ſpecierum vulgò receptas deſcriptiones hic interſeramus, & q̃ breuiſſimè exponamus. Metam impropriè acceptã, quantum huic loco cõgruit, hoc modo deſcribit D. Thomas in fallaciarũ opuſculo (modò ipſius id opuſculum fuerit) Meta ſeu terminus diſputationis ſophiſticæ, eſt aliquod inconueniens, ſeu alicuius inconuenientis admiſſio, ad quod ſophiſta ducere nititur reſpondentem. Huius quinq; ſunt ſpecies, Redargutio, Falſum, inopinabile, Solœciſmus, & Nugatio. Redargutio eſt, præconceſſi negatio, vel prænegati conceſſio, in eadem diſputatione, vi diſputationis facta. Vt ſi reſpondens negauerit, ſe carnes crudas commediſſe, contra ipſum inſtabit ſophiſta hoc modo. Quicquid emiſti commediſti, Carnes crudas emiſti, Igitur carnes crudas commediſti. Quòd ſi huius argumentationis vi conceſſerit quod prius negauerit, ad redargutionis metã pertractus eſt reſpondens. At ſi non in eadem diſputatione, aut nõ vi argumenti, ſed ſpontè, propriaq; voluntate quis prius negatum admiſerit, aut negauerit prius admiſſum, non redarguitur. At falſum hic ſumitur pro manifeſtè falſo. Et proinde falſi meta nihil aliud eſt, quàm conceſſio alicuius manifeſtè falſi, quod reſpondens concedere cogitur virtute argumentationis ſophiſticæ. ad quam deductus eſt, qui fatetur cæleſte ſydus eſſe latrabile, hoc ſyllogiſmo. Omnis canis eſt latrabilis, Sydus cæleſte eſt canis, Ergo ſydus cæleſte eſt latrabile. Inopinabile ſeu improbabile eſt duplex, ſicut & ipſum probabile, ſimpliciter, & alicui. Inopinabile ſimpliciter dicitur, quod eſt contra id quod videtur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, &c. Eſtq; ſemper contradictorium eius quod eſt ſimpliciter probabile, & contra, vt docetur libro octauo Topicorũ cap. 8. Ex quo patet, quòd nullum inopinabile ſimpliciter ſit manifeſtè falſum, quia manifeſtè falſo ſemper cõtradicit manifeſtè verũ, hoc aũt nunq̃ eſt ſimpliciter ꝓbabile, vt patet ex definitione probabiliũ, Ergo nec illud ſimpliciter improbabile.

Alicui aũt improbabile dicitur, quod ſimpliciter quidem non eſt improbabile, ſed reſpondenti, aut ei cuius opinionem tuetur reſpondens, & hoc ſemper contradicit ei quod eſt alicui probabile. Sed de his latius dicto capite octaui Topicorum. Erit itaq; inopinabilis meta, alicuius inopinabilis admiſſio, vi ſophiſticæ argumentationis facta. ad quam deducitur, qui aliquem regem diuitem & fœlicem conſitetur eſſe miſerum & infœlicem, hac argumentatione. quemcunq; contingit ab aliquo vinci, eſt miſer & infœlix, At regem diuitem & fœlicem contingit ab aliquo vinci, Igitur rex diues & fœlix, miſer eſt & infœlix. Porrò ſolœciſmus, de quo agit Aulus Gellius Noctium Atticarum quinti libri vigeſimo capite, a Donato definitur eſſe vicium in contextu partium orationis, contra regulam artis grammaticæ factum. Videtur tamen hoc loco (etſi reclamante Alberto) & pro barbariſmo communiter accipi, id quod vtcunque indicare videtur ea literæ pars, quartum ſolœciſmo vti facere, hæc autem eſt ſecundum loquutionem barbariſare ex oratione reſpondentem. Ad hunc enim modum poſt Græcanicũ codicem legit Boetius. At barbariſmus a Donato deſcribitur eſſe vna orationis pars vitioſa in communi ſermone. A Diomede verò, contra Romani ſermonis legem aut ſcripta aut pronunciata, vicioſa dictio. Nugatio autem dicitur eſſe eiuſdem verbi in eadem orationis parte inutilis repetitio. Horum autem viciorum admiſſiones, argumentationibus ſophiſticis partæ, ſunt ſolœciſmi & nugationis metæ. ad quas deductus eſt quicunq; exiſtimauerit, quòd mulier ſit candidus, & hic naſus ſit ſimus naſus ſimus, hiſce captionibus.

Quinq; ſunt Metæ ſophiſtarum ac fines.

Quid ſit meta ſophiſticæ diſputationis, huius quinque ſunt ſpecies.

Quid redargutio.

Quid falſũ falſive meta

Duplex inopinabile.

Simpliciter

Alicui.

Quid inopinabilis meta.

Quid ſolœciſmus ſecũdũ Donatũ.

Quid barbariſmus ſimiliter ſecũdũ eundẽ.

Diomedes.

Quid nugatio & quid ſolœciſmi & nugationis metæ.

Omnis homo est candidus, & mulier est homo, Igitur omnis mulier est candidus. Iste nasus est simus, & simum est nasus simus, Ergo hic nasus est simus nasus simus. Porrò has metas asseuerat D. Thomas diuersas respicere disciplinas, nempe redargutionē esse contra metaphysicen. Falsum esse contra physicen & mathematicas scientias. Inopinabile contra dialecticam, Solœcismū, aduersus grammaticam. Et contra rhetoricā, nugationem. Cæterùm quoniam sophistæ maximè videri volunt redarguere, apparet reliquas metas ad redargutionē esse reuocandas: quā sanè reductionem, si cui libeat cognoscere, offendet in Alberti commentarijs.

Huiusmodi metæ diuersas respiciūt disciplinas secundū opinionē Alberti & Aquinatis.

Posterius in litera ibi, Modi autē redarguendi sunt duo, &c. assignat Philosophus hanc in summa modorū seu locorum sophisticorum distributionem. Locorum sophisticorum quibus valemus respondentē redarguere (sub quo cæteras metas subintellige) quidā in dictione sunt, hoc est, causam suę apparentiæ sumunt ex parte dictionis, vel signi ad placitū significātis. Alij sunt extra dictionē, quippe qui suæ apparentiæ causam ex parte rei accipiant. At qui secundū dictionem fiunt apparentiamq; efficiunt, sex sunt numero, nempe æquiuocatio, amphibologia, cōpositio, diuisio, accentus, & dictionis figura, id quod asserit probari Philosophus syllogismo & inductione, hoc est, syllogismo cuius minor per inductiuā ratiocinationē est cognoscenda. At huius syllogismi maior tantū in litera redditur, ex qua construendus est eiusmodi syllogismus. Quotquot modis, nominibus & orationibus secundum materiam eisdem non idem significamus, tot ex dictione apparentia accidit, sed sex modis & non pluribus, nominibus eisdem & orationibus non idem significamus: Igitur sex modis & non pluribus propter dictionē apparentia accidit. Minor quodāmodo inductione probatur ex decursu literę capitis primi sequentis ad hunc modum. Aequiuocatione nō idem significamus nominibus & orationibus eisdem: Item & amphibologia, & cōpositione, & diuisione, & accentu, & figura dictionis, non aūt pluribus. Igitur sex modis & non pluribus, nominibus eisdem & orationibus non idem significamus. Hactenus de præsentis capitis explicatione, ijsq; quę Philosopho veluti cōmuniora quædam videbantur prætermittenda, quibus alia (etsi pauca) adijcere decreuimus.

Fallaciarum seu locorū sophisticorū generalis partitio in eū q in dictione est, & eū q est extra dictionē

Annotandum igitur in primis est, quòd quēadmodum argumentio dialectica, ex vero loco firmitatē accipit, sic & sophistica ratiocinatio apparentem firmitatem desumit ex loco sophistico. At locus verus, dialecticę argumentationi firmitatē tribuens, habitudo est inferentis ad illatum, quæ dicitur maxima vel differentia maximæ, vt genus, species, totū, pars, & id genus alia, ex quorum habitudine maximæ propositionis veritas oritur, super quā firmatur dialectici argumenti veritas. Et proinde sophisticus locus consistere dicitur in quadā habitudine inferentis ad illatū, ex qua depromitur aliqua propositio falsa, vera tamen apparens, secundū cuius dictamen sensumque constituetur sophistica ratiocinatio, vt sunt, Vnius vocis vnicum esse significatū. Quicquid de accidente prædicatur, prædicari & de subiecto: & alia eiusmodi.

De locis sophisticis hic agitur.

Porrò ad sophisticū locum omnē, necessum est duo concurrere. Quorum vnum dicitur esse causa apparentiæ, quæ efficit, vt argumentatio videatur esse bona, & ei assentiatur audiens siue respondens. Alterum est defectus principium, quod vulgò appellitant causam nō existētiæ. Ex his itaq; duobus euenit, vt quis fallatur, & iudicet tale aliquid esse, quale apparet & non est. Vnde locus sophisticus alio nomine fallacia appellatur, quia videlicet quantum ex se est, est fallendi causa, licet aliquis nō decipiatur actu, nisi ignorātia adueniente. Hæc Aquinas. Ex quibus cognoscet lector facillimè, vnā dictionis (fallaciæ) significationem. Insuper secundo aduertendum est, nomen fallaciæ in alijs aliquot significatis accipi. Nemini enim dubium est, fallaciā sumi pro quouis errore deceptioneve. In quo quidē significatu vulgo conceditur falli is, qui apparenti quadā causa in deceptionē incidit. In hac sane significatione, quæ ꝓpria videtur esse, certū est fallaciā accipi & ex ipso Arist. & ijs qui Aristot. sequuti describūt fallaciam esse deceptionē imperitè respōdentis in sophistica arte per sophisticā argumētationē procreatā. At altero significatu sumitur fallacia ꝓ fallaci ratiocinatione, quō plęriq; fallaciā arbitrātur sumendā esse in hac finitione, quā plures D. Thomæ tribuūt, Fallacia est idoneitas decipiēdi, faciens credere de non ente quòd sit ens, & de ente ꝙ sit non ens, mediante phātastica visione, hoc est, Fallacia est idoneum instrumentū ad decipiendum, efficiens credere, id quod verū est esse falsum, aut quod falsum est, esse verum, aut quod non est probatiuum, esse probatiuum, mediante aliqua apparentiæ causa. Quod dicitur, Aut quod non est probatiuū, &c. peculiariter adiectū est propter petitionis principij fallaciam. Porrò ad hanc aut primā fallaciæ acceptionē, reuocari valet ea significatio, secundum quā existimant pleriq;, ipsam sumi pro apparentiæ causa. Nam hanc monstrat explicatq; sophisticus locus, & eam cōplectitur fallax ratiocinatio. hæc dicta sint de vario fallaciæ significatu, quantum huic loco congruit.

Ad omnem locū sophisticū. 2. sunt necessaria apparētię & defectus causæ.

Fallaciæ acceptiones.
Prima.
Quid fallacia.

Altera acceptio.
Thomas.
Quid fallacia in hac secūda significatione.
Tertia acceptio.

Cæterùm

Distribuit fallacia in fallaciam in dictiõe, & in fallaciã extra dictionẽ. Quæ sit in dictione fallacia, & an fiat in mẽtalibus enũciationibus. Oĩs in dicti one fallacia aliq̃d multiplex cõtinet. Quid multiplex. Quid actuale multiplex. Quid multiplex potentiale. Quid multiplex phantasticum.

Cæterùm fallacia quolibet modo accepta distribui potest in fallaciã in dictione, & extra dictionem, quarum vtriusq; descriptionẽ, quam solent vulgò in medium proferre, superius attulimus. Est enim fallacia in dictione, quæ apparentiæ causam sumit ex dictione vel oratione, hoc est signo ad placitum significante, cuiusmodi non sunt mentis conceptus, & proinde nequit esse in dictione fallacia in mentalibus pronunciatis, in quibus reperiri poterit extra dictionem deceptio ac fallacia, cum accipiat apparentiæ rationem ex ipsis rebus significatis, & nõ ab ipsa dictione vel oratione. Postremo adnotare solent, omnẽ in dictione fallaciam aliquod habere ac amplecti multiplex, aut actuale aut potentiale, aut phantasticum. Aequiuocatio quidem & amphibologia cõtinent actuale multiplex. Compositionis & diuisionis & accentus fallaciæ multiplex potentiale. At fallacia figuræ dictionis, phantasticũ habet multiplex. Est autẽ multiplex, dictio vel oratio vna, aut verè aut apparenter multa significans. At actuale multiplex, est dictio vel oratio prorsus eadem permanens secundum materiam & formã, quæ plura designat, vt canis, &c. Materia dictionis vel orationis est literæ, syllabæ, & dictiones partiales. Verùm orationis & dictionis forma in simili consistit syllabarũ quantitate, eodẽ accentu, eadem in scriptura distinctione, aut pausatione in voce, & eodem proferendi modo.

Porrò multiplex potentiale est dictio vel oratio, eadem secundum materiam permanens, secundum formã diuersa, plura significans, vt populus, nunc arborẽ, nunc gentem designans. & hæc oratio, quicquid viuit semper est. At phantasticũ multiplex, dictio est vel oratio, quæ propter similitudinem quã habet cum alia, videtur habere aliquã proprietatem, quam re vera non habet, vt planeta videtur fœminini generis esse, propter similem terminationem cum Musa: vel quæ videtur significare quod non significat, vt crudum quale significat, & tamen videtur significare substantiam, quia de substantia verè dicitur. Quæ diximus de multiplicibus, complures non admodum probant, quos oramus, vt Alexandri commentaria in Elenchorum priorem librum adeant ac consulant, Ex quo arbitramur ab Alberto, Thoma, cæterisq; commentatoribus desumpta, quæ recensuimus.

Accidũt aũt secũdũ.

In secundi tractatus, agentis speciatim de sophisticis elenchis, prioris capitis considerantis de in dictione fallacijs, primã partem, determinantẽ de ijs paralogismis, qui ob multiplex actuale imponunt & decipiunt, scholia.

Literæ agẽtis de æquocationis & amphibologiæ fallacijs explicatio.

Pertractatis ijs, in quibus veluti cõmunioribus quibusdam, consentiunt omnes fallaciæ, congruenti ordine mox prosequitur Philosophus, & subnectit singularũ fallaciarum considerationem, ab his ordiens, quæ propter dictionẽ, vel orationem, eueniunt, inter quas decenter primo loco recenset, quę actuale multiplex continent, quę sunt æquiuocatio & amphibologia, hoc est æquiuocationis & amphibologiæ fallaciæ. Imprimis itaq; de æquiuocatone agens dicit, ex paralogismis æquiuocationis colligi huiusmodi orationes, scientes discere, mala bona esse, sedentem stare, laborantẽ sanum esse. Prima hoc sophismate colligitur, Grammatici discunt, & granmatici sunt scientes, ergo scientes discunt. Quod peccat, quia μανθάνειν (in cuius locũ non satis latinè substituit noster interpres verbum discere) Græcis & docere & discere significat, quo fit, vt disco in maiore sophismatis pro docere ponatur. In conclusione verò pro eo quod est doctrinã accipere, seù discere propria locutione, Alij æquiuocationẽ verbi (μανθάνω) aliter accipiunt. Vndè Des. Erasmus in conuiuio Poetico, Aristoteles (inquit) proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce quæ eadem declarat diuersa. ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι, τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί, τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην, Id verterunt in hunc modum, Quoniam discunt scientes. Nam secundum os grammatici discunt: discere enim æquiuocum est ad intelligere eum qui vtitur disciplina, & accipere disciplinam. Hi. Visus es mihi nunc Hebraicè loqui, nõ Latinè. Le. Estne quisquã vestrũ, qui audiuit hic vllam vocẽ æquiuocam? Hi. Nullam. Le. Quid igitur stultius est, q̃ velle id vertere, quod verti non poterat? Neq; enim quemadmodum Græcis μανθάνειν sonat μαθεῖν & μαθητεύειν, ita Latinis discere, doctrinã accipere aut tradere. Quanquam an hoc sit verũ nescio, Magis arbitror, sic μανθάνειν esse anceps apud Græcos, quẽadmodũ cognoscere apud Latinos. Cognoscit enim qui nouit, & cognoscit iudex qui discit causam. Sic, opinor Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur: Quàm verò venustè reddidit τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί, Nam secundum os grammatici discunt. cum vertere debuerit. Nam grãmatici quæ dictãt docent. Hic interpretis erat aliud exẽplum supponere, quod nõ eadẽ verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor etiã in Græca scriptura nonnihil esse mendæ, ὁμώνυμον τό τε ξυνιέναι καὶ τὸ λαμβάνειν.

μανθάνω. D. Erasmus.

Sic D.

Sic Def, Erasmus. Verùm siue sic, siue aliter explicetur æquiuocatio verbi μανθάνω, nihil im præsentiarum, refert quia exemplum æquè proposito congruit. Reliqua tria sophismata satis exprimuntur in textu. Vicium primi consistit in dictione (expediens) quæ in maiori propositione pro bono, in minore verò pro necessario ponitur. Mala quę expediunt sunt resectio membri putridi ad conseruationẽ totius corporis, inflictio pœnarũ in delinquentes pro tranquillitate reipublicæ, & similia quæ per se quidem sunt mala, sed ad certum aliquem finem necessaria. Reliqua duo sophismata peccant in dictionibus (sedens & laborans) quæ in minore præteritum, In conclusione præsens tempus consignificãt. Aequiuocum est triplex, Nam aliud æquè principaliter plura significat, vt canis. Aliud ordine quodam, vnum principaliter & reliquũ minus principaliter, vt sanum. Aliud ex additione, vt vox homo per se sumpta particulares homines significat, sed in hac propositione homo est species, ex additione significat vniuersale, quod est species. secundum quã æquiuoci distinctionẽ assignat Aristoteles triplicẽ huius fallaciæ modum, vt videbitur in fine textus. Ad primũ modum pertinet exemplum textus primo loco positum. Ad secundum verò pertinet exemplum secundo loco positum, & reliqua duo postrema ad tertium, In quibus an voces illæ, sedens & laborans, re vera diuersas sortiantur consignificationes, sicut tradere videtur Græcanicæ institutiones circa expositionẽ participiorum præsentis temporis. An solum mutentur secundum ampliationẽ & restrictionem, alijs discutiendum relinquo. Sunt enim commentatores quidam non pœnitendi, quibus videtur, quòd omnis diuersa acceptio vocum, non solum secundum genus suppositionis, sed etiam secundum ampliationem, restrictionem, aut aliam quamuis mutationem, qua fit, vt vox eadem pro alijs & alijs accipiatur, æquiuocatio sit ad hunc modum pertinens, quamquam alij malint, id genus sophismata ad aliam fallaciam reuocare. Post hæc ibi, Secũdum amphibologiam autem, &c̃. Cum tractasset Aristoteles de paralogismis æquiuocationis, assignat aliquot orationes amphibologicas, ex quibus confici queant paralogismi amphibologiæ. Prima est, vellem me accipere pugnantes, ex qua tanquam minore conficitur huiusmodi sophisma, Quoscunq; vellem me accipere, vellem quòd me acciperent, pugnantes seu hostes vellem me accipere, ergo vellem ꝙ hostes me acciperẽt: quod soluitur per distinctionẽ minoris, Nam si pronomẽ (me) construatur a fronte cũ verbo accipere, vera quidẽ erit minor, sed nõ respõdebit maiori propositioni, in qua pronomẽ illud (me) construitur cũ verbo accipere a tergo, & ideo nõ rectè inferetur cõclusio. si verò pronomẽ (me) etiã in minori a tergo construatur, minor erit falsa. Altera oratio amphibologica est, Quod quis scit, hoc scit, ex qua pro maiore consurgit hoc sophisma. Quod quis scit, hoc scit, lapidem quis scit, ergo lapis scit. soluitur per distinctionẽ maioris, in qua si pronomen (hoc) construatur a fronte cum verbo (scit) falsa erit. si verò construatur a tergo, vera. sed tunc illatio nõ respondebit antecedenti. Huic orationi planè similis est tertia. Quod quis videt hoc videt, ex qua etiam similiter conficitur & soluitur sophisma sicut ex præcedenti. Quarta est. Quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse, ex qua conficit textus hoc sophisma, Quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse, lapidem dicis esse, ergo tu lapis dicis esse. Vicium eius est in maiori, quæ duplicem habet intellectũ secundum duplicem constructionẽ pronominis (hoc) cũ verbo (dicis) Nam si a fronte regatur, falsa est: si verò a tergo, vera: sed illatio mala. Vltima oratio est. Silentẽ dicere. Ex qua conficitur hic paralogismus, quemcunq; contingit dicere, contingit quòd loquatur, silentem contingit dicere, ergo contingit quòd silens loquatur, qui soluitur per distinctionẽ minoris, in qua dictio (silentẽ) constructa a fronte verã reddit orationem, a tergo verò falsam. Eiusdem generis est istud sophisma, Quemcunq; cõtingit videre, fieri potest vt videat, cœcum cõtingit videre, ergo fieri potest vt cœcus videat, Nam minor est duplex iuxta modum iam dictum. Est autẽ obseruandum, quòd ad hoc vt argumẽtatio aliqua dicatur sophisma amphibologię, nõ est necesse, vt oratio amphibologica bis in ea ponatur, semel in vno sensu, & semel in alio: Nam id in nullo sophismatum textus contingit, nisi fortè in primo, in quo hæc oratio (me capere) alio sensu ponitur in maiore, ꝙ̃ in minore, vt ex dictis patet. Sed sufficit, in antecedente amphibologicã aliquã orationẽ poni, ex qua vno intellectu sumpta, videtur consequens rectè colligi, quia rectè sequitur ex ea sumpta in alio sensu Verbi gratia hæc argumẽtatio, Quod quis videt, hoc videt, lapidem quis videt, ergo lapis videt. est fallacia amphibologiæ, quia maior amphibologica est, ex qua sumpta in sensu vero videtur consequens rectè inferri, quia rectè sequitur dũ sumitur in sensu falso, construendo pronomen (hoc) cum verbo (videt) a fronte in maiore propositione. Ibi, Sunt autẽ tres modi, &c̃. quia locus æquiuocationis & locus amphibologiæ sunt valde propinqui, coniunctim assignat Aristoteles tres vtriusq; fallaciæ modos, quorum

Expediens.

Sedens & laborans.

Æquiuoci duplex.

Fallacia amphibologię.

Prima oratio textus.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

In fallacia amphibologię nõ oportet orationẽ amphi. bis poni.

Tres modi æquiuocat. & amphibologiæ.

Primus. Secundus.

primus est, Quando nomen vel oratio amphibologica principaliter plura significat, vt canis. Item hæc oratio, contingit cœcum videre. Secundus est, Quando nomine vel oratione soliti sumus sic vti, id est, quādo nomen vel oratio amphibologica plura significat ordine quodā vnum principaliter, & alterum minus principaliter. vnum propria significatione, alterū metaphoricè, vt sanum. Item lupus est in fabula. Tertius modus est, Quando cōpositum plura significat, separatū verò simpliciter: vel vt alij vertunt, quādo coniuncta verba multa significant, separata vnū, vt hæc dictio (laborans) seorsim sumpta vnum significat, videlicet tempus præsens. coniuncta verò cū verbo præteriti temporis, aliud nempe præteritum. eiusdem generis est hæc oratio, Scire sæculum. Cæterùm quomodo ostendi debeat ad hunc modum pertinere, inter cōmentatores non satis conuenit. Quidam sic declarāt. hæc oratio (inquiunt) scit sæculum, per se sumpta vnum significat, videlicet quòd sæculum scientiam habeat, sed iuncta pronomini (hoc) vt hoc scit sæculum, significat plura, nēpe quòd hęc res habet sæculi scientiam, & quòd sæculum habet huius rei scientiam. Sed cur dictio (sæculum) in hac oratione (scit sæculum) minus potest a tergo construi, quàm si addatur pronomē, hoc. Nam si potest ab vtraq; parte construi, tunc hæc oratio (scit sæculum) nō minus plura significabit per se sumpta, q̄ iuncta cum pronomine (hoc) Deinde Aristoteles hoc exemplum declarās in textu, non ait, quòd hæc oratio (scire sæculum) per se sumpta vnū significet, iuncta verò alteri cuipiam plura, sed dicit expressè, quòd vtrunq; separatum & scire & sæculum vnū significet, ex his autem complexa oratio, plura: vel vt alij vertunt ad verbum, ambo verò plura. Rectius igitur Aphrodiseus hanc rem explicat, docens quòd in exemplo Aristotelis nomina per se sumpta simplicia sunt, vnumq; significant: Nam sæculum seorsim positum nullam multiplicitatem parit, similiter nec verbū (scire) sed dum iuncta proferuntur, pariunt duplicem intellectum.

Aphrodiseus.

Obiectio. Sed obijcies. Commune est omni orationi amphibologicæ, vt componatur ex partibus, quæ per se vnū significent, compositæ verò pluta, ergo omnis amphibologia ad hunc modum pertinebit.

Responsio. Responsio. Negandū est antecedens. Neq; enim existimādum est, partes quæ seorsim vnū significāt, tunc semper cōpositas plura significare, quando oratio quæ ex eis cōponitur, quoquo modo plura significat, sed quando partes illę alia & alia ratione inter se iunctæ sensum illum multiplicē pariunt, vt in hac oratione (scire sæculum) partes ex eo multiplicē sensum pariunt, q̄ possint aliter & aliter inter se construi, aliud enim significat hæc oratio, si sæculum a fronte, & aliud si a tergo regatur. Idem fortè censendum est de hac oratione (liber Aristotelis) quia licet nō varietur ordo constructionis, alia tamē ratione regitur genitiuus (Aristotelis) si Aristoteles significetur esse causa libri, & alia si significetur esse possessor. Verùm hæc oratio amphibologica (lupus est in fabula) quia multiplicitatē suā non accipit ex aliqua partiū varietate, sed ex habitudine rei primò significatæ, ad eam quę secundatiò & metaphoricè designatur, ad hunc tertium modū non pertinet. & hæc de æquiuocatione, amphibologia, earumq; exemplis, iuxta vulgatā editionem a nobis dicta sint. Cęterùm quid Des. Erasmus Roterodamus de exemplis Aristotelis sentiat, eorumq; translatione, non grauabimur his subnectere. Paulò post, inquit in prædicto conuiuio, subijcit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis eiusdem significatu, sed ex diuersa connexione τὸ βούλεσθαι λαβεῖν με τοὺς πολεμίους, velle me accipere pugnātes. Sic enim vertit, p eo qđ erat, velle me capere hostes, & si legas βούλεσθε, sermo fit dilucidior, Vultis me capere hostes. Nā pronomen potest præcedere verbum (capere) & post sequi. Si præcedat, hic erit sensus. Vultis vt ego capiam hostes? Si sequatur, erit hic. Vultis vt hostes me capiant? Subijcit eiusdem generis aliud exemplum, ἆρα ὅτις γινώσκει, τοῦτο γινώσκει, id est, An quod quis nouit, hoc nouit? Ambiguitas est in τοῦτο. Id si sumatur accusandi casu, sensus erit. Quicquid alicui cognitum est, id illi cognitū esse. Sin nominandi casus, hic sensus erit. Quā rem quis intelligit, quasi cognosci nō possit, nisi quod vicissim cognoscat. Rursus aliud subijcit, ἆρα ὅτις ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ, ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα, ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων, An quod quis videt, id videt? sed videt columnam, columna igitur videt. Rursus in τοῦτο est ambiguitas, quā prius indicauimus. Verùm hæc vtcunq; reddi poterāt Latinis auribus. Quod sequit̄ nullo modo reddi poterat ἆρα ὃ σύ φῂς εἶναι, τοῦτο σὺ φῂς εἶναι, φῂς δὲ λίθον εἶναι, σὺ ἄρα φῂς λίθος εἶναι. Quod illi sic reddiderunt, Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse? Lapidē dicis esse, Tu ergo lapis dicis esse. Obsecro, qs omnino sensus humanus ex his verbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pēdet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in maiore ac minore. quanquam in maiore est & alia ambiguitas in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit. Quicquid tu dicis esse,

Qđ qs scit, hoc scit.

Qđ quis videt, hoc videt.

Qđ tu dicis esse, hoc dicis esse.

hoc tu

hoc tu es. Sin accusandi, sensus erit. Quamcunq; rē tu dicis esse, eam dicis esse, & ad hunc sensum subsumit λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, οὐ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatē semel ausus est imitari Catullus, Phaselus iste, quē videtis hospites, Ait fuisse nauiū celerrimus. Sic enim ferebatur hic versus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est, multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt cōmentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuum καὶ ἄρα ἐστι σιγῶντα λέγειν διττὸν γάρ ἐστι τὸ σιγῶντα λέγειν. τό τε τὸν λέγοντα σιγᾶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum. Et putas est tacentē dicere? Duplex enim est tacentē dicere, & hunc dicere tacentem, & quę dicūtur. An non hæc Sybillæ folijs obscuriora? Hl. Mihi nec Græca satis liquent. Le. Exponā pro mea diuinatione, An possibile est tacentē dicere? Hæc interrogatio duplicem habet sensum. Quorum alter est falsus & absurdus. Alter potest esse verus. Nam fieri non potest, vt qui loquitur, nō dicat ea quæ loquitur, hoc est, vt loquendo taceat. sed fieri potest, vt is qui loquitur taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit in alterā formam, quā paulò post subijcit. Rursum illud admiror, quòd mox in genere ambiguitatis, quę nascitur ex pluribus dictionibus coniunctis, mutârint Græci vocē sæculi in literas, ἐπίσασθαι τὰ γράμματα, Quū Latini codices habeāt scire sæculum. Hic enim duplex sensus nascitur, vel vt ipsum sæculum sciat aliquid, vel vt aliquis sciat sæculum. Verùm hoc mollius est in αἰῶνα, siue in κόσμον, quàm in γράμματα. Nam literæ dicuntur absurdè scire quippiam. Verùm nihil absurdi sit, si quis dicat, aliquid nostro sæculo notum esse, aut aliquem nulce suum sæculum. Hæc Erasmus. Hactenus igitur de æquiuocationis & amphibologiæ fallacijs.

Cōtingit tacētē dicere.

Secūdū cōpositi onē aūt

In secundam eiusdem primi capitis partem, tractantem de fallacijs, multiplex potentiale complectentibus, scholia.

PRæsentis literæ, in qua disserit Philosophus de sophisticis captionibus manantibus ob potentiale multiplex, tres sunt portiones. In prima agit de cōpositionis fallacia, deinde diuisionis: At in tertia, quę ad accentus fallaciā pertinēt explicat quàm breuissimè. Fallacia cōpositionis ex eo prouenit, quòd oratio sumpta in sensu diuiso, non existimatur differre a se sumpta in sensu cōposito. Diuisionis verò ex eo quòd oratio accepta in sensu composito, putatur nō differre a se sumpta in sensu diuiso. Nam in fallacia cōpositionis, oratio ratione cuius accidit deceptio, semper sumitur in sensu diuiso, & in fallacia diuisionis, cōtra in sensu cōposito.

Literæ partitio.
Fallacia cōpositionis.
Fallacia diuisionis.

Cęterùm quis sensus sit cōpositus, quis diuisus, & quæ propositiones vtrunq; sensum admittant, satis colligi potest ex ijs quæ diximus circa finē secūdi Peri Hermenias. Hic tamē annotandum, quòd quando aliqua dictio posita inter partes orationis, apta est, cum diuersis construi, potest se bifariàm habere, quoniā aut sua natura est magis apta construi cum vna parte, quàm cum altera. & sic oratio dicitur cōposita, si cum ea construatur, cum qua aptius cohæret. diuisa verò, si cum altera construatur, cum qua minus apta est construi. Aut sua natura est indifferens, & tunc si cum præcedente construatur, diuisam facit orationem. si verò cum sequente, compositam. quia (vt tradunt) constructio cum præcedente, orationem punctuatione diuidit, cum sequēte verò minimè. Ex duabus primis propositionibus textus pro minore positis, conficiuntur hi paralogismi compositionis. Quemcunque possibile est ambulare, possibile est quòd ambulet: sedentem possibile est ambulare, ergo possibile est quòd sedens ambulet. Quemcunq; possibile est scribere, possibile est quòd scribat: nō scribentē possibile est scribere, ergo possibile est quòd nō scribēs scribat. Tertia propositio hoc sophismate colligitur. Quicunq; scit literas nunc didicit eas, qui aūt scit literas quas didicit prius, scit literas: ergo qui scit literas quas didicit prius, nunc didicit eas. Quarta verò hoc. Qui potest vnum ferre, potest vnum & vnū ferre, sed qui potest vnum & vnum ferre, potest plura ferre: ergo qui potest vnum ferre, potest plura ferre. Cuius vicium in prima propositione consistit, quæ est in sensu diuiso vera, & composito falsa. Exempla fallaciæ diuisionis satis obuia sunt, exceptis duobus postremis, quæ quomodo accipienda sunt, ex præmissis colligendum relinquo. Post hæc ibi, Secundum accentū autem, &c. agit de paralogismis, qui propter accentum fiunt. Tunc autem dicuntur paralogismi propter accentum fieri, quando fiunt propter dictionē, quæ eadem secundum materiam permanens, plura significat propter diuersum proferendi modum. Et quia diuersitas hæc ex pronunciatione legitima cito attenditur, hinc dicit Arist. quòd sine scriptura non facilè cōtingit quēpiam id genus paralogismis falli, sed in scripturis & poematibus magis. Verùm obijcies, in scripturis, maximè apud Græcos qui accentus signant, facillimè apparet accentuū diuersitas, ergo nō magis in scripturis, q̄ voce falletur quis, hoc paralogismorū genere. Responsio. Verisimile est tēpore Aristotelis apud Græcos

Fallacia accentus.

Obiectio.

Responsio.

non

Quatuor modi fallaciæ accẽtus.

non magis signatos fuisse accẽtus in scripturis, quàm nunc signãtur apud Latinos, & ideo tunc longè facilius incidebat fallacia accentus in scriptura, q̃ voce. sed nunc fortasse eadem esset de vtroq; ratio, saltem quantũ ad accentus attinet. Nam quatuor assignantur huius fallaciæ modi, quorũ primus est. Quando pronunciatio variatur propter accentum mutatum, qui est triplex, acutus, grauis, & circumflexus, vt pendère a pendeo profertur accentu acuto in penultima, a pendo verò profertur accentu graui. Secundus modus est, quando seruato eodem accentu mutatur pronunciatio propter mutatũ tempus, seu quantitatẽ alicuius syllabæ. Nam longa duo tempora cõplectitur, breuis verò vnicam, vt populus arbor primã habet longam, & populus collectio gentis, breuem: Et in hoc modo adhuc locum habet ea diuersitas, quam ponit Aristoteles inter voces & scripturas. Tertius modus est, quando mutatur pronunciatio propter diuersitatem spiritus, qui duplex est, asper & lenis: asper apud latinos signatur litera h, lenis verò non signatur, vt hara & ara. Quartus modus prouenit ex eo, quòd aliquid potest proferri vt vna dictio, & vt plures. Nam vnica dictio vnicum habet accentum, acutũ aut circumflexum, plures verò dictiones, plures accentus. Interpres omissis exemplis ab Aristotele positis, quæ latinè reddi non poterant, alia duo substituit, alterum ex Horatio, alterum ex Virgilio. Prioris multiplicitas prouenit ex voce (metuo) quæ si vnica dictio sit vnicum habet accentum, acutũ nempe in prima syllaba: si verò duæ, duos. Posterioris verò multiplicitas consistit in voce (quia nam) quæ si vnica dictio sit, vnicũ habet accentum acutũ, significatq; idem quod quare. si verò duæ, tunc aliam habet significationem & alium accentum.

D. Erasmus.

Cæterũm de Aristotelis exẽplis ad hunc modum scribit Des. Erasmus. Iam aliquantò pòst, vbi proponit exemplum ambigui ex accentu, non veritus est interpres, pro verbis Homeri supponere Virgiliana, cum eadem fuerit necessitas in illo exemplo. Quicquid dicis esse, hoc es. Ex Homero refert Aristoteles ὂυ καταπύθεται ὄμβρῳ. Si ὂυ aspiretur & circũflectatur, sonat, cuius computrescit pluuia. Sin ου̋ sit exile & acutum, sonat, non computrescit pluuia. Atque hoc quidem sumptum est ex Iliados ψ. Alterum est διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι accẽtu collocato super penultimã sonat, cõcedo illi. Sin supra primã δίδομεν sonat, damus. At poeta nõ sentit Iouem dicere, concedimus illi, sed Iuppiter mandat ipsi Somnio, vt illi ad quem mittitur concedat potiri voto. Dictum est enim διδόμεν, pro διδόναι. Pro his duobus Homericis subiecerũt hæc ex nostris poetis, veluti illud ex odis Horatij. Me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis. Etenim hic accentus fit in me correpto, & tu sit graue, vnica dictio est metuo, id est, timeo. Quanq̃ hæc ambiguitas pendet non solum ex accentu, verùm etiam ex cõpositione. Alterum supposuerunt ex Virgilio, Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi: quanquam hic quoq; ex cõpositione nascitur ambiguitas. Hæc Erasmus. Aliter forsitan ex ijsdem exemplis constituetur huius loci fallacia ex diuerso modo interrogãdi & non interrogandi. At huius deceptionis paralogismi omnes per diuisionẽ, distinctionemq; sunt diluẽdi.

Quę autẽ secundũ figurã dictionis.

In tertiam partem, de fallacia secundum multiplex phantasticũ differentem, scholia.

IN præsenti primi capitis parte, succinctim differit Philosophus de postrema in dictione fallacia, quã vocant fallaciam figuræ dictionis, siue secundum dictionis figurationem. In literæ exordio paucis aperit Philosophus huius fallaciæ apparentiæ & defectus causam, dum dicit. Quę autem secundum figuram dictionis sunt, accidunt quando non idem vt idem interpretatur, hoc est, quando id quod re vera non est simile, putatur & sumitur velut simile. Deinde aliquot huius fallaciæ modos insinuat, qui ex sequentibus magis elucescent. Pro huius igitur fallaciæ cognitione clariori aduertendum, hoc nomen figura non propriè accipi, vt designet quartam qualitatis speciem, sed pro quauis similitudine dictionis, sitq; illius orationis (Fallacia figuræ dictionis) sensus iste, Fallacia proueniens ex similitudine vnius dictionis cum altera, aut ratione finalis terminationis, aut ratione principij, aut eiusdem acceptæ vt vnũ significet, & aliud aut concernat aut appellet. At nomine dictionis intelligẽda venit & oratio, siue voce proferatur, siue scribatur, eo quòd hęc figura & fallacia iuxta competat & dictionibus simplicibus seu incomplexis, & cõplexionem habentibus. Causa igitur apparentiæ est similitudo dictionis cum dictione, aut in finali terminatione, aut exordio in significato, modo significandi, aut aliqua alia proprietate. Atqui causa defectus est earundem dissimilitudo. Hanc autẽ fallaciam arbitrantur nonnulli congruo ordine hunc postremum locũ obtinere, tum q; in alijs maior reperiatur multiplicitas, nempe vera, aut actualis, aut potencialis. In hac verò minor, phantastica videlicet, tum quòd ipsa plurimum accedat ad fallacias extra dictionẽ, adeoq; illis sit vicina, vt asseuerent multi, plurimos (ne dicam omnes) huius fallaciæ paralogismos, ad accidentis deceptionem pertinere, etsi alia ratione, quẽadmodum posterius dicetur

Pro q̃ hoc in loco sumatur figura.

Quid item dictio.

Apparentiæ causa.

Causa defectus.

dicetur. Insuper aduertendũ, duos huius fallaciæ ab Aristot. indicari modos ac species. Prior est, cum propter similitudinem dictionis cum dictione, vni dictioni tribuitur aliqua grãmaticalis proprietas, quæ re vera illi non competit. Atq; id est quod in litera dicit Philosophus, vt masculinum (inquiens) fœmininũ, vel econtrariò, vel neutrũ genus alterũ horum. Posterior modus est, dum dictionũ similium vni arbitremur competere aliquam dialecticã proprietatem, quæ in eam non quadrat. Hunc modum indicat Philosophus dum dicit, Vel rursus quale quantũ, vel quantum quale: vel faciens patiens, aut econtrariò, & sic de alijs prædicamentis. Id quod explicans & exponens subnectit. Contingit enim eorum quæ non significãt facere, vt eorum quæ significant facere, aliqua dictione significare, vt valere secundum figuram dictionis videtur significare agere, quemadmodum secare vel ædificare, quamuis illud quidem qualitatem aut affectum quodammodo significet, hæc verò facere. Sic Aristoteles. Ex cuius verbis palàm ac apertissimè conuincuntur illi modi quos recensuimus. Ad hæc annotant neoterici, hunc sophisticum locum generale esse receptaculum, & quasi publicum diuersorium omnium sophisticorum Elenchorum, quales quales extiterint. Nam omnis sophistica argumentatio adparentiam suæ bonitatis habet ex similitudine cum alia quadam valida ratiocinatione, quod an rectè, an secus dictum sit, non duximus discutere: nobis sat fuerit, omnium fallaciarum & in dictione & extra dictionem paralogismos, in idem posse coincidere, si modò alia atq; alia sit apparentiæ caula. Cæterùm plurima sunt, quæ non paucam difficultatem lectoribus ingerere possunt, a quibus nobis abstinendum esse duximus, ne in immensum nostra progrediantur & crescant Commentaria.

Huius fallaciæ duo modi generales Prior. Posterior.

Neoterici.

In secundum caput, agens de singulis extra dictionem fallacijs, scholia.

Eorum quæ extra dicti onẽ sũt.

IN præsenti capite post tractationem earum fallaciarum, quæ suæ apparentiæ causam ex ipsa dictione vel multiplici accipiunt, aggreditur considerationem earum, quæ extra dictionem nuncupantur, in exordio partiens ac distribuens extra dictionem paralogismum, in septem modos ac species, quę sunt eiusmodi. Fallacia secundum accidens, fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, secundum elenchi ignorantiam, secundum principij petitionem, secundum non causam velut causam, & fallacia secundum plures interrogationes vt vnam. Accipiuntur autem hæ septem fallaciæ, quemadmodum tradit Aquinas, secundũ quasdam entium generales cõditiones. Nam enti cõpetunt, esse per se, & per accidens: perfectum esse, & imperfectũ: oppositũ, & non oppositum: vnũ esse ac diuersum: prius & posterius: vnitas atq; multitudo. Ex eo quod est per se & per accidens, desumitur accidẽtis fallacia. Ex perfecti & imperfecti ratione, a dicto secundũ quid ad simpliciter dictũ, Ex oppositi & nõ oppositi consideratione, secundum elenchi ignorantiam fallacia, Ex eodem & diuerso principij petitio, Ex priori & posteriori, fallacia secundum non causam vt causam, Ab vnius vero & plurium contemplatione, fallacia secundum plures interrogationes vt vnam. At si quis harum fallaciarum numeri exactã rationem desideret, Alberti cõmentaria consulat, in quibus reperire poterit, quid Alpharabius, alij quoq; cõmentatores super hac re tradiderunt. Prima itaq; extra dictionẽ fallacia, est accidentis. Pro cuius cognitione imprimis declarandum est, quid accidentis nomine veniat intelligendũ. Item quid dicatur attributũ, & quid res subiecta. De accidente ad hunc modũ tradit Aquinas. Sciendum (inquit) est, accidens hoc loco accipi, quatenus contra id quod per se est distinguitur. Per se autẽ dicitur aliquid alteri inesse, quod ipsi secundum propriæ finitionis rationem inest. E diuerso, quicquid alteri alio inest modo, per accidens inesse dicitur. Vndè ad hoc quod est inesse per se aut per accidens, trifariàm aliquid se habere potest. Quædam enim sunt, quæ omnimodo sunt eadem secundum substantiæ rationem, vt vestis & indumentum. Atque in his solum per se est, & nullo modo per accidens. Quædam sunt, quorum vnum omnino est extraneum ab alterius ratione, Quomodo sese habent homo & album, in quibus solum id offenditur quod per accidens est, non autem id quod est per se. Alia verò sunt, quorum vnum ad alterius rationem aliquo modo pertinet, licet non sint omnino eadem secundum definitionem, quo pacto sese habent superius & inferius. Nam superius in inferioris ratione collocatur, etsi non omnino eadem sit superioris & inferioris definitio, vt animalis & hominis. Etenim inferioris definitio, vltra generis finitionẽ, constitutiuam complectitur differentiam. Simile quoq; reperitur in proprio & specie. Nam & species in proprij finitione collocatur. Non tamen sunt species & proprium prorsus secundũ definitionem eadem. Atq; in his est quodammodo per se, & quodãmodo per accidens, in quantum partim secundum definitionem consentiunt, & partim differunt. In his igitur quæ primo modo se habent, necessum est, vt quicquid de vno verè enuncietur, de altero prædicari,

Septẽ extra dictionẽ fallaciæ desumptæ secundũ quasdã entium generales conditiones.

De accidẽtis fallacia. Quid sit accidens.

quod talia penitus sint eadem secundum rem, discrepantia secundum vocem. Et proinde in his non contingit esse fallaciam accidentis. At in omnibus aliis id non est necessarium, quicquid videlicet de vno prædicetur, de altero verè dici. Et ideò si ex hoc quod aliquid de vno prædicetur, colligatur de altero dici, fiet accidentis fallacia. At contingit subinde, vt quod est verum de vno, concludatur & de altero esse verum, nempe quando aliquid tribuitur secundum quod idem est alteri. Tunc enim quod inest vni, & alteri inerit. Si verò attribuatur vni quatenus ab altero diuisum est, non inerit alteri, vt si album attribuatur animali inquantum est idem homini, oportet ipsum & homini conuenire. Si autem animali tribuatur quatenus ab homine diuersum est, non oportet homini conuenire. Quod si colligatur, prouenit accidentis fallacia, vt hic. Animal est quadrupes, & homo est animal, Igitur est homo quadrupes. Quadrupes enim non prædicatur de animali, vt animal est homo, sed quatenus ab homine est diuersum. Vnde patet, in dicto paralogismo medium diuersimodè accipi. Nam in priori præmissa accipiebatur secundum quod ab homine erat diuersum. In posteriori autem quatenus est homini idem. Et ideo quando est fallacia accidentis, semper est diuersa medij acceptio. Dico autem diuersam acceptionē medij esse, quando medium secundum quod conuenit cum vna extremitatum, ab altera est diuersum. Hæc Diuus Thomas. Ex quibus licet triplicem accidentis significationem desumere. Vna est, dum accidens esse dicitur, quod alicui rei post ipsius complementum aduenit, secundum quam omnia nouem genera accidentia dicimus. In altera dicitur accidens id quod rei aduenit, & ad ipsius substantiam non pertinet. In quo quidem significatu inferius omne sui superioris est accidens, eò quòd illud in substantialem huius finitionem nequeat collocari, quemadmodum dicebatur in sexti Topicorum libri loco sexto. Tertio accipitur accidens, pro eo quod extraneum est alteri, quatenus ad tertium confertur, quo in sensu non solum inferius superioris collatione est accidens, sed & superius respectu inferioris. vt figura triangulo accidit. Nam ratio ipsius figuræ extranea est rationi trianguli, quatenus triangulo competit hæc passio, habere per se & primo tres angulos duobus rectilineis æquos. Insuper ex ijsdem ab Aquinate traditis colligitur, medium esse accidens, si modò ad vnam extremitatem collatum ipsi idem fuerit: Ad alteram autem relatum, ab ea diuersum. Attributū autem apparet esse maior extremitas, & res subiecta minor extremitas. Id quod limitant quidam Thomæ sectatores ad primā & secundam figuram. Nam in tertia figura existimant rem subiectam esse medium, & minorem extremitatem accidens esse. At paralogismi huius fallaciæ, vti habet litera, construuntur, quando idē attributum prædicatúmve similiter existimatur competere accidenti seu medio in propositione maiori, & rei subiectę in conclusione, cum tamen aliter se habeat res, hoc est, quando non sequitur conclusio ob indebitā medij dispositionem. Nam etsi plura prædicata vni eidem medio conueniunt, non tamen ob id necesse est, ea prædicata inesse medij eisdem, quatenus de minoribus extremitatibus prędicantur, neq; minoribus extremitatibus competere, aliàs omnia essent eadem, vt ens est substantia, & omnis qualitas est ens, similiter & quantitas, & omnis relatio, Igitur omnis qualitas est substantia, & omnis quātitas, & oīs relatio. Ens est Plato, & omnis substātia est ens, & omnis qualitas, &c̄. Igitur omnis substantia est Plato, & omnis quantitas Plato est, &c̄. Alij illud quod in litera dicitur, Nam quia multa eidem accidunt, ad minores extremitates referunt, quæ veluti quędam subijcibilia, vniuntur accidentaliter medio, ad maiorē extremitatē relato. Cæterùm hęc accidentis fallacia est captiosa ratiocinatio, profluens ratione alicuius vnionis aut separationis attributi & rei subiectæ, seu ambarū extremitatū cum medio & accidente in præmissis, propter quā creduntur extremitates verè vniri aut separari, quæ tamen non re vera vniuntur aut separantur, propter insufficientem aut vnionem, aut separationem cum medio in præmissis, comparatione conclusionis illatæ. Diximus vnionē, propter paralogismos affirmationis, & propter negatiuos separationē. Deinde adiecimus cōparatione illatæ conclusionis, eò quod aliquorum opinione, ex qualibet extremitatū cum medio vnione in præmissis, inferri possit aliqua extremitatum vnio, aut specifica aut generica, aut in eadem natura & eodem accidente, &c̄, A cuius ampliore declaratione nobis est abstinendum. At huius fallacię causa apparentiæ est, apparens debita vnio aut separatio extremitatum cum medio, &c̄. Causa autē defectus est insufficiens vnio aut separatio extremitatum cum medio, respectu cōclusionis quæ colligitur. Cæterùm circa huius fallaciæ modos, autorum variæ sunt opiniones. Porrò superioribus adijcit duo Aquinas. Prius est, adnotandum esse, nullum inconueniens esse, si in dictorum paralogismorum aliquibus, sint assignatæ duæ fallaciæ, figuræ dictionis, & accidētis. Nam quatenus prouenit deceptio ex dictionis similitudine

Accidentis triplex acceptio. Prima. Secunda.

Tertia.

Mediū quò sit accidens. Quid attributū & res subiecta.

Apparentiæ causa & defectus. Huius fallaciæ modi diuersimodè assignātur. Thomas duo superiorib⁹ adijcit. Prius,

similitudine, est figuræ dictionis fallacia, At in quantum prouenit ex rerum inconuenientia, erit secundum accidens fallacia. Posterius est, accidentis parologismum non solùm fieri ex pronunciatis categoricis, sed & ex hypotheticis, ex eo quod medium diuersimodè sumitur, & ad vnam extremitatum comparatum, diuersum est ab altera. Exemplum est, Si nullum tempus est, dies non est, à toto in quantitate. & si dies non est, nox est, à contrariis. Igitur si nullum tempus est, nox est, sed si nox est, aliquod tempus est, Igitur si nullum tempus est, aliquod tempus est. Nam illud medium, quod est diem non esse, est diuersum ab eo quod est noctem esse, quatenus sequitur ex eo quod est, nullum tempus esse. Non enim sequitur noctem esse, si dies non sit, nisi supposita temporis existentia. Hactenus de præsenti fallacia, quam volunt ab elencho deficere, quatenus verè est collectiuus. Post hæc in litera ibi, Secundum quid autem & simpliciter fiunt paralogismi, &c. determinatur de secunda extra dictionē fallacia, quam appellant a dicto secundum quid, & simpliciter: aut a dicto secūdum quid ad dictum simpliciter. Atque in huius partis literæ exordio in summa indicat, quomodo hæc fallacia fiat. Deinde mox quibusdam exemplis subiectis, insinuat aliquot huius fallaciæ modos. At postremò ibi, Huiusmodi autem in quibusdam facilè est considerare, &c. aperit apparentiæ huius fallaciæ principium in aliquibus facilè deprehendi posse, & in aliis difficile. Facile quidem, cùm duorum oppositorū vnum, quod subiecti certam partem non determinet, alteri insit secundum maiorem partem, & alterum eidem insit secundum portionem minorem. Difficile aūt, si oppositorū vtrumque secundum æquas portiones inexistat, quemadmodum ex litera palàm esse potest. Cæterùm pro ampliori huius fallaciæ intelligentia, aliqua sunt subiicienda. Imprimis enim cognoscendum est, quid sit id quod secundū quid dicitur, quidque simpliciter accipitur. Dictum secundum quid, bifariàm accipi potest, Vno modo fusæ, pro determinabili & determinatione, qualisqualis ea fuerit, siue restringens, siue amplians, siue diminuens, siue distrahens, siue alienans. In hoc significatu omnis pars in modo est dictum secundū quid, & omne totum in modo dictum simpliciter, etsi id non conuertatur. Altero modo describitur esse determinabile, sumptum cum aliqua determinatione alienante, distrahente, diminuente, aut ampliante, aut restringente, modò referatur ad negantem negationē. Id quod videtur probabiliter colligi ex illa literæ parte, Et rursus, si aliquid non est homo, non est. Non enim idem est, non esse secundum quid, & non esse simpliciter. Hæc autem secunda, dicti secundum quid acceptio, propria & peculiaris huic loco sophistico esse videtur. Altera verò prior & communior, quippe quæ & hanc contineat a qua sumitur locus sophisticus, & partem in modo, ex qua dialecticus locus depromitur. Similiter quoque de dicto simpliciter est censendum. Nam priori modo determinabile est, sine vlla determinatione acceptum. Posteriori aūt est determinabile non sumptum cum aliqua determinationū posterius recensitarū. Insuper secundo sciendum est, huius fallaciæ defectus principium atque causam esse, dicti secundū quid, & dicti simpliciter diuersitatē. Causam verò apparentiæ, esse vnitatem & conuenientiam eorundem, aut apparentem inclusionem dicti simpliciter in dicto secundum quid. At obiiciet fortassis quispiam, ex mox dictis colligi, hanc fallaciam esse in dictione. Nam cùm dictum secundum quid, & dictum simpliciter sint dictiones ex parte & conuenientia dictionum desumit hæc fallacia suæ apparentiæ causam. Ad cuius confirmationē conducit illud literæ, Apparent autem idem, eo quod proxima sunt dictione, & parum differunt esse quid, & esse simpliciter. Huic respondebimus, eum loquēdi modum accipiendum esse in hunc sensum. Huius fallaciæ apparentiæ causa est vnitas atque conuenientia rerum per dicta secundum quid & simpliciter designatarū. Posset & alteri dici, hęc nomina dictum secundum quid, & dictum simpliciter, esse de eorū numero, quæ iuxtà & vocibus & rebus possunt competere, & si frequentius in communi loquendi vsu signis tribuantur. Ad confirmationem adductam respondet Egidius Romanus, dictionem accipi pro re dicta. Annotat & quidam alius insignis autor, conuenientiam vocis cum voce in dictis secundum quid & simpliciter cooperari ad hanc deceptionem, & efficere, vt argumentatio huius fallaciæ appareat esse syllogismus, non tamen esse primā & præcipuam per se causam, sed hanc esse cōuenientiam rerū per dicta secūdum quid & simpliciter significatarū. Modi verò, quos nobis Aristoteles proponere videtur, hi sunt. Primus, si oppositum de suo opposito colligatur, quale quale oppositū fuerit, vt videns est cæcum secundum alterum oculum, igitur videns est cæcum. album est non album secundum capillos, igitur album est non album. Secundus est, cùm ex vno opposito simpliciter sumpto, & altero secundum quid, colliguntur duo opposita eidem conuenire. At tertius erit, si ex duobus oppositis secundum quid sumptis, colligantur vtraque opposita eidem competere, id quod facile

Posterius.

Fallacia a dicto secundū quid.

Dictū secūdū quid dupliciter accipitur.

Priori modo largè.

Posteriori modo strictius.

Defectus & apparētiæ huius fallaciæ causa.

Obiectio.

Confirmatio.

Dilutio obiectionis.

eſt exemplis commonſtrare. Quòd ſi contra hæc videantur nonnulla poſſe adferri, poſteri-

Fallacia elēchi.

us ſatis a nobis elidentur. Inſuper in literæ progreſſu ibi, Qui aũt ſunt paralogiſmi propterea quòd non determinetur quid ſit elenchus,&c. ſtrictim pertractat de tertia extra dictionem fallacia, quam appellare cõſueuerunt fallaciam ex elenchi ignorãtia prouenientẽ. In exordio igitur ſummatim explicat, quo pacto paralogiſmi ad hanc fallaciam pertinẽtes fiant. Deinde ſecundò elenchi deſcriptionẽ ſubnectit. Tertiò, inſinuat huius fallaciæ modos. Quartò aũt ibi, Trahet aũt aliquis,&c. latenter indicat, quomodo ſeſe habet hæc fallacia, ad eas quæ ſunt ſecundum dictionẽ. Nobis igitur ſolito itinere properantibus, explicandum eſt in primis, quid ſit elenchus.

Duæ definitiões elēchi. Prior. Poſterior cũ ſua expoſitione.

Huius duas adfert Philoſophus definitiones, Prior quàm breuiſſima eſt eiuſmodi, Elenchus eſt ſyllogiſmus cum concluſionis cõtradictione. Huius aũt breuitatem compenſat longitudine huius ſecundæ, quæ prioris eſt expoſitiua. Elenchus eſt contradictio vnius & eiuſdem, non nominis, ſed rei & nominis, non ſynonymi, ſed eiuſdem, ex his quæ data ſunt ex neceſſitate, non connumerato eo quod erat in principio, ſecundum idem, ad idem, ſimiliter, & in eodem tempore. Alibi prohibet Philoſophus, in definitionibus conſtruendis prolixitatem, quod & perpetuò ſeruauit, hoc vnico loco excepto, propter importunitates ſophiſtarũ, quorum bona pars florebat Socratis & Platonis ætate, vt Protagoras, Gorgias, Hippias, Euthydemus, Dionyſodorus fratres, & aliquot alij, quemadmodum cognoſci valet ex Platonicorum dialogorum lectione.

Elenchi duplex acceptio.

Porrò huius finitionis finit elenchus (vt Aquinas ſubindicat) duplex eſt acceptio. In priori ſumitur pro duorum ſyllogiſmorum collectione, cõtradictoria colligentium. In poſteriori verò accipitur pro vnico ſyllogiſmo, concludente contradictoriam propoſitæ poſitionis. Atq; hæc ſignificatio in communi loquendi vſu eſt frequentior.

Definitiõis elenchi duplex ſenſus.

Ad hoc, præſens definitio duplicem admittit expoſitionẽ ſeu ſenſum, Vnum, qui ex cauſa deſumatur, dicaturq; elenchus eſſe ipſa contradictio, ꝙ ratiocinatio ſit colligens contradictoriam concluſionem. Alter dicitur formalis, vt dictio contradictio idem polleat quod ſyllogiſmus colligens contradictionem. Prior enim finitio aiebat, elenchum eſſe ſyllogiſmum cum concluſionis contradictione. Inſuper aduertendum eſt, in ea finitione quædam ſyllogiſmi tantùm cauſa poni, quædam ob contradictionem tantùm, & quædam ad vtrumq; pertinere. Syllogiſmi gratia redduntur hæc, Ex his quæ data ſunt ex neceſſitate, non connumerato eo, quod eſt in principio. Ob contradictionem verò quatuor poſtremo loco enumerata, ſecundum idem, ad idem, ſimiliter, & in eodem tempore. Reliqua autem medium locum occupantia, vtriq; & ſyllogiſmo & contradictioni ſunt communia, ablata enim vnitate nominis ſecundum rem, nulla erit contradictio, nullusq; ſyllogiſmus. At ſi ſeruata rei vnitate, nominis diuerſa ſit prolatio, & ſynonymũ conſtituatur, non erit apta contradictio, neq; manifeſtus ſyllogiſmus. Ex his itaq; prædictæ finitionis colligitur huiuſmodi ſenſus, Elenchus eſt ſyllogiſmus, qui nominum medij & extremitatum ſeruata vnitate, & ſecundum rem, & ſecundum vocem, ex his quę data ſunt, ſecluſa principij petione, ex neceſſitate infert concluſionem, quæ alteri aut concluſioni ac propoſitioni verè ac manifeſtè ſit contradictoria, aut contraria, eò ꝙ ſint eorundem nominum, & ſecundum rem & ſecundum prolationem, & ſumantur ad idem, ſecundum idem, ſimiliter, & in eodem tempore. Qui igitur hęc omnia & ſingula cognoſcit exigere elenchũ, habet elenchi ſcientiam, & probè elenchũ ſciet. At qui ignorauerit, ſiue arbitratus fuerit, aut horũ nulla aut aliqua poſſe cõſtruendo elencho abeſſe, elenchi ignorãtia laborabit, & parelenchũ pro elencho efficiet. Hactenus de elenchi deſcriptione.

Bifaria fallaciæ ignorantiæ elenchi acceptio. Prior.

Porrò fallaciæ ignorãtię elenchi bifariàm accipitur. Primò largè, vt ſit idoneitas decipiendi, proueniens propter omiſſam aliquã particulã, qualisqualis ea fuerit, in elenchi definitione collocatã. In qua quidẽ ſignificatione cęteras oẽs fallacias ſuo ambitu cõplectitur, & ad ipſam veluti cõmunius quoddã cæteræ reuocãtur, & de qua eam partẽ literæ, Trahet aũt aliquis hanc deceptionẽ, &c. plęriq; accipiunt, à quibus nihilo ſecius diſſentit Egidius Rom. vt eſt aſpicere in ſuis in hunc librum cõmentariis. Neq; de hac in præſentiarũ agit Ariſt.

Poſterior acceptio.

Secũdò ſumitur propriè, vt ſit idoneitas decipiendi, proueniens ob omiſſionẽ alicuius quatuor particularũ in elenchi definitione poſtremo loco aſſignatarũ. Cuius cauſa apparentiæ eſt apparẽs ſimilitudo cõtradictionis, ſiue apparẽs obſeruatio omnium earũ particularũ. At cauſa defectus, eſt alicuius earũ omiſſio.

Huius fallaciæ modi quatuor. Primus.

Huius fallaciæ quatuor ſunt modi. Primus, cùm deficit particula ad idem, vt binarius duplus eſt ad vnitatem, & non eſt duplus ad ternarium, Igitur duplus eſt, & non eſt duplus.

Secundus.

Secundus eſt, ſi omittatur particula Secundum idem. vt Socrates ad Platonẽ eſt magnus, & ad gigantẽ Goliath non eſt magnus, igitur Socrates eſt magnus, & non eſt magnus.

Tertius.

Tertius ſit, cùm omittitur particula Similiter. vt Plato eſt ſapiens, & non neceſſario eſt ſapiens,

igitur

igitur Plato est sapiens & non est sapiens. Quartus verò profluit ex omissione particulæ, In eodem tempore. vt Democritus hoc tempore ridet, & illo non ridet, igitur Democritus ridet, & non ridet. Ex his itaq; licet colligere, hanc fallaciam fieri, dum ex duobus cōtradictoriis apparentibus colliguntur vera cōtradictoria. Nam in omnibus iam redditis exemplis idipsum contingit. Poterit tamen & aliter prouenire, si videlicet parelencho colligatur apparens contradictorium thematis propositi, quod ob elenchi ignorantiam existimetur esse verum contradictorium, vt sit positio, binarium esse duplum, cōstituetur hic parelenchus. quicquid non continet bis ternarium, non est duplum ad ternarium. at binarius non continet bis ternarium, igitur binarius non est duplus ad ternarium. Quòd si quis ex ignorantia arbitretur conclusionem illatam contradicere positioni, erit eiusmodi fallacia. Idem continget, si thema positum fuerit negatiuum. Poterunt quoq; ambo contradictoria apparentia duobus syllogismis colligi, quę comparatione positionis erunt parelenchi. Ex his igitur facilè palàm erit, dum ex apparentibus contradictoriis vera colliguntur contradictoria per hanc fallaciam, cum hac necessariò incidere fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, (Neq; enim illis assentimur, qui existimant sequi, hoc est non duplum ad hoc, ergo hoc est non duplum) alia tamen atq; alia ratione. Nam hic perpenditur contradictio apparens, illic verò apparens inclusio dicti simpliciter in eo quod est secundum quid dictum. Post hæc in litera ibi, Paralogismi autem qui sunt propter id, quòd sumunt quod in principio erat, &c. Breuissimè tractat Aristoteles de quarta fallacia extra dictionem, quæ est fallacia petitionis principij. Principium dicitur id, quod controuersum est, & ab opponente probandum, quod quàm variis modis peti contingat, dictum est superius, partim secundo libro Priorum Analyticorum, partim octauo Topicorum. videntur autem sophismata huius loci in hoc fallere, quia respondens non potest inspicere atq; discernere, an id quod assumitur ad probandum intentum, sit ignotius aut æquè ignotum cum eo quod initio probandum suscipitur. Sunt enim paralogismi huius loci ferè necessariæ consequentiæ, sed in eo peccant, quòd antecedens non sit idoneum ad probandum consequens. Deinde in literæ progressu ibi, Secundum consequens apparent elenchi, eò quòd putetur, &c. aggreditur Philosophus consyderationem quintæ fallaciæ extra dictionē, nuncupatæ à consequenti, quam quidam volunt annexam esse fallaciæ accidentis. Atq; in primis explicat Aristoteles, quo pacto valet hęc deceptio prouenire. Deinde subindicat huius fallaciæ modos, quemadmodum ex sequentibus palàm erit, Pro maiori igitur huius a consequenti fallaciæ cognitione, in primis annotandum, hoc in loco, prętermissis sophistarum nugis, dici antecedens, quod ex necessitate, probabilitate, aut suspitione quadam aliud infert, Consequens aūt, quod simili modo infertur. Verbi gratia, antecedentia sunt esse mel, terram esse complutam, esse adulterum, Consequētia verò sunt, esse flauum, terram esse madidam, comptum esse, noctu esse errabundum, & id genus alia. Consequens est triplex, quoddam cum antecedente recurrit ac conuertitur, vt risibile cum homine. Aliud latius patet, & pluribus inesse valet, quibus nequit antecedens competere, vt animal hominis comparatione. Aliud strictius est, & minus commune, quemadmodum contingit, vt inquit Aquinas, in hac argumentatione, Omnium oppositorū est eadem disciplina, igitur omnium contrariorum disciplina est eadem. Ex antecedente velut inferente quodam, & consequente tanq; illato, procreatur cōsequentia quadruplex, Vna simplex, vt si mel est, flauum est. homo est risibilis, ergo animal est risibile. Alia est cōposita, vt si equus est, substantia est, igitur si nulla substantia est, nullus equus est. Cōsequentia simplex est duplex, vna cōuertibilis, vt homo est, ergo disciplinæ susceptiuum est. si homo est, rationale est. Alia non cōuertibilis, vt si platanus est, planta est, super quibus omnibus pluribus in locis amplè satis determinatum est. Porrò in fallacia consequentis, causa apparentiæ est apparens vnitas, ac conuertibilitas consequentis cum antecedente. Et defectus principium est eorundem diuersitas. Accidit autem hæc fallacia, quantum ex literæ exemplis colligere licet, bifariàm. vel quando data propositaq; consequentia non recurrente, à positione consequentis ad positionem antecedentis ratiocinamur. Huiusmodi tria in litera redduntur exempla, quorum duo priora sunt naturalia, quæ sunt, si mel est, flauum est, igitur si flauum est, mel est. Aut si quid est mel, est flauum, ergo si quid est flauum, est mel. Aut si quid est mel, ipsum est flauum, sed fel flauum est, igitur fel est mel. Si pluit, terra est madida, igitur si terra est madida, pluit. Tertium exemplum rhetoricum, est eiusmodi, si quis sit adulter, est comptus vel noctu errabundus, ergo si quis comptus & noctu errabundus sit, ipse est adulter. Aut dum in simili consequentia ducitur argumētatio ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis. Cuius modi vnum est exemplum speculatiuum

Quartus.

Fallacia petitionis principij.

Fallacia cōsequentis.

Quid antecedēs quidue cōsequēs.

Triplex cōsequens.

Thomas.

Quadruplex, cōsequentia, simplex & cōposita, Conuertibilis & non cōuertibilis.

tiuum

tiuum hoc, si quid factum est, habet principium, igitur si quid non est factum, non habet principium, qua quidem argumentatione vtebatur Melissus, ad probandum, mundum esse infinitum. Nam hæc ratiocinandi forma infirma est, nisi materia sumatur quæ recurrat, qualis non est hic. Nam habere principium, est cõmunius eo quod factum est, sicut calidum esse latius patet quàm esse febriens. De ratione Melissi agendum est non hic, sed in primo libro de Physico auditu. Patet igitur, quòd hæc consequentis fallacia in duabus consistit consequentiis, quarum vna est vera, & altera falsa. vbi verò tantùm ponitur vna consequentia, non est fallacia consequentis. Vndè, si dicatur, Socrates est animal, igitur Socrates est homo, non est fallacia consequentis ex modo argumentandi, sed magis est fallacia accidentis. Nam sicut fallacia consequentis próuenit ex eo, q consequens existimatur omnino esse idem antecedenti, cùm non sit, ita fallacia accidentis próuenit, ex eo quòd prædicatũ existimatur omnino idem esse subiecto. Vndè hæc fallacia denominatur à consequẽdo, Illa verò ab accidendo, quod est inhærere. Et inde est, quòd quando proceditur argumentando, solùm ab aliqua categorica, per quam significatur alicui inesse, est fallacia accidentis: Quando verò ab aliqua conditionali, est fallacia consequentis. Et ideo dicit Philosophus, fallaciam accidentis esse in vna, fallaciam autem consequentis in pluribus, consequentiis videlicet. Et ex hoc etiam patet, quòd in consequentiis consequens est aliquo modo pars accidentis. Nam omne quod sequitur aliquo modo accidit, sed non omne quod accidit, sequitur. Hæc & alia plæraq; eodem pertinentia tradit Aquinas cap. 13. opusculi de fallaciis, à quibus non dissentit Albertus.

Secundũ nõ causam vt causam.

Post hæc in litera ibi, Secundum non causam autem vt causam fiunt elenchi, &c. agit Philosophus de sexta fallacia extra dictionem, quam vocant fallaciam secundum non causam vt causam, & primò explicat, quomodo hæc fallacia fieri posset. Deinde in quibus fiat syllogismis. Post hęc exemplum adhibet exponẽdo ipsius defectum. Et postremò, quomodo huiusmodi fallacię paralogismi sint syllogisati & insyllogisati, & quod causa defectus non solùm lateat respondentes, sed & subinde non minus ipsos interrogãtes. At eam finalem particulam, Secundum consequens igitur & secundum non causam huiusmodi sunt orationes, nonnulli, in quibus sunt Albertus & Egidius, intelligunt de paralogismis huius fallaciæ, quos arbitrantur etiam pertinere ad fallaciam consequentis, vel aliquo modo illis esse similis. Nam, vt inquit Albertus, in fallacia consequentis duæ sunt consequentiæ. Vna bona, & altera mala, & fit reditus à consequente ad antecedens, sic & in hac contingit. At sensus proprius & germanus est, si sic quod dicitur, duarum figurarum epilogus.

Albertus. Egidius.

Quæ præmissa sit causa.

Porrò pro huius fallaciæ latiori intelligentia aduertendum est, hæc nomina causam & non causam, tribuenda esse syllogismi pręmissis. Est autem præmissa causa, quæ efficit ad conclusionis illationem syllogisticam, & qua semota, non remaneret syllogismus, neque conclusio syllogisticè colligeretur.

Quæ pmissa nõ causa.

Pręmissa non causa est, quæ ad conclusionis illationem nihil operatur, & qua ablata, nihilo secius persisteret syllogistica conclusionis illatio. hæc est duplex,

Quæ pręmissa nõ causa absolutè.

Nam quædam est, quæ cum permissa causa, aut cum conclusione nullo termino participet, Atque hæc dicitur præmissa non causa absoluta.

Quę pmissa nõ causa vt causa.

Altera est, quæ cum pręmissa causa vel conclusione, in aliquo extremo consentit. Hæcque dicitur præmissa non causa vt causa. Non causa quidem, quòd ad conclusionis illationem nihil operetur, tanquã causa verò, eò quòd propter illam cõuenientiam videatur operari. Insuper ad memoriam reuocandum est ex secundo Analyticorum libro, duplicem esse ad impossibile syllogismum, Vnum verum, alterum superfluum, de quibus satis amplè egimus in eo libro, cùm de secundo syllogismorum defectu ageremus, qui appellabatur non propter hoc accidere falsum, quique hac fallacia est communior, eò quòd constitui possit ex præmissa coassumpta, cui nihil commune sit cum præmissis ac conclusione.

Nõ propter hoc accidere falsum cõmunius est hac fallacia.

Quæ apparẽtię & defectus causę.

Cæterùm ex Aristotelis verbis depromi solet huius fallaciæ causa apparentiæ esse, conuenientia præmissæ non causæ cum præmissa causa, aut conclusione in aliquo extremorum. Causa verò defectus est ipsarum diuersitas.

Egidij Romani extranea opinio.

At Egidius Romanus, existimans Aristotelem duntaxat agere de commodissimo & syncero huius fallaciæ vsu, opinatur huic fallaciæ locũ dari in syllogismo ostensiuo, pro ratione adferens hunc paralogismum, Id post quod fiunt mala, est causa malorũ, sed ciuitas est id post quod fiunt mala, igitur ciuitas est causa malorũ, quem testatur Philosophus secundo Rhetoricorum, esse fallaciam secundum non causam vt causam.

Eiusdẽ opinionis cõfutatio.

Cui respondebimus, Philosophum alia in significatione vsum esse fallacia secundum non causam vt causam. Accepit enim præmissam non causam vt causam, pro præmissa faciente ad cõclusionis illationẽ, quæ apparet esse conclusionis causa, & si talis non sit. eiusmodi est maior illa assumpta, quæ in superficie solùm est probabilis, & ob id falsus ipsius assensus, causa est deceptionis

illatæ

illatæ conclusionis. Alioqui cogetur fateri Egidius, omnem paralogismum eius quod est in principio petendi, esse secundum præsentem locum sophisticum. Postremò loco in literæ progressu ibi, Paralogismi autē qui sunt propter id quod quis duas interrogationes vt vnam facit, &c. pertractat Philosophus de vltima extra dictionem fallacia, quæ dicitur fallacia secundum plures interrogationes vt vnā, pro qua primò explicat, quo pacto proereari valeat hæc fallacia. Deinde ostendit ipsius facilitatem ac difficultatem. Post hæc tertiò reddit modos huius fallaciæ, siue absolutè sumantur, siue aliqua facta hypothesi. Pro exactiore igitur huius fallaciæ assequenda cognitione adnotandum est, hæc quatuor enunciationem, propositionem, interrogationem, & conclusionem in idem incidere alia atq; alia ratione. Dicitur siquidem enunciatio, quòd significet simpliciter aliquid esse, aut non esse: Interrogatio, inquantum sub dubitatione proponitur: Propositio, ea ratione qua ad alterius probationem sumitur: Conclusio verò, quatenus ex aliis probatur aut colligitur, quemadmodum & alibi adnotauimus. Quamobrem quemadmodum enunciationum, quędam vna est, & altera est plures. Sic & de interrogationibus & conclusionibus erit censendum. At in priori libro Peri Hermenias, cùm diceremus quid sit enunciatio vna, quid plures, duplicem distinximus enunciationem vnam, ac plures. Nam altera dicitur vna, quia enunciat vnum de vno. Altera verò, quia est coniunctione vna. Similiter altera dicitur plures, quia plura enunciat. Altera verò, quia est plures enunciationes inconiunctæ. Insuper addebamus, quòd Aristoteles disserens de enunciatione, quæ est vna aut plures, ferè loquatur de ea enunciatione, quæ priore modo dicitur vna aut plures, id quod etiam huic loco accommodandum est. Erit itaque hoc loco interrogatio vna, quæ interrogat vnum de vno, Plures verò, quæ interrogat plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus. Addunt quidam, vel quæ fit in plurali numero. Nam dictio pluralis numeri videtur æquiualere copulato, vt demōstrato cæco & vidente nihil referre putant, siue quęras an hi sint cæci, siue an hic & ille sint cæci. Nam vtranq; interrogationem plures esse existimāt, alteram implicitè, alteram verò explicitè. sunt enim interrogationes multæ, quæ licet prima facie vnæ esse appareant, virtute tamen plura complectuntur. vt vtrùm desisti furari? Nam desiisse furari duo complectitur, videlicet aliquando esse furatum, & nunc amplius non furari, quare in his cauendum simpliciter affirmare aut negare, quasi vna esset interrogatio. sed secundum quæstionis multiplicitatē statim distinguenda est responsio ad vitandam apparētem redargutionē, vt secundo libro latius explicabitur.

Secūdū plures interrogationes vt vnam.

Enunciatio dupliciter, vna, aut plures.

Interrogatio, vna.

Ex dictis colligunt quidam quinque modos, secundum quos efficitur interrogatio plures. Vnus est, Si plura de vno, aut vnum de pluribus, aut plura de pluribus rogentur implicitè & incōiunctim, vt sitne latrabile canis? Vtrùm canis latret? An canis sit piscis, nec ne? Secundus modus hinc manat, quòd plura de vno, aut vnum de pluribus, aut plura de pluribus explicitè & inconiunctim quærantur. vt est ne Socrates caluus sapiens? Tertius est, dum rogantur plura de vno, aut vnum de pluribus, aut plura de pluribus explicitè, connexa ad inuicem vt determinabile & determinatio, Vt estne Socrates albus homo, necne? Quartus efficitur, quando interrogantur plura de vno, &c. quę quidem plura coniunctione vniuntur, vt vtrùm hic & hic sit homo? Quintus verò desumitur ex hoc quòd rogātur plura de vno, &c. sub pluratiuo numero, vt suntne ista bona? Horum omnium modorum primus est æquiuocationi accōmodandus. Reliqui autem præsenti fallaciæ. Causa apparentiæ huius fallaciæ est vnitas interrogatiui signi, vel vnitas interrogatoris, Aut (vt habet Aquinas) vnitas ex parte modi interrogandi, propter quam datur vna responsio, ad quam aut vera aut apparens sequitur redargutio. Causa verò defectus est pluralitas interrogationis, siue interrogatorum. Porrò cùm nonnihil discriminis ponere videatur Philosophus inter singularem numerum & pluralem, duo huic fallaciæ assignātur modi. Prior est, quando plura de vno, &c. in singulari numero rogantur. Exempla sunt, Est homo & equus animal rationale? Si respondeatur sic esse, colligitur equus esse animal rationale. Si respondeatur non, apparēter infertur, hominem non esse animal rationale. Item, estne æthiops homo albus? Si respōderis, Sic, infertur æthiops esse albus. si Non, colligetur apparēter æthiops non esse homo. Ad hunc modum pertinet illud literæ exemplum, Est hic & hic homo? duobus hominibus demonstratis. Si respondeatur sic esse, Igitur, &c. Alter modus prouenit ex interrogatione, in qua rogantur plura de vno, &c. in plurali numero. Exempla sunt, vt putāsne mel & fel esse dulcia? Si respōdeatur non, colligitur mel non esse dulce, idq; apparenter duntaxat. At si ita esse detur, sequetur fel esse dulce. Ad hunc modum attinet illud exemplum literæ, Omnia hęc sunt ne bona, an non bona? Ad quod si detur responsio affirmatiua, sequetur vera redargutio. At si nega-

Quinq; modis efficitur interrogatio plures.

Primus est.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Defectus principium.

Duo huius fallaciæ modi.

Posterior.

negatiua detur, colligetur apparens elenchus. Sed rogabis, Cur ex affirmatiua responsione constituetur fallacia, cùm sit legitima consequentia. Responsio. Quia constat antecedente falso, quòd per interrogationem apparens efficitur. Nam respõdens reformidat dare negatiuam responsionem propter apparentem falsi illationem, ac proinde existimat affirmatiuam esse veram, ex qua incidit in redargutionẽ. Huius quoq; modi est & alterum exemplum subiectum, id quo fit hypothesis, nomina pluratiui numeri eodem modo finienda esse, quo definiuntur ea, quę sunt singularis numeri, ad quod sequitur vera redargutio, siue adhibeatur responsio negatiua, siue affirmatiua in terminis priuatiuè oppositis. Verbi gratia, demonstratis vno vidente & altero cæco, si rogetur quis, An ne hi cæci sint, An videntes? Si respondeat is eos esse cæcos, sequitur hunc videntem esse cæcum, Si verò videntes, colligitur hic cæcus esse videns. At si detur, eos non esse cæcos, instabitur ex suppositione facta, isti non vident, & apti sunt videre, &c. Igitur sunt cæci, & proinde erunt & cæci & non cæci. Quòd si admiseris, eos esse non videntes, cùm sint apti videre, confiteatur necesse est, eos esse cæcos ex eadem suppositione. Quam ob rem hic videns erit cæcus. Vndè fit, vt ea hypothesi stante, ex vtraque responsione vera colligatur redargutio. Id quod nunc diximus, nonnulli arbitrantur tertium huius fallaciæ esse modum. Nos aũt Albertum, Thomam, & Egidium sumus imitati. Ex his igitur quæ prædicta sunt, palàm est, ad interrogationẽ quæ plures est, necesse esse nos singulis interrogationibus singulas adhibere responsiones, ne verè aut apparẽter redargui videamur. Ab hac quoq; Aristotelica traditione non longè dissentit Aulus Gellius Noctium Atticarũ libri decimisexti capite secundo, cuius verba breuitatis gratia non recensemus.

Igitur sic diuidẽdi sũt

In tertij tractatus primum caput, quo ostenduntur omnes sophistici elenchi, ab elencho vero deficere, & proinde ad ipsum reducendi, Scholia.

Ois paralogismos reducẽdos esse ad elenchi ignorãtiam, duabus rationibus ostẽditur.

Prior.

PErtractatis superiori tractatu singulis locis sophisticis, hoc sequenti in plura capita distributo, agit de eisdem locis, quatenus ab elencho deficiunt, atq; sunt deceptorij. Itaque in huius capitis exordio præfatur Philosophus, locos sophisticos sic esse diuidendos, & omnes reducendos esse ad elenchi ignorantiam, præsertim ab iis, qui ipsum omnium sophisticarum redargutionum faciunt principium, elementum, & fundamentum. Duplicem ignorantiæ elenchi consueuerunt facere acceptionem, quemadmodum superius diximus. Ea autem quæ hic traduntur, accipienda sunt de elenchi ignorantia largè & communiter accepta, quæ an sint communis omnibus sophisticis locis per prædicationem, an alio aliquo modo, superius est indicatum. Quòd autem illi loci sint reducibiles ad eam elenchi ignorantiam, monstrat Philosophus duabus rationibus. Vna communi in litera ibi assignata, Primùm quidem si asylogistici, hoc est, incollectiles, vt habet Boetius, &c. Pro qua obiter notandum, eas præmissas esse collectiles, quæ formam syllogisticam retinent, & probant illatam conclusionem, quę reuera contradictoriè est opposita positioni respondentis, quales sunt cuiuslibet elenchi præmissæ. Incollectiles contrà sunt, quibus horum vnum, aut duo, aut cuncta desunt, id quod accidit omni sophistico syllogismo & elencho, quanquam oppositum esse appareat. Cęterùm altera ratio specialiter & per singulas fallacias discurrens, redditur in litera ibi, Deinde & secundum partes definitionis, in qua prius recensentur fallaciæ in dictione. & postea ibi, Paralogismos aũt secundum accidens, &c. Idem monstratur esse in singulis extra dictionẽ fallaciis. Cęterùm cùm in litera dicitur, vt æquiuocatio, amphibologia, & similis figura, ideo coniuncta est dictionis figura æquiuocationi & amphibologiæ, q̃ illis cõmune sit, seruata eadem materia & forma, plura aut verè aut apparenter significare, etsi illis respondeat multiplex actuale, huic aũt duntaxat phantasticum. Porrò loco probationis continẽter subiectæ, dicentis, Consuetum enim est, hæc omnia, hoc vt illud significare, legit post Græcanicum codicem Boetius, Consuetum enim id, omnia, vt & illud quippiam significare, hoc est, Solitum est id omnia prædicta significare, vt & illud quoduis, hoc est significare vnum significatum, sicut & alterum quippiam. Deinde cùm subditur, Neq; si triangulus habet tres angulos, &c. Per primum & principium intelligenda est figura quæ prima sit & principium omnium figurarum rectilinearum. At quomodo triangulo accidat esse figuram, alibi explicuimus. Syllogismus literæ inefficax est, si conclusio vniuersaliter, aut in sensu per se, intelligatur accipi. At quando mox subditur, Artifices & omnino scientes ab insciis redargui paralogismis secundum accidens. Per sapientes accipiendi sunt ij, qui rerum cognitionem habent, & sophisticas nugas ignorant. contrà verò per inscios accipiendi sunt sophistę, qui cùm nullam rerum cognitionem habeant, ex sola sophismatum ostentatione sapientes videri student. Insuper ea literæ pars, Secundum consequens autem paralogismi, &c. Ostendit paralogismos consequentia

Quæ sint præmissę collectiles, & quæ incollectiles.

Posterior.

Cur æquocatiõi & amphibologiæ cõiuncta sit fallacia figuræ dictionis

Scientes ab Insciis redarguuntur.

quatur, reducitur ad ignorantiam Elenchi, quia fallacia consequentis pars est, seu minus cõmune ad fallaciam accidentis, sed fallacia accidentis ad Elenchi ignorãtiam reducitur, ergo etiam fallacia consequentis. maiorẽ probat, quia consequens accidit antecedenti. vt album cygno. Verùm inter fallaciam consequentis & accidentis ea est diuersitas, quòd in fallacia accidentis non fit conuersio argumentationis, ac proinde semel tantùm sumitur tam antecedens quàm consequens argumentationis. vt homo est animal, & animal quadrupes, ergo homo est quadrupes. Sed in fallacia consequentis necesse est conuerti argumẽtationem, ipsumq; antecedens atq; consequens bis sumi. vt si homo currit, animal currit, ergo si animal currit, homo currit. Cæterùm ex reductione fallaciæ secũdum plures interrogationes vt vnam, ad dictam elenchi ignorantiam ibi collocata, Deceptionis verò quæ sunt, &c. colligitur illud protritũ axioma, Vnius solius rei, & rei simpliciter absoluteq; acceptæ, eandẽ esse finitionẽ, Idemq; esse definitione hominẽ, & vnum hominem. propositionẽ, & propositionem vnam.

Quõ differt fallacia accidẽtis & cõsequentis

Rei absolutæ, & vnius rei est eadẽ definitio.

Fallacia autẽ ppter æquiuocationẽ.

In secundùm caput, quæ sint causæ deceptionum captionumve sophisticarum explicans, Scholia.

IN hoc secundo capite cõmonstrat succinctum ac apertè Philosophus, quæ sint causæ in singulis fallaciis, quibus decipiamur argumentationibus sophisticis, dicens in æquiuocationis & amphibologiæ fallaciis causam esse, non posse facilè distinguere multiplex, quod aut dictio est, aut oratio. Nam etsi pleraq; multiplicia facile est distinguere, sunt tamẽ quædam, quæ distinguere admodum est difficile, vt sunt vnum, ens, idem, & cætera eiusmodi, quæ vocari solent analoga. At in compositione & diuisione causa est, orationem compositam & diuisam videri idem significare. Verùm literæ particula (seu vt in pluribus euenit) insinuat, quasdam orationes compositas & diuisas re vera idem significare, & eundem sensum habere, nihilq; discriminis veritatis aut falsitatis admittere. qualis est hæc, Quicunque currit nunc currit. quæ indicat plures esse orationes, quarum sensus compositos & diuisos explicare sit difficile, etsi non omnes sint eiusmodi. Cæterùm illa literæ pars, Qui enim hæc facere potest, &c. hunc habet sensum, Qui valet distinguere ac explicare, quæ sunt similia, & quæ dissimilia, promptus est ad cognoscendum verum, & maximè idoneus ad ostendendum, quòd omnem substantiam secundam, quę quale quid significat, arbitremur & opinemur significare primam substantiam, & illam intelligamus tanquã vnum numero. Nam substantiam secundam maximè videtur sequi hoc aliquid, siue prima substantia, quemadmodum ens sequitur id quod est vnum. At ne quis ex his errandi ansam accipiat, qualis fortassis fuit Xeno, qui hanc figuræ dictionis fallaciam sophisticis extra dictionem locis annumerauit, infert Philosophus ibi, Quare in quæ sint, &c. hanc fallaciam esse fallaciam in dictione. Ad cuius probationem adfert tres rationes. Porrò quo pacto in fallacia accidentis idem & diuersum, vnum & multa reperiantur, cuius rei mox meminit litera, superius est explicatum. At secundæ probationis illatæ pro fallacia consequẽtis ibi, Amplius & in pluribus videtur atq; sic probatur, &c. sensus est, Quoniam in pluribus consequentibus, nempe iis quæ æqua sunt antecedentibus, videmus consequentia conuerti cum antecedentibus, arbitramur id competere consequentibus omnibus, id quod fieri nequit, quando consequentia latius patent, quàm antecedentia. Quæ in litera subsequuntur, intellectu sunt facilia.

In æquocationis & amphibologiæ fallacis causa est, nõ posse facilè multiplex distinguere.

In cõpositiõe & diuisione, orõnẽ cõpositã & diuisam videri idẽ significare.

Xeno.

Fallacia figuræ dictionis pbatur tripliciter esse fallacia in dictione.

In tertium caput, monstrans syllogismos in materia deficientes iisdem inniti principiis, ex quibus in forma peccantes pendent, Scholia.

Quoniam aũt habem?

IN præsentis capitis frontispicio, in medium adfert Philosophus quòd monstrare statuit, nempe omnium sophisticorum elenchorum & syllogismorum eadem esse principia & elementa, seu eosdem locos sophisticos. Quoniam (inquit) habemus secundum quæcunque principia sunt apparentes syllogismi, habemus etiam & ea principia, per quæ fiunt syllogismi sophistici & elenchi. Pro cuius ampliori cognitione subdit, quòd nomine apparentium syllogismorum & elenchorum accipit syllogismos in forma syllogistica deficientes. & per sophisticos elenchos, eos qui in materia duntaxat peccant, ergo cùm quidam eiusmodi sint, quòd ex probabilibus vel conclusionem colligant, quam neque secundum naturam, neque secundum nos probant. Alij tales sunt, quòd ex falsis apparentibus conclusionem inferãt, de quibus solis hic agere videtur Aristoteles. Hos posteriores asseuerat eos esse, qui cùm falsum assumant, non redarguant secundum rem, & quibus valeamus deprehendere respondentis ignorantiam, id quod pertinet ad artem tentatiuam, quæ quidem tentatiua, pars est dialecticæ, dum dialectico vtitur syllogismo, respondentis scientiæ aut ignorantiæ inuestigandæ gratia. Iidem ea tentatiua pars est sophisticæ, dum inquirendæ respondentis igno-

Tētatiua pars est dialectice, similiter & pars sophisticæ.

Eadē sunt principia vtrorūq; syllogismorū, & in forma & in materia deficientium.

Albertus.

rationis causa, huiusmodi syllogismos in materia peccantes, ad disputationem adfert. Quis fanè syllogismi sophistici sunt, quatenus respondentem fallunt. At syllogismi in forma deficientes, eidem negotio non sunt vtiles, eò q talibus, non solùm ignorantes, sed & ipsi scientes fallantur & decipiantur. Deinde in litera ibi, Quòd autem eadem via habeamus, &c. monstrat Philosophus id quod superius dixerat, eadem videlicet esse vtrorumq; syllogismorum principia. Hanc eandem probationem explicat ad hunc modum Albertus, Præmissæ syllogismi in materia peccātis, cōclusiones sunt syllogismi deficientes in forma, & ex eiusdem syllogismi præmissis pendent, Igitur eadem sunt principia iidemq; sophistici loci syllogismorum in materia & in forma peccantium. Horum quidem directè atq; proximè, illorum autem mediatè duntaxat, & his mediantibus. Antecedens probatur; quoniam syllogismus in materia deficiens, ex altera præmissarum falsa progreditur, cui non assentiretur respondens; nisi aliquo modo prius ostensa foret, id quod nequit fieri, nisi per syllogismum in forma deficientem, aut expressum, aut tacitum. quod an ex necessitate eueniat, an vt in plurimum, an aliter, aliorum peritiorum iudicio relinquimus. Tantùm admonemus (quemadmodum subinde alibi fecimus) vniuersaliter pronunciata in quibusdam & paucis instantias admittere. At loco illius literæ, Quare erunt syllogismi falsi per eadem principia, legunt aliæ translationes, Quare erunt alij syllogismi falsi per hoc, aut omnia, aut aliqua. Cuius quidem disiunctiuæ particulæ, si quis volet expositionē habere, ex Alberti atq; Egidij Romani commentariis petere poterit. Cæterùm in litera ibi, Quod enim aliquis non interrogatus, &c. in confirmationem dicti superioris adfert, q non tantùm id veritatem habet, cùm quis ab alio interrogatus decipitur, verùm etsi secum conferat is ab altero non rogatus, arbitretur id quod ipse perpendit dandum esse, id est, concedendum. Nàm talia per nos perpensa atq; discussa, interrogati facilè solemus admittere, velut nostris inuentis fauentes. At in litera sequente, Verùm in quibusdam simul accidit & interrogare quod deest & falsum, &c. Per id quod deest, accipienda est causa defectus sophisticæ argumentationis. Postremò in litera ibi, Est autem sophisticus elenchus non simpliciter elenchus, &c. Dicit Philosophus syllogismos in forma syllogistica deficientes, non esse simpliciter aut syllogismos, aut elenchos, neq; hos eiusmodi esse comparatione eorum respondentium, quibus defectus causa est cognita, sed tantùm iis, quos latet defectus argumentationis causa, & qui solum sophisticum locum animo intuentur. Hactenus de sophisticis syllogismis, penes eosdem sophisticos locos desumptis.

Albertus. Egidius.

Oīa aūt principia.

In quartum caput, agens de veris & falsis redargutionibus, ipsarum numero, atq; aliis quibusdam, Scholia.

Dialectici nō est cōsyderare syllogismos & elēchos secūdum speciales ppōnes & terminos qbus applicari possūt.

EXactis locis sophisticis, ex quibus pendent sophistici syllogismi omnes, in præsenti capite principiorum materialium eorundem tractationē aggreditur Philosophus, in exordio asseuerans, non esse huiusmodi syllogismos neq; veros elenchos sumendos & consyderandos in hac scientia secūdum speciales propositiones & terminos, ad quos applicari queunt. Id enim apparet indicare ea literæ pars, Sine omnium quæ sunt scientia, hoc est, vniuscuiusq; rei scibilis propria scientia, quibus vtuntur redarguentes. In illius probationem primò adfert Philosophus, quòd vnius artis non est, consyderare talia principia, sed potius diuersarum artium, quæ omnes particulares comparatione nostri sunt fortassis infinitæ. Nam plurimarum rerum complures proprietates & principia non sunt à nobis cognita. Quòd si scientiæ speciales nobis sunt infinitæ, cum singulis scientiis necesse est suas respondere demonstrationes, erunt quoq; & demonstrationes infinitæ, & proinde erunt veri elenchi infiniti, quemadmodum explicat litera. Deinde in literæ decursu ibi, Manifestum igitur, quòd non omnium elenchorum, &c. Id quod prius dixerat colligit, & adiicit dictis, consyderandos & tradendos esse locos eos, qui sunt secundum dialecticam, hoc est, qui descripti sunt ex quibusdam conditionibus communibus, quorum rationem & curam habet dialecticus. Id autem satis lucidè approbat. At cùm in litera dicitur, Elenchus enim syllogismus est cōtradictionis, aut vnus, aut duo, id sic dicitur, q si colligatur syllogismo vtraq; cōtradictionis pars, duo sint syllogismi. At si duntaxat vnica pars, alteram defensante respondente, vnicus erit syllogismus.

Veri elenchi & parelenchi, facta ad nos relatiōe sunt infiniti

Nō est aūt differentia orōnum.

In quintum caput, quod ostendit distinctionem Elenchorum non esse sumendam ex hoc, q ad nomen & intellectum disputantur, vt quidam dixerunt, Scholia.

POstquàm Aristoteles suam sentētiam explicuit de locorum sophisticorum distributione, & ipsorum ad ignorantiam elenchi reuocatione, in præsentiarum quorundam vete-

rum

rum arbitrantium aliunde petenda esse syllogismorum sophisticorum principia, reprobat quandam disputationum sophisticarum partitionem, quam illi constituebant, hanc videlicet, Disputationum sophisticarum quædam sint ad nomen, & aliæ sint ad intellectum. At quæ oratio seu disputatio ad nomen sit, & quæ ad intellectum, clarè ostendit literæ initium, dum dicitur, Non enim ad nomen oratio, nisi quando interrogans, &c. Illam autem diuisionem refellit Philosophus quatuor rationibus. Prima ibi in litera & sequentibus reddita, Inconueniens enim est, &c. monstrantur eædem orationes & multiplices & simplices posse esse ad nomen & ad intellectum, eò quòd simplices orationes possint videri differentes plura significare. De simplicibus illic agitur, Deinde & quælibet omnes, Nam in oratione, &c. Hac itaque ratione ostenduntur illius diuisionis membra non esse opposita. Secunda ratione ibi collocata, Deinde omnes orationes possunt esse ad nomen, &c. conuincuntur omnes orationes posse esse ad nomen, si diuisio prædicta membra contineat immediata, quòd in potestate sit & respondentis & argumentantis, oratione vti secundum diuersum significatum ad sensum. Porrò tertia ratione ibi reddita, Attamen syllogismorũ qui sunt ob id quod multipliciter dicitur, &c. monstrantur non omnes in dictione fallaciæ ex se proprieque ad nomen esse orationes, eò quòd eiusmodi non sit fallacia figuræ dictionis, licet talis videtur, cuius oppositũ existimabant veteres. At quarta ratio, quam marginalis annotatiuncula digressionem appellat, ibi assignata, Et omnino incõueniens est, vult locorum sophisticorũ diuersitatem esse depromendam ex defectibus eorum, qui ad syllogismum, aut contradictionem habendam, aut ad vtrumque horum obseruandum sunt necessaria, id quod non obseruat prædicta sophistici loci & orationum sophisticarum partitio. Contra contradictionem, inquit Philosophus, eam peccare, qua colligitur silentem dicere. Cæterùm ab vtroque syllogismo & contradictione deficit ea, qua infertur aliquem dare id quod non habet, Hæc videlicet, Aliquis dat vnum solum denarium, non habet autem vnum solum denarium, Quod non habet igitur dat aliquis. quæ neque colligit, neque rectè contradicit. At a syllogismi conditionibus deficit ea ratio, qua infertur Homeri poema esse figuram, dum quis ad hunc modum ratiocinatur, Omnis circulus est figura, & poema Homeri circulus est; igitur Homeri poema est figura. Poema fortasse circulus appellatur, cùm ab eodem versu incipit, & in eundem desinit, quos & intercalares dicunt, quale id est apud Virgilium,

> Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
> Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.
> Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis,
> Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,
> Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.

Cæterùm quoniam iidem veteres existimabant, disputationes doctrinales seu demonstratiuas omnes ad intellectum esse, & omnes multiplices ad nomen. id quibusdam nominibus allatis confutat Aristoteles in litera ibi, Verùm vndè digressi sumus redeamus, &c. Quam quidem literæ portiunculam nonnullis libet accipere pro quinta ratione, dictam diuisionem improbante. At triangulus, cuius meminit litera, alicui potest videri, si pro deltoto cœlestique triangulo, aut pro numero, vt monade, ternario, aut senario, qui trianguli sunt apud Arithmeticos, accipiatur. Postremò in litera ibi, Si autem aliquis dixerit, opponentem oportere diuidere, &c. ne videatur error in disputando manare ex ipsius opponentis indistincta interrogatione, monstrat Philosophus tribus rationibus ad absurda quędam deducentibus, non esse muneris ipsius opponentis, ante interrogationem multiplex diuidere ac distinguere. At cùm in tertia ratione de simplici, quod distingui possit, agente, cùm dicitur, vt sint ne in quaternario vnitates æquales binariis, &c. facillimum intellectu est, si modò aduertat lector, in singulis quaternariis quatuor esse binarios vtrinque communicantes, primumque constare ex prima & secunda vnitatibus, secundum ex secuuda & tertia, tertium ex tertia & quarta, quartum verò ex quarta & prima. Quomodo tot binarij in quaternario sunt, quot vnitates, At si binarios prorsus diuersos in nullo quoque conuenientes acceperis, duos tantùm offendes. Hactenus de hoc capite.

Disputationũ sophisticarũ veterũ partitio reprobanda 4. rationibus.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Virgilius.

Non est muneris ipsius opponentis ante interrogationem multiplex distinguere.

Quõ in quaternario tot binarij sint quot vnitates, & quõ non.

In sexti capitis priorem partem, monstrantem quod litigiosus syllogismus ad dialecticum syllogismum sese habet, vt pseudographus ad Geometricum, Scholia.

Petere aũt põr ppositũ

IN huius partis initio, quod expositorum plærique superioris capitis fini connectunt, aperit Philosophus quoddam inter dialecticum & sophistam discrimen, volens in primis non esse

Nõ est demõstratoris

sed dialecti-ci tẽtanus in terrogare re-spōdētē,&c.

officij ipsius demonstratoris, respondentem rogare, vt quod interrogatur aut fateatur, aut re-
futet atq; neget. vtrùm id pertinere ad dialecticum tentatiuum, cuius scopus est experiri re-
spōdentis ignorantiam, Nam ars tentatiua est quædam dialectica.& proinde per cõmunia de
omnibus inquirit & explorat, non scientem, sed ignorantem, atq; se scire simulantem. Nam
ex communibus progreditur, quibus ignoratis, necesse est, respondentem & propria igno-
rare, & illis scitis, non necesse est sciri propria. Qui ergo secundum ipsius rei veritatem & pro-
babilitatem consyderat communia, dialecticus est, Qui autem id apparenter, sophista. De
hac quoque re ad hunc modum scriptum reliquit Aristoteles quarti libri Metaphysices capi-
te secundo, Ei (inquit) quod est, vt ens est, sunt propria quædam, atque hæc sunt ea, de qui-
bus est philosophi veritatem consyderare. Cuius hoc indicium est. Artifex namq; disseren-
di atq; sophistæ, munus ipsius philosophi subeunt. Sophistica enim facultas, apparens est tan
tummodo sapientia. Et artifices disserendi, de omnibus disserunt. Commune autem omni-
bus est, id quod est. De iisce verò propter ea disserunt, quòd hæc philosophiæ propria sunt.
Circa namq; genus idem & sophistica, & disserendi facultas, & philosophia versatur, sed ab
altera quidem facultatis modo, ab altera verò electione vitæ differre philosophia videtur.
Atq; hæc disserendi quidem facultas, de iis est tentatrix, de quibus est philosophia cognitiua.
Sophistica autem apparet quidem, non tamen est. Hactenus Aristoteles. Post hæc in lite-
ra ibi, Et vnus quidem syllogismus litigiosus, &c. Breuibus insinuata ea diuisione, qua seca
tur syllogismus litigiosus in eum qui in syllogistica forma deficit, & alterum in materia pec-
cantem, monstrat Philosophus syllogismum tentatiuum esse sophisticum, eò quòd is qui ex
communibus scientiarum principiis ad proprias conclusiones vel veras procedentibus, men
tiatur demonstratiuos syllogismos, videaturq; esse huiusmodi, cùm non sit. Id enim est quod
dicit litera, Nam is deceptorius est eius quod est propter quid, & quicunq; syllogismi, &c. At
falsigraphus, qui ex propriis disciplinarum principiis perperàm intellectis coalescit, siue col-
ligat conclusionẽ veram, siue falsam, minimè dicendus est litigiosus syllogismus. Hęc explicat
Philosophus iis rationibus quibus nitebãtur Hippocrates & Brisson mõstrare, circulum pos-
se quadrari. quarum ea quæ Hippocratis est, falsigrapha est, non autem contentiosa & sophi-
stica. Altera verò contrà, contentiosa est, ac sophistica, & non pseudographa. Horum autem
rationes in præsentiarum adduceremus, nisi easdem quinto loco Faber Stapulensis studiosius
adnotasset. Hoc erit igitur discriminis inter syllogismum pseudographum & litigiosum, q
ille ex solis scientiarum propriis principiis conficitur, non ex communibus. Hic autem nun-
quam ex propriis, sed interdum ex communibus aut falsis aut veris, modò ea communia ve-
ra sumantur, veluti alicui disciplinę propria, quæ sic accepta, constituunt syllogismum in ma
teria deficientem, non quoniam falsa sunt, aut verè non approbantia, sed duntaxat quia pu-
tantur esse propria, cuiusmodi est illata conclusio, & non sunt. Deinde in litera ibi, quemad
modum enim iniuria, quæ in certamine coram iudice est, &c. quodam signo, vt indicat mar-
ginalis annotatio, monstrat idem, tentatiuum videlicet syllogismum ex communibus tan-
quam propriis progredientem ad particularem conclusionem, esse contentiosum, eò quòd
huiusmodi tentatiuus aliena etiam accipiat, nempe communia vt propria, quemadmodum
in causis ciuilibus, quæ coràm iudice versantur, omnia & propria & communia in medium
adferant certantes ad suæ causæ defentionem, quæ etsi aliam iustitiæ speciem nonnunquam
habeant, nihilo secius contentiosi dicũtur & litigiosi. Insuper post hęc ibi, Qui igitur victo-
riæ gratia, &c. aperit Philosophus, quonam dissident inter se contentiosus & sophista. Item
ob quam causam eadem argumentatio sit contentiosa & sophistica. At mox dum subne-
ctitur, Litigiosus est quodammodo se habens ad dialecticum, &c. ostenso quo pacto sese ha-
beat syllogismus litigiosus, qui simul est tentatiuus ad falsigraphum, commonstrat quo mo
do idem contentiosus syllogismus ad dialecticum sese habeat, volens eiusmodi litigiosum
syllogismum, quodam, non autem omni, modo ad dialecticum se habere, quo ad geometri-
cum se habet pseudographus. Huius autem declaratio ab Aristotele subiuncta ex superio-
ribus intellectu est facilis.

Aristot. 4. lib. Meta-phys. cap. 2.

Tentatiuus syllogismus est syllogis-mus sophi-sticus.

Inter pseu-dographũ & litigiosum syllogismũ discrimẽ no tandum.

Tẽtatiuus syllogismus est litigio-sus.

Quo pacto sese habeat cõtẽtiosus syllogismus qui est & tẽ tatiuus ad dialecticũ.

Nõ est aũt Di-alectica circa ali qd gen9

In eiusdem capitis sexti posteriorem partem, monstrantem circa quæ versetur tentatiua, Scholia.

Nõ est Di alectica ali-

HAC secunda parte duo præsertim ostendit Philosophus, nempe tentatiuam artem
quandam generalem esse, & eandem versari circa omnia communia. Ad primi itaq;
approbationem in huius literę exordio, tanquam maiorem quandam proponens, asse-
uerat

uerat, dialecticam non esse alicuius generis determinati, neque demonstratiuam alicuius specialis passionis de speciali subiecto scibili, neq; talem esse, qualis est vniuersalis scientia, id est, Metaphysica. Est enim Metaphysica de omnibus sub vna ratione, quatenus entia sunt, quę à dialectico consyderantur alijs rationibus. Illud confirmat Philosophus, quòd nequeant omnia sub eodem genere contineri. Non enim ens est genus. & si fateamur, ens genus esse omnium, non poterunt tamen secundum propriam substantiam acceptorum, eadem esse peculiaria principia. Ex his colligit Philosophus, nullam artem alicuius determinatę passionis demonstratiuam de suo subiecto, sub vtraq; contradictionis parte esse interrogatiuam, & dialecticam non posse aduersus negantem sua prima principia rationem adferre, & si id possit Metaphysica, quemadmodum inspicere licet ex Metaphysices quarto libro, in quo exactius discutiendum est quod hic de dialectica dicitur. Deinde in litera ibi, Tentatiua autem talis est quædam dialectica, &c. illi maiori adijcit minorem hanc, tentatiuam artem esse quandam dialecticam, ex quibus infert mox, tentatiuam non esse generis determinati, eaq;, quemadmodum & dialectica, vti tam scientes quàm illiteratos, quippe quibus communia æquè sunt nota. At tentatiuam arbitrantur Albertus & Egidius esse quandam dialecticam, quòd principia communia aptet ad particulares conclusiones, & alicui scientiæ peculiariter additas, cùm dialectica illa adserre valeat ad communiores collectiones. Insuper in litera ibi, Sunt autem communium quædam, &c, explicat Philosophus quandam cōmunium principiorum varietatem, vt ex quibus communibus coalescat syllogismus tentatiuus, clarè cognoscamus. Sunt itaq; principiorum communium quædam, quæ nulli arti peculiari propriè aptari queunt, ob quam rem sese habere dicuntur vt negationes, quæ nulli definito enti cōpetere possunt. Nam & nomina & verba infinita (teste Aristotele in Peri Hermenias priori libro) & quod est, & quod non est, designant. De his communibus consyderationem suscipit tentatiua, & per hoc possibile est experimentum sumere de omnibus, & circa hæc est quędam ars, non tamen talis, quales sunt eæ quæ demonstratiuæ dicuntur. Altera sunt principia, quæ pluribus quidem artibus particularibus (quas subordinatas & subalternatas appellant recentiores) adaptantur, ipsa nihilo secius peculiaria sunt scientiæ superiori illas complectentis, cuiusmodi sunt ea principia, quæ in octo Physicorum libris à Philosopho traduntur, comparatione facta ad ea, quæ posteriores libri complectuntur. Erunt igitur hæc principia determinati generis, cùm circa genus definitū scibile versentur, & proinde non erunt idonea constituendo syllogismo tentatiuo, super quo hoc in loco tractatur. Hactenus de huius literæ expositione à nobis dictum sit. Nam, quemadmodum superius admonuimus, exactior & fusior explicatio ex quarto Metaphysices libro videtur esse petenda.

Cuius generis determinati, neq; talis qualis est Metaphysica.

Cur tentatiuā quædā sit dialectica Alberti & Egidij sententia.

Quędam principiorū cōmuniū diuersitas atq; partitio.

In quarti tractatus, de cautelis sophisticis pertractantis, primum caput, ostendens quibus locis quis deduci valeat ad inopinabile & falsum, Scholia.

Ad falsum aūt & inopinabile.

HVIC priori Elenchorum libro Aristoteles finem impositurus, in hoc vltimo tractatu adfert quædam præcepta, quos locos sophisticos appellare possumus, Quibus quidem præceptis etsi idoneus atq; promptus reddatur sophista, vt aliquam ex metis superius recensitis assequatur, sicq; appareat sapiens, & ab auditoribus pecuniarū lucrum accipiat. eo tamen animo illa prosequitur, ne ipsis incognitis respondens facilè in errorem aut verum aut apparentem labatur. In capite itaque præsenti nouem locos sophisticos enumerat, quibus quis ducitur ad falsum & inopinabile, quorum quinque priores in literæ exordio descripti, iuxta vtiles sunt assequendæ metæ falsi & inopinabilis. Primus appellatur ex communi interrogatione. Secundus ex interrogationum multitudine. Tertius, ex respondentis commendatione. Quartus ex deductione ad aliud. Quintus verò ab iis quæ interrogatione & responsione priora sunt. At sextus ibi redditus, Ad falsum autem ostendendum, &c. (qui vocari potest, ab iis quibus abundant interrogantes) propius dicitur esse metæ falsi. Porrò cęteri quatuor, quorum primus ibi descriptus, Rursum vt ad inopinabile ducatur, dictusq; ex opinionum varietate. Secundus appellatus ex voluntatum diuersitate. Et tertius a diuersis legibus. Et quartus, qui in ordine decimus est, vocatus ab ipsius interrogationis contrarietate, peculiariter destinantur in inopinabilis terminum. Cęterùm cùm dicuntur in octauo loco, esse contraria natura & lex, Per naturam intelligunt expositorum quidam, legem naturalem. & per legem, eam quę positiua est. Hactenus à nobis dictum sit super hoc capite eò quòd diligenti attentoq; lectori citra magnum laborem valeant esse manifesta, & exemplorum explicatio ad alias pertineat disciplinas.

Nouem præcepta.

Primū ex cōmuni interrogatiōe. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octauum. Nonum. Decimum.

Quid natura & lex.

De eo q dem qd est facere nugari,

In secundum caput, explicans quo pacto contingat duci ererespondentem ad nugationis & solœcismi metam, Scholia.

DVæ sunt præsentis literæ partes præcipuæ, quarum prior de nugatione agens, vnicum sophisticum complectitur locum, quem non ineptè appellare possumus ab eodem, quod seorsim sumptum, & alteri in oratione iunctum, idem est atq; inuariatum, qui est eiusmodi. Hypothesi facta, quòd nomen solitariè sumptum, & alteri in oratione connexum omnino idem sit, facillimum est deducere ad veram nugationem. At si ea suppositio à disputationis initio non fiat, apparens & non vera erit nugatio. Prioris huius loci partis exempla sunt quatuor, de duplo, concupiscentia, impari, & simo. quæ si seorsim accepta & in his orationibus, duplum est duplum dimidij, Concupiscentia est concupiscentia delectationis, impar numerus est numerus medium habens, hoc est, qui diuisus in æqua mediam habet vnitatem, Simum, est nasus simus, idem designare concedantur, colligentur huiusmodi nugatoriæ conclusiones, Duplum est duplum dimidij dimidij, Concupiscentia est concupiscentia delectationis delectationis, Impar numerus, numerus est numerum medium habens, Simum est nasus nasus simus. Porrò circa hunc locum (ex quo arbitramur originem accepisse eam opinionem, quæ asseuerat, adiectiua nunc substantiuè nunc adiectiuè accepta, esse de æquiuocorum numero) possent complures adferri dubitationes, quas omnes tum amplectendæ breuitatis gratia, tum quòd nugationis pertractatio peculiaris sit Grāmatico, meritò prætermittimus.

Locus ab eo quod seorsim sumptū, & alteri in orōne iūctum idē est

At secunda dicti loci particula ex illa litera, Apparent autem opponentes quandoq;, &c. desumitur, quæ ad hunc modum est legenda, Apparent autem opponentes quandoq; facere nugari, non facientes tamen, eò quòd non interrogant si significet, &c. Nam in nostra litera negatio (non) omissa est. Cæterùm altera huius capitis pars ibi redditur, Solœcismus autē quidnam sit, &c. In qua primò ostenditur diuersimodè fieri solœcismum, nempe verè & apparenter, apparenter & non verè, & verè sed non apparenter, cuius quidem exemplum de iis qui dicunt ficus & ficos maturas, subiuuxit vetus interpres ob hoc Martialis carmen.

Martialis.

> Cùm dixi ficus, rides quasi barbara verba,
> Et dici ficos Cæciliane iubes.
> Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
> Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ficus pluratiuè quartæ declinationis fructus fici arboris siguificat. Pluratiuè secundæ, morbum vitiumq; corporis. Singulariter autem secūdę, & arborem & fructum signat. Fructum, Tullius de Senectute, Vt ex tantulo grano fici. Arborem. Iuuenalis, Ad quæ Discutienda valent sterilis mala robora fici. Item pluratiuè secundæ, fructum etiam significat. vt Horatius, Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi. Deinde secundo in litera ibi, Manifestum igitur est, quòd ars quidem potest solœcismum facere, &c. Ex superioribus concludit Philosophus, ad artem sophisticam pertinere solœcismi determinationem, eò quòd multæ orationes videantur syllogisticè colligere solœcismum, & si re vera non colligant, quemadmodum multi videntur esse elenchi, qui non sunt. Insuper in litera ibi, Sunt autem omnes penè apparentes solœcismi propter hoc, &c. duos in primis tradit locos sophisticos ducendi ad solœcismi metam. Prior dici potest à neutro genere, qui est, Commodissimè fiunt apparentes solœcismi, secundum pronomen hoc, in genere neutro sumptum. Ad cuius probationem duas adfert rationes, secunda ibi in litera redditur, Cùm igitur masculini & fœminini, &c. in qua etiam posterior insinuatur locus, quem appellare valemus ab vnius casus pro altero variatione, quem quidem obseruant ij, qui vnum casum pro alio collocant. At dum mox in litera subiungitur, & solœcismus in his elenchis quodammodo, &c. assignat Philosophus quandam similitudinem inter causam apparentiæ & defectus fallaciæ secundum dictionis figuram & solœcismum, quemadmodum explicat ipsa litera. Porrò illud, quo dicitur fallacia figuræ dictionis ex rebus manare, refert Egidius ad causam non apparentiæ, sed defectus. Nam causa apparentiæ, ex dictione vel oratione est desumenda.

Iuuenalis.

Horatius.

Duo loci sophistici, ducentes ad solœcismi metam.

Posterior ab vnius casus pro altero variatiōe

Egidius Romanus.

Differt aūt nō parum.

In tertij capitis priorem partem, aperientem quibus locis contingit ad redargutionem ducere. Scholia.

HAC vltimi capitis priori parte explicat Philosophus, quomodo valeat quis deduci ad redargutionis metam ex modo interrogādi, recensens in primis sophisticos locos, numero quatuor, ad respondentes non proteruos pertinentes. (Nam qui cautelas quinque constituunt, literæ initium non satis aptè videntur cautelam facere) Primus appellantur

Loci sophistici 4.
1. ab interrogatiōis ꝑlixitate.

pellatur ab interrogationis prolixitate. Secundus, a festinatione. Tertius, ab ira & contentione, quam in respondente efficiet opponens sophista, si dixerit ipsum non velle rectè respondere, sed circa omnia velle proteruire. At quartus dicitur ab interrogationum permutatione & inuolutione. Post hos autem sophisticos locos ibi in litera, Ad eos autem qui negant, & cæt. aduersus respondentes discolos ac proteruos adfert Philosophus locos sophisticos numero quinque. Quorum primus appellatur, ab eius quod intenditur opposito proposito. Secundus, ab assumptione vniuersalis nõ interrogatæ, cuius aliquot singularia concessa existant. Tertius, a similitudine & nominis non impositi circumlocutione. Quartus, ab eius quod quæritur cum suo opposito interrogatione. Ex cuius declaratione, dum dicitur, appositis iuxta se contrarijs minora & maiora videntur, & priora & meliora hominibus (perperàm enim legitur dictio ei, loco copulatiuæ coniunctionis) hoc est, quæ secundum se sumpta sunt parua, hominibus apparent esse minora, si magnis conferantur, & ita in cæteris depromi potest illa vulgaris maxima. Opposita iuxta se posita magis elucescere. At quintus locus appellari potest ab intrepida insyllogisatæ conclusionis collectione.

Secũdus de festinãtia. Tertius ab ira. Quartus ab interrogationũ permutatione. Aduersus discolos loci quinque. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Opposita iuxta se posita magis elucescere. Quintus.

In posteriorem eiusdem tertij capitis partem, qua monstratur, quot modis quis ex concessis ducitur ad redargutionem, scholia.

Sophisticũ autẽ documẽtum est.

COMPLECTITVR præsens litera locos numero sex, quibus contingit quem ex concessis ad redargutionis terminum deduci. Quorum duo primi multitudini & indoctis seruientes, dicuntur esse a respondentis commendatione & ex diligenti concessorum inspectione. Cæterùm reliqui quatuor, quibus aduersus doctos militant sophistæ, vocantur ab orationis per respondentem distinctæ sensu eodem, A deceptoriarum solutionum reiectione, Ex deductione ad ea quibus interrogans abundat, Et ab eius, super quo speciatim differendum est, celatione. Hęc de priori Elenchorum libro a nobis sint dicta.

Loci sex, qbus cõtingit ex cõcessis duci ad redargutionis terminũ.

τέλος.

Questiones sūt equales numero his.

In posterioris Elenchorum sophisticorum libri caput primum, scholia.

Tria dicēda hoc libro. Quid soluere.

TRactat Aristoteles hoc secūdo libro de paralogismorū solutione, de qua primo capite tria dicenda proponit. Primum, quomodo oportet soluere, verè an apparenter. Secundum, quid oportet soluere in paralogismo. Nam (vt dicitur, nono capite octaui Topicorum) non est idem soluere & impedire, Sed soluere est id negare, per quod falsum accidit. Id autem in paralogismo potest esse triplex, maior propositio, minor, & illatio. Igitur secundo dicendum est in quolibet sophismate, quid horū trium soluendum sit. Tertio proponit dicere, ad quid orationes huiuscemodi prosint. Per orationes intelligit Alexander sophisticos syllogismos, Egidius verò & recentiores, qui eum sequuntur per orationes intelligunt solutiones quæ sophismatis assignantur. Cæterùm cum solutiones haberi nequeant sine sophismatum cognitione, res eodem recidere videtur. Est itaq; tertio dicendum, ad quid conducat sophisticarū rationum cognitio, Ibi, Vtiles igitur ad philosophiam, &c. Ostendit sophismatū cognitionem ad tria vtilem esse. Primùm ad philosophiam seu metaphysicam, propter duas causas. Prior est, quia ex horum perceptione cognoscimus quotupliciter aliquid dicitur. Id quod valde necessarium est in metaphysica, & ideo Aristoteles scripsit quintum librum metaphysicæ, In quo declarauit quot modis vnumquodq; dicitur. Altera est, quia intelligimus, non quæcunq; in nominibus sunt similia, etiam in rebus esse similia. nec quæ aliter sunt in rebus, semper esse aliter in nominibus. sedere enim & videre in nominibus similia sunt, & tamen in rebus sunt diuersa. quia alterum est quale, alterum verò situm esse. Dicit autem Aristoteles, se potissimùm loqui de paralogismis, qui fiunt propter dictionem, quia quæ extra dictionem fiunt, non ita apertè vtiles sunt ad Philosophiam. Reliquæ duæ vtilitates, quas adfert textus, per se sunt satis manifestæ.

Cognitio sophismatū vtilis.

Dubitatio.

Ibi, Respondentibus autem quomodo aduersus huiusmodi orationes sit obsistendum, &c. Remouet dubitationem, quæ talis est. Videtur in priori libro sufficienter ostensum esse, quomodo respondentes obsistere debeant rationibus sophisticis: quia prius dictum est, ex quibus constent paralogismi, nempe ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem. Insuper enumeratæ sunt fraudes & loci sophisticarum rationū, quæ sunt (vt ait Alexander) tredecim fallaciæ. ergo superfluus & inutilis est hic secundus liber, tradens quomodo soluendæ sint rationes sophisticæ. Ibi, Non est autem idem, &c. Soluit dubitationem, dicens, q̄ licet ea quæ superius dicta sunt, sufficiant vt quis longa meditatione possit sophismatum vicia deprehendere ac soluere, non tamen sufficiunt, vt quis ex tempore, & sine meditatione possit sophistis vrgentibus occurrere. quia istud præter locos & regulas etiam vsum & exercitationem requirit, quam docet & præstat hic secundus liber, non aūt primus. Quod autem vsu ac promptitudine opus sit ad congrediendum cum sophistis, patet, quia inexercitati etiam ad ea quæ alioqui sciunt, si transpositis verbis, alioq; ordine proponantur, in concertationibus impertè respondent. Insuper quēadmodum in aliis artibus exercitati celeriter ac concinnè operantur. Inexercitati verò, tardius, aut si accelerandū sit peccāt, sic & in disputationibus. Nam quamlibet id nobis perspectum sit de quo disseritur, si tamen inexercitati simus, frequenter opportunitates negligemus, solutionē suo loco ac tempore non adhibebimus si ex tempore agendum sit. Deniq; quēadmodum in mathematicis descriptionibus frequenter demonstrationem contineri conspicimus: quam tamen ad figurā syllogisticam reducere non possumus propter inexperientiam syllogisandi. Nam ignoramus, quid pro maiore, quid pro minore aut medio poni debeat. sic & in sophisticis rationibus, quę oratione inuoluta cōtinentur, non statim possumus detractis propositionibus non necessariis, partes sophismatis inter se coniungere, vt videamus propter quam interrogationem accidat falsum, quia vsu & promptitudine destituti sumus, qua tamen ad eam rem opus esse cognoscimus.

Solutio.

Primū igitur quēadmodū.

In secundi tractatus, considerantis de solutione paralogismorū apparenti seu ad hominē, primū caput, monstrans aliquando magis expedire apparēter soluere, q̄ rectè, scholia.

EXplicata huius libri posterioris commoditate atque necessitate, in hoc secundi tractatus agentis de apparenti solutione, primi capitis exordio monstrat Philosophus, quandoq; magis conuenire apparenter, quàm verè soluere sophisticam ratiocinationē, hac ratione.

Eo modo

Eo modo conuenit respondentem sophistã orationem dissoluere, quo opponens sophista argumentatur, sed is quandoq; apparenter, non autem re vera argumentatur & syllogisat, Expedit igitur interdum sophisticæ orationi apparentẽ adhibere responsionẽ, potius quàm verã. Huius rationis minorẽ fusè explicat Philosophus, queãdmodum in ipsa litera inspicere licet. At in litera elenchus dicitur esse contra dictio non æquiuoca ex quibusdam, quia ex præmissis colligit conclusionẽ positionis respondentis contradictoriam, non multiplicem ratione æquiuocationis aut amphibologiæ. Cæterùm huiusmodi solutio apparens tum fiet, teste Alberto, cum opponenti obuiat respondens, coram adstantibus cõmonstrans illum nõ verè, sed apparenter ratiocinari. Nam hoc prætermisso possent adstantes arbitrari, respondentem esse redargutum, si apparenter duntaxat redarguentem & syllogisantem existimarent & verè syllogisare aut redarguere, aut ad aliam metã deducere. Post hęc in litera ibi, Quoniam enim ad finem concludenti, &c̃. ad præcedentium confirmationem ostendit, non satis esse ad apparentem solutionem, si respondens in disputationis fine insinuet, opponentem non vti conclusione in eo sensu in quo concessit, sed æquiuocè atq; alio in sensu. Tum quòd ante disputationis finem, incertum sit astantibus, an respondens sit redargutus, cum dubium sit an vera dicat, dum ait opponentem in alio sensu conclusionem accipere, quàm ipse sumpserit. Tum quòd si distinguens æquiuocum interrogasset, non dubius incertusq; esset elenchus. Quam ob rem respondens in initio distinguens, interrogantis vicium corrigit, & sua distinctione elenchi incertitudinem longius pellit. Deinde in litera ibi, Si quis autem eam, quæ secundum æquiuocationem, &c̃. Docet, quòd si quis putet, apparentes redargutiones quæ a sophistis fiunt, cõmittendo fallaciam æquiuocationis aut aliam, esse veras redargutiones, tunc sequetur, quòd nullus respondens, etiam quantumlibet eruditus, poterit effugere redargutionem. quia nemo est qui possit apparenter redargui negando secundum nomen quod prius affirmauit, licet nõ in eadem significatione, aut non pro eodem tempore. vt si quis ad diuersa tempora respiciens, Coriscum, musicum & non musicum esse concedat, erit quidem contradictio secundum nomen, sed non secundum veritatem. Neq; sic diluendum est hoc sophisma, sicut quidam diluebãt dicentes, subiectũ pro diuersis accipi, quasi videlicet Coriscus non musicus, & Coriscus musicus non esset idem homo, ac proinde dicebant addendum esse pronomen demonstratiuũ subiecto. quia id friuolum est, vt patet. sed respondendum esse, ibi contradictionem non esse, quia prædicatum non intelligitur pro eodem tempore affirmari & negari de subiecto. Post hæc in litera ibi, Enimuero quia incertũ quidem est, &c̃. Ostendit Philosophus, nullum multiplex absq; distinctione esse concedendum simpliciter, aut negandum. Primò quidem, quia ex tali responsione nascitur apparens redargutio coram audientibus, quibus incertũ est vtrũ redargutus sit respondens, nec ne. Secundo, quia multiplex propositio duas quæstiones implicitè cõplectitur, sed ad plures interrogationes distinctè factas, non rectè datur vna responsio, ergo neq; ad propositionem multiplicẽ, etiamsi quælibet pars vera sit. neq; enim quia verum est quod dicitur, ideo interrogatio est vna. Nam fieri potest, vt mille quęstiones veræ simul proponãtur, quibus tamen nemo vnã responsionẽ esse dandã dixerit, quanq̃ id interdum in disputationibus permittatur, quando latet multiplicitas, ne respondens in omnibus grauis ac molestus esse videaur. Hinc cap. 9. octaui Top. pręcipiebatur, quòd si proponatur multiplex notũ, quod in omnibus verum sit aut falsum, dandum esse simpliciter vel negandum.

Cõueniẽti or subinde est apparẽs, q̃ vera argumẽtationis sophisticæ dilutio.

Quando fit apparẽs solutio.

Albertus.

Nõ sufficere ad apparẽtẽ solutionẽ, si respõdẽs in disputatiõis fine insinuet, opponentem nõ vti conclusione in eo sensu in quo eam cõcesserat.

Nullũ multiplex absque distinctione cõcedendũ.

Respõdendũ autẽ in ijs.

In secundum caput, apparenter soluendi sophisticos argumentationis modos explicans, scholia.

IN præsenti litera instruit Philosophus respondentem, quibus modis valeat apparenter opponenti sophistæ respondere, pro qua fanè te octo locos recenset. Quorum primũ in literę exordio redditum appellare possumus, ab eo quod respondenti videtur probabile, qui est eiusmodi. Si opponentis interrogatio vera esse videatur respondenti, non tamen satis cõstat illius veritas, nõ eam simpliciter admittet respõdens, sed dicet, sit ita, esto. Eundẽ quoq; modũ respondendi obseruabit, si opponens roget propositionẽ, quæ vtcunq; vera videatur, ex qua tamẽ colligere nitatur interrogans aliquid inopinabile: hoc enim respõdendi modo seruato, nõ poterit aduersus respondentẽ elenchus construi, cum nihil simpliciter ac determinatè asseruerit. At secundus in litera, ibi redditus, quia autem quo pacto principium petatur manifestum, &c̃. qui dicitur ab eo quod est in principio, hanc habet sententiam. Si opponẽs aliquid adferat, quod proximũ sit destruendæ positioni respondentis. Item si opponens sophista assumat quod falsum est aut inopinabile, repugnetq; alicui eorũ, quę ex respondentis positione sequuntur, respondebit positionẽ defensans, opponentem id quod in principio est petere. Nam quæ ex necessitate accidunt, eiusdem videntur esse positionis. Cæterùm loci tertij in litera ibide-

Octo loci ꝓ apparẽti solutione.

Primus loc⁹ ab eo quod respondenti videtur probabile.

2. ab eo q̃d est in principio.

3. ab vniuersali in parabola & in nomine.

ibi designati. Amplius est vniuersale non nomine sed similitudine sumitur, &c. at nuncupati ab vniuersali in parabola & in nomine, sensus est iste. Si ab opponente interrogetur vniuersale, non sub proprio nomine, sed in parabola & nomine obscuro, ob similitudinem aliquã, si conetur ad inconueniens deducere respondentem opponens, opponenti dicendum est, nõ esse huiusmodi vniuersale in illa similitudine, & eo sensu secundum quẽ accipit opponens. Quòd si vniuersale sub proprio adferatur nomine, necessum est respondentẽ vel simpliciter admittere quod verum est, vel quod multiplex est distinguere. Quarti verò loci dicti ab oratione truncata vel obscura, ibi collocati. Quæ autẽ subintelligentes ponimus, &c. hæc est summa. Ad orationem truncatã, in qua nonnihil subintelligendum est, aut obscurã, non statim respondere oportet, sed potius ab opponente quæritandum est, suam vt explicet sententiam. Nam alioqui contra respondentem quibit adaptari elenchus. Vt esto hæc interrogatio, Estne quicquid est Danaum, possessio Danaũ seu Græcorum? quã si mox annuat respondens, obtrudet subitò opponens hunc elenchum. Quicquid est Græcorum, possessio est Græcorum, At Alexander vel Lysander est Græcorum, Est igitur ipse possessio Græcorum. At si illam renuat, identidẽ hunc elenchum aduehet. Quicquid possidetur a Græcis, possessio est Græcorum, At quicquid Græcorum est, a Græcis possidetur, Est igitur Græcorum possessio quicquid est Græcorum.

4. ab oratione truncata vel obscura.

5. ab eiusdẽ antecedente & consequente.

Deinde in litera ibi, Quando verò duobus existentibus, &c. collocatur quintus locus, Ab eiusdem antecedente & consequente nominatus, qui est. Si rogetur, an idem prædicatum cõpetat pluribus ad seinuicem antecedentis & consequentis rationem habitudinemq; habẽtibus, prius annuendum est ipsum cõuenire consequenti. Nam id difficilius refutare poterit sophista opponẽs. Exemplum adfert in litera, in qua id quod communius est, dicitur minus, attenta sui simplicitate. Est enim species genere compositior, etsi secundum continentiam atque potestatis ambitum sit minor. Sextus locus mox subsequitur ibi, Si autem argumentetur, quòd hic quidem contrarium, &c. quem a duorũ contrarijs appellare possumus, quiq; hanc habet sententiam. Si propositorũ duorum vtriq; annuat respondens aliquid esse contrarium, & constet vnũ vni esse contrarium, non autem alterum alteri, eò quòd aut re vera non sit cõtrarium, aut nequeat illud assignare respondens, tum respõdentis erit dicere, huic esse aliquid contrarium, quemadmodum & alteri, etsi id non fuerit simplex nomen impositum, & proinde appareat alteri nõ esse contrarium. At admonet Egidius Romanus, hunc locũ generatim intelligẽdum esse, de quibuslibet oppositis, non autem de contrarijs duntaxat. Post hæc in litera ibi, Quoniam autem eorum quæ quidem, &c. Præmittit quandam propositionum diuisionem bimembrem, nempe earum quasdam esse, quas omnes afferant ac recipiunt, quasq; communes animi conceptiones appellitant, siue affirmatiuæ fuerint siue negatiuæ, vt diametrum esse incommensurabilem costæ sui quadrati, diametrum non esse lateri sui quadrati commensurabilem. Aliàs verò esse, de quibus nondum inter philosophos conuenit, de quarũ numero est, animã animalis esse immortalem, id quod defendunt Pythagorici, quibus aduersantur Stoici, arbitrantes solam hominis animã immortalitate esse donatã, ab omnium rerum optimo opifice ac creatore. Est itaque hic septimus locus, a propositione, super qua variæ sunt philosophorum opiniones, huiusmodi. Si proponatur propositio, cuius veritas non satis prospecta sit respondenti, & de qua diuersę sunt autorum probatorum rationes ac sententiæ, commodum fuerit respondenti, si aduersantium philosophorum opiniones coram adstantibus explicet, & hanc rationem dicat apud illos conuincere, istam verò apud istos, poterit quoq; vnam eligere, quam defenset opinionem, non absolutè alterã reijciendo. Sic enim elenchum fugiet respondens, nec eo teneri poterit. At nomina transferre dicitur, annotante Fabro, qui translatiuẽ loquitur & vtitur metaphora, dum vtriusq; partis opinionem quadam similitudine videtur tueri. Porro vltimus locus ibi collocatus, Amplius quamcunq; interrogationem præsenserit, &c. & ab instantiæ interrogationisve preuentione dictus, hunc habet sensum. Si præsenserit respondens, quas rationes intendat ad disputationem adferre opponens, illi eidem per respondentem sunt exponendæ aperiendæque. Nam sic efficietur, vt nequeat quod cupit asserere qui opponens.

6. à duorum cõtrarijs.

Propositionũ vna diuisio in eam quæ ab omnibus philosophis recepta est & in eã quæ non est eiusmodi.

7. de propositione sup qua variæ sunt philosophorũ opiniões.

Iacobus Faber.

8. locus ab instantiæ & interrogationis preuentione.

Quoniam aũt recta solutio,

In tertij tractatus, tractantis de vera paralogismorũ dilutione, primũ caput, in quo agitur de solutione recta in summa, & speciatim de solutione paralogismorũ in materia deficientium, scholia.

Quæ recta sit dilutio sophisticæ ratiocinationis

Pertractaturus Philosophus de recta paralogismorum dissolutione, in huius primi capitis exordio explicat summatim, quid sit recta solutio, dicens rectã solutionẽ esse falsi syllogismi manifestationem, Ob quã interrogationem accidat falsum, an ob maiorem propositionẽ, an ob minorem. Dupliciter aũt contingit syllogismũ esse falsum ob aliquã interrogationem

gationem seu propositionem interrogatam. Priori modo ea propositio videatur probabilis & nō sit, & tunc constituit syllogismū peccantem in materia. Posteriore verò modo, si videatur syllogistica, id est, in modo & figura aptè disposita ad inferendā conclusionē, cū tamen nō sit talis, & tunc constituit syllogismū peccantem in forma. Cùm igitur recta solutio sit ea quam diximus, sequitur quod apparentis syllogismi solutio nihil aliud sit, quàm collectio seu reprehensio eius interrogationis, ob quā syllogismus sophisticus apparet esse bonus & non est, vt si interrogatio sit multiplex aut particularis, cū debeat esse vniuersalis, erit reprehēdenda. Itaq; cōtingit orationes quæ colligunt syllogismos sophisticos, qui peccant in materia tantum, soluere interimendo eam præmissam quæ videtur probabilis & nō est. Apparentes verò syllogismos, id est, peccantes in forma, oportet soluere diuidendo & resoluendo eos in præmissas, vt videri queat, in vera præmissarū forma syllogistica claudicet. Ibi, Rursum autem quoniam syllogisantium orationum, &c. Postquàm generaliter egit de solutione paralogismorum qui peccāt in materia & in forma, nunc specialiter docet eos soluere qui peccāt in materia, dicens quod si ex præmissis falsis illata sit falsa conclusio, tunc huiusmodi sophisma poterit solui vel considerando statim præmissam falsam, vel aspiciendo primū conclusionem, ex cuius falsitate fiet regressus ad falsitatem alicuius præmissæ, quia ex veris non sequitur falsum. At si conclusio vera sit (nam potest ex falsis etiam verum sequi) tunc necesse est, vt tota respondentis intensio in præmissas feratur, vt deprehendat eam, ratione cuius falsum accidit.

Plurimū aūt differt.

In caput secundum, docens soluere paralogismos in dictione in forma deficientes, scholia.

POST huius literæ exordium, quo admonet Philosophus, plurimū referre inter quamlibet orationis interrogatæ solutionem, & eam quæ cito, facilè, & expeditè fit, ad quod assequendū hic secundus liber destinatus est. Docet primò Philosophus, ibi in litera. Earū igitur quæ per æquiuocationem, &c. soluere paralogismos æquiuocationis & amphibologiæ, duo præmittens. Vnum est, quòd paralogismorū peccantium penes actuale multiplex, quidam sint quorum præmissarum altera est multiplex. Alij verò, quorū conclusio est eiusmodi. Atq; horum omnium quidam multiplicem aut propositionem, aut conclusionem continent, quæ in omni sensu vera sit, aut in vno quidem vera, & in altero falsa. Alterū autē est, quòd in paralogismis eiusmodi, cuius conclusio est multiplex, non contingit fieri redargutionem, nisi prius conclusionem multiplicem abnegauerit, vt syllogisetur sic, quemcunq; habentem colorem contingit videre, At cæcus habet colorem, igitur cæcum contingit videre: non redarguitur respōdens, nisi prius abnuerit idem multiplex. At paralogismo cuius præmissa est multiplex, potest fieri redargutio, nō prius negata propositione multiplici. Cæterùm hunc paralogismos soluēdi modum tradit Philosophus ibi, Principio igitur ad duplex, &c. volens conclusionem aut præmissam multiplicē distinguendam esse in suos sensus, vnū verum, & alterum falsum, explicandum quoq; quo in sensu teneat illatio, & in quo non. Quòd si distinctione facta restet aliquid ambiguitatis, quòd perfectè non percipiatur multiplicitas sensus, id tollere erit respondentis. Ipsius literę tria sunt exempla. Primum est, quemcunq; contingit dicere, contingit loqui: sed tacentē contingit dicere, igitur contingit tacentem loqui. Cuius quidem conclusio duplex est, significās quòd is qui tacet loquatur, aut q aliquis de eo qui tacet loquatur. Prior sensus falsus est, secundus autem verus, secundum quē designatur, quòd contingat aliquem loqui tacentem. At plura sunt quæ hoc in paralogismo tractanda forent, vel ex præmissarum inspectione (vt interim sub silentio prætereamus, quæ ad sensum diuisum & cōpositum pertinere videntur) quæ omnia ob breuitatem amplectendā sunt a nobis omissa. Secundum est, Quęcunq; expediunt sunt efficienda & eligenda, Mala autem expediunt, Sunt igitur & efficienda & eligenda. super quo superiori libro dictum est, cum de æquiuocatione ageretur. Atque hic maior est distinguenda. Nam quæ simpliciter expediunt, eligenda sunt, Quæ verò in casu duntaxat, non sunt eligenda. Tertium est, Quicunq; consciunt aliqua, illa non sciunt, At scientes aliqua consciunt: ergo scientes illa non sciunt. Huius exempli maiorem ad amphibologiam pertinere arbitrantur, secundum quam si dictio (illa) nominatiuus sit iunctus verbo sciunt, redditur falsus sensus, quo indicatur, quòd res scitæ sciant. Si verò sit accusatiui casus, verus reddetur sensus. Alij ad æquiuocationis fallaciam reuocant, dicētes conscire æquiuocum esse & duplex, eò quòd significat nunc cum alio scire, nunc verò conscium esse. Post hæc secundo in litera ibi, Manifestum autem & eas quæ propter cōpositionem & diuisionem, &c. imprimis explicat modum soluendi paralogismos circa multiplex potentiale deficientes, dicens, quòd si diuisa & composita oratio aliud significat, concluditur contrarium dicendum. hoc est, si ex ipsa præmissa (quæ in sensu diuiso admissa est) in sensu

Pro solutione paralogismorū fallaciarū æquiuocationis & amphibologiæ præmittuntur duo. Primum. Secūdum. Quō dissoluendi illarū fallaciarum paralogismī

Tria ipsius literæ exempla. Primum.

Secundum.

Tertium.

Solutio eorū paralogismorū q peccant penes multiplex potētiale q est oratio.

compoſito accepta colligatur falſa concluſio, neganda erit ea præmiſſa in ſenſu cõpoſito. Et contra; ſi ex conceſſa in ſenſu cõpoſito, & in ſenſu diuiſo accepta, inferatur concluſio falſa, neganda erit illa in ſenſu diuiſo. Duo ſubiungit literæ exempla, de quibus mox dicemus. Deinde in litera ibi, Habet quidem etiam hoc ambiguum aliquid, &c. monſtrat Philoſophus in exemplis fallaciarum compoſitionis & diuiſionis, quatenus eiuſmodi ſunt, non incidere fallaciam amphibologiæ, eò quòd oratio cõpoſita & diuiſa non ſit prorſus eadem, id quod exigitur ad amphibologiæ fallaciam, de qua re fuſius eſt dictũ in priori libro. Cæterum huius portionis literæ exempla varia ſunt.

Varia literæ exempla.
Primum.

Primum eſt, Quocunque vidiſti hunc percuſſum, hic percuſſus eſt, At oculo vidiſti hunc percuſſum, eſt igitur hic oculo percuſſus. Maioris ſenſus cõpoſitus falſus eſt, ſi dictio (quocunque) cum verbo vidiſti, vniatur. Quòd ſi iungatur participio (percuſſus) ſenſus erit diuiſus atque verus.

Secũdum.

Aliud exemplum eſt, Quo percuſſus eſt aliquis, hoc tu vidiſti ipſum percuſſum, Sed gladio aut baculo percuſſus eſt aliquis, Igitur tu gladio aut baculo vidiſti ipſum percuſſum? Huius maior duplicem ſenſum admittit, cõpoſitum quidem falſum, ſi dictio (hoc) verbo (vidiſti) iungatur. Verum autẽ & diuiſum, ſi cum participio percuſſum, conſtruatur. Item & concluſio duplicem ob eandem cauſam patitur ſenſum.

Tertium.

Tertium exemplum, quod eſt Euthydemi ſophiſtæ oratio, ex hac interrogatione deſumebatur; Putáſne vidiſti tu nunc exiſtentes in Pyreo naues, cum in Sicilia ſis? Eſt autem Pyreus, portus Athenienſium, quadraginta ſtadiis (vt tradit Strabo) ab vrbe diſtans. Et hæc oratio; putáſne vidiſti tu nunc in Pyreo naues, cum ſis in Sicilia? poteſt coniungere nunc & vidiſti, & falſa eſt. vel poteſt diſtinguere, vt dicatur; putáſne vidiſti tu, in Pyreo naues nunc cum ſis in Sicilia? ſed nõ eadem eſt oratio.

Quartum.

Quartum exemplum eſt, Omnis bonus ſutor malus eſt, At hic bonus vir bonus eſt ſutor, Igitur hic bonus malus eſt. Si in maiore ſutor cum malo grammatice iungatur, ſenſus erit compoſitus & falſus. Nam plerique boni ſunt, qui non ſunt ſutores mali. Si verò conſtruatur cum adiectiuo bonus, poterit ſenſus qui diuiſus eſt, eſſe verus.

Quintum.

Quintum exemplum eſt, Cuiuſcunque eſt ſcientia bona, eſt boni diſciplina, Mali autem eſt bona ſcientia, Igitur mali eſt bona diſciplina. Cuius maioris vnus ſenſus eſt, cuiuſcunque eſt bona ſcientia, illius eſſe bonam diſciplinam, antecedente, cuiuſcunque, exiſtente genitiuo caſu, conſtructo cum diſciplina bona. Alter eſt, cuiuſcunque eſt bona ſcientia, illud bonam eſſe diſciplinã, eodem antecedente exiſtente nominatiuo, conſtructo cum verbo eſt. forſitan prior cõpoſitus eſt, & poſterior diuiſus.

Sextum.

Subſequens exemplum eſt eiuſmodi, De quocunque verum eſt dicere, quòd nunc factus eſt, factus eſt ipſe nunc, Sed nunc verũ eſt dicere, quòd tu factus es, Igitur tu factus es nunc. Minoris ſenſus compoſitus verus eſt, ſi aduerbium nunc, determinet verbum dicere. Compoſitus verò falſus, ſi iungatur dictioni factus es.

Septimum.

At vltimũ exemplum eſt eiuſmodi, Quæcunque potes & vt potes, ſic & ipſa facies; ſed non citharizans potes citharizare, Ergo non citharizans citharizabis. Minor huius exempli in ſenſu compoſito falſa eſt, in diuiſo autẽ vera, quemadmodum conſtat ex ſecundo libro Peri Herme. Deinde in calce huius particulæ ibi, Soluunt autẽ quidam id & aliter, &c. Adhibet huic vltimo exemplo alteram antiquorũ ſolutionem, ſed inſufficientem, quemadmodum in litera declaratur.

De accentus paralogiſmorũ ſolutione.

Inſuper tertio poſt hęc in litera ibi, Propter accentum autem captiones, &c. Imprimis de fallacia accentus tradit Philoſophus, eam non ſæpe locum habere, neque in ſcripto, neque in prolatione, & ſi id aliquoties cõtingat. Deinde huius paralogiſmorum ſolutionem petendam eſſe; ex eo quòd eadem dictio ſub diuerſis accentibus & ſpiritibus diuerſa deſignet, vt in exẽplo textus particula ne, accentu graui pronunciata interrogationem ſignificat, acuto verò negationem.

De ſolutiõe paralogiſmorum fallaciæ ſecundũ dictionis figuram.
Literæ exẽpla.
Primum.
Secundum.

Inſuper ibi, Manifeſtum autem & in iis quę figura orationis, & cæt. in ſumma monſtrat, quo pacto diſſoluendi ſunt paralogiſmi fallaciæ ſecundum figuram dictionis, volens in ſumma illorum ſolutionem deprehendendam eſſe ex prædicamentorum diuerſitate, ipſorum diuerſis modis prædicandi atque connotandi. Imprimis autem adfert exempla tria, in quibus accidens in accidens mutatur. Et quæ ex finalis terminationis ſimilitudine deſumuntur. Primum eſt. Eſto interrogatio quã abnuat reſpondens, an contingat idem ſimul facere & fieri. Adaptabitur contra reſpondentem huiuſmodi paralogiſmus. Contingit idem & ſecundum idem, id eſt, ſecundum eandem partem nempe oculum, ſimul videre & videri: ſed videre & videri, ſunt agere & pati ſiue fieri. Igitur contingit idem & ſecundum idem ſimul agere & fieri. At quid deſignent videre & videri, alibi prius expreſſimus. Alterum exemplum eſt, Sit interrogatio, putáſne eorum quæ ſunt pati, aliquid facere? Cui ſi reluctaris, conſtituetur hic paralogiſmus, Secari, vri, & operari ſimiliter dicuntur, & pati deſignãt; At operari & facere idem ſunt, igitur facere paſſionẽ deſignat, & eſt facere pati.

Tertium.

Tertium exemplum eſt, videre ſignificat facere quia eſt,

vt currere,

vt currere, ſcribere, & ſignificat etiam pati, quia videre eſt ſentire, quod eſt quoddã pati, ergo videre ſignificat & facere & pati. Hi paralogiſmi vt litera indicat eo in loco, Si aũt aliquis illic, &c. nõ ſimpliciter abſolutéq; redarguunt. Vel ſi pars altera aſſumpta annuatur concedaturq;, quorũ ſolutio ex hoc pendet, quòd non oporteat idem ſignificare, quæ finalem habent terminationẽ ſimilem. Cæterùm ea ſimilitudo, de qua ibi agitur, idem enim accidit hic quod in æquiuocationibus, ex ſuperioribus in hoc capite dictis facilè cognoſcitur, & proinde abſtinemus ampliori declaratione. Porro poſt hæc ibi, Similes autem & hæ orationes illis, &c. Superioribus exemplis alia ſimilia adiungit, deſumpta ex hoc quòd ſubſtantia in accidens cõmutetur transferaturq;. Primum, in quo quid in quãtum mutatur, eſt. Quicquid quis habuit & modò nõ habet, id amiſit, At Socrates decẽ calculos habuit, & modò non habet (nam vnũ perdidit) Igitur Socrates decẽ calculos perdidit. Huius ſolutio apud Ariſtotelem eſt, ꝙ maior vera eſt, & concluſio falſa, & quòd quid in quantum mutatur. Eſt enim ſignũ (quicquid) ſubſtantiæ diſtributiuum, minor autẽ extremitas aut ipſius pars quæ eſt decem, quantitatẽ indicat. Quòd ſi in maiore ſubſtantia in quantum cõmutetur, hoc pacto, quotquot quis habuit & modò nõ habet, tot amiſit, falſa erit huiuſmodi maior, ſed conceditur quot quot quis habuit & modò non habet, tot aut aliqua ex illis amiſit. Aliud in quo ſubſtantia in adaliquid commutatur, complectitur hos quatuor paralogiſmos. Hic dat vnum ſolum denarium, & hic non habet vnum ſolum denarium, ergo dat quod non habet. Iſte dat aliquid cum triſtitia, & non habet cum triſtitia, ergo dat quod non habet. Aliquis percutit vna ſola manu, & non habet vnam ſolùm manum, ergo percutit manu quam non habet. Aliquis videt aliquid vno ſolo oculo, & non habet vnum ſolum oculum, Igitur videt aliquid oculo quem non habet.

Aliæ literæ exempla.

Primum.

Secundum.

Horum omnium ſolutio ex hoc pendet, quòd quid in adaliquid, aut vnũ vnius prædicamenti, in aliud commutatur. Ad hæc in litera ibi, Soluũt autem quidam dicentes, & cæt. Philoſophus duas antiquorum ſolutiones recenſet, quorum quidam arbitrabantur, minorem dictorum paralogiſmorum eſſe falſam. Alij verò, ipſam interrogationem ſeu maiorem. At has ſolutiones, ſiue duæ ſint, ſiue tres, velut inſufficientes reprobat ibi Ariſtoteles. Sed quod dictum eſt prius hi omnes, &c. Deinde in litera ibi, Amplius autem & hæ ſunt ex huiuſmodi orationibus, &c. Subijcit exempla, in quibus quid transfertur in alia prædicamenta, nempe in quale, in quando, & in vbi. Primus paralogiſmus eſt, Quod ſcriptum eſt, ſcripſit quis, ſed oratio falſa ſcripta eſt, ergo quis ſcripſit falſam orationem, ſed ſcribebat eam verã, Igitur ea oratio ſimul vera eſt & falſa. Supponitur quòd hic ſcribatur, tu ſedes eo tẽpore quo ſedes, & ea ſcripta ilicò ſurgas, & ſic eadem oratio falſa efficiatur. Huic annectitur & iſte. Id de quo opinatum eſt, opinatur quis, Sed de falſo opinatum eſt, ergo falſum quis opinatur, ſed opinatur verũ, Igitur idem ſimul erat verũ & falſum. Fit ſuppoſitio ſecũdum quã aliquid verũ eſt, dum ipſum quis opinatur, & efficitur falſum, dum ceſſat illud opinari. Secũdus paralogiſmus eſt, Quod diſcit diſcẽs, hoc eſt quod diſcit, Diſcit autẽ aliquid, quod tardũ eſt celeriter, Igitur tardè diſcere eſt celeriter diſcere. In his quid in quale & modum quendam cõmutatur. Tertius paralogiſmus eſt, Quiſquis ambulat aliquid peſſundat, Ambulat autẽ totã diem, Igitur totã diẽ peſſundat. Quartus eſt, Quicquid bibiſti, ventre contines, At cyphum bibiſti, Cyphum igitur ventre contines. in hoc quid in vbi vel ex quo mutatur, In illo aũt in quando. At paralogiſmum eum, qui ibi deſignatur, Et putas quod quis ſciuit, inueniens vel diſcens ſciuit, &c. (eſtq; huiuſmodi. Omne quod quis nouit, aut inueniens aut diſcens nouit, id eſt, per inuentionem aut doctrinã, At hæc duo quis nouit, iis demonſtratis quorum vnum inuentione, alterum per doctrinam nouit, Igitur hæc duo aut inueniens, aut diſcens nouit) ſuperioribus connumerat atq; adiungit in ſuis commentarijs Albertus, non quòd ſubſtantia in aliud prędicatum commutetur, ſed quoniam variatur prædicandi modus, ſecundum numerum ſingularem & pluralem. At Egidius Romanus arbitratur, ipſum pertinere ad eos paralogiſmos, in quibus quale quid in hoc aliquid cõmutatur. De qua quidem re poterit, ſi libuerit, lector vtriuſq; autoris cõmentaria conſulere, in quibus & inſpicere poterit, quomodo hic paralogiſmus pertinere valeat ad fallaciam ſecundum plures interrogationes vt vnã, Alia quoq; id genus ſimilia. Poſt hæc in litera ibi, Et quoniã eſt quis tertius, &c. A Philoſopho in mediũ producuntur paralogiſmi fallaciæ ſecundũ dictionis figurã, In quibus ſine cõtrouerſia quale quid in hoc aliquid vertitur, hoc eſt, vna ſubſtantia in alterã. ſiue cõmune in particulare determinatũ ſeu ſimpliciter. Admonet hoc loco Albertus, dupliciter dici quale quid. Vno modo omne inferius eſt quale quid ſui inferioris comparatione. Altero modo, cum id quod in ſeipſo quid eſt, per accidens adueniens eſt quale, ſecũdum quem modum Coriſcus muſicus, dicitur quale

Tertium.

Primus paralogiſmus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Albertus.

Egidius Romanus.

Albertus.

quid. Atq; iuxta hunc duplicem modum, duo adferuntur a Philosopho paralogismi. Prior est, Coriscus est tertius ab homine, & Coriscus est homo, Itē & Plato homo est & quiuis a Corisco alius est, Igitur Coriscus est tertius a seipso, & quouis alio homine. In hoc commutatur quale quid priori modo in hoc aliquid, & proinde pertinet ad secundum dictionis figurā fallaciam, etsi alia ratione ad accidentis vel consequentis fallaciam attineat. Alterum duobus modis inuenimus redditum. Nam Albertus hoc pacto reddit, Coriscus est alter a musico, nempe a quodam musico, Et Coriscus est musicus, Igitur Coriscus est alter a seipso. At Egidius ad hunc modū videtur reddere, Coriscus est alter a Corisco musico, Coriscus est Coriscus musicus, Est igitur Coriscus alter a Corisco. In quo sanè quale quid secundo modo, in hoc aliquid est cōmutatum. Postremo in litera ibi, Omnino autē in orationibus quę propter dictionem, &c. Per quendam epilogi modum repetit ea quæ speciatim dicta sunt de soluendis paralogismis singularum in dictione fallaciarum, volens summatim, solutionem esse desumendam ex opposito illius propter quod apparent esse elenchi.

Dupliciter dicit aliqd quale quid. Prior literæ paralogismus. Posterior. Albertus. Egidius.

Earū verò quæ per accidens,

In caput tertium, quod commonstrat, quo modo paralogismi extra dictionem syllogistica forma carentes, soluantur, scholia.

IN præsentis literæ exordio agit Philosophus de accidentis fallacia, quæ primum obtinet locum inter eas, quæ sunt extra dictionem. Atque imprimis dicit, omnibus huius fallaciæ paralogismis eandem esse solutionem adhibendam, quæ fiat per consequentiæ ac illationis negationem, cum ea sit inualida, etsi illata conclusio veritatem contineat. Deinde ibi, Sunt autem omnes rationes, & cæt. huius fallaciæ paralogismos recenset cum suis peculiaribus dissolutionibus, ex generali illa solutione pendentibus. Sunt autem paralogismi eiusmodi. Tu nosti bonum, volo autem te interrogare de bono, igitur nosti quod volo interrogare. Tu nouisti Coriscum, at Coriscus veniens est, nouisti igitur venientem. Tu nosti coopertum, sed Coriscus est coopertus, igitur nouisti coriscum. Hæc statua est tua, & eadem est opus, igitur hæc statua est tuum opus. Hic canis est pater, & est tuus, Est ergo hic canis pater tuus. Post hæc in litera ibi, Soluunt autem quidam interrogationem, & cæt. tres superiorum paralogismorum solutiones ab antiquis traditas enumerat. Prima eorum fuit, qui dicebant priorum paralogismorum, in quibus mentio fiebat de cognoscendo, illatam conclusionem esse admittendam alia atque alia ratione ac respectu. Quam ibi refellit Philosophus, Atqui primum quidem sicut iam diximus, earum quæ propter idem sunt orationum, &c. At alios item ad paralogismum colligentem raro pauca esse pauca, respondentes conclusioni annuendum esse, eò quod omnis numerus & paucus sit & multus, confutat ibi, Similiter autē peccant, & qui soluunt quoniam omnis numerus, &c. Alij arbitrabātur, postremos paralogismos soluendos esse per multiplicitatis explicationem, contra quos instat in litera ibi, Quidam autē & duplici soluunt syllogismos, &c. Post hæc secundo ibi, Eas verò quæ propter id propriè, &c. Imprimis in summa docet soluere paralogismos fallaciæ a dicto secundū quid ad simpliciter dictum: In summa volens, omnes eiusmodi paralogismos, siue sumantur secundum partem integralem, siue determinationē localem, aut temporalem, aut respectiuā soluendos esse inspiciendo, si oppositum conclusionis illatæ in veritate cum præmissis possit consentire. Nam hoc existente, nequeunt præmissæ assumptæ illatam conclusionem efficaciter colligere. Deinde ibi & sequentibus, Atqui huiusmodi omnes orationes, &c. huius fallaciæ paralogismos assignat, primò eos qui inualidè contradictoria colligunt, qui numero sunt quinq;. Primus est. Quod est opinabile, est: & quod est opinabile, non est: Igitur quod nō est, est. Secundus. Quod non est asinus, nō est: At aliquid est, quod non est asinus: Igitur quod est, nō est. Tertius est. Quicunq; adimplet iuramentū, bene iurat: At iste peierando iuramentum adimplet, peierādo igitur bene iurat: sed peierando non bene iurat, idcirco simul bene iurat & non bene iurat. Quartus. Qui suadet dissuasionem, suadet & non suadet, vel suadet & dissuadet: At hic dissuasionem suadet, Igitur suadet & non suadet. Quintus est. Ego dico falsum si dixerim hominem esse equum, At hoc dicendo, dico verum, Igitur dico simul verū & falsum. Huiusmodi sophisma erat teste Diuo Hieronymo ipsius Chrysippi. Hactenus de exemplis ex determinatione absoluta constantibus. Quæ sequuntur, respectiuam complectuntur determinationem, & contradictoria similiter colligunt. Primum est. Opes & sanitas bonæ sunt sapienti & benè vtenti, & eædem non sunt bonæ insipienti & perperàm vtenti, Igitur eædem diuitiæ sunt bonæ & non bonæ. Secundum. Quod non est bonum aliquando aut alicubi, non est bonum, sed sanitas & potestas, quæ est quoddam bonum, non est bonum aliquando aut alicubi, Igitur sanitas & potestas, quæ est quoddam bonum, non est bonum.

Ad ꝓpositos paralogismos, tres antiquorū solutiones.

Prima. Secunda. Tertia.

De solutiōe eorū paralogismorū, q a dicto secūdū qd, ad simpliciter dictū ꝓgrediūtur.

Huius fallaciæ paralogismi 5. inualidè contradictoria colligētes.

Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

Chrysippi sophisma teste Hieronymo.

Primū literę exemplū ex determinatione respectiua.

Secūdum,

Post

Exempla quę cōtraria inferunt. Primum.

Post hæc in litera ibi, Putâsne quod non vult sapiens. subnectit Philosophus alia exempla, quæ contraria inferant, quæ sunt hæc. Primum, Quod non vult sapiens, est malum, Sed amittere bonū non vult sapiens, igitur bonū est malum. Aut sapiens non vult amittere bonū, ergo non vult bonum. At quod nō vult sapiens est malum, Igitur bonū est malum. Secundum est, Quod vult fur, est malum, Sed fur vult sumere bonū, Ergo sumere bonū est malum.

Secundum.

Tertium.

Tertium est, Volens bonum, vult ægritudinem amittere, Sed qui vult ægritudinem amittere, vult ægritudinem, & ægritudo mala est, Igitur volens bonum vult malum. At in litera ibi, Putâsne iustum iniusto, &c. recenset Philosophus eiusdem fallaciæ alia exempla, quæ colligunt priuatiuè opposita, quorum primum est. Magis eligendum est iniustè mori, quàm iustè, Sed iniustè mori est iniustum, & iustè mori iustum, Igitur magis eligendum est iniustum, quàm iustum. Secundum est, Habere sua semper est iustum; sed habere sua secundum legem aliquando est iniustum (vt cum iudex perperàm iudicat & pronunciat) Igitur sua habere & iustum est & iniustum. Tertium, Iniusta dicentē, iustum est condemnare, Sed iustum hominem iniuriam passum contingit iniusta dicere, Igitur iustum hominē iustum est condemnare, At iustum hominem condemnare est iniustum, Igitur iustum est iniustum. Cæterùm tertio in litera ibi, His autem qui propter definitionem fiunt redargutione, & cæt. explicat quo pacto soluendi sunt paralogismi, qui eueniunt ob ignorantiam definitionis elenchi, dicens eos soluendos esse, conferendo conclusionem ad eam propositionem, quæ verè contradicit positioni respondentis, ex cuius inspectione palàm erit quod fuerit omissum, quod ad contradicendum exigebatur. At quomodo possibile sit, idem esse duplum & non duplum (id quod indicat litera) ex ipsa litera facilè colligi potest. Deinde ibi, Sunt autem omnes hæ orationes, & cæt. reddit huius fallaciæ hos paralogismos. Hic cognoscit Coriscūm quatenus Coriscus est, & non quatenus est musicus, ergo hic eundem cognoscit & non cognoscit. Hoc ferrum est tricubitū hora octaua, & tetracubitum hora nona, At tetracubitum maius est secundum longitudinem tricubito, Igitur hoc ferrum nunc tricubitum nunc tetracubitum, eodem & seipso maius est & minus. In hoc omlititur particula In eodem tēpore. In illo autē Secundū idem.

Exempla rū colligēriū priuatiuè opposita. Primum. Secundum.

Tertium.

De solutiōe paralogismorū ex elenchi ignorātia prouenientium.

Huius fallaciæ paralogismi.

De paralogismis petitionis principij.

Insuper quarto ibi, Illa verò quæ fiunt propter id quod petitur sumiturq; principium, &c. docet soluere paralogismos principium petentes, dicens, quòd cum respondenti manifesta est principij petitio, non sunt præmissæ ab opponente assumptæ dandæ & concedendæ, sed potius negandæ, etsi sint probabiles. Quòd si respondentem is defectus lateat ante conclusionis illationem, & post illationem deprehensus fuerit, respondentem opponenti oportere dicere, quòd non verum constituat elenchum, cum petat principium, id quod non suscipit elenchus, & quod pręmissas dederit, non tanquàm ex quibus construeretur syllogismus ad conclusionis illationem, sed potius gratia disputationis, vt ad oppositū concessi probandum sese accingeret. Præterea quinto loco in litera ibi, Et eas quæ per consequens probant, &c. Dicit Aristoteles, omnes fallaciæ consequentis paralogismos vna eademq; communi solutione esse dissoluendos, nempe per illationis negationem. Subijcit quoq;, consequentium duplicē esse consequentiam, vnā affirmatiuam a positione antecedentis ad consequentis positionem, quę bona est. vel a positione consequentis ad antecedentis positionem, quæ est inualida. Altera est a negatione antecedentis ad consequentis negationem, quæ est similiter inefficax, vel a negatione consequentis ad negationem antecedentis, & hæc est legitima. Post hæc sexto ibi in litera, Quæcunq; autem propter id, quod additur aliquid, &c. vult paralogismos fallaciæ secundum non causam solui, si respondens consideret, an ablato superfluo nihilominus accidat ex restantibus impossibile, & dicat id non esse causam, quod veluti causa sumebatur. Deinde dicat opponenti, se illi propositioni annuisse, non quod ei videretur, sed vt ad propositam conclusionem argumentaretur, id quod per ignorantiam non est assequutus opponens, cum non causam vt causam acceperit. At postremo loco in litera ibi, Eas autem quæ plures interrogationes vnam faciunt, & cætera. Paralogismos fallaciæ secundum plures interrogationes vt vnam imprimis docet soluere, volens ad vnam interrogationem, respondendam vnā responsionem. Ad plures verò plures ac multas. Deinde ibi, Ac vt in æquiuocis, & cætera. explicat quando ex vna responsione ad plures interrogationes vera sequatur redargutio, & quando non proueniat. Et post hæc ibi, Vt in his orationibus, &c. recenset huius fallaciæ hos paralogismos, numero quatuor. Primus est, Propositis duobus, vno bono & altero malo, si rogetur an hæc sint bona, an mala: si respōdeatur bona sunt, sequitur malum esse bonum. Si verò mala esse dicātur, erit bonum malum. Etsi bona sint, non erunt mala, etsi mala non erunt bona, quare neq; bona neq; mala erunt. Secundus est, Rogetur aliquis

De solutiōe paralogismorū fallaciæ cōsequētis.

De solutiōe paralogismorū secundum nō causam vt causam.

Fallaciæ secūdū plures interrogationes vt vnā paralogismi quatuor. Primus.

Secundus.

aliquis, an omnia sint sibijpsis eadem, & ab alijs diuersa? Si respondeatur sic esse, argumentabitur opponens. Omnia sunt sibijpsis eadem & alijs diuersa, ergo omnia sibi eadē sunt & diuersa. Tertius est, Ex duobus vno bono & altero malo, fiat bonũ malum, & malum bonum, si rogetur, an hæc fiant bonũ & malum? si respondeatur sic, colligitur quòd hoc fiat bonum & malum. similiter & quòd illud malum & bonum fiat. Quòd si rogetur, an fiunt bonũ & malum? & respondeatur bonũ aut malum, sequitur duo vnum fieri. Quartus est, Si dentur duo inæqualia inter se, quorũ vtrunq; sibi æquale est, si quæratur an sint æqualia, & respondeatur sic esse, sequitur eadem esse inæqualia sibi, & æqualia. Ad hæc in fine ibi. Incidunt autē hæ orationes, & cæt. ostendit Philosophus, huiusmodi paralogismos, & ad alias fallacias pertinere. Neq; enim id pro inconueniente ducendum est.

Tertius.

Quartus.

In illis aũt quę eò ducunt.

In quartum caput, agens de speciali dilutione paralogismorum ducentium ad nugationem & solœcismum, scholia.

IN huius literæ exordio aperit Philosophus, quo pacto diluendi sint paralogismi, quibus conātur sophistæ deducere respondentes ad nugationis metā, atq; in primis agens de nugatione incidente circa relatiua & correlatiua, dicit eiusmodi captiones soluendas esse, si negauerimus eam suppositionē, relatiua seorsim accepta, & in oratione suis correlatiuis coniuncta idem designare. Neq; enim necessum est, vt quicquid nomē separatũ designet, idem det intelligere in oratione alteri cōnexum. Id quod Philosophus cōprobat de ijs vno minus decē, non albũ, nō agere, & similibus, quæ vtcunq; decē, album, & agere designāt, pro quibus non accipiuntur. At cum subiungitur, duplum nihil significare, id accipiunt de eo quod absolutum est. Nam certũ est, relatiua relationes designare. At Iacobus Faber hunc locũ aliter explicat. Duplum (inquit) & cætera id genus relatiua quæ ad aliquid dicuntur, si seorsum & sine suorũ correlatiuorum intelligentia capiantur, nullius rei constituunt intelligentiam. Quare nec significare quicquàm videntur. Quid enim per duplũ amota dimidij intelligentia, & quid per dimidium, amota intelligētia dupli, intelligis? cuius nam rei constituis tibi intelligētiam? Nullius profectò, sed vocabula per se ad constituendam intelligentiam vana sunt. Hęc Stapulensis. Deinde ibi, In his autem quæ per se ostenduntur prædicatis, &c. dicit nugationē manantem ex parte subiecti & accidentis proprij, dilui a nobis, si non concesserimus accidens proprium per se sumptũ & in oratione subiecto annexum, idem designare, vt simum per se acceptum designat nasum, quē nō indicat in hac oratione, nasus simus, cũ idem sit nasus simus & nasus curuus. Cæterùm dum mox dicitur, accidens proprium non significare in recto suum subiectũ, sed potius in obliquo, cum simũ idem sit, quod habens nasi curuitatem, id accipiunt de principali primarioq; significatu. Ab omnibus enim receptũ est, simum nasum connotare.

De solutione paralogismorũ, in quibus accidit nugatio ratione relatiuorũ et correlatiuorũ.

Quò duplũ solitariũ acceptũ, nihil significat.

Iacobus Faber.

De soluenda nugatione in accidēte ex subiecto & proprio

Post hæc secundò ibi, De solœcismis autē propter quid apparent accidere, &c. tradit Philosophus, paralogismos ad solœcismi metā deducentes, dissolui per distinctionē congrui sermonis ab incongruo, simul cōmonstrando, dictionē alium & alium habere significandi modũ in diuersis casibus. Cæterùm quoniam in casus variatione id magis est manifestũ, ideò primò subiungit tres paralogismos, in quibus rectus casus in obliquũ mutatur. Quartum, in quo contra, obliquus in rectum. Et quintũ, in quo obliquus in alterum obliquũ conuertitur. Primus paralogismus est, Quod tu dicis verè esse, hoc est aliquid, At lapidem dicis verè esse, *Igitur* lapidem est aliquid. Nam lapis in obliquo designatur in conclusione, quæ in virtute quadam in recto, in maiore designabatur. Quod si idem seruaretur casus in præmissis & conclusione, aut in præmissis reperiretur incongruitas, aut tolleretur syllogismi ratio. Nam si pronomen hoc in maiore accusatiui casus esset, offenderentur ob maioris solœcismũ Romanæ Latinæq; linguæ aures. At si colligeretur, quod lapis est aliquid, eodē recto seruato, legitima & valida erit ratiocinatio. Secundus paralogismus est, Ista (aspide demonstrata) est id quod ais eam esse, Sed ais eam esse aspidem, Ergo ipsa est aspidem. Tertius paralogismus est, Quem tu dicis esse hunc, hic est, Sed Cleonem dicis esse hunc, Igitur Cleonem hic est. Quartus est, Tu scis hoc, Sed hoc est lapis, Ergo tu scis lapis. Quintus est, Cuius habes scientiam, hoc scis, Sed habes scientiam lapidis, Igitur tu scis lapidis. Hactenus a nobis dictum sit quàm breuissimè potuimus, de paralogismorum omnium dilutionibus.

De solutiōe paralogismorũ in quibus admittitur solœcismus.

Quinque ipsius literæ paralogismi

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Oportet autē animaduertere

In quarti tractatus vnicum caput, de orationibus facilè & difficilè solubilibus, acribus & acrioribus pertractans, scholia.

PErtractatis argumentationum deceptoriarum solutionibus, congruenti ordine hoc in tractatu commonstrat, qui paralogismi solutione digni sint, & qui indigni, in exordio hanc partitionem lectori proponens. Omnium argumentationum sophisticarum, quædam

Argumētationũ sophisticarum quasdam ad

quædam sunt ad soluendum faciles, ob quod videntur esse despiciendæ, & vt illis adhibeatur responsio indignæ. Aliæ sunt difficiliores, ob latentem causam non existentiæ. Coincidunt tamen hæc nonnunquam, eò quòd in vnaquáque fallacia offendere liceat & faciles & difficiles orationes. Faciles quidem sunt secundum æquiuocationem, quę accipiunt eiusmodi propositiones, Vir ferebatur in scala δίφρον, Boreas purus necessitura boum antè pariat. Dictionem δίφρον alij currus, alij sedens vertunt, ex quo videtur ad hęc duo æquiuoca esse. At purum aliquando idem est quod nubes dissoluens, & aerem purgans. In quo significatu Boreas purus dicitur. Aliquando designat idem quod non nocens, in qua significatione boreas non est purus, cùm pauperem lædat frigoris rigiditate constringens, & ementem, vtpote quæ sterilitates inducit, multaq; bonorum incommoda. Item Ante, situm & tempus designat æquiuocè. Si situm accipiamus, vtraq; boum posterius pariet, seu secundum partem posteriorem. Si verò tempus, ea antè parit, quæ tempore anticipat partum alterius. Eiusmodi itaque paralogismi, qui ex æquiuocatione manifesta côficiuntur, faciles sunt. At alij sunt difficiliores, vt qui ea accipiunt æquiuoca, de quibus docti digladiantur, an vniuoca sint an æquiuoca. eiusmodi sunt ens, & vnum, &c. quæ à consilio appellantur æquiuoca. Deinde secundò ibi in litera, Est autem acuta oratio, &c. explicat Philosophus, quæ sit acris acutáque oratio, quæ acrior, & quæ acerrima. Acris enim est, quæ dubitare facit respondentem, quomodo ipsi adhibebitur responsio. Acrior verò & acerrima est, quæ magis vel maximè dubitare facit, quo pacto solutione illi sit obuiandum. Hæc enim mordet, pungit, & impedit respondentem, quo minus illi respondere valeat ei cum quo differitur. Eiusmodi orationem seu argumentationem acrem & acerrimam, partitur in eam quæ in materia deficit, & in eam quæ syllogistica destituta est forma. Inter eas quæ in materia peccant ea ratiocinatio est acerrima, quæ ex maximè probabilibus vel probabilioribus interimit apparens & probabile, id quod euenit, cùm syllogismo conuersiuo ex opposito conclusionis cum præmissarum altera reliquam interimimus, quemadmodum ex hoc syllogismo potest constare, Omnis mater diligit filium, Medea est mater, Igitur Medea diligit filium quem interficit, quæ ex probabilibus colligit improbabile. Acris autem in materia deficiens dicitur, quæ ex æquè probabilibus falsis tamen in ostensiuo & conuersiuo syllogismis interimit probabile, Aut quæ ex æquè probabilibus, etsi falsis, in ostensiuo syllogismo colligit falsum. Porrò inter eas, quæ in forma deficiunt, orationes, ea dicitur acerrima atque acutissima, quæ dubitationem adfert, an sit syllogistica, an non. Item an soluenda veniat per alicuius falsi interemptionem, an per distinctionem. At ea in eodem genere acris est, quam constat oportere dilui per interemptionem, vel distinctionem, sed ambigitur, an per interemptionem vel distinctionem minoris, vel maioris, vel conclusionis. Contrà, ea oratio inter asyllogisticas est facilis, quæ præmissas accipit valde improbabiles & falsas, quarum quædam dignæ sunt vt despiciantur & contemnantur, eò quòd opponens falsum probare conatus, eam propositionem prætermittat, ex qua, veluti causa colligitur falsa conclusio. Aliæ non dignæ sunt vt contemnantur, cùm scilicet opponens propositiones omnes aduehit ad syllogismi constructionem, quæ causæ sunt fallacitatis inferendæ conclusionis, omissis interim illis quæ extrinsecus adferri possent ad propositi dilationem, occultationémve, vel explanationem. Cæterùm postremò in litera ibi, Sanè vt soluendum quandoque, &c. Recenset triplicem soluendi & interrogandi modum, nempe ad orationem, ad hominem, & ad tempus. Prima est recta solutio & interrogatio, Reliquæ duntaxat sunt apparentes.

Soluendū faciles, & quasdam esse difficiles.

Dictionis Purum diuersa significatio.

Item Ante æquiuocè est.

Quæ acris, quæ acrior, & quæ acerrima oratio

Acerrimæ argumētationis distributio.

In quinti tractatus primum caput, omnium superius dictorum summam repetens, Annotatiuncula.

IN HOC quinti tractatus initio, quodam epilogo recenset complectiturq; summatim, de quibus in his duobus sophisticorum elenchorum libris consyderatum atque pertractatum sit, & si non eodem perpetuo seruato ordine. Deinde secundò ibi, Reliquum autem, vt eo quod principio erat propositum, &c. epilogum octo præcedentium adiicit, ex quo coniectare licet, Elenchorum librum proximè sequi libros Topicorum. Cæterùm de Socrate, Varro in Academicis Ciceronis ita habet, Hic in omnibus ferè sermonibus, quæ ab iis qui illum audiuerunt præscripti varij copiosiq; sunt, ita disputat, vt nihil affirmet ipse, refellat alios, nihil se scire dicat, nisi idipsum, eoq; præstare cæteris, quòd illi nesciant & scire putent, ipse verò nihil scire.

Ex quot igitur q busq; fiunt.

Omnium superius dictorum epilogus.

Varro de Socrate.